
















ANNALES CAMALDULENSES
TOMUS TERTIUS.

ANNALES
CAMALDULENSES
ORDINIS
SANCTI BENEDICTI

Quibus plura interseruntur tum ceteras Italico-monasticas res, tum historiam Ecclesiasticam remque Diplomaticam illustrantia.

D. JOHANNE-BENEDICTO MITTARELLI ABBATE
& D. ANSELMO COSTADONI

Presbyteris & monachis e Congregatione Camaldulensi Auctoribus.

TOMUS TERTIUS

Complectens res gestas ab anno Christi M. LXXX. ad annum M. C. LX.

Ad fidem MONUMENTORUM & VETERUM CHARTARUM, quæ APPENDICEM constituunt.



VENETIIS, MDCCLVIII.
Ære Monasterii Sancti MICHAELIS DE MURIANO.

Prostant apud JO. BAPTISTAM PASQUALI.
SUPERIORUM VENIA ET PRIVILEGIO.

NOBILISSIMIS. ET. AMPLISSIMIS

BONONIENSIS SENATUS
PATRIBUS

SCIENTIARUM. POLITIORIS. LITERATURAE
BONARUMQUE. ARTIUM
SUMMIS. FAUTORIBUS. ET. PATRONIS
AEQUITATE. PRUDENTIA. SAPIENTIA
SPECTATISSIMIS. ATQUE. VIGILANTISSIMIS.

Johannes-benedictus Mittarelli Abbas & Anselmus Costadoni
Presbyteri & Monachi Camaldulenses.



DUBITANDUM diutius non fuit, cujusnam glorioso Mæcenatis nomine decoranda foret Tertia, quæ prodit, Annalium Camaldulensium pars; ex quo enim primùm cogitavimus involutam, paucisque notam Camaldulen-

ſem hiſtoriam de tenebris eripere ; inde vero poſtquam evolutis tabulariis, cognitiſque originibus, & varia monaſteriorum fortuna, audacter manum admovimus operi, eos potiſſimum comparare nobis ſtuduimus Principes viros, qui jus partemque aliquam in ipſam hiſtoriam ſibi vindicarent, ſub quorum auſpiciis publicam lucem viderent, qui fuſiori calamo diſtributi in annos exararentur Camaldulenſes faſti. Opportune autem & perbelle factum eſt, dum attente, neque una vice percurrimus, quod prælo committimus, Tertium volumen, obtutibus noſtris tot propoſita fuiſſe monumenta, quæ attinent ad antiquiſſimam, feliciſſimam, totoque orbe celeberrimam Bononiam urbem Veſtram, Præstantissimi Senatores, qui rem ipſius publicam componitis & agitis, ut non alteri, quam Vobis, ſi per humanitatem clementiamque Veſtram liceret, optaremus inſcribendum. Fauſtiſſimo & memorabili beneficio id per Vos licuit ; annuiſtis itaque, ut præferretur ſummum nomen Veſtrum fronti operis, religioniſque duxiſtis excipere in ſinum eam Annalium Camaldulenſium portionem, in qua diſſereretur de ſpectatiſſimis Sanctis viris, quorum natale ſolum fuit egregia civitas Veſtra, quique tum eximia pietate, tum celebratiſſimis geſtis clariſſimi originem ſuam referrent acceptam a fœcundiſſima ſanctitatis, doctrinæ & gloriæ matre urbe Bononia. Agmen idcirco ducet in hoc volumine ſanctiſſimus Parisius, prælonga ætate, morum innocentia & glorioſis geſtis nominatiſſimus, qui in urbe Veſtra natus a pueritia ſua naturæ leges exceſſit, patrator prodigiorum jam tum mirificus ; inde in patria monachus ; præterea hominum plures perfectis vitæ regulis ad pietatem inſtituens in paterno ſolo & in Tarviſina civitate, in qua poſtrema longo & raro octuaginta annorum curriculo ſanctimonialium curam & regimen indefeſſo labore & exemplo tenuit, cujus, quæ ſuperfuere, monumenta, paucis ab hinc annis ſingulari opella collegimus & edidimus. Præceſſit Pariſium

risium tempore, varioque vivendi genere distentus beatus JOHANNES, qui a scriptoribus Vestris antiquissimæ JEREMEORUM familiæ asseritur; is seculo spreto Camaldulensem eremum petiit, ubi ad plures annos Prioris seu Præsidis Generalis officio fungens, utilibus & conspicuis monasteriorum & locorum accessionibus rem Camaldulensem auxit; evocatus inde a concive suo Romano Pontifice Honorio II. & Cardinalitia dignitate ac episcopatu Ostiensi donatus plura egit & pertulit pro Catholica Ecclesia, eo vel maxime tempore, quo defuncto Honorio, & schismate conflato in Romana Cathedra inter legitimum Pontificem Innocentium II. & inter pseudo-pontificem Anacletum II. partes tenuit veri antistitis, quem arduis itineribus, calamo & opera ubique sequutus est, fovit & defendit, donec adversa valetudine contracta sancte decessit, teste Petro-Mauritio venerabili Cluniacensi Abbate. Vixit iisdem temporibus intra septa cellæ suæ inclusa beata LUCIA, una ex primis sanctimonialibus veteris parthenonis sanctæ Christinæ prope castrum Septemfontium, cujus antiquum, sed privatum cultum, universalem reddendum spem nobis fecit clementissimis literis suis Sanctissimus, Concivis Summus Vester, BENEDICTUS Papa XIV. quem Deus Optimus Maximus sospitem adhuc, incolumenque toti Orbi servet. In primo Annalium nostrorum volumine late disseruimus de sancto BONONIO abbate, qui in Adalbertino insulæ Perei Imperiali monasterio, ad fidem Lucediensis monachi Ratberti, sanctum parentem nostrum ROMUALDUM audiit, inde in Orientem profectus, Ægypti apostolus, monachorumque pater in Syria & in Palæstina evasit, donec Italiæ restitutus, & Lucediensi abbatiæ suæ, terrena fastidiens cœlestia fuit assecutus, miraculorum gratia vivens, & post obitum illustris. De aliis Sanctis & Doctis monachis Camaldulensibus, qui Bononiæ floruere, immo & de piis clarisque sanctimonialibus fusior dicendi copia se præbebit sequentibus seculis. Unum

tamen

tamen heic loci ſilentio prætermittere nolumus beatum EUSEBIUM Camaldulenſem monachum, olim Rodericum, ex nobiliſſima Hiſpaniarum familia OSORNIA, cujus ſacra lipſana in noſtra ſancti Michaelis de Muriano eccleſia reconduntur. Is, licet Bononiæ originem non traxerit, Bononiæ tamen multum temporis domicilium fixit, & in regali collegio ſancti Clementis a Cardinale Ægidio Albornotio olim fundato primum auditor, inde præſes fuit, qui poſt rectoris provinciam ſedulo probeque peractam, a Catholico Hiſpaniarum rege Ferdinando V. legatus ad Venetos deſtinatus, ſeculi quamprimum pertæſus, unique Deo militare cupidus, ad beatam ſolitudinem noſtram Murianenſem ſancti Michaelis ſe recepit, in qua ſumma doctrina, ſuavitate morum, & poſtrema infirmitate notiſſimus diem ſuum clauſit extremum, miraculorum etiam gloria celebris, ut ad ipſius tumulum ſubjecta epigraphe teſtatum poſteris voluit Aldus Manutius. Hunc inter ceteros memorare placet, quia nullus ex ſcriptoribus Veſtris, nulluſque ex noſtris id aſſequutus eſt, quod nos ex monumentis chartarii regalis ejuſdem collegii proferimus in lucem, Vobiſque, NOBILLISSIMI & SAPIENTISSIMI DOMINI, prima vice notum facere geſtimus.

Alterum & quidem minime ſpernendum conſilium nos impulit, ut nomini Veſtro nuncuparemus unum ex noſtris Annalium Camaldulenſium voluminibus; ſcilicet ut gratum animum noſtrum ſignificaremus Vobis & Majoribus Veſtris, qui optime ſemper meriti fuere de Camaldulenſi familia. Quis enim vel monaſticus, vel regularis cœtus tot monaſteriorum & eccleſiarum poſſeſſione locupletatus fuit in urbe & in territorio Bononiæ, ut pietate & religione patrum Veſtrorum ditata fuit Camaldulenſis congretio? Nam, ut aliqua de multis promamus, antiquiſſimum cœnobium ſancti Michaelis de caſtro Brittorum, cujus ignotæ ſunt origines, notiſſimum eſt ex Paſchale II. Rom. Pont. jam ab initiis ſeculi duo-

decimi

decimi Camaldulensis eremi disciplinæ manus dedisse, una cum adjunctis cœnobiis & ecclesiis potiori monasterio subjectis. Ecclesia sanctæ Christinæ in loco Pasteno dicto ad castrum Septem-fontium Martino I. priori Camaldulensi seculo undecimo labente tradita jam fuerat, ad quam deducta sacrarum virginum colonia ex non multum dissito parthenone sancti Petri de Luco. Aliud virorum domicilium eo tempore cura & labore monachorum sancti Michaelis excitatum est in meditullio urbis Vestræ ad locum appellatum Pons-ferri, sub invocatione sanctorum Cosmæ & Damiani. Ad finem declinabat seculum duodecimum, cum Imelda piissima & ditissima femina testamentariis tabulis suis Ildebrando priori Camaldulensi ædificandum in refugium pauperum & peregrinorum reliquit hospitale cum adjuncta ecclesia, & aliquo tempore etiam parthenone, ad fluviolum vocatum Ravone prope portam sancti Isajæ; Petrus vero de Melanzolis, notus in historia Bononiensi, & consul aliquando urbis Vestræ, alterum, quod postea insigne evasit, monasterium piis largitionibus cum pluribus consortibus ditavit in silva de Burellis, dictum deinde Camaldulum Bononiæ, sive eremum Bononiensem; & ad eosdem annos Nettus & Ghislina cives itidem Vestri construendum curarunt pro sanctimonialibus feminis asceterium sanctæ Mariæ de Bethleem, quod iisdem legibus, consuetudinibusque fulciretur, quo regebatur illud sanctæ Christinæ de Tarvisio, itaut duo monasteria unum censerentur; cui etiam aliquo tempore præfuit Parisius; congregationi vero Camaldulensi absolute addictum ineunte seculo decimo-tertio, & sub congregatione perseverans ad aliquot secula, licet Bethleemitico archiepiscopatui adnexum reperiatur. Ipso vero seculo decimo-tertio ad medietatem properante novam sibi in urbe habitationem statuerunt ad locum Fundatia dictum veteres Septem-fontinæ moniales, quæ retentis ecclesiis in castro Ozani, locisque propinquis, quas ab antiquo jure obtinebant,

eccle-

ecclesiam & monasterium sub titulo sanctæ Christinæ ædificarunt intra urbis moenia. Johannes de Armis providus & ditissimus civis Vester seculo decimo-quarto juxta disciplinam Murianensium monachorum nostrorum sancti Mathiæ aliud cœnobium extruxit sub invocatione sanctæ Mariæ de Angelis; & pro Deo dicatis feminis Camaldulensibus tum sub finem antecedentis seculi, tum eo seculo, alia duo novimus floruisse monasteria, sanctæ Annæ, quod ex burgo Galleriæ translatum postea fuit intra moenia ad viam Balnei-marini, & sancti Nicolai de Domo-Dei, quæ cœnobia & bellorum causa, & quia subinde unita cum aliis sacris locis, nominis jacturam tempore progrediente fecere. Anno M. CCCC. XXII. adnexum fuit parthenoni sanctæ Christinæ aliud sanctimonialium sanctorum Mariæ & Andreæ de Ponte-majori prope urbem. Præterimus vero ecclesias sanctorum Simonis & Judæ de Urbicciano, sancti Matthæi de Accarisiis subjectas monasterio Vangaticiensi, aliam sancti Georgii de Varignano perpetuo unitam cum cœnobio sanctorum Cosmæ & Damiani; sancti Bartholomæi de Palatio, in quam jus dicebant monachi sanctæ Mariæ de Angelis, aliasque bene multas tam urbis, quam territorii, quæ obnoxiæ erant monasterio sancti Michaelis de castro Brittorum; præterimus etiam recentem extructionem eremi sancti Benedicti extra urbem, quæ est Montis-coronensium nostrorum domicilium. Sed immemoratum sinere nolumus monasterium sancti Felicis, quod in Paschalis II. Eugenii III. Alexandri III. & Lucii III. Romanorum pontificum bullis constanter recensetur inter alia, quæ monachorum Camaldulensium legibus parebant seculo duodecimo. Hinc in hocce Tertio volumine non levibus argumentis conjicimus ipsum fuisse celeberrimum sanctorum Felicis & Naboris, ubi etiam egregius ille monachus Gratianus eodem ævo Decretum compilavit. Quare nulla alia monastica familia gloriari poterit tot loca in ditione Bononiensi obtinuisse ma-

jorum

jorum Vestrorum liberalitate ; nos vero in tabulariorum nostrorum forulis paginas asservamus fundationum , piarum donationum & bonorum , quæ ab illustribus progenitoribus Vestris in Camaldulensem congregationem beneficentissima manu fuere erogata.

Quæ cum ita sint , jam videtis haud aliquam , sed amplissimam Vos , SPECTATISSIMI PATRES , partem obtinere in historiam nostram, clarissimo adeoque nomine Vestro necessario jure ornandum esse Tertium Annalium Camaldulensium volumen ; Vos scilicet , qui gloriam & decora adamatis urbis Vestræ , & tamquam a Deo destinati ad ceteros regendos , probe scitis , quantum ex laude pietatis & religionis Majorum refluat tum honoris , tum utilitatis in viventes cives ; Vos etiam , qui excelso animo , mira sapientia , atque insita vi & indole , quam lacte suxistis , optimarum artium & studiorum disciplinas , majoremque profectum excolitis & augetis ; Vos demum , qui æmuli patrum Vestrorum egregias ipsorum dotes in Vobis ipsis exprimere totis nisibus contenditis , & feliciter æquatis . Atque hic perquam libenter de urbe Vestra , de viris omnigena sanctitate , doctrina & gloria eximiis sermo foret instituendus ; hanc tamen , quam prohibet brevitas nuncupatoriæ epistolæ , provinciam exequetur concivis Vester , consodalis autem noster , Maurus Sartius , quem ad describendam Archigymnasii Vestri historiam nuperrime ex regimine monasterii sancti Gregorii de Urbe ad patrios lares revocavit Sapientissimus , & patriæ suæ Amantissimus , Sanctissimus Pontifex BENEDICTUS XIV.

Benigna itaque fronte excipite , AMPLISSIMI SENATORES , hunc perexiguum licet , & qualemcumque laborem nostrum ; ac si non omnino placent , saltem bonam veniam date consiliis votisque nostris ; simulque Camaldulensis nominis reliquias , quæ bellorum , sinistræque fortunæ casibus & ruinis supersunt

ſunt in paucis tum locis ; tum civibus (his tamen honoris & gloriæ urbis ſuæ inter primos ſtudioſiſſimis) clementiſſimo ſolitoque animo Veſtro complectimini , fovete , juvate.

Ex Muſeo noſtro inſulæ ſancti Michaelis de Muriano Venetiarum Sextilis menſis die vigeſima-ſeptima Anni M. D. CC. LVII.



PRÆ-



Monasterium S. Mathiæ in insula prope Murianum Venetiarum

IN TOMUM TERTIUM ANNALIUM CAMALDULENSIUM

PRÆFATIO.

I. Constitutiones scriptæ datæ Camaldulensibus.



SERIUS, quam erat in votis, ob ignavam typographorum segnitiem, publici juris facimus tertium Annalium Camaldulensium volumen, quod octuaginta annorum res complectitur, ab anno M. LXXX. ad annum M. C. LX. eumdem plane ordinem servantes, quem duobus primis tomis nobismetipsis proposuimus. Camaldulenses (quo nomine non eos dumtaxat eremitas intelligimus, qui ab hominum consortio remoti degebant in Thusciæ Apennini jugis, sed omnes tum solitarios, tum cœnobitas, qui Romualdi magni parentis disciplinam profitebantur) ore traditis legibus ad ea usque tempora vixerant, regulam sancti Benedicti, & eam insuper, quam *cunctis sectatoribus vitæ singularis* Romualdus præfixerat, sequentes; eo vero anno 1080. tum etiam anno 1085. scriptis constitutionibus communiti fuere a Rodulpho I. hujus nominis, qui quartus ordine erat Camaldulensis eremi prior; cujus proinde constitutiones vel consuetudines ex tabulario Fontis-boni primum lucem vident ad calcem Appendicis hujus voluminis.

II. Propagatio rei Camaldulensis.

MIRUM quantum sub ipso Rodulpho, sed cumulatius sub Martino, Guidone, Johanne & Azone proximis ipsius successoribus facta fuerit nominis Camaldulensis propagatio, itaut cum plurima monasteria & plures congregationes, ut vocantur, ejusdem eremi consuetudines suscepissent Paschalis II. Rom. pont. anno 1113. ea omnia monasteria & congregationes sub uno capite in unum corpus unierit, quod a potiori & florentiori Camalduli-majoris eremo & monasterio dictum fuit Camaldulense, Camaldulensis cœtus, congregatio, & aliquando etiam ordo. Accessere subinde efformato jam corpori nobilissima alia cœnobia, quorum origines, notitiam & historiam, quantum per antiquitatem licet, rejectis ad Appendicem veteribus monumentis diplomatum & donationum, sub suis annis copiose literis consignamus.

III. Vestium albarum color non ab omnibus statim receptus.

Non omnia tamen monasteria, quæ a Romualdo fundata vel reformata fuerant, quæque ad centum enumerantur, eremi Camaldulensis legibus statim manus dedere. Valle-castrenses monachi ab ipso singulariter instituti ad plura secula sui juris permansere; Classenses, Pratalienses, Urbe-vetani, Parentini, ceterique ascetæ Camerinensis marchiæ duodecimo, tertio-decimo, quarto-decimo etiam & quinto-decimo dumtaxat seculis in unum corpus coaluere. Vestibus etiam non omnes usi fuere candidis, quas potissimum præcepisse passim asserunt scriptores nostri sanctum parentem Romualdum in Camaldulensi eremo ob visionem, quam ajunt ab ipso ibidem habitam, splendentium atque albescentium monachorum ascendentium per scalam, ob quam Camaldulenses a se tunc institutos eorumque sequaces albas vestes deferre imposterum jusserit, atro tum primum in candidum colore mutato; sed vel nigras, vel albas, vel mixtas, prout primæva loci institutio, sive reformatio tulit, vestes servavere. Ita atras retentas scimus a Valle-castrensibus usque ad seculum decimum-quartum desinens. Excussit Fortunii admirationem fuisse aliquot scriptores putantes Romualdum, qui honorem sepulcri habuit in Valle-castrensi ecclesia, defunctum, & tumulatum fuisse in vestibus pullis Cluniacensibus, quas induisse affirmabant ab exordio suæ conversationis in cœnobio Classis. Immo etiam plura cœnobia postquam in congregationem venere, unumque facta sunt cum Camaldulensi corpore, candidas assumere vestes nonnihil temporis detrectarunt, nigras præferendo; certum est enim Pratalienses diutius de colore vestium litigantes, tandem anno 1183. composuisse cum Camaldulensibus, pollicentes *se imposterum accommodaturos ad gestationem pannorum alborum*; ita & Agnanienses anno 1199. post multas turbas habitum album Camaldulensem suscepere, licet seculum excurrisset, ex quo Camaldulensibus aggregati fuerant. Jugum idem candidarum vestium excutere conati sunt seculo XIII. monachi sancti Savini extra Pisas. Eremitæ sancti Johannis Gaitanorum apud eamdem urbem, quamvis Camaldulensibus copulati sub Johanne II. generali priore, ut ex historiis Camaldulensibus [a] patet, post medietatem ipsius seculi nigrum pallium super albam tunicam deferebant, quo etiam in habitu sanctum Romualdum in vetustissima tabula expressum eo loci vidisse testatur [b] Grandius. Narrat Fortunius [c] Martinum abbatem monasterii sanctorum Justi & Clementis urbis Volaterrarum circa annum 1230. animadvertentem „ commissos sui „ monasterii adhuc retinere habitum nigrum, convenientiam habitus albi „ Camaldulensis in omnibus inductam esse voluisse ". Stephanus abbas ejusdem monasterii interrogatus ad annum 1217. in causa libertatis eremi Camaldulensis inter cetera retulit, quosdam conversos monasterii de Fleri territorii Cortonensis, & subjectos eidem eremo Camaldulensi consuevisse deferre *pannos rusticanos mediocriter nigros, qui panni appellantur lazzus, & monachos & conversos prædicti monasterii esse de ordine Camaldulensi*. Quæ mira videbuntur, in uno eodemque cœnobio commissos & conversos, quorum aliqui erant clerici & presbyteri, diversum vestium colorem usurpasse contra Glossæ in caput: *Cum causam* adnotationem, *de hominibus disparis habitus in eodem monasterio non sociandis*. Quidam monachus Camaldulensis circiter annum 1250. præfectus fuit a Romano pontifice abbas monasterio sanctarum Floræ & Lucillæ de Arretio, in quo nigrarum vestium usus erat receptus. Huic inter cetera præceptum factum, ut in eo monasterio habitum suum candidum Camaldulensem gestaret, atque ita sub abbate albis induto militabant monachi atras vestes deferentes.

a Par. I. lib. 2. cap. 46.

b Differt. III. cap. 11. n. 10.

c Part. II. lib. II. cap. 6.

IV. Disquisitio de variis forma & colore vestium Benedictinorum.

Verum quandoquidem forma & color vestium una est ex iis monasticis

sticis disquisitionibus, de quibus in ordine Benedictino agitur, post Johannem Caramuelem, qui in disputatione XXXV. sui Commentarii in regulam sancti patris Benedicti, affirmat, *Benedictinum & Cistercìensem ordinem non distingui* (idipsum autem asserendum censet de aliis congregationibus) operæ pretium nos facturos, remque lectoribus jucundissimam arbitramur, si de multiplici habitus monastici Benedictini forma & colore a primæva sui fundatione sermonem instituentes, cum jam ab aliis doctissimis scriptoribus satis abunde probatum fuerit, constitutiones & consuetudines monasteriorum varias nullatenus officere unitati corporis Benedictini, idipsum præstemus etiam quoad vestium formam & colorem, demonstrando varias hucusque usurpatas formas variosque colores optime componi cum eadem unitate; quam quidem disquisitionem non ad litem intentandam, neque ad præponendam unam alteri formæ & unum colorem alteri, sed ad veritatem inquirendam assumimus, dum confratres omnes nostros sive nigros, sive albos singulariter amamus, diligimus, veneramur; illos præsertim, qui antonomastice & vulgi ore Benedictini appellantur, quos pietas, doctrina, nobilissimæque aliæ dotes distinguunt, quippe quos novimus, quantum præ ceteris honorem & adjumentum ordini, ecclesiæ, orbi toti afferant.

V. S. Benedictus vetat lites de colore & qualitate vestium.

NOLUIT sanctus pater Benedictus capite LV. suæ regulæ, ut monachi, qui eam profiterentur, quæstionem moverent de qualitate & de colore vestium, sed post præscripta vestimenta gestanda tum hiemis tempore, tum æstatis, subdit, *de quarum rerum omnium colore aut grossitudine non causentur monachi*. Petrus vero Mauritius Cluniacensis abbas, dictus Venerabilis, quamvis scriptis dimicaverit contra sanctum Bernardum ejusque familiam Cisterciensem, quæ ritus, vestes & ceremonias novas adoptaverat, dicere tamen maluit [a]: *Quis unquam pastor de velleribus ovium suarum discoloribus disputavit? quis unquam magis albas, quam nigras suas esse oves judicavit? quis unquam non utrum nigræ vel albæ, sed utrum albæ vel nigræ de eodem grege suo essent, attendit? Noli, oro te frater, si ovis Christi esse cupis, vario de vellere causari, quia nullum de ovili suo pastor ille projicit, nisi quem non coloris varietas, sed fidei vel caritatis læsio ab ovium suarum grege secernit*. Re enim vera *in habitu non est religio, sed in corde* exclamabat Bernardus [b], quandoquidem *habitus & tonsura modicum confert*, ait [c] Johannes abbas Gersen; & tritissimum est axioma, *habitus non facit monachum*; quod originem habuit a Græcis juxta [d] Rhodiginum, & usurparunt Clemens III. capite: *Porrectum*, & Honorius III. capite: *Ex parte tua*.

a *Epist.* 229. T. I. *oper. S. Bernardi*.

b *T.I. ep.* 523.

c *De imitatione Christi lib.I. cap.* XVII.

d *Lect. antiq. lib.* V. *cap.* XII.

VI. Monachi albi & nigri æque sunt Benedictini.

CONTRA scita tamen sancti patris jamdudum excitata fuit inter perpaucos monachos Benedictinos quæstio, nominis profecto potius quam rei, aliquibus ex iis, qui nigris vestibus utuntur, & Benedictini simpliciter appellantur, mordicus asserentibus, quod alii monachi, qui tum adjunctis constitutionibus, tum forma vel colore vario induuntur, ab ipsis differant, ordinemque in ecclesia separatum & proprium constituant, alioque nomine appellari debeant, quam Benedictino, licet fateantur regulam sancti Benedicti servari etiam ab ipsis & ab omnibus ut magistram. Postremis temporibus favit nonnihil huic opinioni Justus Fontaninius archiepiscopus Ancyranus; contra quam egerunt cardinalis de Luca, Antonius Yepezius, Johannes Caramuel, Antonius de Heredia, Joseph Mege, Johannes Mabillonius, Edmundus Martene, Augustinus Calmetius, ex quibus, præsertim postremis, rei Benedictinæ primis condis, plurimum profecisse in præsenti dissertatione ultro & jure merito gloriamur.

VII. Quid de vestibus præscribat S. Benedictus?

Postquam sanctus Benedictus lites vetuit circa formam & colorem vestium, statim subdidit, ut sui sequaces iis uterentur juxta qualitatem lanarum regionum, in quibus habitarent: *Sed quales*, inquit, *inveniri possunt in provincia, in qua degunt, aut quod vilius comparari potest*, addens, *sufficere monacho duas tunicas & duas cucullas habere propter noctes, & propter lavare ipsas res: jam quod suprafuerit, superfluum esse; amputari debere*. Ex hoc sancti patris decreto liquet ipsum præscripsisse discipulis suis vestes faciles & parabiles, quæ servarent paupertatem, & tollerent vanitatem, & vestes coloris naturalis, potiusque albi, qui lotioni aptior est, quam nigri vel etiam alterius coloris, qui deformes & incongruas reddunt vestes, cum lavantur.

VIII. Quid sit tunica?

Sed antequam colores vestium, qui in usu fuere a tempore sancti Benedicti apud ejus monachos, prosequamur, aliqua prius de forma ipsarum vestium ex antiquitate depromamus. Tres sunt potiores vestes monachorum, Tunica, Scapulare & Cuculla. Tunica, dicta pariter *Colobium* & *Sericala* & *Toga* (*Cotardiam* etiam vocat Boherius episcopus Urbe-vetanus in commentario super regulam) variationi fuit minus obnoxia, quoad formam; vestis nimirum erat talaris semper, & cum manicis vel assutis, vel adjunctis, plus minusve tum stringentibus ad brachia, tum longis ad manus, corporique immediate adhærebat. Forma vero Scapularis & Cucullæ obnoxia fuit mutationibus majoris momenti.

IX. De Scapularis variis nominibus & forma.

Scapulare dictum a scapulis, e quibus pendebat, varia nomina obtinuit. *Analabum* dictum & *Schema* a Græcis asserit Martene; appellatum etiam fuit *vestis Apostolica*, quia una cum capitio formam crucis exhibebat; licet idipsum convenire possit & cucullæ, & tunicæ. Obtinuit nomen quoque *parvæ cucullæ*, inter alios a Walramo encomiaste Henrici IV. imp. in apologia: *Vidimus nos*, inquit, *aliquando vestem cucullatam parvam quidem, sed ita moderatam, ut desuper usque ad renes tantum deflueret, & utrimque usque ad humerorum confinia pertingeret, qualis certe forma & mensura proprie dicitur Scapulare, quod monachis propter opera tantum assignatur mandato Regulæ*. Immo dictum fuit etiam simpliciter *Cuculla* ab Udalrico in consuetudinibus Cluniacensibus, a Cartusiensibus & a Clemente V. *Armilausa* pariter, *quod ante & retro divisa atque aperta sit, in armos tantum clausa, quasi Armiclausa*, ex Isidoro lib. XIX. originum cap. 21. Demum appellatum fuit *Palliolum*. Scapulare a sancto Benedicto permissum, ut ejus indumento protegeretur tunica a sordibus tempore exteriorum exercitiorum. *Scapulare*, inquit, *propter opera*. Antiquiorem formam Scapularis Benedictinorum, cujus extent monumenta, exhibitam scribit Mabillonius a Browero lib. II. Antiquitatum Fuldensium, ubi videntur Candidus & Modestus monachi Fuldenses sub Rhabano abbate cum Scapulari, de quo hæc ille habet [a]: „ Erat stricta vestis „ capitium habens acuminatum, brachiis fere nudatis, ut quoddam colo- „ bii genus, defluit tantum ad renes, zona super tunicam præcincta; “ sed vetustiorem ad annum 679. [b] affert imaginem Baronti monachi Longoretensis apud Bituricenses ex codice Remigiano octavi seculi, una cum altera, minoris aliquanto antiquitatis, extante in fornice basilicæ sancti Albini apud Andecavos, quæ simillimæ sunt imaginis superioris allatæ a Browero. Strictam vestem appellat Mabillonius, quia pars ipsius anterior ab aliquibus uniebatur cum parte posteriore, & propterea tunicam stringebat; alibi vero non consuebantur partes simul, sed aliquot retinaculis conjungebantur, ut faciunt modo Cartusienses, qui ea vincula appellant: *Vitta sancti Benedicti*; quam una cum regula ejusdem sancti patris primis temporibus recepisse profitentur. „ Hujusmodi parva cuculla seu scapulare, „ alio

a *Præf. ad Sec. V. §. IV. n.* 60.

b *Annal. T. I. lib.* XVI. *n.* 89.

„ alio in loco ait [a] Mabillonius, absque manicis totum ambiebat corpus „ tantum usque ad renes, fissum aliquando cum tæniolis ad utrumque latus, aliis non fissum. " Eodem seculo octavo alia Scapularia reperiuntur non brevia ad renes & adhærentia tunicæ, ut mox descripta, sed longa ad pedes, amplæque latitudinis, decidentia ad brachia ad instar eorum, quæ gestant monachi congregationis Montis-oliveti; sub brachiis tamen duæ ipsorum partes ligabantur. Airardum monachum sancti Dionysii Parisiorum pro exemplo affert Mabillonius [b], qui portas æreas ejusdem basilicæ fabricavit, quique se insculpsit portæ majori ad Aquilonem positæ. Eadem scapulariorum forma conspicitur ad annum 1097. in imagine Grimoaldi abbatis Casauriensis initio chronici ejusdem monasterii apud Dacherium [c] in Spicilegio primæ editionis. Monachi quoque sancti Faronis Meldensis urbis longis ad terram utebantur, quæ ex brachiis protendebantur usque ad manus, majorisque erant amplitudinis, quam ea monachorum sancti Dionysii; ipsa pariter adstringebantur sub scapulis. Videantur imagines Otgerii & Benedicti monachorum sancti Faronis ad ipsorum tumulum [d] apud eumdem Mabillonium, qui toga talari, ac scapulari vestiuntur spatiosissimo ad terram defluente & constricto vittis infra brachia. Simili fere illi, quod deferunt conversi nostræ congregationis monasticæ Camaldulensis super tunicam in choro & in officiis sacris, quodque recipiunt die professionis. Milites ordinis equestris sancti Stephani ab iisdem conversis Camaldulensibus formam sui scapularis mutuati sunt, ut narrat [e] Thomas Minius, cujus verba utpote libri minus obvii libenter hic afferimus. „ Magnus-dux Cosimus I. anno 1561. una die ad monasterium „ sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia properavit; primo abbatem do- „ mnum Benedictum Catti Volaterranum advocans, eique loquutus est „ dicens: Venerande pater affer mihi quæso habitum hujus religionis, & „ statim attulit ei habitum, quem Cucullam vocamus, quam cum dili- „ genter inspexisset, cognovit, quod multum ferentem gladium, uti equi- „ ti convenit, impediret; propterea ipsemet abbas habitum laicorum seu „ conversorum, quem Planetam vocamus, detulit, quam cum ipse Ma- „ gnus-dux inspiceret, hilari vultu eam amplectens ait: Equidem hac utar. „ Quæ quidem Planeta ex utraque parte aperta est, & maxime ad infe- „ rendam manum armis in hostes apta videtur. Habitus hic adeo Cosi- „ mo Medices Etruriæ Magno-duci placuit, ut imposterum, qui hujusce- „ modi religionem profiteri vellent, eum accipere jussit. " Qui ordo equester Camaldulensibus semper id detulit, ut cum equites tyrocinium ponenere nequirent in loci ad id destinatis, hoc peragerent in Camaldulensium claustris. Johannes-fridericus Schannat [f] in historia Fuldensi asserit simile amplissimum scapulare adhibuisse monachos Fuldenses usque ad seculum XII. verum animadvertit speciem potius fuisse cucullæ. Perseveravit hic mos latissima Scapularia deferendi apud monachos nostros sanctæ Crucis Saxo-ferrati in dioecesi Nucerina ad seculum XIV. ut constat ex tabula ejusdem temporis, in qua visitur beatus Albertus unus ex primis monachis ejus abbatiæ, quam aliquando producemus; nosque etiam pro casula & cuculla inserviisse arbitramur. Seculo XII. scapulari prælongo fere ad pedes & conjuncto ad renes commodioribus ligaculis utebantur etiam monachi Casinenses, ut eruitur ex imagine sancti Lidani abbatis sanctæ Cæciliæ Setinæ urbis defuncti anno 1118. quod monasterium subjiciebatur monasterio Casinensi, ut refert Dominicus Georgius in dissertatione de cathedra Setina Romæ edita anno 1727. cui eam imaginem inserit, desumptam ex ligneo operculo membranacei codicis Actorum ipsius sancti viri, existente in tabulario ejusdem ecclesiæ. Seculo tamen

VIII. Ca-

a *Annal. T. II. lib.* XXVIII. *n.* 62

b *Annal. lib.* XXV. *n.* 10. *ad an.* 780.

c *T. V. pag* 470.

d *Annal. lib.* XXVII. *n.* 50.

e *Catal. SS. & BB. Camal. pag.* 28.

f *Pag.* 18. *n.* 1.

VIII. Casinates scapulare brevius gerebant & fere ad renes, quem morem ceterumque vestiendi genus ab iisdem monachis didicit, & in Germaniam detulit Sturmius primus post Bonifacium conditorem Fuldensis abbas, ut constat ex actis sanctæ Liobæ. Similiter ad genua vel ad renes deferebant ex præscripto concilii Aquisgranensis iidem Casinates monachi seculis IX. & X. quod eruitur ex imagine Johannis abbatis apud Angelum de Nuce [a], & ex codicibus Casinensibus visis a Mabillonio. Monachi Galli congregationis Casalis-Benedicti postremi fuere, qui tæniolis ad scapularia usi sunt, nimirum usque ad seculum præteritum, quo reformationem suscepere monachorum sancti Mauri. Scapulare cum permissum fuerit a sancto Benedicto propter opera, ad arbitrium monachorum poterat adhiberi, vel etiam removeri; hinc reformati Cistercienses non semper gestant, immo Fulienses omnino ipso carent, usum ipsius non habent pariter Font-ebraldenses, & Venetiis monachi nigri Benedictini Armeni monasterii sancti Lazari. Anno 1739. Romæ agitata fuit causa a sanctimonialibus congregationis Culmensis in Polonia, quarum aliquæ cincticulum seu gremiale nigrum pro scapulari deferebant, aliæ vero ex persuasione Benedictinorum monachorum asserebant scapulare partem esse essentialem habitus monastici, ut æstimant de suo religiosi aliorum ordinum. Modo omnium congregationum monachi, qui gestant scapulare, ipsum sine retinaculis & vittis præter Cartusianos adhibent, & omnino discinctum, exceptis Camaldulensibus & Cisterciensibus, qui ipsum ligant cum cincturis laneis. Etiam Avellanenses tempore Petri Damiani semicinctia ad latera gestabant, ipso teste in epistola ad Theuzonem monachum. Hic usus commoditati tribuendus; neque tamen est contra antiquum Benedictinorum morem, qui ut mox dicebamus, duas partes solutas & ab humeris pendentes ligaculis & vittis sub axillis conjungebant. Capite XXII. regulæ sanctus Benedictus præscribit, *ut monachi dormiant vestiti, & cincti cingulis vel funibus*. An cingebantur solo dormitionis tempore? Vel si cingere tunicas aut cucullas poterant, cur non etiam scapularia?

a *Vit. S. Bened. pag.* 45.

X. Item de Cucullæ variis tum nomine tum forma.

PARS potior graviorque habitus Benedictini habita semper fuit Cuculla, cujus usus in ecclesiasticis functionibus & in exercitiis regularibus. Habitus est totum corpus ceterasque vestes tegens, longus, latus, & duabus manicis plus minusve spatiosis assutus. Hujus vestis prisca monumenta prostant in antiquitatibus explicatis a Montfauconio [b], qui eam deducit ex sago antiquorum Gallorum. Juxta [c] Cassianum Cucullæ nomen dabatur olim tegumento capitis, quod ab Ægyptiis in Europam translatum prius gestabant soli pauperes, processu temporis evasit ornamentum capitis nobilium virorum, clericorum & monachorum. Testibus [d] Evagrio, [e] Sozomeno, & eodem Cassiano monachi hoc capitis operimentum assumpsere pro symbolo innocentiæ & simplicitatis. Sed Cuculla monastica ad tempora divi Benedicti quid diversum erat, & superinduebatur aliis vestibus, totumque corpus ambiebat. Casulam vocat Theodemarus abbas Casinensis in epistola ad Carolum M. *Cucullam nos esse dicimus, quam alio nomine Casulam vocamus*. Isidorus lib. XIX. originum cap. XXIV. *Casula est vestis cucullata per diminutionem a casa, quod totum hominem contegat*. Smaragdus in commentario super regulam *per diminutionem a casa dicitur Casula, & a casula cuculla*. Concilium Ratisponense anni 744. vult, *ut presbyteri & diaconi non sagis laicorum more, sed casulis utantur ritu Servorum-Dei*, hoc est monachorum. Ipsa tamen etiam toga sive tunica monastica aliquando appellata fuit casula. Smaragdus & Hildemarus antiqui commentatores regulæ, Bernardus quoque Casinensis, immo etiam Ardo in vita sancti Benedicti abbatis Ananiensis *Cappam* vocant, quam dicimus cucul-

b *T. III. P. I. tab.* 47. *pag.* 84.
c *Lib. I. cap.* 4.
d *T. II. Monum. ecc. Græcæ pag.* 68.
e *Histor. lib.* III. *cap.* 13.

cucullam; aliquando *Melotis* nomen ei datum, ut videbimus inferius. Sed frequentius post Cluniacenses appellata fuit *Floccus* & *Froccus*, ut legitur in Clementina: *Ne in agro*. Jure Casinates nomen ei imposuere Casulæ; rarum enim monumentum habemus in cuculla sancti Remacli servata ad hodiernam diem in monasterio Stabulensi diœcesis Leodiensis, cujus fuit seculo VII. abbas. Martene [a], qui ipsam vidit, & æri incidi jussit, ita describit: *Rien au monde ne m'à tant touchè, que de voir la sa cuculle. Ella est de une etoffe tres-grosse, de coleur brune & toute rapetassè .... La forme de la cuculle est semblable à celle des anciennes chasubles, c'est a dire, ch'elle couvre tout le corps, & qu'il n'y à pas de manches, avec cette difference, qu'il n'y à au dessus un petit capuce*. In actis sancti Severini abbatis Agaunensis, sancti Philiberti abbatis Gemmeticensis, & antea in illis sancti Cæsarii Arelatensis & sancti Fulgentii episcopi Ruspensis similia exempla reperiuntur cucullarum ad formam veterum casularum, quibus superinduebantur sacerdotes tempore sacræ liturgiæ, & modo superinduuntur sacerdotes Orientales, quæ totum corpus ad pedes, teguntque sine manicis ipsas manus, itaut volentes aliquid ipsis manibus peragere, necesse habeant casulas a lateribus elevare. Sed seculo VIII. cucullas reperimus cum manicis amplissimis, ut in monachi illius sancti Dionysii Parisiorum, sub Fulrado abbate, imagine sculpta super januam meridionalem basilicæ, quam refert [b] Mabillonius, cujus insuper caput velo ad terram defluente obnubitur; quod monachorum laxiorum fuisse indumentum, qui moribus canonicorum accedebant, arbitratur. Fuldæ adhibebatur antiquitus cuculla cum manicis strictioribus, ut ex Browero indicat [c] idem doctissimus vir. Strictissimas autem habet imago sancti patris Benedicti, quam [d] ipse vidit Romæ in altari majori antiquissimæ ecclesiæ sancti Benedicti in Piscinula Transtiberinæ regionis; sicut & altera, quam Angelus de Nuce affert in historia Montis-casini ex codice sancti Angeli ad Formas asservato in bibliotheca Casinensi, quæ exhibet Desiderium abbatem cucullatum talari vestimento undique clauso, nec admodum sinuoso manicis non amplis; & hæc plane per ea tempora, subdit, cucullæ forma. Eadem imago prostat [e] apud Mabilonium, & illustratur etiam a Martene [f]. In commentario regulæ Cucullam ita describit sancta Hildegardis: *Vestem amplam & ad talum descendentem, manicis brevibus & manum modice præcedentibus, duobus quoque gyronibus in utroque latere sub ascella deorsum profluentibus*. Sed postea manicæ cucullæ universaliter receptæ fuere longæ & latæ, ut hodie adhibentur. Tempore Pauli diaconi, qui chronicon prosecutus est Leonis Ostiensis seculo XII. tam Casinates, quam Cistercienses Cucullam gestabant consimilem; *in hoc vero Casinensi monte*, ait, *Cucullam appellamus habitum cum capuccio ex omni parte clausum longisque manicis manicatum, quod dictum Cistercienses sequuntur & vocabulo & figura*. Nunc soli Fulienses ligant Cucullam cingulo sub manicis; id quod non consuescunt alii Benedictini; Casinenses deferunt cum rugis & pluribus plicaturis ab utraque parte; Tarraconenses & Cuxanenses cum longa cauda & manicis ad terram defluentibus & cum palliolo sive mozzetta adinstar prælatorum; monachi exempti Galliarum sine manicis adinstar amplissimi scapularis cum parva cruce pectorali, de quibus hæc habet Martene, qui eos visitavit: [g] *Ils portent tous des croix pectorales comme les eveques. Pour conserver toutefois quelche chose de qu'ils ent etè, leur froc, dont ils ont rentranchè les manches, & qui n'est presque que comme un scapulaire fort large, est fait de poil de chevre* &c. Hic redeant ad memoriam, quæ diximus de Fuldensibus, qui post adhibitas

[a] *Voyage liter.* T. II. *Par.* I. *pag.* 153.

[b] *Annal.* T. II. *lib.* XXV. *n.* 10.

[c] *Præf. sec.* V. *n.* 62.

[d] *Iter Italic.* p. 147.

[e] *Annal.* T. I. *lib.* V. *n.* 16.

[f] *Diar. Ital. pag.* 323.

[g] *Voyag. lit.* T. I. P. I. *pag.* 176.

bitas ſtrictas manicas ad Cucullam, ex ſcapulari prægrandi maniciſque carente ſibi efformarunt cucullam uſque ad ſeculum XII. exempla quoque monachorum ſanctæ Crucis de Saxoferrato, & beati Alberti.

XI. De Cappa monaſtica.

CUCULLAM a Theodemaro, Smaragdo & Hildemaro Cappam vidimus appellatam. An-ne Cucullæ ſive cappæ nomine pallium intellexerunt? Legitur de ſancta Attala abbatiſſa ſancti Stephani Argentorati ſexto ſeculo, quod longum pallium vel cappam apertam pro cuculla manicata & clauſa adhibebat, ut obſervat ex Schiltero [a] Mabillonius; eamdem juxta ipſum deferebant Benedictinæ canonicíſſæ Romaricenſes. Antiqua imago ſancti Petri Urſeoli in muſivo baſilicæ ſancti Marci Venetiarum, & relata a Fontaninio in diſſertatione de cultu ejuſdem ſancti ducis & monachi [b] conſpicitur cum Cappa talari more Cartuſianorum. Monachi Font-avellanenſes Cappam vel pallium pro cuculla uſurparunt; ipſam quoque monachi albi ſancti Benedicti, qui Patavinam ſpecialem congregationem in ea & extra eam urbem efformarunt ſeculis XIII. & XIV. ut ex eorum conſtitutionibus apud nos mſs. liquet, & pariter ex imagine beati Jordani unius ex illuſtrioribus ejus monachis apud Nicolaum Conſtantinium S. J. in fronte ejus vitæ. Ita etiam monachi Font-ebraldenſes, præter Humiliatos, & præter monachos Armenos ſancti Lazari Venetiarum, qui ſolo pallio vel cappa utuntur in ſacris vel publicis actionibus. Benedictinos quoque Orientis, quorum pater fuit ſanctus Bononius abbas Lucedienſis & Marturienſis, cappam albam pro cuculla tuliſſe uſque ad genua cum ſcapulari & caputio albo, [c] teſtatur Philippus Bonannius in catalogo ordinum Religioſorum. Sed prima Benedictinorum congregatio, quæ cappas adhibuit, fuit Camaldulenſis, nam capite XXIX. conſtitutionum Rodulphi quarti prioris Camaldulenſis, quod eſt *de veſtimentis*, nulla cucullarum, ſed Capparum tantum fit mentio: *Veſtimenta*, inquit, *ante feſtum beati Martini taliter præparentur . . . . vervecinæ igitur pelles, vaccini ſubtalares, Cappæ, tunicæ, aliæque veſtes, quales in his provinciis commodius inveniuntur, debent præparari. De numero & quantitate veſtium id obſervetur, quod cœnobialis habet conſuetudo.* Producemus ſeculo XIII. plures proceſſus, in quibus nominantur *panni albi pro cappa & tunica; cappa alba & gunella de panno Camaldulenſi*, quæ geſtabant non ſolum eremitæ monachi, ſed & converſi plebani eccleſiarum Camaldulenſium. In conſtitutionibus Martini III. & Gerardi I. cappæ, ſimul & cucullæ nominantur. Eremitæ Camaldulenſes congregationis Montis-coronæ pallium ſemper ſive Cappam deferunt; ſed eremitæ aliarum Camaldulenſium congregationum Etruriæ, Pedemontis & Galliarum cucullis utuntur adinſtar monachorum; quandoque tamen & pallii uſum faciunt.

a *Annal.* T. I. *lib.* XV. *n.* 62.

b *Pag.* 66.

c *P. I. n.* 102.

XII. De capitiis.

CUCULLÆ, & aliquando ſcapulari etiam, & ipſi tunicæ uniebatur Caputium ſeu Capitium. Hinc ſanctus Benedictus de capitio verba non facit, quod jam aſſutum aliis veſtibus ſubintelligit. Ipſo non tantum monachi, ſed & clerici, & laici caput cooperiebant. Tomo I. Annalium noſtrorum [d] produximus veterem imaginem ſancti Romualdi in ſeculari habitu adhuc degentis, juveniſque nobiliſſimi, qui ad tegendum caput conjunctum habet cum veſte acuminatum caputium. Vocabatur etiam lebes & cucullum. Quia aſſuebatur tum ſcapulari, tum cucullæ, factum eſt, ut utraque hæc veſtis cucullæ nomine deſignaretur. Imagines relatæ a Mabillonio parvum ipſum exhibent, ut parva ſunt capitia cucullarum ſancti Remacli, ſancti Lidani, & monachorum Montis-caſini; ſed Fuldenſes ſpatioſum apertumque a parte anteriori & aculeatum ex parte ſuperiori geſtabant. Aliquot Ciſtercienſes congregationes breve capitium adhibent, aliquæ

d *Pag.* 29. *lib.* I.

aliquæ latius, reliquæ commodum. Monachi congregationis Montis-oliveti crispatum ferunt ad distinctionem ceterorum monachorum alborum, & consequenter inutile; rugarum adinventum non excedit duo secula, ut produnt antiquæ picturæ.

XIII. Monumenta pro albo colore vestium Benedictinorum.

EXPLICATA varietate formæ vestium omnium Benedictinorum tam illorum, qui floruere ante reformatas congregationes, quam eorum, qui albis, & qui nigris vestibus utuntur post congregationum institutiones, ex qua diversitate non solvitur unitas Benedictini corporis, eadem methodo agimus de varietate colorum ipsarum vestium. Oculos ad se trahunt imagines antiquæ super tabulas, quæ cernuntur in cœnobiis nostris sancti Blasii Fabriani & sanctæ Crucis Saxi-ferrati; exhibent hæ in parvis rectangulis gesta sancti patris Benedicti, in quibus monachi discolores vestiuntur nigris, albis, & fuscis seu griseis vestibus; idipsum conspicitur in pluribus paginis antiquorum codicum Montis-casini, quos refert Erasmus Gattola; in iis pictura exprimuntur monachi cum scapulari rubro, viridi, albo & nigro. In villa ad Catenas, qui locus est monachorum sancti Georgii-majoris Venetiarum, in pariete super viam immani turbine ad terram prostrato anno elapso, conspiciebatur imago sancti Benedicti vestibus albis cum pedo pastorali, & ad dexteram sanctus Georgius martyr; sed innumeris aliis in locis idem sanctus Benedictus albis induitur. Neque dicendum, quod pictores pro arbitrio varios hos miscuerint colores; manifestare quinimmo voluere in voluntate esse abbatum permittere, ut monachi sui unum potius quam alium colorem assumerent; vel monachos Benedictinos multicolores usurpasse vestes juxta varias congregationes, sub quibus militarent. De viridi tamen in ordine Benedictino & de rubro colore, qui imaginationi potius quam veritati favet, inferius. Nunc potissimum de albo & de nigro colore differamus. Refertur de beata Veronica de Binasco, quod *cum* [a] *natali divi Benedicti Cœlicolum interesset choris, Angelo duce mens Veronicæ eumdem sanctum Benedictum intuita est candida veste tectum, inenarrabilique circumdatum gloria .... abbatum ac monachorum, quos nigræ, albæque vestes cooperiebant, quique divum Benedictum cœlesti pompa decore sequebantur, magnus erat numerus*. Candidissima pariter indutus cuculla visus est ipse sanctus pater tum beatæ Elisabeth Schounagiensi libro I. visionum suarum capite V. tum aliis quibusdam apud Leonem Ostiensem in chronico Montis-casini. Beatus Maurus *candidissimum monachi præferens habitum* apparuisse legitur Jacobo abbati Cormeriacensis monasterii apud Oddonem Glanafoliensem abbatem in historia translationis sancti Mauri sub num. IX. conscripta nono seculo. Antonius ab Heredia monachus Vallis-oletanus [b] singulari modo se exprimit, ut significet varietatem in colore vestium monachorum Benedictinorum non dividere unitatem totius corporis. *De manera*, inquit ille, *que podemos dezir, que la santa Regla es clara como el aqua, y del aqua dice san Ivan Chrisostomo* sermon. 48. de tempore *las palabras siguientes*: Sicut enim aqua cum unius sit speciei vario modo operatur dealbans in lilio, rubricans in rosa, purpurisans in viola, ita divinus Spiritus &c....... *assi la Regla de neustro padre san Benito es una misma, y una misma su Religion, ya sea el habito blanco, ya morado, ya negro, ya cremesi, color que usa las ordenes Militares en sus Cruzes, en fino como dictada por el Espiritu divino*. Sanctus pater Benedictus non præscripsit vestes unius potius coloris quam alterius; voluit dumtaxat, ut lis numquam oriretur de earum colore, vel de qualitate, aut ruditate, sed adhiberentur, quæ reperirentur in regionibus, ubi habitarent monachi, & eæ, quæ minoris pretii forent.

a *Act. SS.* ^T. I. *Januar. lib. V. c.* 22.

b *Vidas de SS. de la Orden de S. Benito T.* I. *prolog.* §. I. *n.* 9.

Poterat-ne ille clarius significare se odisse in vestibus superfluas expensas, vanitatem, mollitiem & superbiam? sed poterat-ne etiam melius exprimere arbitrium, quod successoribus suis abbatibus concedebat circa vestium colorem? Verum dum paulo post subdit: *Sufficit monacho duas tunicas & duas cucullas habere propter noctes, & propter lavare ipsas res*, clarissime mentem suam aperuit se nolle lanas colore infectas, sed nativi tantum coloris. „ Niger enim vel quicumque tinctus color abluendo dilutior fit, & in alium sensim facessit, " ut animadvertit [a] Benedictus Haeftenus in disquisitionibus monasticis; & deformitas fuisset, ut in monasterio alius ferret vestes obscuras & nigras, alius colore amisso dilutas. Hoc loco observatione dignum est sanctum patrem non solum tunicas, sed & cucullas lotioni aptas monachis suis jussisse, ut idem propterea de cucullis dicendum sit, quod dicimus de tunicis. Aderant idcirco in monasteriis ædificia separata, immo domus ad lavandas vestes. Refert in antiquitatibus Fuldensibus Schannat [b] a primis temporibus Fuldæ ad id operis domum extitisse, *& ab antiquo ordinatum fuisse, ut si forte domus lavatorii ruina defecisset, illam magister operum de redditibus loci Luterenbach repararet*. Porro cum exploratum sit lineas vestes omnino exsulasse a monasteriis priscis temporibus, & cum sanctus Benedictus lavandas præscribat monachorum suorum vestes, consequitur primis iisdem temporibus monachos vestes coloris naturalis gestasse ex lanis locorum, ubi monasteria reperiebantur. Color autem naturalis lanarum fere solet esse albus, ut docet Martene [c]; & observat Grandius [d] in centum ovibus unam vix nigri vel alterius coloris ovem reperiri. Id tamen intelligendum est juxta regionum diversitatem; in aliquibus enim magis abundat color albus, in aliis autem niger lanarum ovium.

a Lib. V. tract. 8. Disq. 1.

b Lib. XVIII. n. 3.

c Comm. Reg. cap. 55. pag. 711.

d Diss. III. c. 7. n. 16.

XIV. Naturalis color vestium in usu.

Cum tamen tingendæ ex consecutione legitima regulæ non essent lanæ, sequitur vestes monachorum passim fuisse fere omnes albas, vel ad album vergentes; id quod ex antiquo primum monachorum omnium usu desumptum est, quo prisci ante sanctum Benedictum, & ipsius etiam veteres monachi candidis vestibus utebantur, ut de magno Antonio abbate asseritur. De Pachomio affirmat Palladius in historia Lausiaca [e], quod *ejus monachi singuli melotem caprinam pellem confectam albam gestabant, sine qua neque comedebant, neque dormiebant*. Discipuli sancti Apollonii teste eodem [f] Palladio *tota veste candidati erant*. Jocellinus [g] in vita sancti Patritii ait, quod ipse *cuculla candida amiciebatur*. Et sanctus Eulogius in memoriali Sanctorum [h] scribit, quod *albicantis coloris vestibus induebantur monachi martyres in Hispania*. Albas vestes deferebat sanctus Columba abbas Hyensis; scribit Cummeneus Albus [i] in ejus vita: *Candidam tunicam sancti viri, qua in hora exitus sui indutus erat, in aere levaverunt*. Mackalle episcopus, ut auctor est Cogitosus [k] in vita sanctæ Brigidæ virginis, *pallium album & vestem candidam super ipsius venerabile caput imposuit*. Gisella filia Caroli magni describitur in carmine de adventu ipsius imperatoris ad Leonem papam *candore coruscans*. Sanctus Elphegus archiepiscopus Cantuariensis *in vestitu candido desuper amictus pallio diem transigebat* [l]. Eumdem album sive naturalem colorem præscribunt auctores regularum antiquarum, quæ circumferuntur, editæque fuere a Luca Holstenio, & jure merito existimantur simplicia commentaria, additiones & explicationes ipsius regulæ Benedictinæ. In regula Cæsarii Arelatensis ad virgines [m] indumenta *laja & lactina* conceduntur, *nigra* omnino vetantur. Aurelianus in regula ad virgines [n]: *Vestimenta alio colore non*

e Cap. 28.

f Cap. 52.

g Cap. 185.

h Lib. III. c. 10.

i Num. 26.

k Num. 5.

l Apud Boll. die XIX. april.

m Num. 42.

n Cap. 26.

non induatis, nisi laja, lactina &c. Ita & in regula sancti Donati. Idem cavetur in regula Tarnatensi: *Vestes simplici erunt & nativo colore procurandæ, secundum præpositi ordinationem sunt lavandæ.* Venerabilis Beda in vita sancti Cutberti abbatis Lindisfarnensis scribit vel suo tempore consuevisse monachos ejus loci adhibere vestes, ut erant lanæ: *Usque hodie*, inquit [a], *in eodem monasterio exemplo ejus* (Cutberti) *observatur, ne quis varii coloris habeat indumentum, sed ea maxime vestium specie sint contenti, quam naturalis ovium lana ministrat.* Gaufredus in vita sancti Bernardi abbatis Tironensis de ejus monachis scribit [b]: *Habitum quidem monachi habentes, sed vilem, incultum, villosum, a ceterorum habitu monachorum valde dissimilem, ovibus ipsis, a quibus sumptus fuerat, valde consimilem.* Referente Petro Damiani [c], cum Romualdus parens noster Henricum primum imperatorem adiisset, *& postera die ad palatium venisset, Teutonicorum multitudo certatim hinc inde concurrunt, capita salutantes humiliter flectunt, villos quoque pelliceæ vestis, qua erat indutus, anxie decerpentes, pro sacris reliquiis in patriam portaturi studiose recondunt.* Hæ Cutberti, Bernardi, & Romualdi vestes ad melotem proprium eremitarum habitum accessisse videntur; nec dissimilis erat Birrus, ut observat Grandius, quem adhibebant sub Romualdo monachi Perenses in monasterio sancti Adalberti, de quibus idem Petrus Damiani scripsit: *Quis non immutationem dexteræ divinæ prædicaret, cum vidisset prius homines sericis, immo deauratis vestibus indutos, nunc eos cerneret uno Birro contentos.* Birri usus erat etiam in Camaldulensi eremo tempore Rodulphi I. prioris ex charta archivi sancti Petri de Luco, qua anno 1086. confitetur Petrus abbas sancti Petri de Muscheto *se recepisse a Rodulpho priore Birrum unum, seu vestimentum monasticum, valentem solidos centum.* Hujusmodi melotes sive albas cappellas, ut vocabant, ad imitationem sancti Romualdi deferebant quoque Camaldulenses nostri eremitæ ex constitutionibus ejusdem Rodulphi, Martini III. Gerardi I. ac demum Pauli Justiniani. Quare quin confugiamus ad cœlestem visionem, qua motus Romualdus nigram, ut perhibent, in albam vestem mutaverit, rationi valde consonum est, nulloque mysterio indiget, vel Romualdum adoptasse potius albas quam pullas vestes, quia vestes albæ forent receptæ in monasterio Classensi, ubi conversationem monasticam acceperat, vel ipsum sub Marino in Venetiarum finibus assumpsisse proprium eremitarum vestimentum, quod est species melotis, & quod utpote naturale lanarum, accedit ad album. In monasterio Classensi album fuisse receptum vestium colorem conjicit Grandius ex communicatione Classensium monachorum & eremitarum Avellanensium; nam & Classenses ad Fontem-avellanam se recipiebant, & Petrus Damiani in Classe ad divi Apollinaris frequenter habitavit, ubi etiam Marinum fratuelem suum schemate monastico donavit. Melotem parum differre a cuculla probant verba illa Theodemari abbatis Casinatis, vel Pauli diaconi in epistola ad Carolum M. imperatorem: *Illud vestimentum*, inquit, quod a *Gallicanis monachis Cuculla dicitur, & nos Cappam vocamus, quod proprie monachorum designat habitum, Melotem appellare debemus, sicut & hactenus in provincia a quibusdam vocatur. De quo, sicut scripsit beatus Gregorius libro* II. *Dialogorum cap.* VII. *ereptus ab aqua per Maurum monachum puer Placidus dixit: Ego cum ab aqua abstraherer, Melotem supra me abbatis cernebam, eumque me ab aquis educere considerabam.* Quare etiam tempore divi Benedicti Melotes erat recepta apud Casinates; reapse cum ipse præscribat *in hieme cucullam villosam*, vestis villosa plus minusve potest æquiparari Meloti. Etiam sanctus

a *Apud Surium* XX. *martii.*

b *Ap. Boll. april. n.* 17.

c *Cap.* 65. *vit. S. Rom.*

Fructuosus in sua regula cucullas vult *villatas*. Immo omnibus primis seculis ordinis Benedictini monumenta solida existunt, ex quibus eruitur vestes monasticas villosas, & insuper albas in usu fuisse in variis monasteriis. Wlfinus Boetius episcopus Pictaviensis in vita sancti Juniani abbatis Mariacensis, qui eodem sexto seculo cum sancto Mauro vivebat, apud [a] Mabillonium num. 7. *Vestis*, inquit, *ejus cilicina de caprarum pilis, quæ in modum caracallæ, quam nunc Cappam vocamus* (nimirum cucullam) *perseverat usque hodie apud nos, quæ ita illæsa perseverat, ut nihil vetustatis redoleat* candido colore *perfusa*. Odericus Vitalis [b] refert de sancto Columbano, quod albo naturali & sine tinctura ipse & ejus monachi sexto seculo induebantur. Porro Columbanus ab omnibus recipitur tamquam divi Benedicti, ipsiusque regulæ pedisequa. Inferius ex antiquorum codicum monasticorum picturis confirmabitur usus albarum vestium etiam in iis cœnobiis, quæ nulli congregationi erant addicta.

a Sec. I. O.S.B.

b Ap. Mabill. Ann. t. I. l. 8. n. 3.

XV. Post separatas lanas color albus invectus in plura monasteria virorum.

Licet hæc fuerit primæva & juxta spiritum institutoris sui Benedictinorum consuetudo, & perfectiores inter monachos naturalem & propterea album vel ad album accedentem colorem præferrent, tempore progrediente separatæ fuerunt lanæ, & quidem albæ adhibitæ pro formandis tunicis, obscuræ vero, fuscæ & nigræ pro scapularibus & cucullis. In pluribus tamen monasteriis statutæ fuere vestes omnes tam interiores, quam exteriores monachorum penitus albæ. Sanctus Anselmus eas introduxit in cœnobium Beccense. " Antequam a Beccensi monasterio discedamus, inquit Mabillonius [c] ad annum 1094. juvat disquirere hoc loco, quo tempore Beccenses nigrum habitum in album commutaverint; nam principio eos nigro usos fuisse, nec vivente Herluino hanc mutationem factam fuisse ex eo intelligitur, quod Cadomenses sancti Stephani monachi, quorum primi institutores extitere Lanfrancus aliique monachi ex Becco assumpti, tempore venerabilis Herluini, numquam alium quam atri coloris habitum gestaverint. Sunt, qui hanc mutationem sancto Anselmo, dum Becci abbas esset, tribuunt, idque ab eo factum ajunt ob eximiam ejus pietatem in beatissimam Virginem, cujus singularem integritatem albi coloris veste honorare voluerit. Ejus rei argumentum est, quod in monasterium sancti Neoti in Anglia, ubi primitus monachi nigri fuerant, Anselmus archiepiscopus introduxit ex Beccensi cœnobio monachos albos, ut in Lelandi collectaneis monastici Anglicani tom. I. pag. 368. legitur: Addunt Radulphum Beccensem monachum in Lyrense monasterium circiter annum M.C.XXX. intulisse candidam vestem, cum ad illius cœnobii præfecturam assumptus est. Neque id absque fundamento dicitur. Et quidem Astorgius Lyrensis abbas a Clemente VII. obtinuit, ut sibi liceret nigrum habitum resumere, & abjicere album, quem Radulphus abbas ex Becco-Herluini assumptus in Lyrense monasterium induxerat. Hæc mutatio albi coloris in nigrum a Lyrensibus facta est anno Domini M.CCC.XCIII. die XXIII. Novembris. " In abbatia de Monte diœcesis Metensis monachi vestes albas ferebant, teste Augustino Barbosa [d] in summa Apostolicarum decisionum ad verbum *Monachus*; " quibus concessum fuit, ut relicto albo in vestibus colore nigro uti possent. Sacra Rituum congregatio XVII. martii 1607. de qua testatur Sellius d. cap. 43. n. 10. " Monachi sancti Stephani Januæ ad annum 1129. sub Johanne abbate ex monacho Camaldulensi vestes albas receperunt, donec testimonio Secundi Lancellotti in historia ejusdem monasterii circa annum 1260. denuo resumpserunt nigras, cum permultæ essent apud Januenses religiosorum familiæ albis amictæ. In Pomposiano pariter cœnobio, ubi ad biennium

c T. V. lib. LXVIII. n. 92.

d Collect. 482. n. 6.

nium habitavit Damianus sub Guidone abbate, album colorem vestium usurpatum fuisse persuadent epistola ipsius Damiani [a] ad Mainardum abbatem Pomposianum & Guidonis successorem, & [b] altera ad Honestum monachum, qui pretiosis vestibus utebantur, tinctis nimirum, ut credimus, quibus monet, Mainardum præsertim abbatem, ne album monachorum habitum utpote vilem despectui haberet: *Nam*, inquit, *& sub ipso salutiferæ passionis articulo Herodes eum alba veste induit, eumque mox ad Pilatum sub hac irrisione dimisit; & cum Apostolus dicat: Exeamus ad eum extra castra improperium ejus portantes, improperium Christi portare nolle convincitur, qui discolis* (nempe coloris omnibus expertibus, ut explicat Grandius) *indui vestibus arrogantia tumida dedignatur; a se denique mortui pro nobis Salvatoris abjicit improperium, quisquis in mortificationis ordine constitutus album vel ignobile quodlibet despicit indumentum*; & demum epistolam sic concludit: *Gloriosius igitur deputa veste alba cum Christo humiliter contegi, quam cum superbo & purpurato divite flammis ultricibus irrecuperabiliter sepeliri*. Deforme quoque fuisset videre Avellanensem monachum Damianum vestibus albis contectum convivere per biennium in iisdem omnino exercitiis magistrum atratorum monachorum.

a *Opusc.* XXIX.
b *Opusc.* XLVIII.

XVI. Etiam sanctimonialium.

Et ut loquamur de monialibus albis Benedictinis, induebantur candido habitu sanctimoniales Montis-martyrum prope Parisios, antequam abbatissa Maria de Beauviliers reformationem introduceret, ut legitur in ipsius vita. Ita etiam moniales regalis monasterii Cadomensis, antequam ad majorem disciplinam revocarentur a Laurentia de Budos abbatissa, & plura alia asceteria albas vestes in Galliis usu receperant, mutatas seculo præterito, occasione reformationis introductæ a monachis congregationis sancti Mauri. Florentiæ sunt moniales Benedictinæ sanctæ Apolloniæ, quæ vocantur Casinenses, & a parthenonis origine induuntur omnino albis; sicut etiam illæ Omnium-Sanctorum urbis Senarum, quæ nulli congregationi sunt addictæ. Papiæ quoque moniales *sanctæ Mariæ de Josaphat sororum albarum, translatum postea in urbem; moniales quoque sanctæ Mariæ de Jerusalem similiter albarum quod translatum est ad sanctum Victorem*, nominantur ab anonymo Ticinensi de laudibus Papiæ edito a Muratorio [c]; & tot alia monasteria hinc inde diffusa per urbes, quæ longum esset referre.

c *T. XI. Script. rer. Italic. col* 15.

XVII. Congregationes Benedictinæ albæ.

Sed tempore, quo in congregationes tamquam in partes corporis divisus fuit ordo Benedictinus, introducta fuere & firmata in monasteriis, quæ congregationes constituebant, colores etiam & formæ vestium eorum monachorum, qui huic vel alteri congregationi erant addicti. Inter congregationes alborum Benedictinorum prima in Italia fuit Camaldulensis, quæ omnino albas vestes recepit & semper retinuit tam pro monachis, quam pro eremitis. Sanctus Romualdus monachus, postea abbas sancti Apollinaris in Classe Ravennæ, fuit ipsius auctor. Qua ratione is albas prætulerit superius indicatum, absque mysterii ope. In cujus rei confirmationem addimus, quod Petrus Damiani, qui vitam sancti patris post quindecennium ab ejus morte scriptis tradidit, ne verbum quidem profert de mutatione ab ipso introducta quoad colorem vestium suorum monachorum, & quoad substitutionem coloris albi. Hæc tamen mutatio erat circumstantia non exigui momenti, quam non prætermisisset scriptor diligens & minutus, vivens eodem seculo, monachus quinimmo Font-avellanensis, ubi etiam albedo vestium erat recepta, ut extra dubitationis aleam est positum tum ex antiquis picturis codicum & tabularum, quæ vidimus, & quæ supersunt in eodem monasterio, tum ex assertione communi

muni auctorum, quos frustra commemoramus post quartam dissertationem Camaldulensem præsulis nostri Grandii. Albis induebant & San-vincentiani monachi prope Urbinum, cum quibus commutasse vestes suas candidas legitur idem Petrus Damiani. Nec solum in monasteriis Font-avellanensi subjectis albæ vestes adhibebantur, sed in illis etiam sancti Victoris de Clusis, sancti Æmiliani de Conjunctulis, sanctæ Crucis de Tripudio sive Saxi-ferrati, & in aliis regionis Piceni, ut produnt monumenta, quæ super parietes vel codices remanent. Immo Camillus Lilius in sua historia Camerinensi asserit Eudonem Camerinensem episcopum in sacello regio templi sanctæ Mariæ plebis prope Sancti-severini urbem ab ipso erecti depingi curasse anno 945. effigiem sancti Oddonis abbatis Cluniacensis ante triennium defuncti, cum candida prorsus veste una cum Johanne XI. Rom. pont. & Octaviano cardinale ejus nepote, Hugone & Lothario regibus, Hermengarda relicta Tebaldi marchionis Camerinensis aliisque. Id ulterius demonstrat non infrequentes fuisse vel ab eo ævo monachos albos in ea Marchia, itaut licet Oddo nigrum Cluniacensium habitum invexisset, pictores ex visu Benedictinorum ejusdem provinciæ albis indutorum, ita Oddonem exprimere maluerint. Congregatio monachorum Pulsanensium in Calabria, quæ facile fuit propagatio ex Marino Romualdi discipulo; alia sanctæ Crucis de Saxo-vivo in Umbria; altera Corporis-Christi in ducatu Spoletano vestes albas retinebant. Confirmat Jacobillius scribens in sanctæ Mariæ in Campo congregationis Corporis-Christi sub claustro picturas extare veterum monachorum cum cuculla alba. Tradit Demalevicius Paulinos eremitas habitum album eremitarum Camaldulensium retinere; licet enim translati fuerint a Romanis pontificibus ad regulam sancti Augustini, demonstrat tamen ipse surculum eos esse & propagationem eremitarum Camaldulensium ex discipulis, quos in Hungariæ regnum invexerat sanctus Romualdus. Sed de his propagationibus suis locis in Annalibus. Monachi Humiliati in Insubria; monachi divi Benedicti in diœcesi Patavina; in regno Neapolitano congregatio Montis-virginis fundata a sancto Guilielmo Vercellensi; alia Montis-oliveti a beato Bernardo Ptolomæo in Thuscia instituta vestes albas præ nigris assumpserunt. Loquimur de congregationibus Italiæ, sed etiam ultra montes refert Augustinus Calmetius [a] se vidisse in celebri abbatia Luxoviensi perpulcrum codicem Evangeliorum, in quo abbas Gerardus, qui sub Leone IX. vivebat circa annum 1050. colore albo vel vergente ad album exprimitur; sed sufficit nominare Cistercienses, quorum tertius abbas sanctus Albericus cœlesti visione motus indutos voluit monachos suos albis, ut refert Manriquez ad annum 1103. cap. II. quos nimirum Deum in choro laudantes candido colore beata virgo Maria amicivit; super qua habitus mutatione tot lites, scriptaque fuere hinc inde Cistercienses inter & Cluniacenses. Cistercienses tamen aliquo tempore elapso cuculla etiam nigra una cum scapulari nigro uti cœperunt, Fuliensi ipsorum congregatione albas vestes semper retinente. Teste Caramuele „ in Germania vix reperiuntur Cistercienses, quibus in usu sit color candidus; in multis beatæ Virginis festivitatibus induuntur monachi cucullis candidis, nigris reliquo tempore, in multis etiam cœnobiis „ candida cuculla vix visa. “ In Anglia nunc nigri, nunc albi nominabantur Cistercienses; in indice sacrorum locorum exhibito Henrico VIII. regi Angliæ legitur: *In comitatu Dorsetiæ Bindoni titulo sanctæ Mariæ monasterium*; albi *monachi Cistercienses* ...... *in comitatu Essexiæ Tiltia titulo sanctæ Mariæ, fundator Mauritius filius Roberti; monachi* albi *Cistercienses &c. In comitatu Salopiæ Bildeuvasse titulo sanctæ Mariæ fundator*

[a] *Commentaire Reg. p.* 253.

tor episcopus Cestrensis ; Cistercienses nigri *monachi* .... *in comitatu Suffolciæ Sibbetoni tit. sanctæ Mariæ , fundator Guilielmus de Chiney vel de Caneto*; nigri *monachi Cistercienses* . In processu causæ inter monasterium Sanæ-vallis de Fullina , quod erat Cisterciensium , & inter monasterium sancti Firmi nigrorum de Verona anno 1216. testes interrogati non alio nomine monachos Cistercienses extulerunt, nisi nomine monachorum alborum. *Scio*, inquit alter ex ipsis , *quod monachi illius ordinis portant vestes albas*, *& non portant lineas vestes* , *nec comedunt carnes* , *nec mulieres intrant eorum ecclesias* &c. quare antonomastice appellati fuere monachi *albi*. [a] Architrhenius lib. II. cap. 14. differens de sobrietate alborum monachorum ait :

> *O sancta* , *o felix* albis *galeata cucullis*,
> *Libera paupertas* &c.

Quidam etiam antiqui versus Gallici, quos memorat Dandinus Alteserra, [b] habent.

> *Aynsi a cellus plus de peine*,
> *Qu' aucun heremite*, *ne* blanc *moine* &c.

Hinc frequentissime in Romanorum pontificum privilegiis & epistolis distinguuntur monachi nigri & albi ordinis sancti Benedicti. Clemens V. in concilio Viennensi relato in Clementina : *Ne in agro* de statu monachorum, statuit, *ut superior vestis monachorum habitui proxima nigri aut albi coloris existat*. Glossa vero super verbum *coloris* ita explicat, *quia isti colores sine tinctura ex lana possunt haberi*, *& ideo potius approbati* . Urbanus V. Rom. pont. olim monachus ex nigris sancti Benedicti scribens Andreæ cœnobitæ Camaldulensi , abbati tunc Montis-Casini , circa monachos Siciliæ ait : *Monachorum* nigrorum *&* alborum *ordinis sancti Benedicti Siciliæ* &c. Gregorius XI. Urbani successor in bulla inscripta Petro Tartari monacho Montis-oliveti & abbati Casinensi facultatem facit recipiendi monachos ejusdem ordinis Benedictini , etiamsi habitum album deferant . Extant hujusmodi epistolæ in historia Casinensi Erasmi Gattolæ . Sed in omnibus Romanorum pontificum privilegiis tum albi, tum nigri monachi distinguuntur, & utrisque additum illud *ordinis sancti Benedicti* apponitur.

XVIII. Tunica alba frequentissima omni tempore.

QUAMVIS monachi Benedictini in congregationes divisi cucullis & scapularibus uterentur nigris vel albis , prout nigras vel albas vestes adoptaverant institutores earum congregationum , tunica tamen alba ab omnibus fere Benedictinis tum ante, tum post congregationum institutiones antelata fuit nigræ. „ Tunica ad talos defluit albi passim coloris ante annos „ octingentos, inquit Mabillonius [c], ut in variis Rhabani aliorumque ico„ nibus observavimus." Eadem asserunt Martene [d] & Haeftenus [e]. „ Ra„ tio id postulabat, sequitur Mabillonius [f], quandoquidem tunica , quæ „ cuti adhærebat, cum sæpius lavari ad munditiem exigeret , potius ex „ lana candida quam nigra fieri congruum erat "; & alibi [g] : „ Tunica „ ad cutem tum demum nigra fieri cœpit , postquam laneæ interulæ in „ usu esse cœperunt, tametsi serius , siquidem albus tunicarum color diu „ perseveravit post concessas interulas stamineas, quarum usus jam seculo „ octavo invaluerat. " In rituali Ananiensi [h] apud Martene de ritibus veterum monachorum hæc habentur de novitiis ad habitum receptis: *Quo induto vestibus albis per totum præter cucullam* . In codice Montis-Casini n. 442. pag. 6. quarta figura duos monachos exhibet tunica alba indutos , stantes, pondera in humeris ferentes, quorum primus scapulare habet rubrum,

a *Apud Dacange Glofs.* v. *Ordo pag.*1309.

b *Asceticon* *Lib. V. cap.* 19.

c *Præf. Sec.V. n.* 59. *& Annal. T. II.præf. n.* 5.

d *Comment. Reg. c.* 55.*pag.* 710.

e *Disquisit. lib. V. tract.* VIII. *Disquisit.* I.

f *Ibidem.*

g *Annal. T. I. lib.* III. *n.* 8.

h *Lib. V. cap.* 2. *n.* 4.

brum, alter album. In alio ejusdem bibliothecæ codice n. 370. ante initium litaniarum sancti Gregorii pro peste, imago visitur monachi defuncti, cujus tunica alba parva cuculla seu scapulare cyanei subobscuri coloris cooperitur. „ In Johannis abbatis icone, ait Mabillonius [a], deprehendimus scapularis formam non ultra umbilicum protensi, & sub scapulis assuti, tum colorem tunicæ talaris album, contra quam scapularis, quod nigrum est. “ Johannem hunc Angelus de Nuce in notis ad vitam sancti Benedicti [b] habet pro Johanne electo abbate anno 915. In superiori codice n. 442. extat imago sancti Benedicti cum tunica omnino alba, manicis strictis, & scapulari violaceo. Ad lævam ejus partem conspicitur monachus stans cum inscriptione super caput SCS. MAVR. cujus tunica item alba & cæruleum scapulare. In aliis paginis tunica monachorum semper est alba, scapulare vero aut violaceum, aut viride cum simili capitio assuto acuminato. Demum in alio Casinensi codice scripto tempore Theobaldi abbatis num. 73. pag. 4. alterius monachi tunica est colore margaritario candicans. Hos omnes codices refert & illustrat in historia Casinensi Erasmus Gattola ad seculum VIII. pag. 469. Videatur etiam Bernardus Mont-fauconius in suo Diario Italico [c]. Mabillonius [d] codicem affert, quo Gregorii M. & Victoris III. de sancto Benedicto dialogi habentur; in eo variæ prostant monachorum & abbatum figuræ cum toga alba sub cuculla nigra. In bibliotheca Barberina, ubi autographum extat chronicon abbatiæ sancti Vincentii ad Vulturnum, monachus sub atro scapulari, quod tribus redimiculis ad utrumque latus adstrictum est, tunicam gestat albam. Similes imagines antiquorum monachorum cum toga candida & scapulari atro & nigrante, ac capitio aculeato profert ex codice Neapolitano in singulari libro de balneis sacris Christianorum doctissimus vir nostrique amantissimus domnus Paulus M. Paciaudius. In musivis abbatiæ Montis-regalis in Sicilia sanctus Benedictus pingitur cum tunica alba, sed scapulari & capucio cæsii coloris, ut lamina XVI. n. 22. & pag. 121. profert in historia ejus abbatiæ Michael a Judice prior Casinensis. Tunica sancti Lidani abbatis, de quo superius, est alba. Monachi sancti Maximini Trevirorum, teste Augustino Calmetio [e] in commentario super Regulam, habitum sub cuculla album deferunt. In statutis abbatiæ Corbejensis cap. III. productis in Spicilegio Dacherii [f] legitur, *de vestimento tunicas duas albas & tertiam de alio colore monachis singulis esse tradendas*. Teste Haefteno ex Bursfeldensi cœremoniali [g], monachi ejus congregationis duas quilibet monacho assignantes tunicas, alteram volunt esse albam; in pluribus Vallis-oletanæ congregationis monasteriis testatur Antonius Yepezius usu receptas tunicas albas. Venetiis in parthenone sanctorum Blasii & Cataldi adhibebantur etiam seculis posterioribus cum scapulari nigro tunicæ candidæ, ut demonstrat imago antiqua beatæ Julianæ ex comitibus de Collalto sanctimonialium ejus loci fundatricis producta in fronte ipsius vitæ. Cistercienses, ut diximus, supra tunicam albam induxerunt nigrum ad exercitia scapulare, quod sensim ex mobili quotidianum fecerunt. Idem præstiterunt monachi Cœlestini; idipsum congregatio monachorum Vallis-caulium in Galliis. „ Togam fuisse candidam in pluribus Flandriæ monasteriis, “ (scribit Caramuel [h]) „ demonstrant adhuc hodie plurima Benedictinorum monasteria, in quibus vestes interiores omnes sunt candidæ, prout ipse non semel vidi in aliquibus, & ut alia sileam, hæc avita consuetudo adhuc perennat in provincia Leodiensi apud Lobienses, & in Flandrica apud Brugenses, tituli sancti Andreæ extra muros, & etiam in multis aliis, ubi & sanctitas viget &

„ mo-

a *Annal. T. I. lib. V. n. 17.*

b *Pag. 87.*

c *Pag. 322.*

d *Iter Ital. p. 122.*

e *Pag. 256.*

f *T. I. p. 587.*

g *Dist. III. c. 14.*

h *Disp. XXXV. n. 375.*

„ morum reformatio. Ibidem constitutione cautum, ne quis sine particu-
„ lari licentia audeat relinquere vestes albas & assumere nigras. " De capitiis sive lebetibus, assuetis & unitis vel tunicæ, vel scapulari, vel cucullæ antiquum exemplum naturalis vel albi coloris, qui adhibebatur, habemus ex Petro Damiani in vita sancti Romualdi [a], ubi refert vitam sancti Venerii monachi cujusdam cœnobii Tiburtini, super quem ceteri cœnobitæ projiciebant aquam sordidam, *qua lebetes lavabantur*.

a *Cap.* 24.

XIX. Cuculla cineracea, grisea, fusca.

SICUT tunica albi fere semper coloris a Benedictinis antiquitus usurpabatur, ita exempla reperiuntur cucullæ frequentius cineraceæ & subobscuri potius coloris, quam nigri, antiquis iisdem temporibus adhibiti a veteribus monachis. Nigricantem hunc colorem referunt cuculla sancti Remacli, scapularia monachi sancti Albini apud Andecavos, & alterius monachi sancti Remigii Remensis, de quibus supra; monachi sancti Vincentii ad Vulturnum furvum scapulare super tunicam albam; Cluniacenses vestes gerebant coloris ad fuscedinem vergentis; tales reperiit vestes sancti Hugonis Cluniaci, & sancti Majoli Silviniaci Martene. *Subfulvi potius quam nigri coloris* erat sancti Majoli pallium servatum in ipsius ecclesia Papiæ, ut libro IIII. ejus vitæ habet Johannes Alberti apud Bollandum [b]. Monachi Vallis-oletani cucullas deferebant castaneas, cervinas, phœniceas. In monasterio Reomaensi cuculla erat subrubea. Monachi, quos ex veteri pictura inserta in codice membranaceo corporis Juris civilis profert in exercitatione de antiquo ritu legitimandi liberos illegitimos per pallium Christianus-gottlib. Schwarzius, [c] quosque familiæ Franciscanæ non recte adjudicat, fuscas vestes habent. Ubi vestes subnigri coloris non adhibebantur, griseæ ex mixtione lanarum utriusque albi & atri naturalis coloris erant in usu. Qui griseus color, ut animadvertit Martene, accedit potius ad album. Fontanellenses cappas sive cucullas cineraceas & griseas deferebant; quare sanctus abbas Ansegisus in constitutione de victu & vestitu monachorum Fontanellensium *ad saccos* XV. *comparandum griseos siccisicos assignat, unde cappæ* (sive cucullæ) *fiant*. Ita & Tironenses in Carnutibus, qui propterea denominati fuere monachi *grisei*, ut denominabantur monachi *nigri*, monachi *albi*. Mabillonius in suo itinere Italico [d] testatur se legisse in veteri codice canonicæ sanctissimi Salvatoris Bononiæ nominatos monachos griseos, *sicut sunt illi de Tyrone*, *& quidam alii*. Cistercienses pariter aliquando vocati fuere *grisei*, quod contigisse arbitratur Mabillonius, eo quod tunicam albam, scapulare autem & cucullam nigra deferrent. Sed, ut asserit Langius in chronico Citizensi, huic adjuncto originem dedere cucullæ griseæ. Johannes-andreas in Clement. I. *de elect.* de Cisterciensibus habet: *Griseo & albo colore utuntur*. Ad annum 1275. in appendice ad chronicon Lamberti Schafnaburgensis *monachi* vocantur *grisei coloris*. Idem Langius scribit eodem anno in concilio generali ordinis ipsos statuisse, nunquam & nusquam suscipere fratres Minores in hospitia *ob decretum Gregorii papæ* X. *vel ob parilitatem coloris*; *antiquitus enim & ipsi Cistercienses floccos gesserunt griseos, ut usque hodie in monialibus eorumdem cernitur, & observatur, quæ omnes cucullis utuntur griseis*. Griseæ vestes adhibitæ etiam a monachis congregationis Vallis-umbrosæ initio suæ institutionis. Timebat enim, teste Attone episcopo Pistoriensi, sanctus Johannes-Gualbertus, ne monachi contenderent de vestibus, si quis albas, si quis nigras haberet, quare miscere fecit lanas; quæ mixtio colorem magis ad album, quam ad nigrum accedentem format, *ob Camaldulensium sympathiam*, ait abbas Didacus Franchius in historia sancti Johannis-Gualberti [e]; inde usque ad annum 1445. scapulare

b *App. ad* XI. *maji* T. 7. *pag.* 693.

c *Pag.* 34.

d *Pag.* 197.

e *Pag.* 188.

album detulerunt, nunc ex integro nigri evaserunt ex decreto capitulari anni 1625. Vestium candorem omnes hi monachi in fuscedinem commutarunt, forte ut habitum toties lavandi incommodum fugerent.

XX. Cur plures sanctimoniales habitum album deseruerint?

Alia fuit ratio, cur plures moniales, quæ albis olim utebantur, nigras postea vestes assumpserint; subtractæ nimirum congregationibus alborum monachorum, & inde episcoporum curæ commissæ habitum mutarunt. Id accidisse narrat Venturas Minardus Athestinus Camaldulensis monachus in libro de balneis Calderii monialibus nostris in Avesa prope Veronam, quæ candidas vestes in nigram cucullam commutare coactæ fuere; simili fato albæ sanctimoniales beati Antonii-Peregrini, antea unitæ cum monachis Porciliensibus de Patavio, nigras omnino vestes recepere; moniales sancti Leonardi de Boccone *sub veste alba*, ut testatur ad annum 1444. Petrus Marcellus episcopus Patavinus, translatæ ad sancti Mathiæ intra urbem Patavinam, modo induunt atris vestibus. Rosanenses ad Pontem-sevis extra Florentiam, & subjectæ monasterio nostro sancti Johannis-evangelistæ de Prato-veteri ex albis nigræ evasere. Aliæ cœnobii Genistæ apud Montem-varchium unum facientes olim cum nostris Buldronensibus, candidum habitum tyrocinii tempore observant, atras vestes recipiunt die professionis; moniales sancti Nicolai Florentiæ antiquitus albæ, ut ex veteribus ipsarum libris & picturis constat, nigram cucullam adoptavere; moniales sanctæ Annæ Pisarum, olim Pugnani habitantes sub cura monachorum sancti Savini de Montione, solam tunicam albam retinentes, cucullam & scapulare nigrum superinduxerunt. Quare optime tam his monialibus, quam monachis superius allatis aptari possunt verba, quæ Danthes in comœdia Paradisi cantu XXII. ponit in ore sancti Benedicti:

> *E se guardi al principio di ciascuno,*
> *Poscia riguardi là, dov' è trascorso,*
> *Tu vederai del* Bianco *fatto* Bruno.

Ita in omnibus congregationibus & monasteriis, in quibus ab antiquo partim albæ, partim nigræ vestes receptæ erant, exceptis congregationibus vestibus omnino albis utentibus, firmatus fuit color penitus niger. Nicolaus de Fractura & Bernardus Casinensis affirmant sanctum patrem Benedictum nigras solummodo vestes adhibuisse, sed Martene, qui eorum verba refert, subdit: „Fides sit penes istos auctores". Et verisimilius est, ipsum vel albis, vel griseis vestibus usum fuisse; nimirum *propter lavare ipsas res*. Referri possunt visiones, quibus comparuit vestitus nigris, ut quando visus est celebri & magno duci Consalvo, qui ideo respuit monachos congregationis Montis-oliveti, & monachos nigros monasterii sancti Severini Neapolitanæ urbis admisit, utens postea nigrorum monachorum opera ad Indiarum conversionem; sed superius retulimus etiam visiones, quibus pluries indutus albis apparuit. Verum ex his visionibus evidentia historica non deducitur; quandoquidem imagines adaptantur communiori & faciliori conceptui, & Sancti variæ imaginationi clientum suorum ac phantasiæ dispositioni favere solent, eaque specie se videndos tradunt, quæ eorum apprehensioni magis respondet, ait Grandius.

XXI. De monachis nigris antiquissimis temporibus.

Nihilotamensecius etiam a primis seculis ordinis Benedictini reperiuntur monachi omnino nigri, quod exploratissimum est ex monumentis seculorum VI. & VIII. quæ profert Antonius Yepezius in historia ordinis Benedictini ad annum 525. Ingulphus [a] quoque in historia Croylandiæ chartas producit donationum Ethelbaldi regis Angliæ, & Offæ regis Merciorum, in quibus nominantur monachi *nigri*. Verum cur appella-

[a] Pag. 851.

ti

ti nigri, nisi quia in insulis Brittanicis erant & monachi albi? Additum tamen illud monachorum *nigrorum* in concilio Lateranensi ad tempora Gregorii M. pro monachorum exemptione & libertate, in antiquis exemplaribus non legitur, primumque prodiit in editione Coloniensi conciliorum; & cardinalis Baronius, qui ipsius concilii acta primus eduxit ex Vaticana bibliotheca, adjunctum illud, utpote a se non lectum, omittit.

XXII. Uterque color albus & niger monacho convenit.

CONSIDERATUS fuit color niger aptior monacho, qui in statu est humilitatis & pœnitentiæ; sed etiam albus indicat simplicitatem & paupertatem inseparabilem a professione. In oratione ad induendum Camaldulensem novitium profertur: *Domine Jesu-Christe, qui tegmen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam tuæ largitatis abundantiam, ut hoc genus vestimenti, quod sancti patres nostri ad innocentiæ vel humilitatis indicium ferre sanxerunt, ita benedicere digneris, ut hic famulus tuus, qui hoc indutus fuerit, te induere mereatur*. Neque solius Camaldulensis cœremonialis propria est hæc oratio, sed omnibus fere monachis communis; eamdem quippe recitat [a] ex rituali Ananiensi Martene in libris de antiquis monachorum ritibus; item [b] ex illo sancti Germani de Pratis [c], ex Gorbejensi, & [d] ex Cartusiano. Eadem oratio recepta erat apud Casinates, & legitur in vetusto ordinario Casinensi exarato tempore Oderisii abbatis, testimonio [e] ejusdem Martene, & usurpari solebat in vestium monachorum benedictione. Quinimmo in rituali Romano *in ordine ad benedicendum abbatem* eædem preces ad Deum funduntur ab episcopo super habitum regularem abbatis benedictionem exorante. Niger porro color etsi humilitatem & luctum designet, qua ratione tamen indicat innocentiam? Sed & luctus juxta varias nationes indicabatur tum atris, tum albis vestibus.

a *Pag.* 692. *n.* 26.
b *Pag.* 695. *n.* 32.
c *Pag.* 698. *n.* 46.
d *Pag.* 702.
e *Lib. V. c.* 4. *n.* 7.

XXIII. De coloribus violaceo, cæruleo, viridi &c.

SUPERIUS dictum fuit colores violaceum, viridem & rubrum arbitrium potius fuisse geniumque pictorum; vel etiam dici potest colorem nigrum longævitate temporis variasse, & apparuisse violaceum; nam pictores antiqui nigrum colorem miscebant cum violaceo, ut nigrum super vestes efformarent, ut etiam hodie panni prius violacei seu cœlestes, inde nigri tinguntur; quare Erasmus Gattola hos omnes colores rubrum, viridem, violaceum & album ad pictorum libitum omnino amandat, utpote colores incongruos, neque monachum decentes. Mirum, quod doctissimus vir idem judicet de colore albo, quod de ceteris judicat? Extant tamen monumenta usus eorum etiam colorum tum in ordine Benedictino, tum in aliis monasticis vel regularibus ordinibus. Triginta-quinque abbates Farfenses usque ad Supponem, qui vixit anno 1050. cum cucullis violaceis pinguntur in antiquo regesto ejusdem abbatiæ, quod [f] Johannes-petrus Crescentius vidit. Monachi congregationis sancti Silvestri in Piceno, ut se ab aliis congregationibus Benedictinis distinguerent, & ob visionem, quam ajunt initio institutionis habuisse sanctum eorum fundatorem, violaceum colorem elegerunt eo temporis, quo se separarunt a monachis congregationis Vallis-umbrosæ; atque in ea habitus assumptione credidere se habere regulæ sancti Benedicti libertatem. Etiam monachi Avellanenses postremis temporibus, antequam cum Camaldulensi congregatione unirentur, cyaneum vel cæruleum pallium deferebant, a vulgo propterea crediti, sed falso, & appellati Cœlestini. In celebri abbatia Reomaensi, ut legitur apud Martene, abbas Gaudericus decrevit, ut monachi cucullam & scapulare deferrent *de panno rosseto*, quem morem Cistercienses monachos alicubi secutos fuisse, auctor est Silvester Maurolicus. Tunicam Pacomianorum monachorum *rubri coloris fuisse* ex Palladio in historia Lausiaca, &

f *Presid. Roman. Lib. I. cap.* 89.

veterum Ascetarum clamydes punicas fuisse compertum esse scripsit in libro *de sacris Christianorum Balneis* V. Cl. Paciaudius [a]. Monachi Moscovitæ antiquitus rubras vestes induebant, & Sclavones, qui a Duglosso & a ceteris Polonis inter Benedictinos recensentur, similibus vestibus utebantur. Videatur historia cleri secularis & regularis domini de Andilly [b]; ex qua etiam intelligimus quosdam [c] antiquos religiosos habitantes in Valle-Josaphat cucullam & caputium rubrum detulisse; canonicos regulares [d] sancti Mauritii Agauni in Sabaudia eumdem habitum gestasse; alios canonicos [e] in Hungaria tunicæ albæ pallium rubrum superimposuisse; sanctam Sincleticam [f] usam fuisse pallio subnigro & rubricante, vel rosaceo: concilium Toletanum anni 659. permittit sanctimonialibus velum coloris nigri vel purpuracei. Nunc vero [g] sanctimoniales Verbi-incarnati, aliæ Annuntiationis, illæ scapulare & pallium rubrum, hæ scapulare rubrum supra griseam tunicam deferunt. Monachi Acemetæ [h], ipsorumque moniales regulam sancti Basilii profitentes affatim ex viridi vestiebant cum duplici cruce rubra in pectore; canonici regulares [i] sancti Gervasii Parisiorum tunicam & cappam viridem induunt.

a *Pag.* 14.
b *T. II. p.* 150.
c *T. I. p.* 428.
d *Ibid. p.* 266.
e *Ibid. p.* 426.
f *T. IV. p.* 9.
g *Ibid. pagg.* 350. 374.
h *T. II. pag.* 157.
i *T. I. p.* 302.

XXIV. Varietas colorum non officit unitati corporis Benedictini.

SED hi omnes colores, albus præsertim & griseus, nihil nocent unitati ordinis monastici Benedictini, cujus sancta regula dictata pro solis monachis solitudini deditis, & ad ipsorum potissimum reformationem & profectum, numquam potuit aptari varietati diversorum institutorum. E contra sancti Augustini regula omnino generalis est; hinc assumpta fuit ab Eremitis, a Prædicatoribus, a Canonicis regularibus, a laicis Hospitalariis, a Redemptoribus captivorum, a puerorum & orphanorum susceptoribus, quæ instituta nihil habent inter se commune. Sub regula Augustini efformati fuere varii ordines, unus ab altero distincti; secus accidit de regula sancti Benedicti, quæ, non obstantibus varietate formæ & coloris vestium, & consuetudinum ac rituum multiplici additione, permansit ordo unus divisus in congregationes, tamquam magna arbor in plures surculos, quæ omnes congregationes formant unum idemque præclarum corpus ordinis Benedictini, & ad eumdem finem collimant servandi, & reparandi, & ad primævum vigorem restituendi eamdem regulam sancti Benedicti. Quare sanctus pater Benedictus ab omnibus congregationibus habitus semper fuit non solum ut legislator, sed ut proprius fundator, institutor & pater, & in *ordinibus ad vestiendum vel profitendum monachum* solam ipsius sancti Benedicti mentionem & invocationem faciunt congregationes, licet ab aliis sanctis viris suscitatæ. Pariter in *ordine divinorum officiorum* seculo XIII. pro Camaldulensibus a Martino III. priore exarato determinatur festum sancti Benedicti [k] cum sollemnitate *plenissima*, festum vero sancti Romualdi [l] cum sollemnitate *plena*; die sacra sancto Benedicto [m] præscribitur Missa cum *Credo*, sine *Credo* Missa sancti Romualdi; & sexcenta hujus generis.

k *Lib. II. cap.* 4.
l *Ibid. cap.* 6.
m *Lib. I. cap.* 14.


XXV. Coronis hujus disquisitionis.

FUSIUS scribere potuissemus super hac quæstione ob veterum monumentorum copiam, quæ collegimus, sed intra breves fines nosmetipsos continuimus, ne satietatem provocaremus, & ne produceremus res notissimas, & ad concipiendum facillimas. Concludere itaque liceat cum verbis, quæ ex Petri Blesensis epist. XCVII. ad quemdam abbatem, licet Cistercienſibus infensioris, & Cluniacensium fautoris, referunt ex integro etiam Martene & Grandius. *Christus divisus non est, sive in alba, sive in pulla veste, in omni professione & ordine, in omni gente, quicumque operatur voluntatem Domini acceptus est illi; inter album & nigrum habitum non distinguit ille, apud quem non est distinctio Judæi & Græci; attendit*

Domi-

Dominus mentem, non cutem, merita, non colorem. In Monte-casino schema monasticum, quo beatus Benedictus est usus, usque hodie, sicut dicitur, perseverat. Quis audeat tanti patris habitum blasphemare in filiis? nam si delibatio sancta, & massa; si radix sancta, & rami. Sive cum Nazaraeis candidior nive sit aliquis, sive cum beato Job super carbonem denigrata sit cutis ejus, uterque salutem in domo Domini operatur; sane in ovili Jacob sunt agni albi & nigri; in vinea Sorec sunt uvae albae & nigrae; sed & Sponsa, quae liliis convallium praealbescit, ipsa eadem dicit: Nigra sum, sed formosa. Apud Sponsam Christi non est absurda varietas, cum ipsa circumamicta varietatibus describatur. Ipsa varietas uniformitatis causa est; nam in cithara ex diversitate chordarum fit uniformis modulatio ad concentum.





BREVIARIUM
TOMI TERTII
ANNALIUM CAMALDULENSIUM.

LIBER VIGESIMUS-PRIMUS.

Ab anno Christi 1080. ad annum 1085.

LIBER VIGESIMUS-SECUNDUS.

Ab anno Christi 1086. ad annum 1096.

LIBER VIGESIMUS-TERTIUS.

Ab anno Christi 1097. ad annum 1100.

XV.

LIBER VIGESIMUS-QUARTUS.

Ab anno Christi 1101. ad annum 1108.

LIBER VIGESIMUS-QUINTUS.

Ab anno Christi 1109. ad annum 1116.

LIBER VIGESIMUS-SEXTUS.

Ab anno Christi 1117. ad annum 1126.

LIBER VIGESIMUS-SEPTIMUS.

Ab anno Christi 1127. ad annum 1135.

LIBER VIGESIMUS-OCTAVUS.

Ab anno Christi 1136. ad annum 1143.

LIBER VIGESIMUS-NONUS.

Ab anno Christi 1144. ad annum 1151.

LIBER TRIGESIMUS.

Ab anno Christi 1152. ad annum 1160.

V.

ANNA-



ANNALES CAMALDULENSES ORDINIS SANCTI BENEDICTI

LIBER VIGESIMUS-PRIMUS.

Ab Anno CHRISTI M. LXXX. *ad annum* M. LXXXV.

Ann. Chr. 1080.

I. Leges Camaldulenses scriptis traduntur a Rodulpho priore.



Ucusque legibus dumtaxat ore traditis, atque exemplis majorum per manus traductis vixerat Camaldulensis, seu a sancto parente Romualdo instituta familia, & tributa per varia Venetiarum, Perei, Montis-amiati, Sitriæ, Urbis-veteris, Parentii, Vallis-castri, Hungariæ etiam & Poloniæ, ac aliorum locorum monasteria, atque ea præcipue vixerat familia, quæ in Apenninis excelsis jugis ab eodem sancto viro excitata anno M.XII. Campi-amabilis seu Camalduli proprie dicti eremum & subjectum Fontis-boni cœnobium incolebat. Floruerant, ut speciatim de hac postrema Campi-amabilis familia dicamus, in hujusmodi summæ simplicitatis schola sanctissimi viri, qui mundo affatim mortui, & jugi contemplationi unice intenti, Deo & sibi ipsis vacaverant, quorum tamen gesta, immo & nomina invidia temporis, vel etiam scriptorum incuria ad posterorum memoriam pervenire non sivere. *Ædificatis siquidem quinque cellulis*, ait Rodulphus Camaldulensis prior IV. in regula eremitica, quam scripsit anno 1085. *religiosos fratres* ordinaverat in eis sanctus ipsorum fundator Romualdus *Petrum*, *& Petrum*, *Benedictum*, *& Gisum & Theuzonem*; *ex his unum*, *idest domnum Petrum*, *qui dicebatur Dagninus*, *prudentem & religiosum virum* præposuerat *aliis quatuor fratribus*, *& regulam jejunandi atque silendi*, *& in cellis permanendi* eis tribuerat. Regulam intelligimus oralem; numquam enim proditum est a quoquam Romualdum regulam scriptis tradidisse; atque eam proinde primis Camaldulensibus beatissimus vir vivendi disciplinam præscripsit, quam sanctus Petrus Damiani *regulam* appellat *vivendi cunctis sectatoribus singularis*, hoc est eremiticæ, *vitæ præfixam*, & ab initiis ejus magisterii in A-

Ann. Chr. 1080.

quitanicis vel etiam Venetis finibus hujus generis hominibus a Romualdo propositam. *Largitor autem omnium bonorum Dominus*, subdit idem Rodulphus, *tantam humilitatem, patientiam & fortitudinem, atque constantiam illis quinque fratribus & conversis*, (hos constituerat sanctus pater in subjecto hospitio Fontis-boni) *concessit, ut per multa terrarum spatia eorum crebresceret fama. Comperta igitur a pluribus eorum opinione, non solum de vicinis, sed etiam de longinquis partibus cœperunt ad illos proficisci multi viri, & eorum mellifluis fruebantur colloquiis. Quidam autem ex eis non solum de infimis, verum etiam de nobilibus viris, Spiritu-sancto afflati, spretis corde secularibus curis, monachale indumentum a prædicto priore acceperunt, & de suis hæreditatibus præfatam eremum ditaverunt, atque arctam vitam ducere cœperunt. Alii eorum penna divinæ contemplationis ad amorem cœlestis patriæ volantes, mentisque oculos in divino lumine figentes, & de ineffabili dulcedine aliquo modo gustantes, singuli in singulis cellulis seque recludentes, sic usque ad obitum permanserunt cum antiquo hoste pugnantes, divina protegente gratia. Alii per binas quadragesimas silendo, districtioremque vitam ducendo, ceterique per centum continuos dies vel per unum annum cum diversis cogitationibus reluctando in cellulis permanant fulgentes cum ceteris fratribus Dei caritate & obedientia, atque sanctis virtutibus, & jugiter venerabilis Romualdi vitam atque doctrinam commemorantes, necnon mores prædictæ eremi, atque usus ferventi amore retinentes.*

Hactenus Rodulphus, idem qui hoc anno, cum quartus a sancto Romualdo regimen ejusdem Camaldulensis eremi obtineret, quod susceperat anno 1074. timens, ne *per longam revolutionem temporum, vel per aliquam debilitatem corporum, sive per aliquod ingenium aliqua persona mutare audeat ea, quæ a religiosis nostris patribus ibi*, hoc est in eremo Camaldulensi, *sunt sancita, & optime observata, & ad nos usque perducta, & a nobis licet inferioribus demum Domino cooperante retenta*, habito cum confratribus suis consilio, Camaldulenses consuetudines per manus majorum receptas scriptis tradere decrevit. Et quidem pernecessarium id erat eo vel maxime tempore, quo celebriore facto Camaldulensi nomine, vel plura alia solitaria loca erecta fuerant sub directione majoris eremi Camaldulensis, vel episcopi & illustres viri, nec non canonicorum collegia commiserant alia loca, monasteria, ecclesias & cellulas, ad hoc ut Camaldulenses priores ea juxta ipsorum instituta ad meliorem formam redigerent.

Audiendus porro non est collector constitutionum regulæ eremiticæ, qui eas in unum corpus redegit, & edidit anno 1520. putans veteres Camaldulenses constitutiones a Rodulpho scriptis fuisse traditas anno 1090. neque etiam audiendi idem collector & Fortunius affirmantes notificationem morum antiquorum patrum (alius Rodulphi fœtus, de quo agemus ad annum 1085.) exaratam ab ipso fuisse anno 1105. Ad superos enim jam evolaverat iis annis Rodulphus, ut fusius alio in loco demonstrabimus. Sed parcendum collectori & Fortunio, qui seriem & tempus primorum Camaldulensium præsidum, veteribus documentis haud consultis, insigniter perturbarunt. Fallitur etiam Fortunius, [a] qui Rodulphum adstruit accepisse consilium de edendis his Camaldulensibus constitutionibus ab Helemperto episcopo Arretino, quem fingit ab ipso per legatos & literas accersitum una cum aliis circumvicinis episcopis Camaldulum, & post multos hac super re ventilatos sermones, communi omnium voluntate & sententia, totius rei summam prudentiæ ac conscientiæ judicio ipsius prioris Rodulphi libere commissam fuisse. Nullum enim floruisse per hæc tempora Arretinum episcopum Helempertum ejus nominis secundum alibi videbimus.

a *P. I. lib. 1. cap. 58.*

Ali-

ANN. CHR. 1080.

ALIQUA hic loci ex ipsis Rodulphi constitutionibus delibare est animus; neque enim ab historicis rebus abhorret expositio rituum & consuetudinum, quæ viguere in sacris locis, ut suis Annalibus ipse Mabillonius non dubitavit inserere statuta Guigonis quinti prioris Cartusiæ, [a] Petri Venerabilis abbatis & capituli Cluniacensis leges, aliorumque monasteriorum sancita. Ex iis siquidem Rodulphi constitutionibus palam fit, tum quinam fuerint ad hæc usque tempora primorum eremitarum Camaldulensium usus, tum quænam leges deinceps ab eremitis illorum successoribus forent observandæ; quandoquidem eas consuetudines etiam pro futura regula eremiticæ disciplinæ in scripta redegit Rodulphus ea ipsa mente, qua ante aliquot annos Petrus Damiani, dum monachorum & eremitarum Avellanensium suorum mores in opusculo ad Stephanum describit, eos usus pro norma & regula futurorum eremitarum & monachorum præfati loci proposuerat.

II. Synopsis ipsarum legum.

a T. V. p. 548. T. VI. p. 198.

HÆC itaque erat Camaldulensium eremitarum in quadragesima majori consuetudo; ut a jejunio & ab abstinentia exordium sumamus. [b] *A principio quadragesimæ usque in Paschalem sollemnitatem per singulas hebdomadas triduana & biduana in hac eremo servari solet abstinentia. Abstinentia in hoc loco tunc dicitur, cum nihil præter panem & aquam, aut si cui placet, salis adjectionem edentibus ministratur, excepto siquidem ceparum vel pomorum delicatioribus debilibusque rara vice misericorditer concedatur. In Dominicis vero diebus, & omni quinta feria solita ministrantur pulmentaria, cum adjectione pomorum, vel aliorum nascentium terræ. Vinum quoque post initium quadragesimæ magnæ, ac etiam advenis non datur, nisi in Dominica palmarum & festis declaratis, necnon in Cœna Domini, in festivitatibus beatæ Mariæ, sanctique Benedicti & beati Gregorii solet hoc loco ministrari. Sabbatum vero sacri baptismi abstinentiæ deputari debet, sed pro labore officii sequentis Paschæ biscoctus panis cum sobria perceptione vini potest fratribus indulgeri.* Tum paschalis temporis & dierum post Pentecosten usus ciborum enuntiatur his verbis: [c] *In paschali vero hebdomada non solum relaxatur abstinentia, sed etiam jejunium solvitur; postmodum vero tribus in hebdomada diebus usque ad Pentecosten repetitur abstinentia, sabbata vero simplici jejunio deputantur. In diebus autem Rogationum solent aliqui triduanam servare abstinentiam, sed communis habet consuetudo, ut in tertia feria earumdem simplex jejunium celebretur; cum jam & in festivitate sancti Marci propter letanias Gregorianas simplex servatur jejunium; in vigilia vero pentecostes ita fiat, quemadmodum in Sabbato sancto permissum esse meminimus. In Pentecoste eadem observari debent, quæ in paschali celebritate commemorata sunt, excepto quod jejunia quatuor temporum in hac hebdomada sexta feria abstinentiæ deputata ritu ecclesiastico simpliciter observentur. Deinceps autem usque in festivitatem sancti Johannis quatuor diebus in hebdomada deputatis abstinentiæ, tertia feria simpliciter jejunatur, quinta vero geminatur refectio. De cetero usque idus septembris eadem quatuor dierum servatur abstinentia, tertia & quinta feria geminæ refectioni deputatis. In festivitatibus vero, quæ a Pascha usque ad hunc terminum occurrunt, & abstinentia remitti, & jejunium solet absolvi. Post idus septembris usque in festivitatem beati Martini continuum servatur regulari more jejunium, quatuor in hebdomada diebus abstinentiæ deputatis. Nam festivitates post octavam Dominicæ nativitatis usque quadragesimam, quæ infra hoc spatium accidunt, abstinentiam quidem relaxant, jejunium vero minime solvunt.* Demum ceterorum anni temporum jejunii consuetudo sic describitur. [d] *A sollemnitate beati Martini usque Nativitatem*

III. De jejuniis Camaldulensium.

b Cap. XI.

c Cap. XII. & XIII.

d Cap. XIV. XV. XVI. XVII.

ANN. CHR. 1080.

tem Salvatoris quadragesimalis fit observantia, sicut in majori quadragesima præmissa est. Vinum quidem in omnibus Dominicis diebus, in festivitatibus quoque beati Andreæ, sanctique Nicolai & beati Thomæ sobrie ministratur. In vigilia vero Dominicæ Nativitatis idem observandum est, quod in sabbato sancto diximus observari. Die quoque ipsius Nativitatis jejunium solvitur, ceteris diebus per totam octavam jejunium non solvitur, sed abstinentia relaxatur. Postmodum vero usque in octavam Epiphaniæ continuum jejunium, triumque dierum abstinentia celebratur, sabbatis simplici jejunio deputatis. Deinceps autem usque initium quadragesimæ quadripartita in hebdomada debet abstinentia servari. Sabbatorum denique abstinentiæ hac discretione servandæ sunt, ut in octavis Sanctorum, quæ apud nos celebrantur, & in hebdomadis, quibus flebotomiæ ter in anno fieri solent, atque pro accessu alicujus celebris personæ, sive pro exteriori labore possint relaxari. In sabbatis quoque utramque quadragesimam præcedentibus eadem relaxatio abstinentiæ causa cellerarii fieri solet. Vigiliæ Sanctorum, quæ in ecclesia statutæ sunt, & Epiphaniorum quoque, atque sanctorum Philippi & Jacobi, licet in usu secularium non habeantur, in hac eremo abstinentiæ deputandæ sunt &c.

IV. De usu vini & ciborum.

a Cap. XXIII.

DE usu vini hæc habet & præscribit Rodulphus: [a] *Vinum ab eremitis alienum esse cognoscitur, sed quia defectio, & nostri temporis ac naturæ debilitas id omnino non patitur, raro quidem & sobrie hujusmodi potum percipere solent* &c. *Et quoniam expertum esse novimus, quia vinum raro utentibus eo, nisi purum & incorruptum sit, noxium est & insalubre, statutum fuit ab antiquo, & nunc quoque firmius statuendum est, ut meræ qualitatis & incorruptæ ministretur his*. Pulmentorum autem consuetudo diebus, quibus refectio permittebatur eremitis, hæc erat, ut [b] *pulmenta singulis diebus refectionis duo bene composita fratribus prædictis apponantur, & si opportunitas tulerit, aliquid pomorum ceparumve, seu castanearum addatur. Et primum quidem pulmentum de oleribus fieri solet, secundum vero in Dominicis diebus & quibusdam sollemnitatibus de pasta frumenti, quod vulgo granellorum appellatur, solet exhiberi. In summis sollemnitatibus, videlicet tribus diebus Dominicæ Nativitatis, & Paschalis celebritatis edulium farris a Fonte-bono transmissum ministrari consuevit. In eisdem hebdomadis in quinta feria cœnaturis, turtarum aut milliaciorum refectio ad eremum transmittatur, aliis vero diebus geminæ refectionis vel jejunii, ciceris, aut æstivarum fercula fabarum debent fratribus apponi. A calendis maji usque in festum sancti Martini per dies Dominicos, quintam feriam, atque in sollemnitatibus præcipuis edulium lactis, quod juncata nominatur, superaddi consuevit. Ab octava Paschæ usque ad festum sancti Martini diebus Dominicis apud Fontem-bonum cœnæ præparentur milliaciorum aut tortarum, quæ fratribus de eremo æquali vicissitudine debent ministrari. In diebus autem quintæ feriæ a festo beati Johannis-baptistæ usque ad idus septembris, eadem cœnarum præparatio de milliaciis fieri solet. In sollemnitatibus vero utriusque quadragesimæ loco earum turtelli aut frictellæ ad eremum transmittantur.*

b Cap. XXIV.

c Cap. XX.

Ea autem in reficiendis corporibus lege tenebantur eremitæ, ut [c] *ad mensam omnibus diebus geminæ refectionis aut singulis jejunii communiter reficiant tam corporeis; quam spiritualibus alimentis; in iis enim & in omnibus diebus abstinentiæ in cellis utuntur eduliis suis, nudis pedibus super pavimento sedentes, librumque sacræ lectionis intuentes, ut dum fauces sumunt subsidium corporis, oculi quoque percipiant cibaria mentis*. Panes ad eremum deportabantur ab iis, qui in Fonte-bono commorabantur; *per singulas*

gulas

gulas namque *septimanas senos azimos panes præfati fratres a prædicto loco* suscipiebant, *tres die Dominico* , *& totidem in quinta feria juxta formam antiquæ quantitatis & qualitatis*; *si quis vero fermentatos* quæsivisset, *nullatenus* debebant *illi denegari*.

Ann. Chr. 1080.

EXENIA quoque & oblationes dividebantur inter eremitas ; *ante sollemnitatem* enim *Paschalem & ante Dominicam Nativitatem solito more pisces emantur* , *empti vero & reducti* , *si præsentia domni prioris est apud eremum*, *vel Fontem-bonum*, *apud eum fiat æqua divisio*, *subtractis decimis propter hospites* , *& his* , *qui per curtes vel proxima monasteria dispensantur* . *Sin vero prior absens est* , *eadem apud eremum similiter partitio fiat* . *Xenia quoque* , *quæ devotione fidelium vel fratrum congregationis obsequiis deferuntur* , *simili modo debent dispertiri* . *In Nativitate Salvatoris & Paschali sollemnitate per singulos fratres singulæ paropsides cum totidem coclea riis ad eremum transmittantur*. *In eisdem solito more duæ libræ piperis tribuantur*, *singula per singulas sollemnitates*, *ceræ quoque libras in æstate eremi sacrista debet a camerario accipere*; *incensum vero quantum sufficere possit* , *olei etiam usitata mensura per singulos menses* , *unus videlicet barilis exhibeatur: tres quoque arvinæ per singulos annos ad unctionem subtalarium præstari debent* . *Corium similiter quantum sufficere possit* , *fabarum etiam æstivarum triginta sextaria in æstate tribuantur* . *Sed & castaldiones* , *qui per curtes nostras deputantur* , *ita solliciti sint ad obsequia eremi* , *ut in Nativitate Salvatoris & sollemnitate Paschali ceterisque temporibus solitas præstent oblationes* ; *& usitatas lignorum præparationes congruis temporibus faciant*, *quæ secundum pristinam consuetudinem in æstate ita fiat per singulas cellas* , *ut non indigeant fratres propter hujusmodi necessitates gustum contemplationis interrumpere* . *Cetera quoque utensilia cellarum præparare ministri non tardent*, *aut negligant*, *saccum palearum*, *pulvinar* , *ferramenta*, *manutergium* , *obulas* , *lucernas* , *sepum* , *& linteum in cœna Domini nostri Jesu Christi ad extergendos pedes fratrum* . *Vestimenta vero ante festum beati Martini taliter præparentur* , *ut in ipsa quadragesima quies non impediatur* &c. *Vervecinæ igitur pelles*, *vaccini subtalares* , *cappæ*, *tunicæ* , *aliæque vestes*, *quales in iis provinciis commodius inveniuntur* , *debent præparari* . *De numero & quantitate vestium id observetur* , *quod cœnobialis habet consuetudo* . *Ciliciorum indumenta omnibus offerri solent* , *qui uti voluerint*, *quia in his non necessitas imponitur* &c.

V. De rebus, quæ subministrari debebant eremitis & de infirmis. [a] Cap. XXVII. XXVIII. XXIX.

Ter in anno communiter flebotomiæ fiebant, quibus diebus talis refectio administrabatur, ut [b] *prima die ferculum farris*, *secunda granellorum*, *tertia demum lagana ministretur in mane*; *sero autem primo juscelli*, *secundo oleris* , *tertio denique turtarum refectio præparetur cum frictellis* , *panisque dimidio per singulos fratres*. Summam infirmorum vel debilium curam gerebant tam prior, quam ministri super hoc deputati. [c] *Cum ergo aliquis apud eremum languescit*, *mox provisor eremi* , *qui loco prioris constituitur* , *sive sacrista*, *vel cellerarius ipsum studeat visitare* , *& tam alimonia corporis*, *quam mentis nutrimento*, *quæ necessaria sunt*, *ministrare usque ad octavum diem*; *tunc enim si non convaluerit* , *ad locum de Fonte-bono deducatur*, *ubi cibaria ægrotantibus competentia* , *& alia*, *quæ ad convalescendum prodesse possunt*, *honeste satis & reverenter copiose sibi offerantur usque ad plenam reparationem* . *Reparatis igitur viribus corporis revertatur illico ad usum sanctæ conversationis*; *si autem ibidem obierit*, *ad eremum sepeliendus deferatur*.

[b] Cap. XXVI.

[c] Cap. XXX.

VI. De divinis officiis & capitulis. De suffragiis defunctorum & de silentio.

DIVINI officii usus is erat. [d] *Duo psalteria cum adjectionibus suis per utramque quadragesimam quisque frater per singulos dies persolvet*. *In aliis vero*

[d] Cap. XXXV.

Ann. Chr. 1080.

vero temporibus unum pro vivis debet celebrare psalterium, pro defunctis autem totum aut dimidium, vel ad minus tertiam partem. Pro migratione cujuscumque fratris in eremo, vel in Fonte-bono defuncti triginta psalteria, vel Missas debet unusquisque persolvere; pro his vero, qui per alia loca congregationis obierint, tria psalteria vel Missæ ab unoquoque dicenda sunt. In metanæis vero & palmatis vel scoparum ictibus aliisque similibus obsequiis vel operibus seu artificiis quisque debet exerceri, prout facultas tulerit, vel utilitas suaserit, seu divina inspiraverit gratia. Ad divina officia per horas diei vel noctis pulsato signo universi fratres, præter reclusos, aut forte infirmos, festinantes & cum magna reverentia opus Dei persolvant juxta ordinem monasteriorum ejusdem congregationis. Missarum vero sollemnia in hac eremo raro, nisi circa horam tertiam celebrantur.

a Cap. xix.

In capitulo [a] vero per utramque quadragesimam convenire non solent, nisi in quinta feria cœnæ Salvatoris, quam non solum in celebratione capituli, sed etiam in divinis officiis atque communi refectione, & in ablutione pedum cœnobiali more observant. Similiter & duos sequentes dies in divinis officiis canonico vel monasteriali imitantur ordine; nam & in sabbato sancto & in vigilia Dominicæ Nativitatis sollemne capitulum celebratur. Ceteris vero temporibus omni Dominico die in capitulo convenientes, præmissa exhortatione, fraterna, se invicem debent accusare caritate. Postremo, communi confessione præmissa, verberum ictus super nuda membra suscipiunt, non tam causa cruciandi corpora, cum sibi graviora in cellulis supplicia infligant, quam studio divinæ passionis & humilitatis exempla sectandi. Narrat idem Rodulphus, quod cum quidam energumenus in partibus Etruriæ, qui solo die Dominico vexari solebat, interrogaretur, ubi ceteris diebus latitaret, ita respondit: Per totam, inquit, hebdomadam apud Camaldulensem eremum habito, sed Dominico die cum disciplinis, quas humilitatis intuitu sponte patiuntur, me procul expellunt.

b Cap. xxi.

Silentium pariter [b] in utraque quadragesima & in omnibus diebus abstinentiæ inviolabile debet hoc loco servari, ceteris vero diebus ab hora vespertina usque in sequentis diei expleta Missarum sollemnia, taciturnitatis regula illæsa custodiatur. Exeuntes de cellis & ad ipsa redeuntes silendi censura debent cohiberi, in oratorio & in refectorio regula silentii omni tempore intemerata servetur. Statutum [c] quoque fuit ab antiquo, & nunc eadem statuta jubente priore, ait Rodulphus, renovantur, ut nemo in eremo ista commorantium aliquid ab adventantibus petere præsumat, neque possideat quidquam, contra consuetudinem loci, concessionemque prioris.

c Cap. xxxii.

VII. De priore congregationis ejusque obligationibus.

d Cap. xlviii.

e Cap. liv.

Prior [d] a fratribus in eremo commorantibus, & aliquibus de Fonte-bono, & plerisque de congregatione convocatis eligebatur; eligatur autem, subdit, de fratribus ipsius loci, si reperiatur idoneus, aut de personis ejusdem congregationis talis assumatur, qui vitam eremiticam doctrina & experientia docente didicerit, scientia & moribus comprobatus. Inter præcipuas prioris curas ponitur, ut summam gerat sollicitudinem, quatenus [e] locus eremi quasi, immo revera caput ab iis, qui in Fonte-bono vel per obedientias ceteraque loca commorantur, ab omnibus debeat honorari, quia ubi arctior est vita, major debet esse reverentia, &c. Susceptiones monachorum, monasteriorum ordinationes & quæcumque præcipua sunt agenda, eremitarum vel consilio, vel præsentia fiant. Abbates vel priores hujus congregationis ad visitationes ipsius loci annuas solito more moneantur; quod si contempserint aut neglexerint, de negligentia gravis, de contemptu vero ultio gravissima fiat, ne noxia patientia rigor disciplinæ solvatur. Unde generale capitulum congregationis per singulos annos, prædictorum fratrum consilio,

lio, præsentiave quorumdam ipsorum, congruo loco vel tempore celebretur, ubi & quæ dissoluta sunt, reformari, & quæ reformata fuerint, competenti censura communique consensu valeant in Domino stabiliri.

ANN. CHR. 1080.

Atque eæ fuerant eatenus Camaldulensis eremi consuetudines seu constitutiones ore hucusque traditæ, quas quinquaginta-quatuor capitibus complexus est prior Rodulphus, servandasque ipsas proposuit eremitis sui & futuri temporis. Easdem brevius prosecutus est, & alias addidit post quinquennium, quas ad annum 1085. referemus, quibus ceteri illustrabuntur ejusdem Camaldulensis eremi usus. Animadvertere placet hic loci congregationem Camaldulensem primordia antiquiora habuisse, quam vulgo assignentur. Licet enim anno dumtaxat 1113. ipsam in congregationem erexerit Paschalis papa II. statuens eo anno decreto suo, ut plura monasteria, quæ ab ipso *congregationes* appellantur, ordinem & disciplinam amplecterentur eremi Camaldulensis, id tamen accipiendum est de apostolico robore, quod eo anno accessit congregationi jam efformatæ. Perspicimus enim in mox recensitis constitutionibus priorem Camalduli debere eligi *a plerisque de congregatione evocatis*; assumendum ipsum esse ex numero fratrum, vel *ex personis congregationis*; eumdem priorem consilio eremitarum debere curare *susceptiones monachorum*, *monasteriorum ordinationes*, & *quæcumque præcipua sunt agenda*; *abbates vel priores hujus congregationis* teneri *ad visitationes annuas eremi*; *generale capitulum congregationis esse per singulos annos* celebrandum, *Missas ab unoquoque* esse decantandas vel psalteria percurrenda *pro his*, *qui per alia loca congregationis obierint*; *opus Dei* persolvendum *juxta ordinem monasteriorum ejusdem congregationis*; in sollemnitatibus paschalibus & Dominicæ nativitatis pisces *per proxima monasteria* dispensari consuevisse &c. quæ omnia demonstrant cœtum, congregationem & corpus jam coagmentatum & coalescens ex multis monasteriis, quæ disciplinæ Camaldulensi essent addicta. Urbanus pariter II. Romanus pontifex scribens Martino priori Camaldulensi, & Rustico priori Vallumbrosano anno 1089. nominat cum ipsis etiam eorum *congregationes*. An alicujus præcedentis Romani pontificis indulto formata fuerit hujusmodi Camaldulensis congregatio, an vero dumtaxat ob famam sanctitatis eremi Camaldulensis plura monasteria sponte sua susceperint reformationem & leges ejusdem loci, non adeo exploratum, cum in privilegiis Romanorum pontificum Alexandri II. & Gregorii VII. qui Paschalem II. præcesserunt, ea non usurpentur verba, quæ leguntur in diplomate Paschalis II. licet multa recenseantur monasteria Camaldulensi eremo subjecta. Quidquid sit, Paschali II. acceptam referimus institutionem congregationis Camaldulensis pontificia auctoritate firmatæ, de qua uberius agemus ad præfatum annum 1113.

VIII. Johannes Laudensis electus prior Avellanensis.

MENSE martio hujus anni Avellanensis cœnobii præfecturam gerebat post breve Damiani junioris, & Aliprandi, & iterum utriusque regimen, quorum chartas attulimus annis antecedentibus, Johannes Laudensis; ipsius enim nomen legitur apud Sartium in charta tabularii ejusdem loci [a] exarata *anno ab incarnatione Domini millesimo optuagesimo*, *secundum tempora domni Gregorii pape*, *regnante domnus Enrigus rex & die mense madii indictione tertia*. De Laudensis electione in priorem eremi hæc habet anonymus Avellanensis monachus & synchronus vitæ ipsius scriptor. [b] *Sequenti siquidem tempore communi fratrum unanimitate in priorem eligitur*, *atque ut eis præsideat*, *inevitabiliter coarctatur*. *Quam ille sarcinam*, *quamvis præ ingenti vellet humilitate declinare*, *dum divinum tamen sibi formidat judicium*, *non præsumit contemnere*; *sciens scilicet*, *quia cum eam fer-*

a *Fascicul.* VII. *n.* I. *pag.* 50. *Vitæ S. Jo: Laud.*

b *Cap.* V. *n.* 16.

Ann. Chr. 1080.

re idoneus esset, si obstinate eam subire sperneret, pro omnibus, quos Christo lucrari posset, rationem esset redditurus. Si autem tamquam fidelis servus & prudens super Dominicam familiam constitutus in tempore, tritici mensuram ei dispensare studeret, ad evangelicum illud Euge post laborem pertingeret. Librans ergo in mente hinc palmam, inde coronam, assentitur super fratres suscipere magis clientelam, quam ferulam, potius obsequium, quam dominium, amari, quam timeri, plus appetens prodesse, quam præesse animo concupiscens, illud videlicet quasi mundum animal sedulo ruminans, quod ille in cœlorum regno futurus est major, qui nunc gaudet fratribus ministrare subjectior. Illum scilicet imitans, qui cum omnium conditor esset & dominus, ad usque tamen hanc miseriæ vallem est dignatus descendere, nec ministrari, sed ministrare & animam suam pro servis redemptionem dare. Electus ergo fuit Johannes Avellanensis prior, cedente, vel in aliis distento piorum operum exercitiis, vel demum contemplationis divinæ otia quærente Aliprando, vel Liuprando, qui *prior de prædicta eremo* nominatur in anteriori charta hujus anni, *anno* scilicet *ab incarnatione Domini millesimo optuagesimo, & temporibus domni Gregorii pape anno ejus sextus* (dic septimus) *regnante domnus Enricus rex, & die primo mense martii indictione tertia.* Aliprandum altera vice resumpsisse regimen eremi Avellanensis videbimus annis sequentibus. Immo etiam Damianus cardinalis, ut prior eremi Avellanensis, legitur in chartulis ejusdem loci non solum ad annum 1074. quo nondum cardinalitia dignitate fuerat insignitus, sed etiam ad annos 1079. & 1082. Quod indicat sanctos illos viros prælationis officium non affectasse, nisi caritatis intuitu, & eadem animi moderatione, qua regimen suscipiebant, ultronee deponere solitos fuisse, quando ad alia exercitia, & pietatis opera evocabantur, ad instar sanctissimi eorum institutoris Petri Damiani, qui legationibus apostolicis absolutis solitudinem suam repetebat Avellanensem.

IX. Petrus Damianus apparet Ugano monacho.

Ad calcem vitæ ejusdem sancti Petri Damiani, quam scripsit Johannes Laudensis, idem, qui sacro Avellanensi cœnobio hoc anno præerat, subnectitur ad præsentem annum & ad indictionem quartam (sed mense augusto, qui nominatur, indictio tertia hoc anno decurrebat) visio, quam habuit Uganus, qui olim fuerat abbas monasterii sancti Gregorii in Ariminensi episcopatu, cui in somnis conspiciendum se præbuit Petrus Damianus ab octennio defunctus. *Anno* igitur *millesimo octogesimo incarnationis Domini mense augusto indictione quarta, post decessum domni Petri Damiani, erat quidam monachus, qui abbas olim extitit monasterii sancti Gregorii in Ariminensi territorio constituti. Hic namque vidit domnum Petrum inter multitudinem candidatorum episcoporum infulatum, sedentem & tenentem pastoralem virgam in manu, atque docentem eos ea, quæ ad Deum pertinent. Cumque eum idem abbas submisso vultu salutasset, ait domnus Petrus ad ceteros coepiscopos: Iste monachus, quem ego valde dilexi; sed postquam a me recessit, numquam ad me rediit, & non solum ille, sed & alii plures, quos ego educavi & nutrivi, ingrati extitere beneficio. Deinde ait ad illum: Cur, inquit, non ad me in locum, quo eram, venisti? At ille dixit: O mi domine, ex quo a nobis recessisti, locum, in quo habites, nescimus, quomodo igitur ad te venire potui? Tunc dixit ei domnus Petrus: O hebes, an nescis, quod in camera sanctæ Mariæ virginis habito, & in illius sacrario demoror? nam in ejus domo habito, & illius camerarium esse me profiteor. Quem postquam vidit, statim somno est excitatus. Deinde post paullulum, rursum obdormiens, vidit eumdem domnum Petrum talia sibi verba dicentem (nam ita sibi videbatur, quasi ante plures dies hæc eadem*

dem ab eo verba audiſſet.) Nonne, inquit, dixi tibi, ut ad me venires? & quare non veniſti? At ille tamquam mutus cœpit ſtare. Mox domnus Petrus quaſi cum ira pupugit eum ſubtus ſiniſtram auriculam de ſummitate virgæ, quam manu geſtabat; quo ictu ita ſe ſenſit eſſe perturbatum, ac ſi lancea vel terribili forcipe terebratus fuiſſet. Denique maxilla illius tota cum gutture ita intumuit, ut pene de ejus vita deſperaretur. Tunc itaque ante altare illius eccleſiæ proſtratus, ac toto corde ad Deum converſus cum magno gemitu dixit: Domine Deus omnipotens, qui cœlum & terram, & cuncta, quæ in eis ſunt, condidiſti, ſi tibi ſervitus domni mei Petri, ut credimus, complacuit, libera me per ejus merita ab inſtanti, quem patior, dolore. Dixit hæc, & cœpit ſtare. Et ecce non poſt longum tempus ab eo omnis tumor & dolor ita aufugit, ac ſi aliquis veniens manu ipſum vulnus ab ejus maxilla vel gutture auferret. Qui ſtatim cœpit glorificare Deum, ac famulum ejus Petrum Damiani, qui eum caſtigare primo, ac deinde ſanare dignatus eſt. Poſtera denique die ſurgens bene caſtigatus ex verbere, Faventiam perrexit, & veniens ante altare ſanctæ Mariæ foris portam, ubi corpus domni Petri reconditum fuerat, proſtratus humi, ac perfuſus lacrymis facie adoravit, & laudavit, & benedixit Deum ſuper judicia juſtitiæ ſuæ. Dehinc foris egreſſus ad fratres ſuos, cœpit narrare præpoſito ac ceteris fratribus omnia, quæ ſibi contigerant. Qui audientes laudaverunt & benedixerunt Deum, qui talia per ſervum ſuum oſtendere dignatus eſt mirabilia. Denique præpoſitus cum prædicto abbate Ugano, qui ita vocabatur, ac fratribus ingreſſus eccleſiam ſanctæ Dei genitricis, pulſaverunt omnia ſigna, & poſuerunt ceroptata cum luminaribus ante arcam ipſius ſancti Petri Damiani, & celebrantes Miſſas, obtulerunt ſollemnes hoſtias Deo in odorem ſuavitatis pro animæ ejus abſolutione. Amen. Uganus, qui præfecturam olim obtinuerat monaſterii ſancti Gregorii a Petro Damiano conſtructi, ut vidimus ad annum 1069. reſidebat tunc ut monachus facile in cœnobio Aceretano, quod originem pariter ſuam debebat eidem ſancto cardinali, locumque regiminis forte dimiſerat, poſtquam Damianus monaſterium Ariminenſe tradiderat regendum & diſponendum Opizoni epiſcopo ejuſdem urbis.

X. Chartæ Piſanæ donationum.

LEONI abbati monaſterii ſancti Michaelis, ejuſque eccleſiæ, *que eſt edificata & fundata foras civitate Piſa prope porta Samueli*, Imelda uxor Ughi & filia Tebaldi, prius interrogata juxta legem a Widone judice ſacri palatii, offert aliquas portiones terrarum ſuarum cum curte & horto, poſitas *in finibus Mezzana prope eccleſiam ſancti Johannis prope juſto fluvio Arno*. Ex his terris una ex altero latere confines habebat *cum terra ſancti Ambroſii*, ex alio *cum terra eccleſie & epiſcopatus ſancte Marie, & cum terra eccleſie & monaſterio ſancti Michaelis de la Verrucca. Actum loco & finibus Frontiole prope eccleſia ſancti Ilari: Anno ab incarnatione Domini mille octuageſimo primo*, more Piſano, *pridie kalendas aprilis indictione tertia*. Eodem autem anno, *quintodecimo calendas aprilis indictione tertia*, Ugo filius Ughi & vir ejuſdem Imeldæ eaſdem terrarum portiones confirmat præfatis Leoni & eccleſiæ. *Actum infra clauſtra de ſupradicto monaſterio.*

XI. De Decianenſe monaſterio, ejuſque abbatibus.

IN CHARTA autographa tabularii Fontis-boni hoc anno, *undecimo kalendas aprilis, regnante Henrico rege, indictione tertia*, nominantur terræ poſitæ *in plebe ſancte Marie ſita Micciano*, fines habentes cum *terra de monaſterio de Decciano*. De hoc cœnobio conſtituto in territorio Caſtellano verba faciemus ſeculo ſequenti, quo reformandum fuit traditum eremo Camaldulenſi. Inter ejus patronos numerabantur proceres de Galbina,

Ann. Chr. 1080.

na, ut constat ex charta anni 1082. Ipsius monasterii abbas legitur ad annos 1050. & 1059. Orlandus; anno vero sequenti 1081. Petrus olim Raineri de Galbina præerat eidem monasterio, cui ipso anno Albericus & Bernardus ejusdem abbatis fratres contulerunt portiones suas ecclesiæ sancti Hieronymi de Anglario, & anno 1085. sextam partem ecclesiæ sancti Georgii de Sintiliano, & medietatem ecclesiæ sancti Donati de Mignano; prædia vero in Graciliano & in Deciano dono dedit anno 1088. idem Albericus cum uxore sua Tederanda, & cum filio Rainerio, ut constat ex uberrimis indicibus tabularii Fontis-boni confectis ab Eduardo Baroncinio, & ex ejus chronico.

XII. Præceptum imperiale pro Wiberto archiep. Ravennate.

Inter cetera jura, quæ Henricus imperator *interventu dilecte jugalis sue Berthe, atque Chuonradi dilecti filii sui* (is in ducatu Lotharingiæ anno 1076. Gozeloni duci defuncto, voluntate Henrici patris, suffectus fuerat) confirmat *sancte Ravennati ecclesie, cui vocabulum est agia Anastasis, & domno Wigberto sancte predicte ecclesie venerabili archiepiscopo & summe sedis electo apostolico*, nominat, *juxta antecessorum nostrorum auctoritatem, abbatiam sancte Marie positam in loco Bangaricie, cum dono & consecratione abbatum, & cum omnibus pertinentiis inter Padum & Atisam fluvios sitis in territorio Adriensi, & ubicumque sunt vel invente fuerint ejusdem abbatie proprietates*. Præterea recenset *monasterium sancti Hilari in Caligata cum omni districto & placito suo, castellis & curtibus & pertinentiis suis*. Datum est præceptum *anno Dominice incarnationis mille* LXXX. *indictione tertia undecimo kalendas julii, anno autem Henrici quarti regis regni* XXV. *Burchardus episcopus & cancellarius vice* ..... hoc est Sigevvini, *archicancellarii recognovit*. Bangariciæ locus idem est ac Vangaticiæ, monasterium scilicet sanctæ Mariæ super Athesim fluvium. In indice scripturarum, quæ in tabulario seu archivo Romano habentur, spectantium ad archiepiscopatum, ecclesiamque Ravennatem, quas recenset Rubeus [a], ad annum 1000. legitur Ottonem III. imperatorem donando confirmasse ecclesiæ Ravennati *monasterium sancte Marie de Bangarisia*. Cœnobium autem sancti Hilari de Caligata, seu Galeata ad jus semper pertinuit ecclesiæ Ravennatis, licet brevi intervallo paucorum annorum Romanus pontifex Stephanus II. ipsum ab ejus dominio subtraxerit, restitutum subinde a Paulo itidem Romano pontifice, Stephani fratre & successore.

[a] *Pag.* 812.

Suprarelatas chartas, primam & secundam ex archivi sancti Michaelis, tertiam ex Camaldulensis, quartam ex tabularii marchionis Bonifacii Rangonii autographis in Appendice damus. Ex iis illustratur memoria & situs plurium ecclesiarum urbis Pisanæ, & locorum Castellanæ diœceseos. Postrema autem charta indicat ante diem vigesimam-quintam junii, qua a scriptoribus refertur, contigisse exaltationem Wiberti archiepiscopi Ravennatis ad Romanæ ecclesiæ pontificatum, seu potius violentam assumptionem. Fortasse electus ante aliquot dies, die 25. junii Romanus pontifex consecratus fuit in Germania, nomenque assumpsit Clementis III. Henricus siquidem rex excommunicationis pœna mulctatus in concilio habito Romæ hoc anno die nona martii a Gregorio VII. qui legitimum Germaniæ regem Rodulphum contra ipsum declaravit, & depositionis sententia punitus, ira percitus & furore excandescens, congregato triginta episcoporum schismaticorum conciliabulo in urbe Brixinensi, impia & irregulari forma vices reddidit Gregorio vero pontifici, pontificatu Romano ipsum exuens, monstrumque Wiberti in ecclesia Romana erigens, statimque ab ejus electione præfatum privilegium in eadem urbe datum ipsi indulsit,

quo

quo bona Ravennatis ecclesiæ recensens ipsa ei confirmavit, & inter cetera abbatiam nostram Vangaticiensem, alterumque Galeatense monasterium.

ANN. CHR. 1081.

XIII. Donatio Constantini ep. Arretini eremo Camaldulensi.

LEGIMUS in veteribus summariis instrumentorum Fontis-boni hoc anno M. LXXXI. mense januario [a] „ Constantinum episcopum Arretinum pro se & pro successoribus suis donasse in perpetuum Rodulpho „ priori Camaldulensi omne jus suum & proprietatem bonorum illorum „ cum domibus, terris, vineis, domnicatis, ecclesiis & castellis, quæ „ olim Rainerius filius Fuscherii tenuerat ex parte episcopii sancti Do„ nati in feudum, & sita erant in territoriis Partinæ, Soci, sanctæ Ma„ riæ a Bujano & sancti Martini in Vado, ea conditione apposita, ut „ prior Camaldulensis pro anima præfati episcopi ac successorum episco„ porum singulis annis offerat in festo sancti Salvatoris super altare ec„ clesiæ sancti Donati solidos tres; manu Ildebrandi notarii. " Ugo quoque Alberti de Beturita eidem Rodulpho obtulit hoc anno ecclesiam sancti Petri *delle Russole*, & *de Corzano* constitutam in comitatu Castri-Felicitatis una cum bonis ad ecclesiam dictam spectantibus, ut refertur in excerptis ejusdem tabularii cura & labore Baroncinii elaboratis [b], in quibus etiam ad hunc annum recensentur permutationes & acquisitiones bonorum factæ ab Ugone abbate Prataliæ prope civitatem Arretii, quæ annexa ipse putat fuisse monasterio sancti Clementis ejusdem urbis, quod erat Prataliensi unitum a quinquaginta annis ex donatione episcopi Arretini Theodaldi.

a §. *Amissæ n.* 32.

b *In chronico ad hunc annum.*

XIV. Virtutes Johannis Laudensis in prioratu.

CONCURREBANT plures per hæc tempora oblationibus & donis ad ditandam etiam Avellanensem sanctæ Crucis ecclesiam, cui præerat, ut diximus anno antecedenti, Johannes Laudensis. Donationum hujusmodi chartulas olim dispersas, & diu a suo loco exules jure postliminii donavit Sartius noster, quas undique conquisitas multo labore, & ad Avellanense tabularium reducens in fasciculos collegit, publici juris aliquando illas facturus. Recensentur in iis bona & prædia, quæ eidem sanctæ Crucis monasterio a fidelibus piisque viris conferebantur. Sed quanto ditior reddebatur locus, tanto ditiores misericordia erga proximos, & eleemosynarum distributione evadebant monachi Avellanenses, & præ ceteris ipsorum prior Johannes, quod alibi videbimus. Qui etiam caritate & pietate in egentes non contentus, virtutum ornamento quoque aliis prælucere, & in exemplum fieri satagebat, & quanto ceteris eminebat, tanto se humiliorem aliis faciebat. *Visne*, inquit Avellanensis monachus, *nosse*, *quam nihili sese, immo quantopere alios sibi opinione præferret? Si quos aliquando peregrinos, ut mos est, monachos aliqua nobis occasio applicaret, seriatim mox ille illorum mores & ordinem sagax attenderet, ac si quid in eis agnosceret imitandum, præsto ab eo, ac si divinitus oblatum foret apprehensum. Non enim se tum æstimabat priorem, dum qualibet in virtute quempiam attenderet meliorem, sed fiebat illi in discipulum, qui videbatur aliis magister, mirabaturque typicus ille pavo alas aliorum geminas, dum pertingere ipse conaretur ad senas. Nam cum infelix ego, similesque mei & vitiis fœtidi & virtutibus vacui vix in apostolos, vix in ipsum dignemur Christum oculos mentis levare, ut per aliqua eorum vestigia nostram possimus fœditatem aliquatenus tegere, huic viro tam innumeris virtutibus opulento nullus unquam sciebat pudor obsistere, quin virtutum gazas a discolis licet personis indesinens mendicaret* &c. Similes monasticarum consuetudinum perquisitiones peregrinis monachis faciebat Urseus abbas Pinetensis apud Ravennam, ut auctor est Rufinus.

ANN. CHR. 1081.

XV. Gregorii VII. privilegium concessum monast. S. Zenonis Pisarum.

DOMINICO abbati sancti Zenonis in urbe Pisarum successerat Leo. Ipsum ejusque monasterium hoc anno Gregorius VII. Romanus pontifex sub apostolicæ sedis defensione recipit, & privilegio suo confirmat omnia ejus cœnobii bona, & insuper consentiente Pisano episcopo (Gerardo) decimationem omnium rerum, quas ad eorum *domnicatum* laborare monachi faciebant, concedit, annuendo etiam, ut tam ipse, quam ejus successores fidelium oblationes recipere possint, & eos insuper, qui se devoverint, in eorum cœmeterio sepelire, & qui seculo renuntiantes ad eorum conversationem venire voluerint, admittere fas habeant. *Datum* est privilegium *Laterani* IIII. *nonas martii per manus Petri S. R. E. presbyteri cardinalis & bibliothecarii anno* VIIII. *pontificatus domni Gregorii VII. pape indictione* IIII. *anno* M. LXXXI. Nondum tamen die quarta martii nonum annum sui pontificatus ingressus fuerat Gregorius VII. electus die XXII. aprilis anni 1073. Si in hoc privilegio adhibeatur annus Florentinus, nempe M.LXXXII. Romanus, corrigenda erit indictio IIII. & substituenda V. quæ anno sequenti decurrebat. Privilegium ex capitulari Pisano tabulario edidit Ughellius [a] tomo III. Italiæ Sacræ, sed ad historiam monasterii sancti Zenonis illustrandam iterum recudimus in Appendice.

a Col. 364.

XVI. Charta refutationis Faventina.

AD QUAM etiam referimus chartam a nobis descriptam ex archivo monasterii sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia, signatam quidem præsenti anno, sed mendose, ut dicimus inferius. Farulfus filius Alberti de Paulo, & Ugo cum uxore sua Constantia venientes ad ecclesiam sancti Andreæ de Zagonaria, quæ ad jus pertinebat abbatiæ sanctorum Hippolyti & Laurentii, rogaverunt Hieronymum abbatem hujus cœnobii, ut a pœna, quam subire debebant pro peccatis suis, eos liberaret, ac participes efficeret omnium spiritualium suffragiorum & bonorum, quæ tam in ejus abbatia, quam in ecclesia sancti Andreæ fiebant. Postea accipientes librum & virgam in manibus, cesserunt omni juri, quod in prædictas ecclesias obtinebant. Hieronymus autem abbas, in præsentia Romani, Ilari & Dominici monachorum, presbyteri Martini de castro Guillarini & aliorum, per librum eorum peccata remissa declaravit, ac ad societatem ipsos evocavit omnium operum bonorum, quæ in præfatis sacris locis deinceps agerentur, & *insuper pro benedictione dedit eis unam pellem de collo suo*. Pagina confecta legitur: *Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo octuagesimo primo, tempore Victoris pape & Henrici imp. die sexto decimo mensis julii indictione duodecima*, sed Gerardus Faventinæ urbis notarius, qui chartam ex autographo Alberti descripsit, in plures impegit chronicos errores. Anno enim 1081. mense julio non Victor III. sed Gregorius VII. Romanæ ecclesiæ præsidebat, nonumque gerebat in pontificatu annum. Similiter indictio non duodecima, sed quarta decurrebat hoc anno. Victor autem III. dominica die post festum ascensionis Domini anni 1087. consecratus fuit in Romanum pontificem, licet anno antecedenti in festis Pentecostes electus fuisset, obiit vero die XVI. septembris eo ipso anno, quo consecrationem accepit; quare Faventina charta pertinet ad annum 1087. semper tamen in ipsa corrigenda est indictio, quæ eo anno erat decima, non duodecima.

Extat apud Muratorium [b] & Peccium [c] Henrici IV. privilegium concessum hoc anno Petro abbati sancti Eugenii prope Senas, in quo nominatur *ecclesia sancti Petri, que dicitur Campus*, tamquam unita cœnobio sancti Eugenii. Alia hæc erat ecclesia a monasterio sancti Petri in Campo, quod his temporibus sui juris erat, propriosque abbates obtinebat. Forte in autographo Henrici scriptum erat, pro *Campus*, ecclesia sancti Petri,

b *Antiq. medii æv. T. VI. col.* 197.

b *Pag.* 136.

Petri, quæ dicitur *Capaus*; huic enim ecclesiæ anno M.XCVIII. more Pisano, *indictione* IV. *mense majo*, *regnante rege Henrico*, Huguiccio comes filius Aldibrandi, qui pariter fuit comes, & Flandina ejus uxor donant portionem terræ positæ in valle Capai juxta mare in territorio Suanæ; quæ pagina reperitur in archivo nosocomii sanctæ Mariæ de Scala Senarum sub numero 1082. quam etiam refert Mannius [a] in elaborato opere suo de sigillis. Hæc ecclesia facile unita fuerit monasterio sancti Eugenii, & nominata in supralaudato Henrici privilegio, & non abbatia sancti Petri in Campo, quam numquam eidem monasterio suppositam reperimus, reperiemus autem seculo sequenti unitam eremo nostro Vivensi.

Ann. Chr. 1081.

a T. XII. pag. 82.

IN summariis instrumentorum [b] Simonis & Raynerii monachorum Fontis-boni hæc leguntur sub præsenti anno: *Rodulphus & Johannes filii olim Johannis de Sasseto, & Drudo & Ugho filii olim Guizi cum ceteris, per se suosque heredes in perpetuum pro remedio animarum suarum, suorumque parentum, obtulere nomine judicati domno Rodulpho priori Camalduli heremi recipienti pro Camalduli heremo unum tenimentum de terra cum sylva, positum juxta fluvium de Nuciola in valle de Faniclito usque ad radium de Rondinaria, & radium de Cucuruzo, & usque in vallem Rondinariam, & usque ad radium Federici, qui venit de Incisa, in territorio sancti Petri Galligatensis, in alpe Cortine de Metatu-veclo, ad fabricam ecclesie & cellarum pro pretio librarum* XXX. *sub anno Domini* M. LXXXII. *mense martio*, *manu Arnulphi notarii*. Hæc sunt initia eremorum complurium in Galeatensi territorio constructarum, quæ subinde appellatæ fuere eremus sancti Petri de Cortina, eremus-nova sanctæ Mariæ, vel eremus de Fajolo, aut de Fazolo, eremus de Strabatenzole in ditione dominorum de Valbona, & quidem sub disciplina eremi Camaldulensis, quæ erat omnium aliarum mater & magistra. Baroncinius narrata ædificatione monasterii sancti Petri de Cortina, & largitionibus factis ei loco seculo sequenti, subdit: „ Quo vero monasterium illud cum bonis suis translatum fuerit, ex scripturis Camalduli plane nescitur; nisi forte temporis „ rerumque revolutione annexum vel devolutum fuerit abbatiæ de Galeata, cujus juris alpes illæ erant. Cetera vero ejusmodi bona in suum „ hæredem dominum Robertum comitem de Battifolle pervenere seculo „ XIV. qui quidem comes eremo, & Matthæo Santese, seu sacristæ eremi Camalduli donavit anno 1392. usumfructum, jus pascendi, & arbores alpium de Strabatenza, manu Augustini Angeli notarii. Sed a comite Francisco Roberti filio occupatis alpibus cum omni hæreditate Dominorum de Valbona, denegatus fuit de cetero Camaldulensibus quicumque ususfructus. At anno 1440. expulso Francisco comite per dominium Florentinum, alpium illarum possessio tradita fuit consulibus „ artis lanæ, & officialibus sanctæ Mariæ del Fiore, quas etiam-num possident. “ Sed de his eremis in sequentibus annis aliqua proferemus monumenta; illud etiam ex his notitiis utilitatis percipietur, ut Galeatensis topographia parum nota illustretur.

Ann. Chr. 1082.

XVII. Eremi novæ ædificatæ sub Camaldulensi.

b Pag. 190.

IN IISDEM summariis [c] habetur: Sub *anno Domini* M. LXXXII. *mense junii*, *manu Raynerii notarii*, *Guiciardus olim Johannis pro se suisque heredibus in perpetuum & pro remedio anime sue suorumque parentum donavit & obtulit domno Gualterio rectori ecclesie sancti Angeli de Curte-luponis petias duas terre positas in curte de Ficareto, in loco dicto Fizalla, quarum una est super viam, alia est subter viam*. Etiam ecclesiam sancti Angeli de Curte, ubi olim fuerat castrum dictum Luponis, quæque posita

XVIII. Donationes factæ ecclesiæ S. Angeli de Curte-luponis.

c Pag, 150.

Ann. Chr. 1082.

posita erat in territorio Arretino, unita deinceps fuit eremo Camaldulensi, ad cujus historiam pertinet.

XIX. Divisio bonorum inter dominos de Galbina.

Demum ex eodem archivo Camaldulensi damus in Appendice chartam, qua Albertus sive Albericus filius Raginerii de Galbina, qui proceres erant in territoriis Arretino & Castellano, ac Tederanda filia Bosonis Alberici conjux vendunt & tradunt Bernardo Alberici germano & Rainerii filio *castellum de Angrare*, seu de Anglario cum prædiis & ecclesiis suis, curtem de Albiano cum plebe sanctæ Mariæ de Micciano, curtem de Vivario, curtem de Casa, curtem de sancta Cruce, & quicquid ipsorum juris erat in Campiano & Vajana, in castello Gilione & in Perello, & in pluribus aliis locis, una cum ecclesiis in supradictis curtibus & castris existentibus; reservant autem ad jus suum monasterium sanctæ Mariæ de Deciano; pro qua venditione librarum trecentarum pretium recipiunt. Prædicta bona, aliaque, quæ in autographa pagina leguntur, titulo donationis in dominium devenere Camaldulensis eremi, ut in decursu horum Annalium dicemus ad annum 1104. Hic subnectimus ex indicibus Eduardi Baroncinii enumerationem ipsorum bonorum confectam anno sequenti, quæ est hujusmodi.

a §. Promissio 23.

[a] *Anno 1083. novembris idibus, Albericus quondam Raynerii de Galbina, in presentia plurimorum, bona, que in partem Bernardino fratri suo cedebant, in perpetuum per se suosque heredes confirmavit, neque unquam molestare promisit sub pena librarum centum auri, pro qua traditione ab ipso Bernardino launechil recepit librarum trecentarum argenti. Possessiones vero ita assignantur prefato Bernardino: Castrum de Anglare cum curte ejus, cum ecclesia & pertinentiis earum, & domo Johannis Royci, & manso Martini Girbe & manso Berni. Curia de Albiano cum plebe de Micciano & ejus pertinentiis cum ecclesiis suis & pertinentiis earum. Curia de Vivario cum pertinentiis, & ecclesia & pertinentiis ejus. Curia de sancta Cruce cum pertinentiis suis, & ecclesia & pertinentiis ejus. Curia de Casaprati cum pertinentiis suis, & ecclesiis, & earum pertinentiis. Possessiones de Campiano, de Vajano, de castro Chilionis & Pirelli cum ecclesiis & pertinentiis earum. Curia de Motina cum ecclesiis & earum pertinentiis. Castrum de Traciano. Castrum de Campresa. Castrum de Soagio. Castrum de Planoro, & Tramuscana cum ecclesiis & pertinentiis eorum. Possessiones posite infra pleberium sancti Cassiani usque ad Singernam, sicut currit de Gragnano per illos fines, quos Albericus & Bernardinus predicti, & Ugolinus & Raynuccius designaverunt. Item castrum de Caritulo cum curte, ecclesia & eorum pertinentiis. Possessiones posite in Tizano, & possessiones posite in Castro, quas dedit Raynerius de Castro per cartulam. Possessiones posite in curte & castro de Bivignano* &c.

Isti sunt servi. Rustichellus de Castello cum filiis suis Bayfatello & Arnulo. Guidolus Bonizi, & Rodulfinus & Ubertinus comites. Benzus Alberici Baccatante. Ildebrandus Pezalini. Ugolinus Grogni. Gualfolus Limboli cum filiis suis Pezalo & Pupuzo. Suppolus Guidoli. Guidolus de Urbecho. Raynerius Cochus. Boccacessa. Johannes Calessus. Bosorofolus. Ugolinus Calessus. Mittigressus Guillelmi.

Iste sunt ancille. Filia Grogni, filia Gualfoli, Gondora, Sessina, Greca, Clariza, Longa filia Gondoli, filia Bosi Rosoli.

Predicta omnia fuerunt pars Bernardini, & Albericus germanus ejus jus suum & actionem, que habebat & habere in futurum sperabat, cuncta cessit & transtulit in predictum Bernardinum; manu Guidonis notarii.

Videtur Bernardus vel Bernardinus fuisse pater alterius Bernardini, illius nimirum, qui in chartis Camaldulensibus vocatur tum filius Sidoniæ, tum

tum filius Bernardi filii Rainerii de Galbina. Idem Bernardus appellatur insuper germanus Alberici, qui & ipse filius erat Rainerii. Ad annum 1104. narrabimus Bernardinum filium suprarelata bona omnia, quæ ex successione ei obtigerant, jure testamentario dono dedisse eremo Camaldulensi, quam hæredem constituit.

ANN. CHR. 1082.

XX. Donationes monasterio Sanvictoriano, & de marchionibus Camerinensibus.

ANNO *Domini mille octuajesimo secundum, regnante Einrico imperatore, & temporibus domno Raineri Dux & marchio, & die mense september per indictione quinta* Muricus adhuc erat abbas monasterii sancti Victoris de Clusis; eo enim mense ipsi & Petro priori ejusdem cœnobii terras aliquot tradunt Albericus, Tusco vocatus, & Selza ejus uxor, ut constat ex autographa pagina tabularii sanctæ Catharinæ de Fabriano. Eidem pariter Murico abbati donatam terrarum portionem in loco Rosenga, excepta portione castri *delle Saxa*, legimus in quibusdam summariis ex libro pecudineo confectis anno 1617. a domno Cassiano Eugubino monacho sancti Blasii de Fabriano. Mense tamen decembri ejusdem anni vel supremum diem obierat, vel regimen cesserat Raginerio Muricus ex sequenti membrana ejusdem loci. † *In nomine Domini. Ab incarnacione domini nostri Jehsu cristi sunt anni domini millesimo octuajesimo secundo, & regnante magno Enrigo, die mense december. Confitemur nos, qui sumus Moronto presbiter & Girardo* &c. *damus & tradimus, concedimus* &c. *ipsa terra in ipso monasterio beatu sanctu Victore, quod est dificatum infra Victurianum, & tibi domnus Raginerius vir venerabilis abbas ipsius monasterii* &c. Rainerius autem, qui dux & marchio appellatur in prima charta, alius erat a Raineriis marchionibus Thusciæ tum II. tum III. de quibus plura uno conspectu attulimus ad annum 1010. Rainerius enim II. hoc anno 1082. marchiam Thusciæ a multo tempore obtinebat; Rainerius autem III. nondum erat marchio. Porro Rainerius dux & marchio nominatus in charta Fabrianensi primum anno presenti in ducatu Spoletano & in marchia Camerinensi gerebat annum, ut liquet ex tertia pagina, quam exhibemus in Appendice ex archivo sancti Blasii de Fabriano, scripta: *Anni sunt millesimo octuagesimo secundo, & facto est in mense februario per indictione quinta, regnante donno Irigo imperatore & Raineri dux & marchio sede anno ejus primo*. Idem Rainerius marchio & dux signatus reperitur in chartis annorum 1084. & 1085. Camillus Lilius in historia Camerini [a] chartam affert signatam: *Anni sunt* M. LXXXVI. *temporibus Enrico imperatore, & .... marchione, & dies .... mensis februarii &c.* cujus ducis & marchionis Camerinensis nomen ob scripturam evanidam legere nequivit: is est Rainerius ope chartarum nostrarum detectus. Robertus Guiscardus dux Apuliae his annis marchiam Firmanam & Camerinensem, ac ducatum Spoletanum per vim tenebat; quare anno 1078. Gregorius papa VII. in synodo excommunicavit *omnes Northmannos, qui invadere terram sancti Petri laborant, videlicet marchiam Firmanam, ducatum Spoletanum &c.* & anno 1080. eumdem Robertum absolvit, illud addens; *de illa autem terra, quam injuste tenes, sicut est Salernus & Amalphia, & pars marchiæ Firmanæ, nunc te patienter sustineo in confidentia Dei omnipotentis & tuæ bonitatis &c.* Post mortem utriusque Gothifredi Lotharingi ducum Thusciæ & marchionum, marchia Firmana seu Camerinensis, & ducatus Spoletanus reperiuntur ex monumentis paruisse Henrico regi, inde per vim invasa a Roberto mutasse dominum. Quare verisimile est Rainerium vel ab Henrico rege, vel a Roberto Apuliæ duce constitutum fuisse marchionem Camerini, & ducem Spoletanum; obscura enim est per hæc tempora historia ejusdem marchiæ.

[a] *P. I. lib.* VII. *pag.* 211.

SUB

Ann. Chr. 1082.
XXI.
Privilegium pro abbatia Burgensi.

Sub eodem *anno a nativitate Christi* M. LXXXII. *residente Gregorio* VII. *pontificatus anno* IX. *Henrichus quartus Romanorum imperator imperii anno* XXV. legitur in codice jurium abbatiæ Burgensis existente in Bibliotheca Medicea numero XXVI. classe *66.* Henricum ipsum ad instar prædecessorum suorum monasterio Burgi-sancti-Sepulcri, & Rodulpho ejus abbati beneficia nonnulla concessisse ea lege, ut nullus archiepiscopus, episcopus, dux marchio *&c.* supradictum monasterium *disvestire* aut inquietare, vel abbatem ceterosque inibi servientes perturbare vel molestare in aliquo præsumeret. Privilegium deperditum est, neque ipsum aut exemplar ipsius reperire potuimus in abbatia Burgensi, nec in tabulario Fontis-boni. Cum tamen cetera privilegia enuntiata in hoc codice ad hodiernam diem autographa extent, præsertim in archivo Fontis-boni, collectori jurium non est deneganda fides. Incompertum est ex primigeniis chartis, quis Roderico abbati a nobis nominato ad annos 1013. 1022. 1027. & 1047. successerit. Ex hoc tamen privilegio liquet Rodulphum in serie abbatum ejusdem monasterii esse recensendum, qui deest in syllabo abbatum Burgensium, quem confecit presbyter Burgensis Pignanus, in quo sic statuitur eorumdem series.

Isajas abbas monasterii fundator.
Bonilius ad annum 1000.
Rodericus Bomba I. ad annum 1024.
Rodericus II. ad annum 1060.
Basilius ad annum 1096.
Rodericus III. ad annum 1106.
Nicolaus ad annum 1129.
Francianus ad annum 1163.

Quæ series emendanda est, rejiciendo supposititium Bonilium, qui non alius est quam Rodericus, non Bomba, sed Bonizzus duplici nomine appellatus in privilegio Benedicti VIII. anno 1013. & in altero Henrici II. imperatoris anno 1022. qui Rodericus saltem usque ad annum 1047. vixisse videtur; cui immediate, vel aliis mediantibus, successerit Rodulphus nominatus in privilegio præsentis anni. Annis sequentibus emendabimus relatum syllabum, aliosque abbates Burgenses ex certioribus monumentis in medium producemus.

Ann. Chr. 1083.
XXII.
Origo monasterii S. Martini de Campriano.

Pertinet ad hunc annum millesimum-octuagesimum-tertium origo monasterii sanctorum Ægidii & Martini de Campriano, qui locus erat in territorio Arretino. In castro itaque novo hujus nominis, nam & castrum vetus Campriani legitur, ecclesia exurgebat sub invocatione sancti Martini, quæ canonicis incolenda data fuerat; verum cum hi juxta regulam servitia ejusdem ecclesiæ non curarent, Ugo filius Rainerii cum Guillia uxore, Ugo Guidonis cum Theberga, Gualfredus cum Gisla, Ildibrandus cum Purpura, Rainerius & Tuscanus filii Pagani, alius Rainerius filius Rainerii cum Zabulina conjuge, & Paganus ejusdem Rainerii filius cum Madalerta uxore sua, qui omnes erant patroni ejusdem ecclesiæ, quorumque parentes in ea tumulati fuerant, rogaverunt Gebizonem episcopum & religiosum virum, ac eremi inter ambas Paras præpositum, ut supradictum oratorium in regulare cœnobium converteret. Ad sumptum propterea monachorum ibidem Deo famulantium tradiderunt ipsum castrum Camprianum cum latifundiis terrarum & silvarum, quæ in dotem evaderent ejusdem ecclesiæ. Inter cetera mansum unum obtulerunt *rectum a patre sacerdotum prefate ecclesie sancti Martini*, & alium, quem *a nobis detinet Venerandus dux*, qui aliunde nobis est ignotus, nisi dicamus Vene-

Venerandum agnomen vel cognomen, non dignitatem obtinuisse ducis. Potestatem vero fecerunt Gebizoni ejusque successoribus eremitis prioribus instituendi ibidem præpositum vel abbatem, & corrigendi monachos secundum Deum eorumque regulam. Nota etiam est digna imprecatio in eos, qui mole stiamaliquam visitantibus ipsam ecclesiam intulerint, sub hac formula ad finem paginæ concepta: *Quicumque venienti vel redeunti a sancto prescripto oratorio injuriam vel molestiam intulerit, sive de persona, sive de rebus secum vectis vel revectis, anathematis vinculo subjugetur, & sit deputatus cum Pilato & Herode, & Juda Domini proditore in eterna dapnatione. Actum in comitatu Aretino anno Dominice incarnationis millesimo octuagesimo* III. *regnante Henrico rege mense augusti.*

XXIII. De variis Gebizonibus per hoc tempus illustribus.

GEBIZO, qui in hac pagina vocatur episcopus ac religiosus vir, & præpositus eremi sancti Johannis inter ambas Paras, vel episcopi titulo insignitur ad designandam tantummodo primariam dignitatem officiumque prioris, quod gerebat inter eremitas ejusdem loci, vel una cum præpositura & prioratu præfatæ eremi episcopali etiam sive retento, sive deposito honore & officio, fruebatur. Vidimus enim alibi Muricum nominatum episcopum & abbatem monasterii sancti Victoris de Clusis. Ante hos proxime annos vivebat Agilardus episcopus & abbas monasterii sancti Pauli extra mœnia Urbis; aliaque exempla congeri possent virorum episcoporum simul & abbatum nominatorum. Grandius in suis mss. schedis conjicit Gebizonem hunc aliquanto tempore fuisse vel episcopum Arretinum inter Arnaldum & Constantinum, vel Fesulanum antistitem. Verum hæc incerta, & potius non vera, cum alibi observaverimus inter Arnaldum & Constantinum Arretinos præsules brevissimum intercessisse tempus, & anno eodem vel sequenti ab obitu Arnaldi Constantinum cathedram Arretinam conscendisse; Gebizonem autem Fesulanum episcopum eam sedem tenuisse etiam anno 1099. ad eum annum videbimus. Quare Fesulanus episcopus Gebizo confundendus nequaquam est cum episcopo Gebizone priore eremi sancti Johannis, qui saltem ab hoc anno, si tamen unquam episcopus fuit, deposuerat jam episcopalem sarcinam. Ad annum 1068. mentionem fecimus cujusdam Gebizonis eremitæ vel monachi Avellanensis & discipuli Petri Damiani, qui tempore, quo Petrus erat Ostiensis episcopus & cardinalis, dimisso regimine ejusdem eremi Avellanensis vel alterius, præfici se passus fuerat cuidam monasterio, quem eadem propterea de causa redarguit Damianus; an ne Gebizo post increpationem iterato recepit Avellanense regimen, & Petro Damiano hortatore & incentore eremum construxit sancti Johannis inter ambas Paras, vel ipsi præfuit? Quid si [a], ut alibi animadvertimus, eremus hæc sancti Johannis eadem sit ac eremus Ocrensis posita in territorio Sarsinate, vel Feretrano, eo in loco, qui hodie appellatur cella sancti Alberici? In hujus conjecturæ nostræ corroborationem addimus hoc loco plebem sanctæ Mariæ de Vineole, quæ obtinebatur ab eremo Ocrensi, quam etiam ecclesiam præfatæ eremo privilegio suo anni circiter 1049. Leo papa IX. confirmaverat, reperiri etiamnum inter plebes episcopatus Mont-feretrani, teste V. Cl. Joh. Baptista Contareno [b] in sua disquisitione episcopatus Mont-feretrani, in cujus urbis territorio ecclesias, plebes & plurima bona possidebat eremus sancti Johannis inter ambas Paras. Immo ex chartis tabularii Fontis-boni „ [c] cum Bonus „ Francisci de Imola prior eremi sancti Johannis-baptistæ Cellarum inter „ ambas Paras anno M. CCC. LXVIII. die VIII. januarii renovationis jure „ dedisset ad annos quinquaginta fratri Leonardo Francisci de Foro-julio „ præceptori templi sancti Michaelis de Arimino ordinis Hierosolymitani eccle-

a T. *II. p.* 110.

b *Pag.* 177.

c §. *Invalidæ* 7. *A.* 4. 66.

Ann. Chr. 1083.

„ ecclesiam sancti Simonis de Butrio territorii Ariminensis, testatus est „ eam ecclesiam pertinere ad præfatam eremum Cellarum ex donatione „ archiepiscoporum Ravennatensium, quam dilargiti fuerant *intuitu & ob* „ *reverentiam sancti Alberici fundatoris dicti monasterii*. " Porro Albericus ad Ocrensem eremum indubitanter pertinet; & ex hoc monumento Gebizo non constructor, sed rector dumtaxat fuisset eremi sancti Johannis inter ambas Paras, cujus erectio tribuenda foret Alberico ante hæc tempora solitario sanctissimo in eodem loco.

Eodem anno 1068. alterum Gebizonem abbatem in medium produximus, quem correctorem & opusculorum suorum examinatorem electum una cum Theobaldo abbate, & cum Johanne Laudense a sancto Petro Damiani vidimus.

Ipsorum occasione pauca etiam eodem loco perstrinximus de altero, & quidem insigniore, Gebizone S. R. E. cardinale, quem plures ex eadem Avellanensi familia prodiisse affirmant. Hunc alio nomine Gebiosum appellant Jacobillius & Grandius [a], eumdemque esse volunt, qui *Gebiosus episcopus monachus congregationis nostræ* adnotatur in veteri necrologio Avellanensi ad diem XXX. junii. Ipsum scribit idem Grandius ex Avellanæ cœnobio Romam vocatum destinatum fuisse abbatem monasterii sanctorum Bonifacii & Alexii, tum episcopum & cardinalem electum a Gregorio VII. necnon Dalmatiæ & Sclavoniæ legatum constitutum ab eodem Romano pontifice, postquam una cum Mauro abbate sancti Sabbæ Urbis, ipsius pontificis mandato, plures in Italia visitaverat ecclesias; obiisse demum Cæsenatem episcopum. Extant ejusdem Gregorii VII. literæ ad Feretranos & ad Eugubinos [b] sub anno 1075. in quibus abbates monasteriorum sancti Sabbæ, & sancti Bonifacii titulo apostolicæ sedis legatorum decorantur. Aliæ extant ad ipsos legatos [c], ut bona injuste occupata restitui cogant ecclesiæ Pisauriensi, & Michaeli ejus sedis episcopo. Aliæ [d] ad eosdem contra Rainerium Ugizonis quondam filium, quatenus ad veram pœnitentiam suorum errorum ipsum inducant. Extant denique, præter ea, quæ a Baronio [e] afferuntur ex codice Vaticano, qui *Cencius camerarius* inscribitur, monumenta apud Lucium [f], quibus innotescit, Folcuinum Foro-sempronienſem episcopum, & Gebizonem monasterii sanctorum Bonifacii & Alexii abbatem, legatos Gregorii VII. Romani pontificis, synodum in Dalmatia in urbe Salonitana collegisse, in qua Demetrius, qui & Suinimir appellabatur, Croatiæ Dalmatiæque dux, rex constitutus fuit, spoponditque ecclesiæ Romanæ obedientiam, & tradidit apostolicæ sedi monasterium sancti Gregorii vocatum *Urana*; adstitisse etiam eosdem donationi factæ monasterio sancti Johannis-evangelistæ Belgradensis civitatis anno 1076. a Præstantio ejusdem urbis episcopo, qui tradidit ecclesiam sanctorum Cosmæ & Damiani; ejusdem quoque monasterii ecclesiam dedicasse una cum eodem Præstantio, & cum Laurentio Spalatensi archiepiscopo. Putat Baronius Gebizonem tempore legationis fuisse episcopum Cæsenatem, sed in autographis mox relatis monumentis apud Lucium solo titulo abbatis insignitur. Ughellius propterea Gebizonem electum Cæsenatem episcopum hoc ipso anno 1083. affirmat, pauloque post presbyterum cardinalem creatum. Liquet ex his etiam, quam immerito & absque ullo veteri monumento historici ecclesiæ & urbis Feretranæ eumdem Gebizonem statuant episcopum eorum patriæ circa annum 1075. Quem ex abbate sancti Bonifacii a Gregorio VII. missum initio ejusdem anni legatum ad Eugubinos & ad Feretranos pro eligendis episcopis earum ecclesiarum, quæ tunc pastore erant viduatæ, arbitrantur postulatum & ele-

a *Differt. Camal. IV. c. 1. n. 5.*

b *Epist. XLI.*

c *Epist. XLVI.*

d *Epist. XLVIII.*

e *Annal. T. XI. ann. 1076.*

f *Pag. 85.*

ANN. CHR. 1083.

& electum onus ecclesiæ assumpsisse. Sed historicos illos erudite redarguit supralaudatus Contarenus [a] in sua dissertatione. Quare neque illud conjici licet, Gebizonem ex abbate sancti Bonifacii, aliumque ab episcopo Cæsenate hujus nominis, Feretranum episcopum electum, paulo post nuntium remisisse eidem ecclesiæ, ut solitudini & contemplationis otio indulgeret, præpositumque fuisse eremi sancti Johannis positæ in eodem Feretrano episcopatu, & eumdem esse, qui nominetur in Camprianensis monasterii erectione; præsertim cum Petrus alter Feretranus episcopus privilegium anno 1125. concedens Laurentio priori ejusdem eremi, & Gebizonis successori, Gebizonem nostrum appellet simpliciter abbatem, quem etiam episcopum nominasset, si eamdem Feretranam sedem ad tempus obtinuisset. Illud certum est & exploratum, nostrum Gebizonem priorem sancti Johannis privilegium impetrasse a Gregorio VII. pro sua eremo, ut in charta præfatæ donationis testis est idem Petrus Feretranus episcopus. Sed de Gebizone episcopo & priore eremi sancti Johannis, cujus occasione excursum hunc fecimus, atque data occasione de aliis claris Gebizonibus egimus, iterum recurret sermo. Interim paginam fundationis monasterii sanctorum Ægidii & Martini de Campriano in Appendice exhibemus ex autographo, quod asservatur penes fratres ordinis Servorum beatæ Mariæ Arretii, qui modo commorantur in nostra olim ecclesia Arretina sancti Petri-minoris.

a *Pag.* 102.

XXIV. Primordia monasterii Agnaniensis in territorio Arretino.

PEREXIGUÆ sunt admodum notitiæ, quas ante præsentem annum subministrat nobis de monasterio sanctæ Mariæ de Agnano tabularium alterius monasterii sanctæ Mariæ in Gradibus de Arretio, quod unitum olim & membrum Agnaniensis cœnobii, nunc per translationem sedes est abbatis Agnani. Intelligimus ex chartis hujus cœnobii [b] „ Raginerium, Morandum atque Guilielmum filios quondam Teuzi monachos hoc anno de consensu Guinizzi eorum abbatis, & auctoritate fratrum congregationis ipsorum in monasterio sancti Pauli de Agnano donasse eidem cœnobio bona sua locata in comitatu Arretino & in plebibus sancti Sabini, in Barbajano, sanctæ Mariæ in Toppo, sancti Felicis, sancti Petri in Gello, ac præsertim ecclesias sancti Martini in Fabrike in loco Quarantula, & sancti Christophori in Nasciano cum cœmeteriis & justitiis earum: *Actum Arritio prope ecclesiam sancti Pauli*, „ manu Petri notarii. " Guinizzo vel Winizzo abbas appellatur monachus & custos monasterii beatæ Mariæ & sanctorum Pauli & Bartholomæi de Agnano in alia chartula anni 1078. per quam Rainerius quondam Teuzi, idem forte qui Raginerius monachus in superiore pagina nominatur, offert eidem monasterio & Guinizoni bona quædam in plebe sancti Sabini de Barbajano, in vocabulo *subto clusa Valentini*. Fortunius noster [c] antiquiora non protulit de Agnanensi monasterio. „ Abbatia, „ inquit, sanctæ Mariæ Agnani vocabulum commune cum oppido habet. „ Hæc autem in valle Ambræ diœcesis Arretinæ sita est & vetustissima, „ cujus exordia propter antiquitatem, ut credimus, investigare quærendo „ non licuit. Constat eam illustri principatu dominationeque ab antiquissimo tempore refloruisse, cum libera omnis sui territorii ditione, quæ „ fines suos late protendere solita est ad castrum de Capanole, ad castrum „ Castillionis-albertorum, ad plebem de Præstiano, ad castrum de Montelucii, ad castrum de Cacciano, & ad castrum de Corine. Anno item „ a partu Virginali 1083. ut observantiæ regularis decus exaugeretur, Raginaldus, Guilielmus, Armolandus monachi filii Teuzi pro remedio animarum suarum atque suorum parentum portionem bonorum suorum „ paternorum cœnobio libera largitione obtulerunt, quæ sita erant in agro

b *Num.* 20.

c *Hist. Camald. Par. II. lib.* 2. *cap.* 1.

Ann. Chr. 1083.

„ plebis Toppi, & sancti Sabini a Barbiano, portionem & jus, quod illis competeret, ecclesiæ sancti Martini de Quarantula, & plebis de „ Gello, alias Nasciani, cum sacerdotio sancti Christophori, mense januarii. " Antiquiores viderentur origines Agnaniensis monasterii, & referenda foret ejus fundatio ad seculum decimum, si liquido constaret Gregorium VIII. Romanum pontificem in privilegio concesso anno 1187. Saxoni abbati & conventui sanctæ Mariæ de Agnano, dum confirmat ipsis ecclesiam sanctæ Christinæ de Clanis, sermonem habere de Elemperto episcopo Arretino. Ait enim: *Ecclesiam sanctæ Christinæ cum omnibus pertinentiis suis a bone memorie Hel. quondam Aretino episcopo vobis & monasterio vestro concessam*. Liquet autem Helempertum fuisse antistitem Arretinum sub finem seculi x. & initiis seculi xi. ejusque plures donationum paginas & monumenta attulimus primo nostrorum Annalium volumine pro monasterio Prataliæ. Veri tamen speciem habet in præfato privilegio sub nomine Hel. non venire Helempertum, sed Heliottum Arretinum episcopum, qui obierat anno 1181. non autem anno 1188. ut Ughellio placet, quod alibi demonstrabimus. Cur præterea concessionem ecclesiæ sanctæ Christinæ de Clanis factam monasterio Agnaniensi Helemperto non tribuamus, facit, quod in privilegiis anteriorum Romanorum pontificum indultis seculo xii. dicto cœnobio nunquam fiat mentio ejusdem ecclesiæ, & primum memoretur in allato Gregorii VIII. diplomate. Idem Ughellius, & ante ipsum Fortunius, alium quidem comminiscuntur Arretinæ sedis præsulem Elempertum, quem hujus nominis II. faciunt, & putant floruisse seculo undecimo ad finem vergente; sed ad annum 1096. eam rem ad examen revocabimus, fictitiumque episcopum Helempertum II. ostendemus. Nos imposterum de Agnaniensi monasterio, & de alio sanctæ Mariæ in Gradibus, quod ipsi fuit aggregatum, plura producemus suis annis, quandoquidem post initium seculi sequentis reformationem eremi Camaldulensis utrumque suscepit.

Subjungimus in Appendice aliam chartam ad monasterium sancti Michaelis de Burgo Pisarum spectantem, ex archivo ejusdem loci, continentem firmitatem divisionis bonorum in Ghetiano secutæ hoc anno inter Leonem abbatem sancti Michaelis, & Ugonem filium Carli.

In indicibus copiosissimis Eduardi Baroncinii legitur sub hoc anno mense septembri [a] Albertum olim Gulfi donasse Rodulpho priori Camaldulensi, in usum & sumptum eremitarum, possessionem positam in territoriis sanctæ Eugeniæ *al Bagnoro*, sive ad Balneum-aureum & sanctæ Mariæ in Gradibus, & sanctæ Mustiolæ, substituendo in omnibus eremum Camaldulensem, si filii sui & nepotes fuerint sine filiis legitimis, *& vel si acceperint uxores ex ancillis vel malis villanis*; manu Teuzi notarii.

[a] §. *Donatio* 175. *A.* 1. 19.

Ann. Chr. 1084.

XXV. Donationes factæ eremo Camaldulensi in urbe Pisana.

RODULPHO priori ecclesiæ sancti Salvatoris *in eremo*, *ubi dicitur Campus amabilis*, offerunt & donant hoc anno Johannes filius Widonis & Gasdia filia Widonis, Pandulphus quoque filius ejusdem Johannis una cum Ghisla conjuge sua & Ugonis filia, quæcumque ipsis obvenerant per chartulas scriptas manibus Rainerii & Teuperti notariorum in instrumentis Widonis genitoris Feralmi, Gerardi & Imiliæ filiæ Rodilandi, quæ bona posita erant *infra civitatem Pisam*, *ubi hospitium*, pauperum scilicet & peregrinorum, *& ecclesia sanctorum Martini & Frigdiani est constructa*, ad hoc ut prædictus Rodulphus prior una cum successoribus suis & suis fratribus eamdem ecclesiam ordinet, constituatque ibidem viros, qui secundum monasticam regulam Deo serviant, habeatque jus eligendi prio-

Ann. Chr. 1084.

priorem secundum Dominum. *Actum Pisa anno Dominice incarnationis millesimo octuagesimo quarto, quinto nonas martii indictione* VII. Iisdem anno, mense & die Leo presbyter filius Walprandi eidem Rodulpho priori donat, quæ sibi similiter per chartulas obvenerant, in utilitatem ejusdem Pisani hospitii & ecclesiæ. Videantur, quæ simul collegimus sub anno 1076. spectantia ad originem primasque donationes factas huic hospitio & ecclesiæ, ex quibus dignoscitur chartas hujus anni confirmationes potius fuisse, quam novas oblationes eidem Camaldulensi eremo factas.

XXVI. Aliæ in Arretina diœcesi eidem loco.

Septimo kalendas aprilis ejusdem anni Constantinus Arretinæ ecclesiæ episcopus libellario nomine dedit eidem Rodulpho priori *de eremitorio Campus Camalduli* integrum mansum situm in plebe sanctæ Mariæ de Partina, aliumque in plebe sancti Hippolyti de Biblena *in vocabulo Campora*, ad usum sumptumque eremitarum in communi vita Deo ibidem famulantium. *Actum infra domo sancti Donati Arretini episcopi*. Hic libellus loco pignoris depositus fuit pro solidis centum denariorum Lucensium, statuto inter episcopum & priorem termino usque ad nativitatem Domini, ea lege, ut si episcopus non redderet ipso die centum solidos, tunc libellus in potestate remaneret Rodulphi prioris, redderetur vero libellus, si solidos episcopus numeraret. Pariter mense novembri Rodulphus filius Ungani per paginam, quam manibus tenebat, in remedium animæ suæ, ac parentum suorum, & pro Dei timore obtulit eidem Rodulpho priori *de ecclesia & eremitorio sancti Salvatoris de Campo amabilis* integras domus, terras, vineas & bona, quæ ipse detinebat per feudum ex parte sancti Donati in curtibus de Valenzano, Vegognano & Lorito. De his aliqua diximus ad annum 1076. dicemusque aliis locis, quandoquidem hæc bona postmodum adnexa fuere abbatiæ sancti Johannis-decollati de Saxo simul cum ecclesia sanctorum Viti & Modesti de Arretio, & utraque tam abbatia, quam ecclesia seculo XV. unita fuit monasterio nostro sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia. Constantinus vero episcopus Arretinus precibus ejusdem Rodulphi prioris liberam potestatem facit præfato Rodulpho Ungani ad Camaldulensem eremum eundi & conferendi in usus fratrum quidquid ex parte sancti Donati possidebat, eamdem facultatem impertiens aliis Arretinis, qui ad ipsam venerabilem eremum *sancte conversationis intuitu cum omni beneficio & tenimento, quod ex parte sancti Donati habuerint, properare voluerint*. Subscribunt post episcopum Jocundus archidiaconus & præpositus, ac Gerardus primicerius. Quinque hæ chartæ ex tabulario Fontis-boni in Appendice prostant, una cum sexta, qua idem *Constantinus episcopus de ecclesia & episcopato sancti Donati sita Arizio* tradit ecclesiæ ac monasterio sanctæ Mariæ de Pratalia & Ugoni presbytero & abbati ejusdem loci terram cum silva positam in plebe sanctæ Mariæ de Partina in loco *Alfaito*. *Actum in castro Marciano*. Ugo abbas Prataliæ Guidoni successerat post annum 1078.

XXVII. Altera ecclesiæ S. Apollinaris de Nartianula eremo Avellanensi.

Johanni Laudensi priori & ejus ecclesiæ sanctæ Crucis eremi Fontis-avellanæ hoc *anno millesimo octuagesimo quarto, temporibus domni Gregorii summi pontificis, regnante Henrico filio quondam Henrici imperatoris indictione sexta Egubio Tebaldus filius quondam Pagani de Nartianula* offert *ecclesiam sancti Apollinaris positam in eodem loco, & predia sibi pertinentia & muribus & altaribus & paramentis, & de omnibus patrociniis Sanctorum, que ibi sunt, que fuit de jure sancti Apollenaris in Classe de Ravenna*. In præcepto, quo Conradus imperator anno 1037. confirmat bona monasterii sancti Apollinaris in Classe Lamberto abbati, nominatur *in comitatu Augubio curtis, que vocatur Narcianula cum omnibus sibi subjacentibus*.

Ann. Chr. 1084.

tibus . Chartam donationis hujus ecclesiæ factam monasterio Avellanensi edidere Grandius, & Muratorius in antiquitatibus medii ævi, & hic postremus ad eam observat „ [a] quum se nobis offerunt homines pii, qui „ bona etiam vinculo emphyteusis aut feudi obligata in ecclesias sive ma- „ nus mortuas transferunt, opinari decere impetratam antea fuisse facul- „ tatem a dominis directis; aliter nullius roboris fuisset ejusmodi dona- „ tio . " Chartam reproducimus ex tabulario Classensi, ex quo ad Muratorium fuit missa. Indictio sexta, quæ legitur, vel indicat paginam scriptam fuisse post diem nativitatis Dominicæ anni præcedentis, quo incipiebat in aliquibus locis annus sequens, & perseverabat indictio totius elapsi anni, vel corrigenda est & mutanda in septimam, quæ decurrebat anno 1084. Ceterum monasterii sancti Apollinaris in Classe, quod memoravimus, jejuna omnino est per hæc tempora post Lambertum abbatem historia, cum neque in Classensi, neque in ceteris Ravennatibus tabulariis, ulla, quam viderimus, superfit charta vel monumentum. Apud Rubeum [b] legimus sub hoc *anno Dominice incarnationis* M. LXXXIIII. *regnante Henrico filio quondam Henrici imp. anno* XXVIII. *die* XXVI. *mensis januarii indictione* VII. *in capitulo sancti Apollinaris in Classe* Guibertum archiepiscopum Ravennatem concessisse terræ jugera viginti-quatuor Uberto & Johanni fratribus Johannis filiis. Altum inde silentium de hoc monasterio usque ad annum 1138.

a Antiq. med. ævi T. V. col. 643.

b Lib. V. pag. 309.

In alia membrana Avellanensis archivi, quæ continet confirmationem bonorum factam hoc anno eidem Johanni priori *eremi sancte Crucis, qui est edificato in comitato Ugovino in loco, qui dicitur Fonte de la Jelana, ubi regula monachorum congregata est*, nominantur Adam, Placidus & Petrus monachi prædicti loci, qui se subscribunt.

XXVIII. Chartæ San-Victorianæ & Bifurcenses.

Diximus ad annum 1082. ex charta ejusdem anni mense decembri Reginerium abbatem fuisse monasterii sancti Victoris de Clusis vel decessu, vel cessione Murici abbatis. In pagina hujus *anni mille octuagesimi quarti & rennante Inrico imperatore, temporibus donno Raineri dux & marchione, & die mense gustum per indicione septima* rursus in scenam prodit Muricus abbas vel idem fuerit, vel alius, cui & ipsius monasterio prædiorum donatio facta legitur in tabulario sanctæ Catharinæ de Fabriano.

Albertus de Reparata & Ligarda ejus conjux tradunt Venerando monacho accipienti vice Johannis abbatis monasterii sancti Benedicti in Bifurco omnia, quæ possidebant in territoriis Foro-popiliensi & Liviensi, in plebe sanctæ Mariæ in Busiano, in plebe sanctæ Mariæ in Casaro-novo, & in plebe sancti Petri in Otantula, adjicientes etiam integram plebem sancti Cassiani, quæ vocatur in Apennino, cujus ecclesiam donario jure conferunt eidem monasterio. Johanni abbati Bifurcensi locum fecerat Petrus a nobis nominatus sub anno 1074. Donatores vel notarius partes sequebantur Wiberti archiepiscopi Ravennatis, seu Clementis III. anti-papæ, nam collatio horum bonorum confecta notatur: *Anno ab incarnatione millesimo ..... quarto, temporibus domni Clementi pape, rengnante domno Enrico ..... quondam Enrici imperatoris, diem vicesimo quinto mensi november indictione octava, juxta basilica sancti Cassiani, que vocatur in Apenino territorio Liviensi*. Indictio hic loci exordium sumit a mense septembri. Autographum hujus donationis asservatur in chartophylacio canonicorum collegiatæ & imperialis basilicæ sancti Laurentii de Florentia, ex quo aliam, sed apographam paginam hujus anni transcripsimus ad idem monasterium spectantem, & præferentem nomen veri pontificis Gregorii VII. his chronicis notis: *Anno ab incarnatione Domini millesimo octuagesimo*

ſimo quarto , *tempore Gregorii pape & Henrici ſecundi regis die ſeptimo menſis madii indictione ſexta* . Emendanda eſt in hoc exemplo indictio , quæ eo menſe erat ſeptima, ſicut etiam numerus corrigendus Henrici regis, qui communiter appellatur vel quartus ab iis, qui Henricum Aucupem primum, Henricum pium ſecundum, Henricum nigrum tertium nominant, vel tertius hujus nominis ab iis, qui ab Italiæ regum ſerie Henricum Aucupem excludunt ; ſed veriſimiliter cum in primigenia pagina ſcriptum eſſet : *& Henrici filii Henrici ſecundi regis* , notarius, qui eamdem tranſcripſit, oſcitanter nomen patris omiſit. Porro charta continet donationem conſcriptam eidem Johanni abbati monaſterii ſancti Benedicti *in Beſurci* a Guidone filio quondam Guinicti aliquot latifundiorum in diverſis locis exiſtentium, cum eccleſia etiam, curte, terris, vineis & ædificiis poſitis *in territorio Florentino plebe ſancte Hieruſalem in contrata ſancti Laurentii* .

Ann. Chr. 1084.

XXIX. Eccleſia S. Reparatæ donata monaſterio S. Mariæ de Faventia.

MONASTERIO ſanctæ Mariæ foris portam Faventinæ urbis, in cujus eccleſia ante duodecennium honorifice tumulatum fuerat corpus ſancti Petri Damiani , quodque ſequenti ſeculo Avellanenſibus monachis traditum fuit incolendum & reformandum, hoc *anno ab incarnatione Domini milleſimo octuageſimo quarto*, *tempore Gregorii pape apoſtolice ſedis anno* XI. *regnante vero Henrico quondam Henrici* II. *imperatoris filio die* XXVI. *menſis januarii indictione ſeptima Ravenne*, Johannes episcopus Livienſis eccleſiæ , habito conſenſu canonicorum ſuorum , largitur & confirmat plebem ſanctæ Reparatæ , quam detinuerat eatenus presbyter Albertus , una cum oblationibus vivorum & mortuorum, & cum quarta parte de decimis, & de primitiis & de aliis beneficiis ; ita tamen ut matutinæ & veſpertinæ horæ, Miſſarum ſollemnia , ceteraque Dei myſteria in prædicta plebe fiant per abbatem monaſterii ſanctæ Mariæ, (is erat Johannes) vel per ſuos ſacerdotes voluntate epiſcopi ibidem ordinandos, appoſitis redditu, & obedientia viginti ſolidorum monetæ Venetiarum omni anno , & oblationis ſacrificii in die depoſitionis epiſcopi pro ipſius anima. Subſcribunt poſt Johannem epiſcopum Johannes archipresbyter, Andreas archidiaconus, Leo ſubdiaconus Livienſis eccleſiæ , & Ugo archipresbyter . Undecimus annus Gregorii VII. qui ſignatur , menſe januario hujus anni nondum erat inceptus, ſed adhuc perdurabat decimus. Johannes autem abbas ſucceſſerat Andreæ , de quo ad annum 1072. In chartis tabularii ejuſdem monaſterii Johannis abbatis nomen apparet ad annos 1106. tum ad 1118. *papa non exiſtente*, pariter ad annos 1120. & 1124. *anno quarto-decimo Henrici imperatoris* (ſupple *filii Henrici*) *quondam ſecundi Henrici filii* . An idem Johannes quadraginta ſaltem annis præfuerit cœnobio huic Faventino, an vero alius Johannes primo ſucceſſerit, ignoramus . Poſt [a] Ughellium, qui chartam edidit ex tabulario ejuſdem monaſterii, ipſam recudimus in Appendice, aliam adjungentes ex illo cœnobii ſancti Michaelis Piſarum, qua Ugo filius Ughi eidem cœnobio & Leoni abbati terras dilargitur poſitas *in finibus Mezzana prope eccleſia ſancti Johannis* . *Actum in loco & finibus Canoniche prope eccleſiam ſancti Andree* .

a *T. II.* 576.

XXX. Tranſactio inter abbates Adalbertinum & Pompoſianum.

EXTAT in chartulario monaſterii ſancti Benedicti Ferrariæ, quod in jura ſucceſſit abbatiæ Pompoſianæ, tranſactio [b] facta hoc *anno die* IX. *julii indictione* VII. *domni Clementis pape anno primo* , *Henrici imperatoris anno primo*, inter Actonem abbatem monaſterii ſancti Adalberti , & inter Hieronymum abbatem monaſterii Pompoſiani , per quam Acto curtem vocatam Geſſatam cum ſuis pertinentiis dat Hieronymo , & ſecuritatem facit de portu Volanæ, & de omnibus exiſtentibus in Gaula-nova, in Porciano,

b *Q.* I. 2.

Ann. Chr. 1084.

ciano, in Constantino, in Volturana majore & minore; Hieronymus e contra cedit quinque mansos positos in plebe sancti Johannis in Libba, recipiens tamen mansum unum in Curba, & quinque mansos integros in plebe sancti Donati territorii Ferrariensis. Exemplum hujus transactionis confectum fuit anno 1118. Ravennæ per Petrum notarium, ratam ipsam habente eo anno Johanne abbate sancti Adalberti. Iterum omnia exemplata fuere anno 1155. occasione litis cum Grifone Ferrariæ episcopo per Petrum Bonum de Bauria notarium, jussu Johannis abbatis Pomposiani. Acto regimen Adalbertini coenobii obtinuerat post Aimmonem, de quo supersunt tabulæ usque ad annum 1056. Anno sequenti Johannem videbimus Actonis successorem. De Hieronymo vero abbate Pomposiano aliqua retulimus tomo præcedenti. Clementis autem papæ, seu potius violenti invasoris pontificatus Romani annus primus in hac charta signatus repetendus est non a die electionis, quam anno 1080. in Germania contigisse enuntiavimus, sed a die consecrationis sollemniter peractæ hoc anno die XXIIII. martii in basilica Lateranensi. Nam Henricus rex ingressus eo mense Romanam urbem idolum suum Romano populo proposuit, & consecrari agnoscique ab omnibus fecit, rejecto legitimo pontifice Gregorio. Ipse vero die XXX. ejusdem mensis imperialem coronam de manu ejusdem Clementis suscepit, imperiique sui annos exinde numerare cœpit.

XXXI. De abbatibus Berardingis hujus temporis.

In perantiquo codice familiæ Ugurgeriæ, in quo recensentur contractus abbatiæ Berardingorum, ab hoc anno usque ad annum 1097. legitur nomen Bernardi abbatis ejusdem monasterii, qui successerat Uberto post annum 1081. successori Ardimanni II. Hæc peculiaria sub Bernardo abbate referuntur in præfato codice.

Anno M. LXXXV. [a] Bernardus filius Guiniscii, Bernardus, Rainerius & Albericus filii Ildebrandi, & Guiniscius ac Bernardus filii Berardi donant supradictæ abbatiæ oratorium in monte Luci in plebe sancti Vincentii & in comitatu Arretino. Anno M. LXXXVII. [b] Gherardus filius quondam Petri concedit eidem monasterio aliquot bona, quæ possidebat in Aveno, & suam partem ecclesiæ sancti Petri. Similiter Ghitius [c] quondam Teuzzi anno M. LXXXVIII. largitur omnia sua, quæ Aveni obtinebat cum portione ejusdem ecclesiæ. Sub ipso tamen anno [d] reperitur etiam Ubertus Berardingorum abbas in quadam promissionis charta. Immo eodem anno [e] in alia charta venditionis tertius legitur ejusdem monasterii abbas Guido, emens aliquot bona ab Ildibrando filio Rustici & a Pagano ejus filio. Præter hos duos contractus alterius abbatis nomine signatos Bernardi abbatis nomen constanter legitur in chartis usque ad annum 1097.

a Num. 1096.
b Num. 107.
c Num. 105.
d Num. 782.
e Num. 1111.

Comitis Guidonis donatio facta præsenti anno 1084. monasterio sancti Benedicti in Alpibus, servatur [f] in chartario collegiatæ & imperialis basilicæ sancti Laurentii de Florentia. In miscellaneis [g] vero Ferdinandi *del Migliore* olim apud Biscionium sequens legitur memoria Rosanensis parthenonis sub hoc anno: *Ego quidem Ugo filius bone memorie Guidi pro remedio anime mee & Leode genitrice mea trado & confirmo in ecclesia & monasterio sancte Marie de Rosano terram* &c. *Actum in loco Rosano judicaria Florentina. Ego Johannes notarius* &c.

f C. n. I. mazz. 2. n. XI.
g Zibald. 80. Pag. 91. nu. 105.

Ann. Chr. 1085.

XXXII. De consuetudinibus Camaldulensibus alius tractatus Rodulphi prioris.

Rodulphus IV. prior Camaldulensis, qui anno 1080. in scripta redegerat consuetudines Camaldulenses, eas in clariorem lucem emisit hoc anno, saltem quoad aliqua, nova etiam statuta addens ad majorem eremiticæ vitæ perfectionem. Indignum se monachum atque sacerdotem nominat, & non suis meritis, sed illius gratia, qui se creavit, Camaldulensis eremi

ANN. CHR. 1085.

eremi priorem. Cogitans porro, quod nonnulli seculares homines suis temporibus ad eremum Camaldulensem velut ad tutissimum portum confugientes, abrenuntiatis propriis voluntatibus, & monastico habitu suscepto, quia prima rudimenta monasticæ vitæ non hauserant, dum cacumen anachoreticæ vitæ tenere se putabant, ad ima provolvebantur, & omnino deficiebant cum omnium mœrore & tristitia, ventilatis inter suos sermonibus, in unumque cum ipsis conveniens, decrevit hoc anno, ut qui de cetero ad eremum confugissent de seculo, prius in hospitio Fontis-boni, quod propterea ad regularem ordinem & districtionem reduxit, vità & ordine atque regularibus disciplinis a magistris informarentur, observatis jejuniorum ceterorumque rituum exercitiis, *sicut mos ibi est*, & majori districtione quam ageretur in monasteriis, atque sic in ea schola instituti postea ad prædictam eremum & ad eremi vitam cum licentia prioris admitterentur. Pariter si quando fratres eremi in magnam debilitatem vel infirmitatem decidissent, ad monasterium Fontis-boni deducerentur, ubi diligens cura circa ipsos exhiberetur, & postquam convaluissent, ad eremum redirent. Si contingeret aliquem eorum supremum diem in monasterio Fontis-boni obire, ipsorum corpora ad eremum deveherentur, ut ubi ferventius servierunt Domino, cum lætitia tumuli honore pariter gauderent. Non ita agebatur cum reclusis fratribus, qui sive sani, sive infirmi, in cellulis suis vel usque ad obitum, vel usque ad reclusionis terminos jugiter persistebant.

XXXIII. Eremus Camaldulensis caput omnium aliorum locorum.

ULTERIUS sancte & religiose custodiri mandavit Rodulphus reverentiam erga eremum Camaldulensem, quam monachorum & laicorum omnium Fontis-boni & ceterorum locorum caput esse, originem & dominam ac rectricem *apostolica* & *regalia*, inquit, *diplomata testantur & præcipiunt*, vetans, ne per monachorum Fontis-boni negligentiam & inobedientiam incommodum aliquod vel molestiam aut diminutionem usuum & consuetudinum suarum paterentur eremitæ. Similem consuetudinem, reverentiamque erga eremum & eremitas suos recepere monachi Cartusienses sub Lanvino sancti Brunonis eorum institutoris successore; cum enim Lanvinus eremi austeritatem multis suorum importabilem esse animadverteret, cœnobium apud Mentaurum pro illis ædificare constituit, ubi cœnobiticam vitam ducerent; ejusque rei facultatem a Paschali II. Romano pontifice anno 1102. obtinuit, ut ex Mabillonio [a] discimus, in hæc verba: *Paschalis episcopus servus servorum Dei dilecto filio Lanvino salutem & apostolicam benedictionem ..... Ex præsenti auctoritate in ecclesia illa juris eremi, quæ apud Squillacium sita est, monasterium constitue, ut fratres austeritatem eremi ferre non valentes, juxta beati Benedicti regulam illic possint omnipotenti Deo deservire, quam nimirum habitationem per præpositum & decanum gubernari, disponique præcipimus, sic tamen ut eremi præpositus semper præferatur & major habeatur, & sicut idem monasterium eremi dispositioni subjacet, ita ejusdem loci præpositus & decanus subjiciantur magistro eremi. Data Laterani* VI. *kalendas februarii*. " Hæc institutio cœnobitarum, subdit Mabillonius, facta est ad instar Camaldulensium, qui anachoretas & conventuales habebant, habentque etiam nunc. "

a T. V. annal. pag. 456.

XXXIV. De lotione pedum pauperum, de cantu, de jejunio sabbati &c.

TUM perstrictim Camaldulenses consuetudines Rodulphus memorat, & inter ceteras observat binis quadragesimis per omne tempus eremitas in cellulis suis firmiter permanere, exceptis duobus vel quatuor, qui prope ecclesiam permanent, & in ea divinas laudes persolvunt, qui tamen & ipsi cito ad cellulas suas revertuntur. Docet eosdem eremitas his quadragesimis vinum non bibere, nisi in sollemnitatibus sancti Andreæ, sancti

Ann. Chr. 1085.

Benedicti, sanctæ Mariæ & Dominicæ in Palmis & Cœnæ Domini. In eodem Cœnæ Domini festo, qui exituri sunt de cellulis, exire, ad ecclesiam convenire, atque matutinas preces & horas diei ibi celebrare, ac tot pauperum pedes abluere, quot monachi sunt, & unicuique pauperi unum denarium cum uno pane & vino tribuere. Idipsum agere in cellulis suis cum pauperibus eos, qui pedem extra ipsas non movent, idest eremitas reclusos. Priorem quoque eremi tot pauperum pedes lavare, quot de eremo fratres obierunt a die, qua regimen fratrum suscepit, & abluere pedes tot trium pauperum, quot ex episcopio Arretino antistites sunt sub ipso defuncti. Idem præstare conversos & monachos Fontis-boni. Morem insuper eremi esse, ut in prædictis quadragesimis quinque diebus per hebdomadam jejunetur in pane, aqua & sale, die vero Dominica & feria quinta, ut pulmentum & aqua tribuatur, cui placet; *quoniam sunt quidam*, subjungit, *qui in istis duobus diebus utantur tantummodo pane & aqua, & sunt quidam, qui in quadragesima Pentecostes similiter jejunant, & per omnium annorum curriculum extra binas quadragesimas per unamquamque hebdomadam, absque octava natalis Domini, ejusque Resurrectionis & Pentecostes, secunda & quarta, sexta feria & sabbato firmiter in cellulis permanere, & in pane, & aqua & sale jejunare, ac silentium tenere solent.*

Cantus celer psalmorum in eremo Camaldulensi vetitus erat, qui morosus esse debebat, *nimis retinendo & meditando cum punctis & distantiis*; interdictus quoque erat cantus *altisona voce, vel in sibilo*; *hac enim de causa*, subdit Rodulphus, *quosdam fratres contentiose agentes projecerunt hinc nostri majores, & nos; magis enim expedit nobis lugere, quam canere.* Nullus erat supplicationum usus, neque simul procedebant fratres Dominicis diebus aliisque festivitatibus post Crucem, uti consuetum erat in monasteriis, neque cereus benedicebatur. Nil dare, vel recipere, neque cum secularibus loqui sine prioris licentia poterant eremitæ. Unusquisque frater lances in cella habebat, ad quas pendebat tres panes, quos omni die Dominico & quinta feria recipiebat, ne in jejuniis mensura comestionis superaretur.

Demum concludit Rodulphus: *Sunt alia multa fratribus necessaria, quæ omnia prudenti lectori eremitica regula satis demonstrat.* Licet eremitæ Camaldulenses legibus non scriptis uterentur, & consuetudines a sanctis viris primitus introductas ac observatas sequerentur, manibus tamen terebant quamdam regulam eremiticam, sub cujus nomine Rodulphus eam intelligit, quam pro Avellanensibus ante non multos annos confecerat Petrus Damiani. Præcavet tamen, *ne per hoc, quod illa* (regula nimirum eremitica) *dicit de die sabbati manducare ad mensam*, is usus adoptetur; *quia numquam mos hic fuit; vel cetera, quæ hujus eremi usibus videntur contraria, eaque breviter descripsimus in hac pagina, prætermittantur, quoniam, ut ipsi videtis, præcipua sunt hæc & arctiora, atque in hac eremo primitus a sanctis viris fuerunt observata, quam ipsa regula fuisset descripta. Sed reliqua omnia, quæ hujus eremi usibus convenientia & similia, & qualiter docet nos in cellula & de foris permanere, necnon intus resistere, & virtutes aquirere & discretionem in omnibus semper retinere, debemus jugiter Christo adjuvante observare, & numquam sancti Romualdi, & ceterorum nostrorum antecessorum pium usum derelinquere.* Quibus verbis Rodulphus non ad suas constitutiones anno 1080. scriptas respicit, in quibus non diversa præscribitur sabbatorum abstinentia, sed ad regulam eremiticam Damiani, scriptam multo post fundationem eremi Camaldulensis, in cujus regulæ capite XVI. de sabbato hæc habentur: *Non grave videa-*

ANN. CHR. 1085.

videatur fratri etiam sabbati refectionem ad horam nonam usque differre, ut semel quidem ipso die reficiatur, sed tamen vinum atque pulmentum percipere ex hujus nostræ institutionis indulgentia non vetetur, & hoc quidem æstate; nam ab idibus septembris usque ad Paschale gaudium quatuor per hebdomadam diebus noverit esse jejunandum; sed & si aliquando tanta debilitas acciderit, hiberno etiam tempore die sabbati aut leguminibus infusis, aut herbarum radicibus, sive etiam pomis solitum licebit aliquantisper relevare jejunium; ita tamen, ut si unumquodlibet horum sumat, aliud, nisi veræ necessitatis causa dictaverit, non adjiciat. Postremo tamen propter pusillanimes, si hic necessitas omnino poposcerit, quæ fieri permissa est in æstate, eadem sabbatorum indiscretio servetur in hieme. Paulo post tamen etiam sabbatorum jejunium suis Avellanensibus, Gamugnensibus, ceterisque eremitis proposuit, & acerrime propugnavit ac vindicavit idem sanctus legislator Petrus Damiani opusculis LIV. & LV. Excepta hac sabbatorum indulgentia, quam respuit Rodulphus, quia arctior Avellanensi erat Camaldulensis disciplina, cetera omnia præscripta in regula eremitica Damiani adoptat, in qua docetur, qua diligentia resistendum sit carnis ac diaboli tentationibus; modus præscribitur acquirendarum virtutum; ratio affertur in cellula & foris permanendi; discretio retinenda in cunctis rebus addiscitur, & his similia, præter jam exposita, & hucusque recensita, quæ maximam illam analogiam, immo fere identitatem declarant, quæ cedebat inter utramque Camaldulensem & Avellanensem familiam.

Redeamus ad Rodulphum, qui succincte describit eremitarum Camaldulensium pœnitentem vitam; *Quis digne*, inquit, *narrare valet ea, quæ hujus eremi fratres per omne tempus solent agere, bonorum scilicet operum? idest ictus scoparum, discurrentes lacrymas, innumerabiles metanæas, cordium suspiria, continuamque psalmodiam, orationum instantiam, sacras vigilias, & cum diabolo, quæ faciunt, certamina, extra alias virtutes, quæ soli Deo cognitæ sunt?*

XXXV. Vita eremitica semper transigenda in eo loco.

DEMUM *ex parte omnipotentis Dei, beatæ virginis Mariæ, sancti Michaelis, sanctorum Benedicti & Romualdi, Petri & Pauli & omnium Sanctorum*, quorum hierarchias nominat, interdicit, *ne unquam eremus Camaldulensis in cœnobitarum monasterium retorqueatur, vel abbas eidem præponatur, ut privilegia apostolica & præcepta regalia & episcopalia vetant.* Immo quia episcopalia diplomata idem statuunt de hospitio Fontisboni, prohibet, ut neque ipsum ab abbate vel a priore regatur, nec in cœnobitarum transmutetur monasterium (quod nimirum sui sit juris & independens ab eremo) sed semper computetur, ut hospitium eremi vel *ad usum eremi* Camaldulensis, ut uncialibus literis præferebat inscriptio ejus tempore sculpta in lapide, & posita super altare hujus loci; quod idem Rodulphus testatur. Itaque *prior eremi sit etiam prior hospitii & dominus de omnibus monasteriis, cellulis, eremis & canonicorum ecclesiis, atque de omnibus obedientiis & rebus spiritualibus & secularibus, quæ sunt sub Camaldulensi eremo*, in quibus abbates, priores & fratres idem prior statuat, *salvo semper suo dominatu & præcepto.* Excommunicat postremo, maledicit atque cum candelis accensis anathematizat priores illos suos successores, qui hæc decreta infringere præsumpserint.

Hæ porro sunt novæ leges a Rodulpho constitutæ, præter veteres Camaldulenses consuetudines. Has leges, adhibitis in consilium fratribus suis, unanimiter adjecit. Subscripti sunt insuper ad calcem statutorum Rainerius Florentinus episcopus, Mauritius episcopus, domnus Martinus, alter domnus Martinus, domnus Johannes, alter domnus Johannes, multique alii

Ann. Chr. 1085.

alii ex genere monachorum & laicorum. Rainerius ab anno 1071. Florentinam regebat ecclesiam. Quis vero fuerit Mauritius episcopus, divinare non est animus. Placentinæ præerat ecclesiæ [a] Mauritius episcopus ab anno 1077. ad annum 1089. alter Mauritius [b] electus fuit episcopus Portuensis ab Urbano II. Romano pontifice anno 1097. vir sanctæ vitæ & miraculorum gloria insignis, cujus meminit Pandulphus Pisanus. Martinus is facile fuit, qui anno 1089. ipsi Rodulpho successit in prioratu Camaldulensi, vel etiam alter, quem bis laudat in suis opusculis Petrus Damiani.

Addit Fortunius Rodulphum, ne nimia hospitum ac pauperum adventantium frequentia cœnobitis Fontis-boni impedimento esse posset, prope dictum cœnobium hospitalem domum illam instituisse, quæ ad hanc diem vetustum nomen hospitalis Fontis-boni retinet.

An hæ constitutiones Rodulphi, sicut etiam primæ editæ anno 1080. descriptæ fuerint in libro, qui apud eremum asservabatur, appellabaturque communiter *Consuetudo heremi*, an vero alius eremita vel monachus librum hujusmodi confecerit, ignoramus. Nam in testificationibus productis anno 1215. pro libertate eremi Camaldulensis contra Martinum episcopum Arretinum legimus, Rainerium priorem sancti Michaelis de Arretio dixisse; *se audivisse legi a prioribus Camaldulensibus, scilicet Placito, Martino & Guidone* (qui floruerunt desinente seculo sequenti, & initio seculi XIII.) *in quodam libro, qui dicitur* Consuetudo heremi, *quod Maldulus viderat visionem quamdam, in qua vidit scalam erectam usque ad cælum, per quam ascendebant & descendebant homines albi, & in quo libro continetur in serie ipsius scripturæ, quod locus, in quo est heremus, fuit datus Romualdo a Maldulo, qui & viderat prædictam visionem*. Hæc quidem consentanea sunt his, quæ tradit Rodulphus. Sed cum ipse testis denuo interrogatus, *si sciat, quis fuit auctor ipsius libri?* responderit *non*; in suspicionem hæc Rainerii ignoratio nos adducit alterum fuisse auctorem ejus libri; non enim Rainerium latuissent nomen & opera Rodulphi prioris notissimi apud Camaldulenses, qui primus constitutiones Camaldulenses in scripta redegerat, quæque ejus tempore diligentissime observabantur, erantque norma & regula omnium Camaldulensium.

XXXVI. Monasterium Funtiani & aliæ ecclesiæ traduntur Camaldulensibus.

Quod mox ex Rodulpho intelleximus, eremum Camaldulensem dominam fuisse de omnibus monasteriis, cellulis, eremis & canonicorum ecclesiis, declarat valde celebre per hæc tempora jam factum Camaldulense nomen, & longe lateque diffusam fuisse famam illius eremi, cujus disciplinæ quotannis committebantur, vel se committebant plures ecclesiæ & monasteria. Re enim vera hoc anno *hoctuagesimo quinto post mille sexto nonas julii indictione hoctava* Bulgarellus filius Rodulphi & Ermingarda ejus uxor, Tebertus filius Guidi cum Giolitta conjuge, Lambertus filius Petroni cum Cidarna jugali, & Aldibrandus filius Gerardi cum Offemia uxore, Guido quoque filius Petroni, & Reginerius filius Gerardi pro remedio animarum suarum & parentum *in ecclesia & monasterio sancti Salvatoris sito Camalduli tradunt & offerunt integras suas portiones, que ad ipsos pertinebant per successionem, vel per jus conquisitum de ecclesia sancti Petri sito Funtiano, & de ecclesia sancti Ilarii prope castello, quod vocatur Colle-muscoli, & de ecclesia sancti angeli Michaelis sito Letitiano, & de ecclesia sancti Petri sito Libbiano, & de ecclesia sancti Cerbonii sito Piaggia, una cum domibus, terris, vineis* &c. *ea conditione, ut supradicta ecclesia sancti Petri sita Funtiano usque in perpetuum monasterium esse debeat, & firmum ac stabile permaneat semper*, promittentes sub pœna librarum

[a] T. II. col. 210. It. al. Sacr.
[b] T. I. col. 125.

rum viginti argenti eremo Camaldulensi nullam se imposterum molestiam allaturos ecclesiis bonisque dono datis, manu Guidonis notarii. *Actum Funtiano territorio Volotorrense*. De Funtiani loco ac monasterio ibidem a Camaldulensibus erecto, cujus originis chartam ex autographo tabularii Fontis-boni in Appendice proferimus, aliqua dicentur annis sequentibus, licet nos hodie lateat, quo demum translata & in quos usus conversa sint bona hujusmodi monasterii & ecclesiarum, & a vero non abludat monachos temporis progressu ob aeris noxii incommodum loca illa declinasse, & saniori consilio alia sibi domicilia quæsivisse post annum 1355. ex quo non amplius Camaldulensibus confirmata reperiuntur prædicta loca in privilegiis pontificiis & imperialibus.

Ann. Chr. 1085.

XXXVII. Origo asceterii sancti Petri de Luco.

Illustrior tamen hoc & sequenti anno ad eremum Camaldulensem accessio facta fuit ex constructione parthenonis sancti Petri de Luco, quod in agro Mucellano sub institutis & regimine ejusdem sacri loci fundavit & dotavit pro domicilio & sumptu sacrarum virginum Rodulphus prior. Historiam & ortum hujus celebris asceterii narrat idem sanctus fundator sub anno sequenti, annum scilicet Pisanum usurpans, cum indictio VIII. pertineat ad hunc annum 1085. Ex archivo ejusdem monasterii sacculo E. n. 336. loci primordia hic subjicimus.

Breve recordationis pro futuris temporibus ad memoriam habendum & retinendum, factum in presentia Landolfi comitis filii Rainerii comitis, & Gotidii filii Pagani comitis, anno Dominice incarnationis millesimo octuagesimo sexto mense junio indictione VIII.

Ego Rodulphus indignus prior eremi Camaldulensis. Propter possessionem multorum bonorum relictorum ecclesie sancti Salvatoris site Campo amabili a Gotidio filio Gotidii comitis, & a Cuniza jugali sumendam cum Lucum venissem, & apud ipsum castrum in aliquo parvo sacello dicato sancto Petro apostolo distanti quasi brachia sexcenta gratia precum apud altissimum fundendarum ingressus fuissem, dum in oratione sistebam, vocem de celo mihi dicentem audivi: O Rodulphe, hec Domini tui voluntas est, ut hic quamprimum sanctimonialium feminarum monasterium instituas, in quo perpetuo vitam ducant secundum predicte eremi consuetudinem, & omnium bonorum ad eamdem eremum in Mucello pertinentium donationem predicto monasterio perpetuam facies. Actum prope Lucum.

Ego Ildebrandus notarius & scriptor rogatus a supradicto Rodulpho scripsi.

Sed de ea constructione legibusque latis a Rodulpho plenius anno sequenti. Hic tantummodo referimus laudatarum donationum chartas, quæ ad præsentem annum spectant, & ab eodem Rodulpho memorantur. Gotidius comes filius olim Gotidii comitis & Cuniza ejus uxor filia olim comitis Origani, Langobardorum lege viventes, *anno octuagesimo quinto post mille mense februario indictione octava* (in hac & sequentibus chartis usurpatur annus Romanus, & indictio convenit cum anno incarnationis) donant Tagido comiti filio olim Pagani comitis integram suam portionem de duobus castellis Luci & Cantameruli cum ecclesiis, domibus, terris &c. eique concedunt omnia mobilia & immobilia posita in territorio plebis sancti Johannis-majoris, & plebis sanctæ Mariæ in Fania, & sanctæ Felicitatis in Faltona cum castellis, turribus, ecclesiis, domibus & terris, recipientes a Tagido solidos (forte libras) ducentos de Luca. Charta hujus traditionis ea lege facta fuit, ut si Matilda Gotidii & Cunizæ filia filium susceperit ex Bernardo comite viro suo, Tagidus nepotem prædictum in possessionem ponat præfatarum rerum, & Gotidius, Cuniza, *Rodulphus prior Camaldulensis* & Rodulphus filius comitis Origani factum laudare debeant,

ANN. CHR. 1085.

debeant, vel aliquo ex illis defuncto, Rodulphus prior, aut is qui præfuerit eremo Camaldulensi, huic cessioni consentire debeant. Sin vero prænominati in unum non consenserint, tunc præfatus Tagidus libellum de supradictis rebus scribere debeat *pro ecclesia sancti Salvatoris sita Camalduli, ut de predictis rebus sit in jure & proprietate prefata ecclesia & fratres ibidem Deo servientes. Actum in loco, qui dicitur Fonte-buona*, nempe Camalduli in hospitio Fontis-boni. Iisdem anno & mense, sed non die, *ad resarciendam donationem factam*, alia jura iidem Gotidius & Cuniza tradunt Tagido, reservantes sibi curtem & castellum de Luco, curtem & castellum de Cantamerulo, & curtem de Macerata, quæ bona proinde videntur concessisse eremo Camaldulensi & Rodulpho priori; nam alias donationis chartas eidem eremo factas non reperimus in chartario Luci, ex quo superiores eduximus. Alia tradunt eidem Tagido mense aprili hujus anni Rainerius filius Gotidii comitis, & Rainerius filius ipsius Rainerii, & Zabulina conjux filia comitis Henrici, & Hugo filius Rainerii. Non inutile erit in Appendice producere ex eodem Luci tabulario ordine chronologico plures chartas variis annis confectas ab anno 995. ad præsentem, quæ notitiam nobis dant diversorum dominorum, qui jus habuerunt in hæc Mucelli castra, & ex quibus declarantur jura, in quæ successit monasterium sancti Petri de Luco, sicut etiam describitur situs plurimarum ecclesiarum & locorum, quæ erant in ea regionis Mucelli parte, in qua constructum fuit hoc celebre asceterium. Hanc provinciam Mucellanæ regionis illustrandæ suscepit anno 1748. celebris vir Joseph-maria Brocchius sacerdos Florentinus, libro edito; ope harum chartarum major lux addi poterit ejus operi, quandoquidem ex iis ecclesiis illæ sancti Georgii & sancti Nicolai, quæ semper subjectæ fuere monasterio sancti Petri de Luco, constanter leguntur ab anno 995. ex quo earum antiquitas desumitur. Sub eodem anno in castello de Rio-frido nominatur ecclesia sanctæ Mariæ. Ad annum 1043. reperiuntur ecclesia sancti Angeli in castello de Camprato, in loco Decimo ecclesia sancti Petri, & in castello Luci ecclesia sancti Bartholomæi, præter plebes sanctæ Felicitatis in Larciano, sancti Johannis-majoris, sancti Stephani de Ricavo, sancti Marcellini de Vana, sanctæ Mariæ a Novella, sancti Donati in Podio, sanctæ Mariæ de Rivo-cornoclario aliasque perplures, quæ in chartis legi commode poterunt. Immo illustrantur etiam ecclesiæ & castra, quæ erant ædificata in aliis comitatibus, seu, ut in paginis effertur, in aliis judicariis, Mutinense, Florentina, Fesulana, Senense, Bononiense, Arretina, Lucana & Pisana, in quibus jura obtinebant Mucellani comites, & ab ipsis monasterium sancti Petri de Luco.

XXXVIII. Aliprandus denuo prior Avellanensis.

RURSUS hoc anno Avellanensis monasterii regimen suscepit Ariprandus vel Luiprandus, locum cedente ad tempus Johanne Laudensi. Ex tabulario ejusdem cœnobii sequentem paginam descripsit Sartius. *In nomine Domini. Anno millesimo optuagesimo quinto, regnante domnus Enricus imperator anno ejus primo* (incœperat tamen secundus ejus imperatoris a coronatione annus, quæ contigerat die Paschatis anni antecedentis) & *die mense madio indictione octava, Calli. Manifesta causa facimus nos, qui sumus Ugo de Ricardo, & Gemma conjuges mea tibi domno Aliprandus prior heremi sancte Crucis de fons Avellane, tuisque posteris successoribus in perpetuum de monasterio sancti Angeli & sancti Nicolai & de rocca de monte Ventuoso cum illarum pertinentie & subjacentie, quod nos nulla molestatione inde facimus studialiter, nec per nos, nec per nostros homines nostro precepto, nec rapina* &c. *Signum Ugo* &c. *Ego Dominicus tabellius scripsi*

psi

psi & complevi. Innocentius II. Romanus pontifex in privilegio, quo confirmat anno 1139. ecclesias & monasteria Avellanensis cœnobii, recenset *in comitatu Callense ..... monasterium sancti Angeli de Sorticulo cum ecclesiis & omnibus pertinentiis suis*. In eodem comitatu aliud erat sancti Angeli cœnobium, dictum de Chiaserna & ad monasterium Avellanense spectans. Monasterium pariter sancti Nicolai de Busso in comitatu Calliensi legitur anno 1133. concessum a Benedicto priore Avellanense Bernardo abbati sancti Geruntii.

XXXIX. Johannes Laudensis it in Apuliam. Misericordia ejus in pauperes.

CESSIT facile Johannes Laudensis regimini, ut in Apuliam concederet ad triticum procurandum pro alendis pauperibus & fame pereuntibus. Novimus enim ex chronico Bertholdi Constantiensis & ex annalibus Pisanis hoc anno 1085. gravissima caritate & peste Italiam miserrime vexatam, mortemque plurimos fame necatos depastam fuisse. Testimonio vero anonymi scriptoris vitæ ejusdem sancti Johannis compertum fit ipsum hoc pietatis officium exercuisse, & eleemosynis affluentibus periclitantium necessitatibus auxilium impendisse. *Quoniam*, inquit, *non ut eatenus poterat jam latere, paulatim sese coactus est publicare, qualiterque jam divinam per gratiam esset in occulto, prodiit in apertum. Quippe inhorrescente tunc temporis famis angustia, confluentique undique ad subsidia poscenda innumera ad hunc locum gentium turba, cepit ille omnia juxta evangelicum præceptum petenti tribuere, nihilque sibi, aut fratribus de crastino cogitare, nec cessavit ejus benevolentiæ rivus effluere, donec quod daretur, jam pene deesset. Hujus enim loci horrea multiplicibus ejus largitionibus omnia sunt exhausta, quatenus in Apuliam ad emendum triticum cogeretur exulare, ut famis malum posset evadere. Ipsius quoque condimenti* (forte *alimenti*) *abundantia ad diariam pervenit libram. Cumque in eremo tam dapsilis esset, vix tamen usquam egrediens vacua crumena solebat incedere, quam si contigisset deficere, inciperet ille nec vestibus parcere. Adhuc namque supersunt, qui meminerunt eum, cum ad agrarias visendum cellas exisset, absque monachico ad eremum colobio remeasse, oblitumque cœlestis Tau tegmen obvolvere corpori, dum medullitus id anxiaretur imprimere cordi, nihili pendens stultorum in calcaneo positis oculis displicere, dum ejus ut vere sapientis oculi figerentur in capite. Attendebat forte quid Sindonius, quid Petrus telonarius, quid Paulinus ille fecisset Nolanus, qui scilicet omnibus rebus primum suis pauperibus, immo Christo erogatis, semetipsos postea in servos vendidere, ut egenorum possent inopiam largius sublevare. Meditabatur ad hæc, quia sicut ignem aqua, ita eleemosyna extinguit peccata. Et illud: Ne avertas faciem tuam ab ullo paupere; ita enim fiet, ut numquam avertatur a te facies Dei. Et illud rursum: Eleemosyna ab omni peccato & a morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras. His ergo sagittis verborum, dum prædictorum carbones adderet exemplorum, parum se æstimabat egisse, dum necdum illorum ad mensuram se ipsum impendens pertigisset.*

Occasione itineris Johannis Laudensis in Apuliam ad triticum emendum, diverterit is forte ad visendos eremitas, qui in Aprutino & Pennensi comitatu vivebant, de quibus, Bampono nimirum priore, Hieronymo & sociis, aliqua diximus ad annum 1055. Supersunt ad diem hodiernam eadem monasteria & loca ad Avellanense monasterium spectantia in eo regionis tractu, inter quæ abbatia sancti Augustini de Basciano, & prioratus sancti Nicolai de Cornu, cujus postremi loci eodem anno 1055. prior erat Bamponus. An-ne *Calabri fratres, & justorum religiosa congregatio, quæ pecudibus, possessionibus & universis rerum mundanarum occupationibus penitus*

Ann. Chr. 1085.

nitus renuntiaverat , & quam paulo ante hæc tempora Stephanus Lemovicensis, Grandi-montensis postea ordinis auctor, teste Gerardo VII. Grandi-montensi priore, adierat, ante quam ordinem suum instituteret , quam etiam *eremitarum seu anachoretarum congregationem* vocat Bernardus Guidonis, ad Pennenses & Aprutinos eremitas Avellanensibus præceptis & institutis ad hæc tempora florentes referri debet ? Conjicit Mabillonius forte venire eo nomine Uticensem congregationem, quæ in Calabria illustris tunc erat sub Rodberto abbate, qui complura illic monasteria informaverat; vel etiam Cavenses monachos, qui eremiticas illic cellas incolebant ; subdit etiam facile id melius convenire Magellensibus eremitis tunc temporis in Aprutio claris, apud quos Desiderius , is , qui postea Casinensis abbas , ac demum summus pontifex Victor III. creatus est , aliquandiu mansit. Rem autem proponit, nihilque definit , cujus exemplo nos quoque conjecturam nostram adducimus, nil omnino statuentes.

XL. Chartæ ad varia monasteria spectantes.

Quinque chartulas exscripsimus donationum factarum hoc eodem anno monasterio sancti Victoris de Clusis & Murico ejus abbati partim ex archivo sancti Blasii, partim ex illo sanctæ Catharinæ de Fabriano . Nominatur in prima , tertia & quarta Rainerius dux & marchio , ecclesia sancti Petri de Rosinga in secunda , ecclesia sancti Ansovini in tertia , Clemens III. Romanus pontifex in quarta , & in quinta alter titulus sancti Nicolai adjectus ecclesiæ Victorianæ , quæ dicata insuper erat beatæ Mariæ, sancto Benedicto & sancto Victori; in omnibus vero Henricus appellatur imperator , qui , ut vidimus , anno præterito Romam veniens , insignia imperii susceperat die sancto paschatis de manibus Clementis III. quem Dominica Palmarum in Romanum pontificem consecrari post quatuor ab electione annos contra Gregorium VII. fecerat.

Exscripsit ex codice *delle coppe* cancellariæ Montis-politiani Hubertus Benvoglientius, & ad Grandium nostrum transmisit, donationem Bernardi comitis filii quondam Ranerii comitis factam monasterio sancti Petri *sito Arignano, & ad suos rectores de integra illa parte de Cajo*, hoc est de silva, *que fuit juris Gualfredo filius quondam Rainerii , quod est in comitatu Clusino infra plebem sancti Victorini sita Aquaviva in vocabulo, quod dicitur valle de Clane: Anno incarnationis millesimo octuagesimo quinto mense augusti indictione septima*; vel adhibetur annus Pisanus, vel legendum octuagesimo quarto, & juxta indictionem septimam corrigendus annus; nam *anno incarnationis millesimo octuagesimo quinto mense martii indictione octava Ardingus filius quondam Bernardi* , ejus nimirum , qui nominatur in superiori donatione, quique mense martio hujus anni defunctus erat, obligat se *monasterio sancti Petri sita Argiano & abbas Venerandus*, & ad suos posteros successores *de integra illa parte de Cajo cum campo & silva, que olim pater meus per chartam concessit ad predicto monasterio , quod est in comitatu Clusino infra plebem sancti Victorini* &c. Recepit autem Ardingus a Venerando abbate, & a Johanne monacho, & a monasterio sancti Petri pro conventione *orationem diebus vite illorum*. Monasterium sancti Petri de Arignano vel Argnano, aut Arguano una cum altero sancti Petri de Campo aliisque cœnobiis unitum fuit ante dimidium seculi sequentis monasterio nostro & eremo ad Vivum.

In pagina emphyteusis, quam de bonis monasterii sui conscripsit in massa Tiliaveria Faventini territorii Johannes presbyter & monachus atque abbas monasterii sancti Adalberti in Pereo , & quæ reperitur in archivo capitulari canonicorum Faventiæ , subscripti leguntur post Johannem abbatem Johannes presbyter & monachus, frater Leo monachus & camera-

rius

rius & frater Ugo monachus & diaconus. Johannes abbas successor fuit Actonis a nobis memorati anno antecedenti.

ANN. CHR. 1085.

Monasterii autem Vangaticiensis rector adhuc erat Petrus, *abbas* appellatus *sancte Marie, quod est situm juxta Atexim, ubi corpora sanctorum Primi & Feliciani, & beati Theobaldi confessoris Christi requiescunt*. Ipsi enim ex chartulario Vangaticiensi hoc anno *millesimo octuagesimo quinto, septimo die introbeunte mensis aprilis indictione octava* donant terras in comitatu Veronensi, & in loco Carpi, Dominicus filius Vitalis, & Albina filia Martini utens pro advocato donationis suæ eodem Dominico suo nepote; & ex tabulario monialium sancti Salvatoris de Curte-regia *sexto kalendas junii indictione octava* Eriprandus habitator Veronæ, tradit terras in Veronensi territorio positas non longe ab eadem ecclesia sancti Salvatoris præfato Petro abbati.


Guinizzo abbas monasterii sancti Petri, *quod vulgo picculo dicitur*, recipit ad ordinem monachicum Guidum filium quondam Tebaldi, in qua receptione oblata ei & monasterio fuere latifundia, pro quibus obligat se & successores suos abbates. *Factum infra domo sancti Donati Arretini episcopii in ecclesia sancti protomartyris Stephani*. Idem alias terras recipit ad opus jamdictæ ecclesiæ, hoc est sancti Petri, ex autographis existentibus in archivo sanctarum Floræ & Lucillæ de Arretio.

Ugo filius Gherardi terras donat Leoni abbati sancti Michaelis Pisarum in loco Golugnola, quæ fines habebant *in terra sancte Marie Pisane & in terra sancti Savini*. Willa pariter uxor Bruni eisdem cœnobio & abbati offert alias terras in finibus Mezzana ex archivo ejusdem monasterii sancti Michaelis Pisarum. Prædictarum omnium donationum chartæ leguntur in Appendice.

Demum ex tabulario canonicorum Sancti Laurentii de Florentia [a] intelligimus hoc anno Petrum fuisse priorem eremi sancti Barnabæ de Gamugno, cui duæ terrarum donationis chartulæ factæ fuere.

[a] C. 1. *maz*. 2. *n*. 12. 16.





ANNALES CAMALDULENSES

LIBER VIGESIMUS-SECUNDUS.

Ab anno CHRISTI M. LXXXVI. *ad annum* M. XCVI.

Ann. Chr. 1086.

I. Fundatio & dotatio monasterii S. Petri de Luco.



UANDOQUIDEM plura bona & prædia donata fuerant Rodulpho priori & eremo Camaldulensi præsenti & elapso anno in ea Mucelli parte, ubi situm erat castrum Luci, totus juxta voluntatem divinam, quam prænoverat, intentus erat idem Rodulphus ædificationi parthenonis in ipso loco. Mense itaque julio egit cum Petro abbate & rectore ecclesiæ & monasterii sancti Petri in loco, qui dicebatur Muscheto, ordinis sancti Benedicti congregationis Vallis-umbrosæ, ut sibi traderet terræ portionem cum domo, vinea & ecclesia sub invocatione sancti Petri, quæ posita erat in loco dicto Lusciano prope Lucum, dans ipsi in commutationem alias terras. Subscribunt in hac commutationis charta post Rodulphum, Winizo peccator, olim conversus, nunc monachus, Petrus peccator monachus, Johannes, Donatus & Albertus monachi, Petrus abbas, & Guido ac Ugo monachi camerarii. Rursus eodem mense ad utilitatem supradictæ ecclesiæ sancti Petri de Lusciano ipse Petrus abbas Muschetanus cessit easdem terras, & a Rodulpho percepit pro pretio *birrum unum*, sive vestimentum monasticum, *valientem solidos centum*, *& centum Missas & totidem psalteria*. Mirum, quod vestimentum monasticum centum solidos valeret, cum in charta anni 1095. cappa pro vestimento quinque tantum solidos valuisse dicatur! Observetur etiam traditio terrarum pro celebratione Missarum & psalteriorum.

Ipso mense julio construi cœptum asceterium, & collectæ virgines ad Deo serviendum juxta Camaldulenses consuetudines. Mense autem augusto, pro loci conservatione & integritate, hujusmodi leges tulit Rodulphus, quas proferimus. *Est locus*, inquit, *juris & proprietatis nostre eremi in Mucello intra territorium Florentinum, & ultra alpium juga prope confinia Florentini atque Bononiensis comitatus. Est quedam ecclesia in Mucello sita prope castrum nomine Lucum, ubi Deo dante monasterium constituimus in* per-

perpetuum permansurum, *reservata nobis omni potestate tam ex eo*, *quam ex cunctis rebus*, *vel a nobis*, *vel a quibuscumque collatis*. *Constituimus ei*, *que in Mucello modo habemus*, *atque id*, *quod ultra alpium juga prope confinia Florentini atque Bononiensis comitatus tenemus*, *ubi nunc abbatissam seu prepositam ceteris sororibus decernimus*; *quibus preposite atque sororibus non licet terras vendere*, *donare*, *commutare* &c. *neque mulierum personas*, *quas nos miserimus*, *liceat renuere* &c. Præcipit insuper, ut donationes omnes, quæ eidem loco imposterum fient, rogentur in eremo Camaldulensi. Vetat, ne sui successores priores locum destruant, usque dum sorores regularirer & monastice vixerint; excommunicatos autem eos declarat, qui sine rationabili causa monasterii destructores esse præsumpserint. Qua tantum intentatæ destructionis emergente occasione licentiam habeant ipsæ moniales adeundi Apostolicum, Arretinum & Florentinum episcopos. Si vero moniales religiosam vitam non duxerint, arguantur, corrigantur & excommunicentur a prioribus Camaldulensibus; & si correctionem detrectaverint vel neglexerint, loco cedere jubeantur, & ad usum eremi Camaldulensis revertantur bona omnia eidem monasterio quomodocumque collata. *Actum loco Camalduli anno Dominice incarnationis millesimo octuagesimo sexto indictione nona mense augusto die decima quinta*. Post Rodulphum nomen & signum suum apponunt Martinus, Basilius, Teuzo, Johannes, Martinus, Johannes, Vincentius, Gregorius, Petrus, Johannes, Petrus, Andreas, Johannes & Guido monachi. Obtinuit etiam Rodulphus, ut Wido comes filius item Widonis olim comitis, & Ermellina ejus conjux, filia Alberti comitis, una cum Tegrimo & Guidone filiis suis in defensionem susciperent ecclesiam illam *consecratam in honore beatissimi Petri apostoli sitam prope castellum*, *quod vocatur Luco*, *que noviter monasterium ad usum feminarum est ordinatum*, quod asceterium comites ii eximunt in perpetuum *ab omni seculari usu*, itaut neque ipsi, neque eorum hæredes aut ipsorum vice-comites vel gastaldiones de terris & rebus, quæ prædicto monasterio sancti Petri ex parte prædicti prioris concessæ sunt, vel ab eo aut a suis successoribus concessæ fuerint, ad secularem usum retrahant, nec homines præfati monasterii per placitum fatigent; quæ se observaturos spondent, donec ipsum monasterium *secundum sacrum ordinem steterit*. *Actum prope castello*, *quod vocatur Cerrito*, *judiciaria Lucense*. Aderat cum Rodulpho priore & petitore una cum fratribus suis etiam Lambertus archipresbyter de civitate Lucensi. Lambertus archipresbyter numeratur inter eos canonicos Lucenses, qui fideles perstiterunt eo temporis, quo deficiente urbe Lucensi ab obedientia Mathildæ magnæ comitissæ Anselmus eorum episcopus deturbatus fuit a sua sede, & intrusus Petrus schismaticus. Puccinellius in memoriis Pisciensibus [a] meminit Lamberti archipresbyteri, Berardi primicerii & Rolandi Saraceni canonicorum Lucensium, qui sse Pisciam post annum 1081. receperunt, ne cum ceteris canonicis Anselmo infestis, jugumque obedientiæ detrectantibus participarent, dum interea Anselmus episcopus ad comitissam Mathildam confugerat.

ANN. CHR. 1086.

a *Pag.* 329.

II. Hospitale prope ipsum erectum a Rodulpho priore Camald.

PRÆTEREA idem Rodulphus consensu fratrum suorum Gotidii, Guinidii ac Bonitii concessit Alberto plebitaneo seu plebano plebis sanctæ Mariæ de colle montis Fenarii quamdam terræ portionem in loco dicto *Latere*, ad hoc ut super ipsam hospitale construeret, *ad opus Dei faciendum*, *& edificandum ad honorem sancti Salvatoris Camalduli*, *ad pauperes ibidem recreandos*. Si vero plebanus vel terram, vel ususfructus hospitalis subtraxerit, vel hospites non direxerit, pœna mulctetur centum solidorum.

Ann. Chr. 1086.

Factum in loco, qui dicitur *Lusciano*, prope ecclesiam sancti Petri de Lusciano *in presentia Ugonis plebani de plebe sancti Johannis-majoris*, *Petri abbatis de monasterio sancti Petri de Muscheto*, *& Guidonis monachi ejusdem monasterii*, *& Gherardi presbyteri de ecclesia sancti Stephani de Grezzano*, *& Guidonis presbyteri de Riofrido* &c. Has omnes chartas partim ex tabulario ejusdem parthenonis, partim ex illo Fontis-boni in Appendice procudimus.

III. Donatio ecclesiæ S. Quirici facta eremo Camaldulensi.

Eidem Rodulpho & ecclesiæ Camaldulensi *in honore Salvatoris hominum dedicate in advocabulo Campus amabilis*, ad usum & sumptum fratrum eremitarum seu monachorum ibi Deo famulantium, obtulerant *mense februario* hoc eodem anno *millesimo octuagesimo sexto*, *regnante Henrico rege indictione nona* Germana filia Pezitti conjux Uberti filii Guinildi, & Gisla filia Rainerii & uxor Pagani filii Guinildi, necnon Adalasia filia Pagani & conjux Teuzonis filii Guinildi ecclesiam consecratam sub invocatione sancti Quirici & aliorum Sanctorum in vocabulo *le rose*, sitam in territorio Arretino, appellatam aliquando etiam *in Fojano*, quæ in Camaldulensium monasterium deinde excrevit. Ex tabulario Fontis-boni, ubi autographa donationis pagina adservatur, eam edimus in eadem Appendice.

IV. Controversia inter ep. Comaclensem & monast. Adalbertinum.

a *Hist. Rav. lib. V. p.* 312.

„ Cum controversia, ait Rubeus [a], ex quo ista excerpsimus, hoc tempore de divi Adalberti ad Padum cœnobio ac templo intercederet inter „ Adelbertum Cymacliensium episcopum, qui suæ diœcesis illa esse, insulæque Perei, in qua est cœnobium templumque, decimas ad se spectare affirmabat, & Johannem ejus abbatem cœnobii, qui id dicebat Ravennatis esse, Ottonisque augusti ac ceterorum imperatorum diplomatibus patere, lis ad Martinum canonicum Cymaclensem, &..... monachum decanumque ejus cœnobii, & Ricardum sacerdotem divæ Mariæ .... arbitros communi consensu, quinque librarum auri pœna ei indicta, qui non stetisset sententiæ, delata est. Ii tandem ita decreverunt, nullum jus episcopo Cymacliensi, neque successoribus in eo cœnobio neque insula esse, nullas decimas exigere illum nec consuesse, nec posse, nec vero debere; Ravennatis diœcesis esse per tabulas publicas, & principum diplomata constare. Padum Juveniacum usque ad medium canale Augustæ per Humanam in Padum descendens, Padorenum, medium Grangenum fines ipsius esse; atque hæc tabulis publicis Petri Ravennatis tabellionis manu scriptis consignata sunt tertio nonas septembris Cymacli, " sive Comacli. Hæc definitio facta fuerit facile anno antecedenti, nam hoc *anno millesimo octuagesimo sexto*, *anno tertio Deo propitio pontificatus domni Clementis pape in apostolica sacratissima sede beati Petri apostoli*, *imperante vero Henrico filio quondam Henrici imperatoris anno .... die quinto mensis madii indictione nona* idem Adelbertus Comaclensis episcopus, cum consensu suorum canonicorum ejusdem episcopii sancti Cassiani, *finem* facit *Johanni venerabili abbati monasterii sancti Adalberti martyris Christi de monasterio sancti Adalberti*, *& de decimis ac primitiis insule Perei ejusdem monasterii tam de terris*, *quam de aquis & omnibus rebus ad eumdem monasterium*, *& ad dictam insulam pertinentibus nomine diocesis*. Rursus *die sexto exeunte novembre* hujus anni, *anno tertio* &c. *domni Clementis pape* &c. *imperante vero Henrico filio quondam Henrici imperatoris anno tertio*, *indictione nona* idipsum confirmat altera pagina. In prima vero *finem*, subdit, *insuper facio & diffinitionem de tota plebe sancte Marie de Pado vetere cum omnibus .... tibus de decimationibus*, *primitiis & oblationibus*. *Et insuper finem & securitatem facio de heccleſia sancti Mi-*

chae-

chaelis posita in prefato Pado cum omnibus sibi pertinentibus. Antiquissimam memoriam ecclesiæ sanctæ Mariæ in Pado-vetere legimus apud Agnellum in vita Aureliani episcopi Ravennatis. Floruit is ad annum circiter 523. *De hoc enim viro*, ait Agnellus [a], *non potui aliqua facta reperire, nisi tantum res, quas Ursiana ecclesia in territorio Comaclensi in loco, qui dicitur Ignis & Bajas, idem idolorum nomina, non longe, ubi ecclesia beatæ Mariæ in Pado vetere sita est, ipse adquisierit. Et ipsius temporibus prædictum ædificatum est monasterium*. Quod monasterium initia esse celeberrimi cœnobii Pomposiani opinatur Bacchinius, itaut ædes sacra parœciam non habens sub Aureliano ædificata fuerit, cui postmodum monasterium accreverit post divi Benedicti ætatem. Sed ad hunc annum 1086. ecclesia & plebs sanctæ Mariæ de Pado-vetere, & altera ecclesia sancti Michaelis posita in eodem Pado ad jus pertinebant monasterii sancti Adalberti. De plebe sanctæ Mariæ in Pado-vetere frequentissima deinceps memoria occurrit in chartis archivi archiepiscopatus Ravennatis, & etiam in nostris dono habitis a Cl. marchione Bonifacio Rangonio, præsertim in amplissimo emphyteusis libello scripto a Gualterio archiepiscopo Ravennate anno 1123. Johanni de Ugone de Tebaldo. Ecclesiam vero sancti Michaelis de Pado-veteri possidebat etiam ad annum 1237. monasterium sancti Adalberti, quo anno pro ipsa sancti Michaelis ecclesia, & pro altera sanctorum Cosmæ & Damiani confirmata fuit a Thederico archiepiscopo Ravennate obligatio solutionis duarum librarum ceræ. Anno vero 1234. in alia Thederici pagina eadem ecclesia sancti Michaelis sita in territorio Comaclensi appellatur monasterium, & vocatur *Alione*. Etiam Adelbertus episcopus Comaclensis, cujus nudum nomen affert ex Rubeo ad hunc annum Ughellius, partes sequebatur Wiberti antipapæ & Henrici imperatoris, qui ambo tertium, ille a consecratione, hic ab unctione in imperatorem annos numerabant. Utramque chartam ex tabulario archiepiscopii Ravennatis in Appendice edimus.

Ann. Chr. 1086.

[a] T. I. pag. 352.

Cœnobio sanctæ Mariæ & sanctorum Pauli & Bartholomæi de Agnano in territorio Arretino, atque Winizoni ibidem abbati Paganus presbyter donat hoc anno bona sua sita in comitatu Arretino, & in plebe sancti Petri in Prisciano, in loco Castillune, ex chartis monasterii sanctæ Mariæ in Gradibus de Arretio; ex chartario autem sanctæ Catharinæ de Fabriano aliam donationem monasterio San-victoriano & Murico ejus loci abbati facit Johannes filjus Fulconis.

V. Dedicatio ecclesiæ S. Urbani ad fluvium Æsinantem.

Monasterii sancti Urbani de Æsinante, sive prope aquam decurrentem ante Æsinum flumen, dedimus origines ad annum 1007. Præsenti anno ab Ugone episcopo Camerinensi dedicatum fuit altare majus ecclesiæ ejusdem loci in honorem sancti martyris & pontificis Urbani, curante Actone abbate cœnobii; id discimus ex lapide apposito ad frontem mensæ ipsius aræ, qui ad hodiernam diem visitur, ubi cælata est sequens memoria.

† A. D. M. VIII. VI. T. D. CL. PP.
C. A. D. VG. EPO. INH. S. VRB. PP.
STVDIO. D. ACT. ABB. IND. VIIII.
HEC. ARA. SCA. †

quæ sic est explicanda: † *Anno Domini millesimo octuagesimo sexto. Tempore Domni Clementis Papæ Consecrata a Domino Ugone episcopo in Honorem*

Ann. Chr. 1086.

rem Sancti Urbani Papæ studio Domni Actonis Abbatis indictione nona hæc ara sancta. †. Camerinensis episcopus Ugo subscriptus legitur inter patres concilii Romani anni 1059. sub Nicolao II. Vel ipse ad hæc tempora perdurabat, vel alter ejusdem nominis, qui schisma insuper sequebatur Clementis III. antipapæ; quare mense februario anni 1079. in Romana copiosissima synodo coacta a Gregorio VII. in qua Berengarius palinodiam cecinit, & retractavit sua perversa dogmata circa sanctissimum altaris sacramentum, post sententias excommunicationum latas in Tedaldum archiepiscopum Mediolanensem, Sigifredum Bononiensem, & Rolandum Tarvisinum, qui adhærebant factioni Henrici regis & Wiberti archiepiscopi, legitur etiam lata seu confirmata sententia anathematis in Camerinensem & Firmanum episcopos, silentio præteritis eorum nominibus. Acto, qui hoc anno præerat monasterio sancti Urbani, successit vel immediate, vel aliis mediantibus Giselberto abbati, cujus mentionem fecimus ad annum 1033. inter Giselbertum enim & Actonem nullum reperimus in chartis nostris abbatem ejusdem monasterii, seu melius nullæ pervenere ad manus nostras chartæ ejusdem cœnobii.

VI. De Damiano card. abbate Nonantulano.

Damianus cardinalis & abbas Nonantulanus adstitit hoc anno funeri sancti Anselmi episcopi Lucensis, qui a sua ecclesia exul ab anno 1081. Mantuæ commorabatur sub protectione magnæ comitissæ Mathildæ. Id testatur B.. presbyter & pœnitentiarius scriptor vitæ ejusdem sancti Anselmi, qui ipsius parentalia describens hæc subdit: *Aderant Magalonensis episcopus nomine Godefridus, & Benedictus Mutinensis episcopus, atque Aribertus Regiensis episcopus, & ejusdem civitatis episcopus, scilicet Mantuanus, Ubaldus vocatus. Sed & Damianus cardinalis Romanæ ecclesiæ, qui & abbas Nonantulensis cœnobii. Hi omnes, sicut sæpe ipsi, ac ceteri catholici consueverant, advenerunt.* Contigit mors sancti Anselmi in urbe Mantuana *anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi* M.LXXXVI. *episcopatus vero sui anno* XIII. *indictione* VIIII. *finitis jam annis septem excommunicationis Henrici quondam regis, post transitum autem felicissimi papæ Gregorii VII. menses novem dies viginti tres,* X. *calendas aprilis*, ut testatur supradictus auctor. Notæ chronicæ mortis Anselmi optime cohærent, nam electus ipse fuerat episcopus Lucensis anno 1073. post obitum ejus patrui Alexandri II. qui una cum pontificatu Romano ecclesiam Lucensem retinuerat. Vigesima pariter quinta die maji anni præcedentis Salerni obierat Gregorius VII. & a die XXV. maji ad diem XVIII. martii excurrunt novem menses & viginti-tres dies. Henricus autem rex excommunicatus & degradatus fuerat prima vice anno 1076. sed sæpius annis sequentibus, & præsertim anno 1079. repetitæ in ipsum fuerant anathematis sententiæ, ad quam anni 1079. excommunicationem referenda sunt verba scriptoris vitæ sancti Anselmi. Corrigenda dumtaxat est postrema nota chronica X. *kalendas aprilis* & reponenda XV. *kalendas aprilis*, cum dies emortualis Anselmi episcopi Lucensis fuerit decima-octava martii. Ex verbis præfati presbyteri intelligimus hoc anno 1086. in vivis adhuc fuisse Damianum cardinalem, sancti Petri Damiani cardinalis & episcopi Ostiensis nepotem, monachum olim Avellanensem, & abbatiam insuper Nonantulanam eo anno retinuisse; intelligimus etiam, quanti viri, qualis erat Anselmus, coleret Damianus amicitiam, sapientiam audiret, consilium caperet; erat enim unus ex iis, qui *sæpe* Anselmum conveniebant. Damianum monachum & abbatem Nonantulanum habent etiam excerpta e catalogo ms. tabularii ejusdem monasterii apud Muratorium [a], sed ad annum dumtaxat 1104. Nam legitur in iis sub eo anno: *Damianus monachus Johannem anno* 1104. *excepit*, *qui* VIII. *idus martii*

[a] *Antiq. med. ævi T. V. col.* 681.

martii donavit quædam bona fratribus canonicis ecclesiæ sancti Petri in Siculo. Verum excerpta hujusmodi emendanda ac supplenda, & post Landulfum nominatum ad annum 1072. reponendus Damianus cardinalis ante Johannem, cujus memoria ad annum 1092. occurrit, vel post Damianum cardinalem & post Johannem annis 1092. & 1102. & ante alterum Johannem anno 1113. abbates Nonantulanos, statuendus alius Damianus monachus a cardinali nostro diversus, cui referantur verba illa: *Damianus monachus Johannem anno 1104. excepit. Qui* VIII. *idus martii donavit quædam bona fratribus canonicis ecclesiæ sancti Petri in Siculo*. Quæ postrema sententia magis placet, cum Damianus noster non tantum monachus, sed etiam cardinalis ab anno 1076. foret, e contra Damianus anno 1104. abbas factus Nonantulanus monachus dumtaxat dicatur in iisdem excerptis.

VII. Privilegium ecc. Ravennati concessum a Wiberto anti-papa.

Quandoquidem pluries a nobis hoc anno Wiberti archiepiscopi Ravennatis, & Romani pseudo-pontificis sub nomine Clementis III. mentionem fecimus, cujus etiam nomen signatum reperimus in bene multis horum temporum paginis, subnectimus hic privilegium ab eodem Clemente concessum Ravennati ecclesiæ tam in episcopatibus, quam in abbatiis, comitatibus, & exarchatu, quod autographum exscripsimus ex tabulario marchionis Bonifacii Rangonii. Edidit ipsum Rubeus, at sine suscriptionibus episcoporum. Sed in pagina nostra se subscribunt Rolandus Tarvisinus episcopus, Milo Paduanus, & Hecilinus Vicetinus, ceteris episcopis, qui in pseudo-synodo Ravennate sederunt, minime subscribentibus. Vivebat itaque & ad hunc annum Rolandus Tarvisinus, & favore Henrici & Wiberti jus adhuc dicebat in ea ecclesia, licet a Gregorio VII. in synodo Romana anni 1079. excommunicatus & depositus. De Milone intruso Patavino, & de Hecilino Vicetino consulatur Ughellius. Fulcoinum seu Fulconem episcopum Foro-semproniensem, quem cum aliis episcopis concilio interfuisse narrat idem privilegium, celebrem ob legationem illi demandatam una cum Gebizone abbate in regnum Dalmatiæ a Gregorio VII. anno 1076. ignoravit idem Ughellius usque ad hunc saltem annum vixisse, & miserabiliter ad schismaticorum castra defecisse, sicut etiam Tebaldum vel Theobaldum episcopum Castellanum seu Tiphernatem. Ceteris autem pseudo-cardinalibus a Clemente III. ad eam dignitatem evectis accensendi Robertus tituli sancti Marci, & Anastasius tituli sanctæ Anastasiæ omissi a Ciacconio. Sed privilegium ipsum audiamus.

Clemens episcopus servus servorum Dei sancte Ravennati ecclesie omnibusque futuris in illa archiepiscopis per eam in perpetuum. Cum omnium ad nos ecclesiarum cura respiciat, & de singulis cogitare conveniat, & ex debito suscepti regiminis omnibus nos providere oporteat, specialiter tamen & maxime Ravennati prospicere debemus ecclesie, cui presumus Deo propitio, ut sponse & filie. Hujus igitur miserias nimis egre ferentes, & quantum in nobis est amputare volentes, hoc remedii genere, hoc consilii antidoto tandem subvenire curavimus, ut consideratis privilegiis decessorum nostrorum Romanorum pontificum, & preceptis imperatorum, que in archivo nostre Ravennatis ecclesie continentur, quecumque in illis leguntur, privilegii nostri stipulatione firmentur, ut sublatis de cetero seminariis litium, nec Romana ecclesia Ravennati ecclesie, mater filie sue injuriam faciat, nec matri filia contradicat, sed dignitatem suam utraque possideat. Quod demum melius, quod Deo jucundius, quam scandala tollere, lites reprimere, pacem componere, ecclesiarum concordie providere? Iis Deus letatur & gaudet, & talibus super omne sacrificium placatur muneribus. Consentientibus igitur & collaudantibus primo cardinalibus nostris Roberto sancti Marci, & Anastasio sancte

Ann. Chr. 1086.

ðe Anastasie confratribus & coepiscopis nostris, Rolando Tarvisiano, Milone Paduano, Ecelino Vicentino, Fulcone Foro-simphroniensi, Tebaldo Castellano aliisque quampluribus, qui interfuere presentes, hujus nostri privilegii auctoritate firmamus quecumque in privilegiis Romanorum pontificum leguntur, Pauli, Sergii, Pascasii, Leonis, Adriani, Eugenii, Marini, Agapiti, Gregorii & ceterorum. Item precepta imperatorum Justiniani, Theodosii, Valentiniani, Ludovici, Karoli, Ottonis, Chonradi, Heinrici & aliorum omnes donationes & concessiones illorum, quas Ravennati fecisse perhibentur ecclesie tam in episcopatibus, quam in abbatiis, comitatibus, exarchatu, ceterisque similibus, que in privilegiis & preceptis plenius habentur, hujus scripture nostre assertione munimus, decernentes & auctoritate apostolica statuentes, ut si quis contra hoc nostrum privilegium venire temptaverit, si quis contradictor extiterit, sit anathema maranatha, sitque pars ejus cum Pilato & Herode & Juda traditore. Quod ut certius credatur, & ab omnibus diligentius observetur, sigillo nostro presentes literas statuimus roborari. Acta sunt hec Ravenne in plenaria synodo in matrice ecclesia, que dicitur agie Anastaseos, anno Dominice incarnationis millesimo LXXXVI. *imperante Heinrico tertio Romanorum augusto anno imperii ejus* II. *indictione* VIIII. III. *kalendas martii, & subscripserunt, qui presentes erant episcopi, quorum nomina subter annexa sunt.*

Rolandus Tarvisianus episcopus ss. laudans & corroborans.
Milo Paduanus episcopus laudans ss.
Hecilinus Vicentinus episcopus laudans & corroborans ss.

Ann. Chr. 1087. VIII. Joh. Laudensis spiritualia exercitia.

VIDETUR Johannes Laudensis data opera præfecturæ Avellanensi nuntium remisisse, ut liberius Deo, proximorum saluti mentis & corporis, atque exercitiis monasticæ & eremiticæ vitæ vacare posset. Monachus Avellanensis ipsius vitæ scriptor hæc singulariter narrat de ejus spiritualibus exercitiis. *Hucusque*, inquit, *de pietatis ejus operibus, quæ scilicet circa corpora gessit, dixisse sufficiat; spiritualia namque ejus velim summatim perstringere, si tamen ad id mihi divinitus datur aliquatenus aspirare. Plus enim illud se cœleste animal, Domino largiente, valuit in superna sustollere, quam indignus ego sufficiam sermonibus aperire. Et quia ad imitandum vix repo, ad enarrandum vix mutio. Ut enim nocturnas diurnasque regularium cœnobiorum synaxes a beato Benedicto institutas prætercam; ut omnia cœnobiorum vel eremorum synaxibus superaddita prætermittam, quæ tantopere ille studebat quotidie Domino præterire, quis digne explicare possit, quam Deo acceptum, quantumve animabus potuerit esse proficuum, quod vix ullum sibi tolerabat diem effluere, quin pro vivis, vel defunctis totum, vel amplius Psalterium psallendo transcurreret? quod furtivis prope quotidie orationibus consueverat incumbere, lacrymarumque rivis stratum suum rigare? quod tali faciem fonte lotus jugis solebat sacris Missarum officiis insistere, aliisque rursum lacrymarum fluoribus se inter ipsa mactare? quod nunc metanæas movendo, interdum brachia extendendo, non solum laudis, & orationis thus ore, sed omnibus ex membris, quasi thuribulum quoddam, passionis suæ Domino emanabat odorem? quod crebro per septuaginta continuatim pluriumve psalmorum prolixitatem asperis scuticarum flagris in se ipso gaudebat nudus corpore vapulare, quatenus apostolorum, ipsiusque Domini Salvatoris quiret imitator existere? quod divini verbi phialam, ut ipse bibere, ita dominicæ familiæ domi forisque anhelabat propinare? Ceterum ne versutus hostis ad tantarum thesauros virtutum alicunde posset irrepere, jacturamque sibi consuetis nisibus, quod absit, inferre, omnem ille suam*

suam Decapolim Æliopolimve dixerim, veræ humilitatis vallo munierat, atque alterius instar Argo, undique oculatus obsepserat.

Ann. Chr. 1087.
IX.
De monasteriis Rotensi & S. Mariæ de Paterno.

QUIDAM Girardus per testamentarias tabulas tradit hoc anno monasterio sanctæ Mariæ de Paterno & Ursoni abbati ejusdem loci aliquot sua bona posita in comitatu Arretino in pleberio sancti Martini de Sala, manu Ildebrandi notarii. Hæc constant ex indicibus tabularii sanctæ Mariæ in Gradibus Arretinæ urbis confectis a domno Josepho-maria Gherardinio monacho nostro. Monasterium sanctæ Mariæ de Paterno prope Fojanum in territorio Arretino, cujus mentionem fecimus etiam sub anno 1076. vel tunc erat, vel deinceps unitum fuit alteri illustriori sancti Petri de Rotis aut de Rota ejusdem Arretinæ diœcesis, quod per hæc tempora reformationem suscepit & instituta Camaldulensis eremi, etenim post biennium in pagina, qua anno 1089. Martinus prior Camaldulensis locavit quædam bona, ad oram chartæ, post ceteros eremitas & monachos, nomen suum apponit *Petrus peccator monachus & abbas de Rota*. Subjecta erant eidem Rotensi cœnobio tamquam manualia monasterium etiam sancti Angeli de Nasciano, prioratus sancti Angeli de Pranzatorio prope Montem, ecclesiæ pariter sancti Angeli de Duduva in valle Ambræ, sancti Laurentii inter vineas, sancti Tiburtii ad Buccine, sancti Johannis de Allevaria, sanctorum Nicolai & Silvestri, ac alia parœcia Sognæ, aliæ quoque ecclesiæ sancti Petri de monte Liscario prope Senas, & sancti Martini Cellarum ejusdem diœcesis, de quibus aliqua dicemus suis locis. Antiquiores origines Rotensis monasterii ignoramus, sed & per epistolam interrogatus Cl. V. Hiacynthus Fossombronius de patria sua Arretina ob monumenta, quæ colligit, optime meritus vetustiorem memoriam minime reperit. In adnotationibus ad chronicon Bonaccursii Pitti a Mannio [a] editum dicitur cœnobium hocce ædificatum fuisse a potentissima familia Ubertinorum comitum Titignani. Initio seculi XIII. Willelmus & Rainerius Uberti appellantur *patroni* monasterii Rotensis in testificationibus, quæ anno 1216. coram judicibus a sede apostolica deputatis productæ fuere pro libertate eremi & monasterii Camaldulensis. Licet tamen præfati comites posterioribus temporibus jus prætenderent in collationibus ecclesiarum Rotensi subjectarum, libera nihilosecius & ad nutum abbatis Rotensis semper fuit collatio. De utroque cœnobio sancti Petri de Rotis & sanctæ Mariæ de Paterno aliqua occurrent subinde, quibus illustrentur hi annales.

Legimus in excerptis a Baroncinio [b] confectis præsenti „ anno mense „ julio Ugonem & Ubaldum filios Bugiti de le Russole commutasse cum „ Rodulpho priore Camaldulensi terras suas in Corzano cum terra, quam „ olim Baruntius Johannis de Beturita dederat eremo. Actum in castello „ de monte Alto, manu Castellani notarii. " Hæc est postrema, quæ superest memoria Rodulphi prioris in paginis Camaldulensibus.

a *Pag.* 87.

b §. *Permutatio.* 13. *A.* 1. 69.

Ann. Chr. 1088.
X.
Obitus Rodulphi prioris IV. Camaldulensis.

RODULPHUS prior Camaldulensis, qui ab anno 1074. ad hæc usque tempora ex chartis tabularii Fontis-boni administrationem ejus eremi tenuit, supremum diem obiit vel definente præterito anno, vel intra curriculum præsentis, aut primis certe diebus anni sequentis; sive demum solitudinis amore, quod infrequens non erat hoc ævo in monasteriorum rectoribus, ab eremi præfectura se abdicavit; nam charta scripta mense januario anni sequentis signata reperitur nomine Martini prioris Camaldulensis. Vir plane fuit Rodulphus zelo eremiticæ conversationis & dilatandæ congregationis, sanctimonia vitæ, dexteritate in rebus agendis, ceterarumque virtutum comitatu apprime celebris, dignus profecto, qui ad plu-

Ann. Chr. 1088.

res annos vel vixisset, vel præfuisset. Beati titulum ipsi communiter tribuunt, præter catalogorum Sanctorum Camaldulensium auctores, Fortunius, Minius, Ractius & Grandius, præter vero nostrates Wion, Ferrarius & Bucellinus ad diem XII. octobris. Immo Fortunius Sanctum appellat Rodulphum scribens, quod „ cum Deus venerabilis Rodulphi sanctimo„ niam, innocentiam multis signis probare in dies dignaretur, pientissimus „ episcopus Arretinus Gregorius auctor fuit, ut patres eremitæ illi sum„ ma religione divinos tribuere ceperint honores, atque ceu diœcesano pon„ tificio jure inter Sanctos relatum habere. " Addit alibi eumdem Rodulphum assecutum fuisse tempora Gregorii Arretini episcopi, quem antistitem affirmat insuper „ excitatum Rodulphi sanctimonia, summa ipsum „ veneratione coluisse, & sub ejus obitum ad sacram venientem eremum „ benedici ab ipso voluisse, ejus dormitioni interfuisse, & omnia sacra „ peregisse ecclesiæ officia in ipsius parentalibus. " Etiam Wion Rodulphum canoni Sanctorum adjectum fuisse scribit, permissu pontificis Romani, a Gregorio episcopo Arretino; Minius vero affirmat eumdem præsulem per totam diœcesim suam instituisse ac mandasse, ut Rodulphi festus dies ab universis celebraretur. Eadem ex Minio nostro refert etiam Angelus-laurentius Grazinus pereruditus sacerdos Arretinus in libro suo, cui titulum fecit: *Vindiciæ Sanctorum martyrum Arretinorum*, observans tamen morem hunc Rodulphi festum quotannis tota diœcesi Arretina celebrandi credendum esse jamdiu obsoleviſſe, forte quia minus legitimum, nullamque ejus rei apud Arretinos extare modernis temporibus memoriam. Illud exploratum est, nutare in aliquibus Fortunii fidem, cum Gregorius Arretinus episcopus in ea sede ab anno 1104. ad annum 1114. vixerit, neque tantillum Rodulphus ad ejus tempora pervenerit, ut ab eo visitari quiverit. An vero post Rodulphi obitum Gregorius sacros ei tribuerit honores, ut scribunt Wion & Minius, ipsorum relatione dumtaxat agnoscimus. Visitur Rodulphi effigies cum insignibus & titulo Beati in aliquibus locis; sed præcipue in ecclesia sancti Donati monasterii Fontis-boni, ubi depictus est cum aliis Beatis solitariis Camaldulensis eremi.

XI. Emendata chronologia priorum Camaldulensium.

SED parcendum Fortunio, qui existimat Rodulphum ad superos evolasse IV. idus octobris anni 1106. post viginti & tres annos regiminis, quod auspicatus fuerit anno 1082. eumque sequuntur Minius aliique omnes, qui catalogos & indices texuerunt priorum Camaldulensium, quique, si nonnihil variant in ceterorum priorum temporibus designandis, Fortunii chronologiæ præpterpropter subscribunt. Verum chronotaxis priorum Camaldulensium a Fortunio confecta in multis peccat, atque indiget emendatione.

Statuit enim Fortunius beatum Petrum Dagninum, sancti Romualdi discipulum, primum eremi Camaldulensis priorem constitutum ab ipso fuisse anno Domini 1016. præfuisse annis XXXV. obiisse vero die secunda novembris anni 1051.

Beatum Albizum priorem secundum creatum anno 1051. rexisse eamdem eremum annis XI. in pace autem decessisse anno 1062.

Beatum Rusticum I. ejus nominis priorem tertium electum anno 1062. regimen obtinuisse ejusdem loci annis XX. obdormiisse vero in Domino anno 1082.

Sanctum Rodulphum I. priorem vero quartum ab anno 1082. XXIII. annis (melius juxta sententiam suam XXIIII.) Camaldulensibus jus dixisse usque ad annum 1106. quo ipsum obiisse arbitratur.

Beatum Martinum I. hujus nominis, & eremi quintum priorem, crea-

tum

tum eodem anno 1106. per plures annos supremam administrationem tenuisse, qua demum se abdicaverit, diem vero extremum clausisse anno 1124.

Beatum Guidonem I. pariter ejus nominis & priorem sextum, primumque generalem præsidem perpetuum congregationis Camaldulensis constitutum a Paschale papa II. anno 1114. (rectius anno 1113.) ob Martini abdicationem, post anni unius præfecturam, eam ultro deposuisse, sed mortem oppetiisse anno 1125.

Beatum demum Johannem I. & septimum Camaldulensium priorem creatum anno 1115. familiæ & congregationi Camaldulensi præfuisse annis xv. ad Deum autem transiisse anno 1130. succedente Azone, quem ad annum 1153. superfuisse existimat.

Nos autem consultis paginis tabularii Fontis-boni præfatorum priorum nomina sub sequentibus annis signata reperimus in iis.

Primo igitur Petri Dagnini nomen legitur in autographis chartis ab anno 1027. ad annum 1042.

Albizi nomen apparet tantum in charta mutila & erosa annum tamen 1051. referente.

Rustici nomen constanter signatur in pluribus paginis ab anno 1059. usque ad annum 1074.

Rodulphi autem ab eodem anno 1074. ad 1087.

Martini a mense januario anni 1089. usque ad annum 1109.

Guidonis ab anno 1110. ad annum 1115.

Johannis ab anno 1115. usque ad mensem septembris anni 1126.

Azonis demum ab anno 1127. ad annum 1151.

Quare Petri Dagnini obitus, si non ante, saltem protrahi non potest post annum 1051.

Albizi ejus successoris mors differri nequit ultra annum 1059. qui nomine signatur Rustici.

Rusticus prior ab anno 1059. perduravit in regimine usque ad annum 1074.

Rodulphi electio post mensem martii, & ante augusti mensem anni 1074. est determinanda. Post annum 1087. nullæ supersunt chartæ, quæ ipsius nomen præseferant; quare eo anno in pace quieverit, vel si ulterius vixerit, ipsius regimen ad summum protrahi potest ad initium anni 1089.

Quo anno mense januario auspicanda saltem est præfectura Martini, usque ad annum 1109.

Martino successit Guido nominatus ab anno 1110. ad annum 1115.

In Guidonis locum suffectus fuit eodem anno 1115. Johannes, qui post XI. annos regiminis, tractus ab Honorio II. ad cardinalitiam S. R. E. dignitatem & ad episcopatum Ostiensem, locum cessit versus finem anni 1126. Azoni. Sed hæc, quæ per compendium collegimus, fusius suis propriis annis majori luce declarabuntur.

XII. Chartæ Arretinæ & Senenses.

Inter monumenta [a] archivi monasterii sanctarum Floræ & Lucillæ de Arretio sequentem reperimus memoriam ad hunc annum: *Quum multe discordie nascerentur inter monachos sancte Flore & sancti Martini* (cœnobium sanctarum Floræ & Lucillæ notius est; sancti autem Martini monasterium similiter erat in territorio Arretino appellatum etiam de Pino) *provisum est a quibusdam sapientibus hominibus Deumque timentibus, scilicet Guinizone abbate monasterii de Agnano, Guinizone Camaldulensi anachorita, Farizzo monacho, Rolando vicedomino, Johanne judice domini imperatoris*

a *Capf. O. n.* 43.

Ann. Chr. 1088.

ratoris, *&* *Amadeo jurisperito*, *ut inter abbates dictorum monasteriorum permutatio fieret hoc modo*: *Azzo abbas sancte Flore dedit Henrico abbati sancti Martini partem de plebe sancte Marie in Gradibus*, *que sunt due partes de medietate dicte plebis*, *idest tertiam partem de tota ecclesia*, *quasdam terras cum suis edificiis in Ciciano*, *Cerrito*, *Capitemontis*, *Rosano*, *Oliveto & Cilliano infra comitatum Castellanum*; *Henricus vero abbas monasterii sancti Martini dedit Azzoni abbati sancte Flore partem*, *quam suum monasterium habet de ecclesia sancti Petri majoris de civitate Arretina*, *idest tertiam partem de tota ecclesia cum oblatione*, *& unum mansum in comitatu Aretino in loco Veraxano cum edificiis & aliis*. *Actum Aritio*. Sed historia & origo earum discordiarum altius est repetenda & illustranda. Anno Dominicæ incarnationis millesimo quadragesimo-tertio Immo Arretinus episcopus lustrans ecclesias intra suam diœcesim fundatas, easque ad meliorem statum redigere cupiens, monasterio sanctarum Floræ & Lucillæ de Arretio integras duas partes, alteri autem monasterio sanctorum Martini & Laurentii de Pino integram tertiam partem concesserat plebis & ecclesiæ dedicatæ in honorem beatæ virginis Mariæ sitæ in suburbio Arretinæ urbis & vocatæ in Gradibus, cum omnibus oblationibus & cum domibus, terris, vineis *&c.* Renovaverat hanc largitionem idem episcopus anno 1045. ut vidimus tomo antecedenti [a] ad eum annum. Post hæc monachi sanctæ Floræ quartam partem suam in emphyteusim dederant Rainerio & Guidoni quondam Aritii, & Theodaldo quondam Giraldi, qui mense januario anni 1075. restituere Guidoni abbati ipsam quartam partem de plebe sanctæ Mariæ in Gradibus, *quemadmodum detinebant cnm oblationibus pro vivis & defunctis*, *decimis*, *primitiis*, *aqua-sancta*, *& que in paschis & sollemnibus diebus per ipsam quartam partem eis eveniebant*. *Verum cum multe discordie nascerentur*, ut habetur in altera charta tabularii sanctarum Floræ & Lucillæ, *eo quod monachi*, *qui causa obedientie dictas res regere videbantur*, *inequali voluntati discordes fierent*, *eveniebat*, *ut sancte res in deteriorem statum reducerentur*, *& religiosus ordo monachorum perquam multum diffamaretur*, *quod cum sepissime acciderit* &c. occasionem dedit suprarelatæ divisioni. Alteram integram medietatem plebis sanctæ Mariæ in Gradibus dederat anno 1077. Constantinus episcopus Arretinus Jocundo præposito canonicæ Arretinæ. Inter viros sapientes, quorum consilio facta fuit præfata divisio, fuere Guinizo abbas sanctæ Mariæ de Agnano, quem laudavimus ad annos 1078. 1083. & 1086. & Guinizo alter Camaldulensis eremita, qui subscriptus reperitur etiam anno sequenti cum pluribus aliis anachoretis & monachis Camaldulensibus in charta tabularii Fontisboni.

Existebat hoc tempore Senis subjecta monasterio Berardingorum ecclesia sancti Vigilii, quæ deinceps prioratus & abbatia evasit; nam Ubertus abbas Berardingæ hoc anno spondet [b] Pandulphino, Ptolomæo & Ranuccino filiis quondam Ranuccini Rainerii eorumque hæredibus daturum se quotannis scutellas ligneas viginti-quatuor &c. *Actum juxta ecclesiam sancti Vigilii*. Arnoldus Wion in *ligno vitæ* [c] recensens Sanctos Camaldulenses, quorum incertus est dies obitus, scribit requiescere in hac ecclesia corpus beati Dominici Camaldulensis, quem fundatorem putat cœnobii hujus. „ Beatus, inquit, Dominicus Senensis ædificator cœnobii sancti Vigilii, in „ quo quiescit. “ Grandius in Agiologio ad diem x. aprilis Dominici nudum dumtaxat nomen affert. Facile fuerit incola tantummodo & monachus præfati monasterii, & posteriori tempore floruerit. Nullum præterea monumentum, nullaque pictura de beato Dominico superest ad hodiernam diem

a T. II. p. 98.

b Chartular. Berard. n. 782.

c T. I. lib. I. cap. 26.

diem in ea ecclesia, quæ per plura secula Camaldulensibus paruit, inde ad commendatariorum manus devenit, ad usum postremo cessit patrum societatis Jesu.

ANN. CHR. 1089.

XIII. Epistola Urbani II. ad Martinum Camald. priorem.

MARTINUS electus hujus saltem anni initiis, nisi forte anno præterito, prior Camaldulensis in locum Rodulphi, inter ceteras virtutes, quibus enituit, laudatur, quod catholicæ religionis zelo contra simoniacam pravitatem immenso fervore arderet, & alios etiam ardere compelleret. Id testatur Urbanus II. Romanus pontifex, qui supremam ecclesiæ dignitatem obtinuerat die XII. martii anni antecedentis post obitum Victoris III. defuncti die XVI. septembris anni 1087. In epistola enim, quam ipse supremus ecclesiæ hierarcha venerabilibus in Christo filiis R.. hoc est Rustico, Vallumbrosano, M.. nempe Martino, Camaldulensi prioribus, & congregationibus eorum regimini commissis inscribit, eos hac super re valde collaudat, gratiasque ipsis agit. Verum nimio fervore abrepti, ut ait idem pontifex, uterque ipsorum a communione Pisani antistitis se removerant, vel metuentes simoniacum pactum intercessisse in ipsius electione, vel ab hæreticis ordinatum fuisse, vel partibus ipsum saltem favere Henrici imperatoris & Wiberti anti-papæ. Hanc Rustici, Martini & eorum congregationum subtractionem intelligens Urbanus illos redarguit, quod assidue divinis vacantes servitiis, cœlestibus instructi disciplinis, & die noctuque in lege Domini meditantes, contra sanctorum patrum constitutiones, ante probatam rem, ante negotium definitum, communionem præfati antistitis recusaverint, & tanta eum infamia denotaverint. Eos tamen nonnihil excusare videtur, quod id egerint amore justitiæ, & vocibus persuasi, ac criminationibus aliorum hominum intortis adversus eumdem Pisanum episcopum. Rogat propterea ipsos, eisque tamquam obedientiæ filiis præcipit, ut accusatores ex nomine designare sibi curent, quatenus criminatoribus cognitis, aut infamia hæc comprobetur canonice, aut propulsetur. Eisdem insuper notum facit se Pisano populo jamdudum literas dedisse, quibus hujus facti accusatores ad se evocabat; mandat proinde, ut & ipsi præcipiant ejusmodi hominibus, quatenus cito ad Romanum pontificem se conferant, quibus etiam, ne temporis brevitatem caussentur, inducias eorum adventus dat usque ad festum nativitatis beatæ Mariæ, quo termino elapso noverint se canonica ultione plectendos, si adire sedem apostolicam neglexerint. Si vero venerint, vult, ut præfati priores duos vel tres suarum congregationum monachos dirigant ad perspiciendam hujus rei definitionem. Mandat interea, ut ipsi communicent cum Pisano antistite, & debitam episcopo obedientiam non recusent omnes quotquot in Pisanæ ecclesiæ diœcesi commorantur. Epistola Urbani data est *Troje secundo idus julii*, sed ceteris chronicis notis caret. Hoc anno 1089. ipse Romanus antistes Henricum imperatorem & Wibertum anti-papam, qui Romanam urbem occupaverant, fugiens, in Apulia vel in Neapolitano regno moras trahebat; mense pariter septembri legimus Urbanum præfuisse synodo celebratæ Melphis in Apulia, inde Barium se transtulisse, postea Brundusium, ubi etiam ecclesiam majorem dedicavit. Quare cum epistola Urbani data fuerit ad Rusticum & ad Martinum Vallumbrosanæ & Camaldulensi congregationibus præfectos, ea consignari nequit ante annum 1088. vel 1089. qui primi anni tum ejus pontificatus sunt, tum prioratus Martini, neque pariter post annum 1092. qui juxta Eudoxium Locatellium, ceterosque scriptores Vallumbrosanos fuit emortualis Rustici. Rursus Pisanus antistes, cujus communionem renuerunt Rusticus & Martinus,

vel

Ann. Chr. 1089.

vel fuit Dagobertus, aut Daibertus ſive Daimbertus electus poſt Gerardum antiſtes ejus eccleſiæ ad annum 1088. juxta Ughellium, vel fuit ipſe Gerardus, qui plus ſupravixerit, quam vulgo credatur, vel alius demum inter utrumque epiſcopus nobis ignotus. Si fuit Daimbertus, inſigne privilegium is obtinuit ab eodem Urbano, quo Piſana ipſius eccleſia in archiepiſcopalem elevatur, & Primatus ipſi conceditur in totam Corſicæ inſulam; id quod probaret ſatis jam tunc conſtitiſſe de Daimberti innocentia; & proinde Urbani epiſtolam ante annum 1091. quo privilegium præfatum emanavit, fuiſſe ſcriptam. Quoad Gerardum ſcimus ipſum quidem inſigne præceptum pro civibus Piſanis obtinuiſſe anno 1081. ab Henrico IV. imperatore, quo tempore Henricus communione Romanæ eccleſiæ non fruebatur; rurſus ejus eccleſiæ canonicos alterum obtinuiſſe anno 1084. ab eodem imperatore, & epiſcopum maximam gratiam & familiaritatem inveniſſe apud præfatum principem, qui Piſas acceſſerat; ex quo deduci poſſet Gerardum excommunicati imperatoris fuiſſe fautorem, præſertim cum aſſerat Balduinus alter archiepiſcopus Piſanus in ſententia, quam tulit inter Piſanæ eccleſiæ canonicos, & abbatem ſancti Luxorii anno 1138. hujuſmodi privilegium Henrici pro canonicis ſibi *pro aliqua macula ſuſpectum* videri [a]. Sed obſiſtit ſupralaudata Urbani II. bulla in favorem Daimberti, in qua a Landulpho & Gerardo Piſanis epiſcopis & Daimberti anteceſſoribus hanc noxam conceptis verbis repellit Romanus pontifex dicens, *quod non invaſione tyrannica, ſed cleri & populi electione canonica per pontificis Romani manus acceperit Piſana civitas epiſcopum* (intellige aliis vicibus) *quemadmodum Landulphum & Gerardum & te cariſſime frater Daimberte accepiſſe dignoſcitur*; cui proinde civitati dominatum confirmat in inſulam Corſicam, *quamdiu in ea, quam hodie exhibet Romanæ eccleſiæ fidelitatem, perſtiterit* &c. Quare rectius conjicere credimus Piſanum antiſtitem, cujus communionem ſubterfugere voluere Ruſticus & Martinus, ac eorum congregationes, alium fuiſſe a Gerardo, alium quoque a Daimberto, præſule utroque magnæ virtutis, & poſtremo inſuper optime merito de Piſana non tantum, ſed de tota catholica eccleſia, cujus, Daimberti nimirum, electio aliquo propterea tempore ſit ab anno 1088. differenda; & ante ipſum in Piſanum epiſcopum fuiſſe electum alterum, cujus nomen uſque ad nos antiquitas non ſervaverit. Id ut affirmemus, movent nos tum peſſimus horum temporum ſtatus, quo Simonia peſtifere graſſabatur, & quo ſchiſma conflatum in eccleſia ab Henrico imperatore & a Wiberto anti-papa vigebat, tum etiam alia ejuſdem Urbani epiſtola, qui Piſanum quemdam antiſtitem excommunicatum fuiſſe poſtea fatetur in ſynodali concilio, quia ab excommunicatis conſecrari ſe paſſus fuerat. En Urbani epiſtola, quæ refertur etiam [b] in Labbeana Conciliorum collectione.

Urbanus II. papa Perro epiſcopo Piſtorienſi & Ruſtico Vallis-umbroſæ abbati.

Scripſiſtis nobis maximum apud vos ſcandalum emerſiſſe, quod Piſanum epiſcopum conſecraverimus, quod a Guezelone diaconus fuerit ordinatus; & nos profecto ſcimus, Guezelonem hæreticum fuiſſe, Moguntinumque epiſcopatum ſimoniaco credimus facinore invaſiſſe, propter quem aut alium acquirendum regi ſub anathemate poſito diu ſervierat, & propter acquiſitum omni vitæ ſuæ tempore deſervivit. Eumdem & ipſi nos pro eadem cauſa, quia ab excommunicatis conſecratus eſt, in ſynodali concilio excommunicavimus, condemnavimus, & ab omni eccleſiaſtico officio, ſine ſpe reſtitutionis aliqua depoſuimus. Ex qua epiſtola, licet & illud dici forte queat, Guezelonem Moguntinum epiſcopum fuiſſe ab Urbano in ſynodali concilio diris devotum,

[a] *Apud Grand. pag. 180. App. ad ep. de Pand.*

[b] *Conc. T. XI. col. 735.*

tum, rectiori tamen sensu videtur posse colligi ante Daimbertum alium præfuisse Pisanæ ecclesiæ intrusum episcopum ab eodem Guezelone diaconum ordinatum, & a Romano pontifice Urbano consecratum, sed postea cognita veritate excommunicatum, condemnatum & depositum. Synodale concilium, cujus in hac epistola mentionem facit Urbanus, illud fuerit, quod centum & quindecim episcoporum interventu Romæ hoc ipso anno congregatum fuit. Sed de hujusmodi re altum silentium apud auctores Pisanos. Epistolam autem hanc posteriorem ideo produximus, ut inde dignoscatur, quanta excusatione digni fuerint Rusticus & Martinus Vallumbrosanus & Camaldulensis priores, si communicare detrectaverint cum Pisano episcopo, quem re comperta Urbanus ipse in synodali concilio deponendum censuit. Utramque epistolam edidit Cl. V. domnus Fidelis Soldanius in suis [a] Quæstionibus Vallumbrosanis, nos ex ipso primam integre recusam amandamus ad Appendicem nostram.

ANN. CHR. 1089.

a *Quæst.* IX. p. 144.

XIV. Chartæ Camaldulenses de bonis Camenzæ.

HABEMUS in locupletissimis indicibus Eduardi Baroncinii [b] „ hoc anno mense julio Rodulphum Camaldulensem monachum, alterum proinde a Rodulpho olim priore, emisse ab Ildebrando quondam Ugonis, adstipulante ejus uxore Gisla, omnes terras & possessiones, quæ fuerunt olim Ugonis quondam Guidonis de Camenza cum domibus, vineis, mansis, domnicatis, cum omni suo jure & actione, quæque posita erant in territorio Partinæ casali Camenza, pretio librarum quatuordecim *denariorum Russium*, manu Petri notarii. “ Fallitur Fortunius [c], qui existimat bona & ecclesiam sancti Michaelis archangeli Camenzæ donata fuisse eremo Camaldulensi anno 1038. cum eo anno hujusmodi largitio facta fuerit non eremo Camaldulensi, sed monasterio Prataliensi. Alias tamen donationes in Camenza factas eremo attulimus ad annum 1075. Rursus in iisdem indicibus legitur „ Petrum quondam Corbizi mense januario hujus anni jure testamenti legasse eidem eremo Camaldulensi nomine monasterii sancti Quirici de Rosis terras positas in territorio sancti Petri de Gello, manu Ildebrandi notarii. “

b §. *Emptio.* 115. *A.* I. 78.

c *Hist. Cam. P. I. Lib. I. pag.* 105.

XV. Locatio facta a Martino priore Camald.

d *Pag.* 8.

IN summariis autem veteribus instrumentorum [d] digestis a Simone & a Rainerio monachis Fontis-boni hæc leguntur: *Sub anno Domini* M.LXXXIX. *septimo calendas februarii manu Aritii notarii, Ildebrandus notarius olim Alberti per se suosque heredes in perpetuum donavit & obtulit domno Martino priori Camalduli totum suum jus & actum, quod & quem habebat in ecclesiis, mansis, terris domnicatis, vineis & aquarum decursibus positis in curia de Vegognano cum omnibus suis pertinentiis & edificiis*. Eadem die Martinus *prior & prepositus Salvatoris omnium positam in advocabulo Campus amabilis consentientibus fratribus eremitis coadstantibus* per scriptum locationis dedit Uberto, Ugoni, Alberico & Ildibrando GG. (hoc est germanis) filiis quondam Alberici partem illam de curte Vegognano, quam obtulerat idem Ildibrandus, & quæ eidem venerabili loco in villa de Juliano & in Laurenzano, in curia de Valenzano, & Balneolo, & Calvenzano & in vocabulo sanctæ Reparatæ devoluta erant *ex parte Rodulphi confratris nunc nostri & Ildebrandine uxoris ejus*. Subscribunt post Martinum priorem *Gregorius peccator monachus*, *Lambertus*, *Rusticus*, *Rolandus*, *Winizo*, *Guinizo*, *Venerandus*, *Ugo*, *Rodulphus filius Ungani*, *alter Rodulphus*, *Vivenzus*, *Bonizo*, *Ubertus*, *Opizo*, *Johannes*, *Wido*, *Rainerius*, *Johannes*, *Gotizo*, *Bonizo*, *alter Bonizo*, *Teuzo*, *Albertus & Teuzo monachi*. Hi omnes ex eremo vel ex cœnobio Fontis-boni Camaldulensi. Deinde *Ildibrandus monachus filius Ungani*, *Petrus peccator monachus & abbas de Rota*; demum *Petrus monachus*. De his bonis & ecclesiis videantur,

quæ

ANN. CHR. 1089.

quæ attulimus ad annum 1073. Habemus in hac pagina Rodulphum virum uxoratum, conjugis suæ Ildebrandinæ interveniente licentia, monachum factum, se suaque bona Deo devovisse. Similia vidimus ad annum 1085. in Gottidio comite & Cunizza ejus jugali.

XVI. Ritus Silvæmundani cœnobii in receptione novi profitentis.

LIBET hic apponere veterem ritum, quo Deo se consecrabant monachi, ii præsertim, qui vota sua emittebant in cœnobiis sancti Salvatoris de Silva-munda & Sancti Petri-minoris territorii & urbis Arretinæ, ex autographo archivi sanctarum Floræ & Lucillæ de Arretio.

In Dei nomine. Brevis causa future memorie conservande, qualiter factum est in ecclesia sancti Petri Pickuli in presentia bonorum hominum, scilicet in presentia Petri notarii, & Saracini filius Ursi, & Alberigotti filius Martini, & Arizzi filius Dominiki, Rusco cum duobus filiis suis & Dominco filius Azze & Guidus filius Dominici Calbuli & domni Martini & domni Gerardi & domni Lei & domni Rigi monachis & sacerdotes, & domni Raigneri cum aliis monachis ex prefata ecchlesia. In suprascriptis virorum presentia erat quidam vir nomine Johannes, & domno Johanne abbate de cenobio sancti Salvatoris sito Silva munda & de monasterio sancti Petri Piccoli, per pallium altaris obtulit se Deo & predicte ecclesie, & cum libro sacramentorum & cereo accenso offerens se cum predictis rebus, & oblata super altare & dixit: Ego frater Johannes promitto Deo stabilitatem meam & conversionem morum meorum, & obedientiam secundum regulam sancti Benedicti coram Deo & Sanctis ejus in hoc monasterio, quod qui est constitutum in honore sancti Petri, anno Dominice incarnationis millesimo octuagesimo nono indictione XIII. *Petrus notarius interfuit & hunc brevem scripsit*. Ab imperita manu abrasis hisce chronicis notis perperam repositum fuit *sexcentesimo* pro *millesimo*, & *indictione* III. pro XIII. quæ incœperat mense septembris. Johannes abbas utrumque monasterium Silvæmundæ & sancti Petri regebat post Arnulphum, qui Silvæmundanus erat abbas anno 1066. & post Guinizzonem abbatem sancti Petri, qui regebat anno 1085. Initio monasterium sancti Petri subjectum fuit alteri Silvæmundæ, inde juris sui evasit sub titulo prioratus, & etiam abbatiæ, iterumque unitum fuit. Sed de his alibi.

XVII. Charta Pisana hospitalis de Rivolta.

HOC eodem anno ex tabulario sancti Michaelis de Burgo Pisarum ipsi monasterio & Leoni abbati facta fuit donatio a Leone filio Gherardi & a Berta ejus conjuge de bonis positis in loco & finibus, ubi dicitur *la Rivolta. Actum infra curte de ospitale de supradicto monasterio sancti Michaelis*, quod hospitale erat in præfato Rivoltæ loco, in quo etiam exsurgebat ecclesia sub invocatione sancti Laurentii, quam tam Leo abbas, quam Petrus ejus successor bonis & prædiis insigniter locupletarunt.

XVIII. Origo monasterii de Morrona.

REFERENDA est circa hunc annum ædificatio illustris monasterii sanctæ Mariæ de Morrona in territorio Volaterrano. Ipsius auctores fuere Ugo sive Uguccio comes filius comitis Guilielmi Bulgari, & Cilia ejus conjux, qui hoc *anno ab incarnatione millesimo octuagesimo nono mense martii indictione duodecima*, consentientibus Ugolino & Rainuccino proximis parentibus suis, sive, ut se efferunt in subscriptione, Ciliæ filiis, offerunt Deo ecclesiam *de monasterio*, & eidem ecclesiæ donant, cedunt & tradunt omnia, quæ monachi predictæ ecclesiæ modo habere & detinere videntur; quæ res positæ dicuntur prope ecclesiam sancti Petri. Alia donant prope fluvium, qui dicitur *Sora*, & molendina, quæ sunt in fluvio *Caldana*, ad usum, sumptum, & commodum, dispensationemque Deo militantium proprietario nomine. Donationis paginam affert Lamius, qui animadvertit, quod licet clare in comitis Uguccionis & Ciliæ comitissæ

charta

Ann. Chr. 1089.

charta non nominetur monasterium sanctæ Mariæ de Morrona, id tamen liquido ostenditur ex alio instrumento vel edicto comitum Ugonis & Lotherii filiorum ejusdem Uguccionis confecto circa annum 1097. in quo sic præfati germani loquuntur: *Nos Ugo & Lutherius comites, comitis filii quondam Huvvicionis. Sic. pat. ipse monasterii Morr. auctor & primus stabilitor post edictum cum conjuge sua genitrice nostra extitit ad honorem Dei & beate virginis Marie & sancti B. omniumque simul Sanctorum* &c. In eodem Ugonis & Lutherii edicto legitur episcopum *in consignatione illius abbatie cum jamdicto genitore nostro* excommunicationis pœnam intorsisse adversus eos, qui damnum quomodocumque attulissent in bona dicti monasterii, vel non persolvissent, quæ eidem cœnobio essent solvenda. Quem episcopum Volaterranum vel Opilionem fuisse, qui sedit post annum 1081. vel Ruggerium, qui ab anno 1098. ad annum 1115. Volaterranam ecclesiam rexit, arbitratur idem Lamius, dummodo inter utrumque medius alius non sederit, sed melius fuerit Opilio. Nos ex Lamio, qui fundationis chartam edidit in notis ad Leonem Urbevetanum, & denuo recudit anno 1743., eamdem exhibemus in Appendice nostra, ad originem patefaciendam hujus monasterii, quod paucis post annis reformationem eremi Camaldulensis suscepit.

XIX. Primordia cœnobii S. Martini de Tiphio.

Monasterii alterius sanctæ Mariæ & sanctorum Bartholomæi & Martini de Tipho vel Tiphio, quod sub Ambrosio generali semel unitum eremo Camaldulensi adhuc perseverat sub ejusdem dominio, primum monumentum, quod reperitur in locupletissimis indicibus Eduardi Baroncinii, est anni 1057. quo Johannes erat abbas ejusdem cœnobii. Perseverat Johannis nomen usque ad annum 1081. Post Johannem legitur in iisdem nomen Gerardi abbatis ab anno 1084. ad annum 1114. Sub Gerardo itaque abbate monasterii de Tiphio „ mense januario hujus „ anni M.LXXXIX. Redulphus & Ubertus quondam Berardi, & Ugo quon- „ dam Ugonis, & Rainerius & Ugo fratres filii quondam Burelli, & fra- „ tres Rainerius & Azo quondam Rainerii, & fratres Ugo & Berardus „ quondam Pagani, & Tuscano quondam Bosonis, & fratres Ugolinus & „ Rainerius; & .... quondam Anselmi cum consensu Rainerii & Ugonis „ patruorum & tutorum suorum, & Guilielmus, & .... fratres filii Er- „ minaldi cum consensu Tuscani patrui. Similiter Gen.... filia Ugonis „ cum consensu prædicti Rodulphi viri sui, & Sibilia filia Pagani uxor „ dicti Ugonis, & Berta uxor dicti Rainerii, & Cuniza prædicti Ugonis „ & Remgarda filia Guidonis uxor dicti Tuscani cum licentia virorum „ suorum & Johannis judicis; item Donzella filia Rainerii cum consensu „ supradicti Burelli mundualdi, & Alfarda quondam Pagani vidua Ermi- „ naldi cum consensu Guilielmini & Bosonis filiorum ejus & mundualdo- „ rum, cum consensu Tuscani, omnes simul asserentes a parentibus suis „ vel ab ipsis constructam fuisse, donatam & ordinatam ecclesiam sancti „ Martini & sancti Bartholomæi in vocabulo Tiphio, ibidemque monaste- „ rium constitutum monachorum, & regulam sancti Benedicti, & abba- „ tiam, prædicti confirmaverunt omnia, ita ut nullus abbas, nisi ele- „ ctus a monachis dicti monasterii, & a patronis ac successoribus juspa- „ tronatus regere valeat, promittentes defendere, ut numquam subjicia- „ tur episcopo, sine ipsorum licentia. Insuper confirmaverunt dicto mo- „ nasterio collem seu montem de Tiphio & omnia bona, ecclesias &c. „ abbati Gerardo ibidem existenti. Actum in comitatu Arretino manu „ Johannis notarii.“ Monasterium hocce extat in diœcesi Castellana, sive Civitatis-Castelli, ad hodiernam diem unitum mensæ eremi Camaldulensis.

Ann. Chr. 1089.

XX.

Chartæ aliquot monasteriorum. De cœnobio S. Joh. de Saxo.

Ad annum 1063. excerptum veteris paginæ adduximus ex archivo comitum Senensium Bicchiorum, qua bona donantur hoc „ anno 1089 „ mense martio a Rodulfo Signorelli, & a Johanne Guazzonis, & a Johanne Federici ecclesiæ sanctæ Mariæ de Colle comitatus Florentini, „ diœcesis autem Fesulanæ, ut imposterum Bertha abbatissa sancti Am„ brosii de monte Cellesio facultatem habeat eligendi & ordinandi sancti„ moniales in dicto loco *Collis* sub regula sancti Benedicti. "

Johannis abbatis sancti Benedicti in Alpibus seu Bifurci nomen legitur sub hoc anno in pagina [a] donationis existente in archivo capitulari canonicorum basilicæ sancti Laurentii de Florentia. Johanni postea successit Ildebrandus. Rainerii autem abbatis monasterii sancti Petri in Campo nomen reperitur in altera charta [b] largitionis ipsi factæ a Manfredo quondam Teuzonis, quæ servatur in armario communitatis Senensis vulgo appellato Balìa.

a C. 1. *maz.* 11. *n.* 17.

b *Num.* 1. *capf. Balzana.*

Ex chartis, quarum nos summa humanitate participes effecit domnus Petrus-aloysius Galletus monachus Casinensis abbatiæ sancti Pauli de Urbe, primam notitiam habemus hoc *anno millesimo octuagesimo nono*, *regnante Heinrico rege mense junii indictione duodecima*, monasterii sancti Johannis-decollati de Saxo siti in territorio Arretino. Prima cœnobii denominatio fuit sancti Salvatoris, & ex loco seu ex monte, in quo constitutum erat, appellatum *de Popano*, *in monte*, *in alpe Popano*. In Popano ecclesiam habebat etiam Bernardinus Sidoniæ, quam pro Camaldulensibus in monasterium erigi cupiebat, ut videbimus ad annum 1104. In ecclesiam sancti Bartholomæi de Popani jus obtinebat anno 1198. monasterium Decianense, quod insuper possidebat alpes *de Popani*. Abbas loci sancti Salvatoris seu prælatus, aut præpositus erat hoc anno Winizo, qui libellum emphyteusis scribit cuidam Farolpho filio olim Ursonis. Anno autem 1101. successerat Winizoni Placidus abbas, cui Azo quidam offert omnes proprietates & jura sua posita *infra plebem sancte Marie sita Falciano in loco Agnano*. De abbatia sancti Johannis de Saxo aliqua seculis sequentibus.

Ann. Chr. 1090.

XXI.

Notitiæ de Guidone Donoraticense comite, inde eremita.

Floruit ad hæc tempora eremiticæ vitæ studio admodum celebris sanctus Guidus Pisis natus ex comitibus Donoratici, nimirum ex nobilissima familia Gherardesca. Quodnam vitæ institutum arripuerit, plane non liquet, & an se alicui monasticæ vel eremiticæ congregationi addixerit, non satis compertum. Non desunt, qui beatum Guidum ad tempora retrahant sanctorum Francisci & Dominici, ipsumque Tertiarium eorum ordinum faciant. Papebrochius in sylloge historica ejusdem sancti viri ad diem XX. maji refert „ Antonium Tagnocchi de Terrinca ordinis sancti „ Francisci Empurii in Etruria paratum prælo habuisse tempore, quo hæc „ scribebat, *Theatrum Sanctorum & Beatorum Etrusco-minoritarum*, ubi „ Tertiariis sui ordinis sanctum Guidum accenset, quem beati Luchesii „ (hujus acta illustravit idem Papebrochius ad diem XXVIII. aprilis) „ primi ea in provincia Tertiarii, ab ipsomet sancto Francisco ad habi„ tum regulamque admissi, discipulum fuisse opinatur, adductus auctori„ tate illustrissimi domini Hippolyti comitis de Gherardesca, I. V. D. & „ metropolitanæ Florentinæ canonici, qui id sibi affirmarit die IV. ja„ nuarii anni 1678. quodque in ecclesia ipsius beati Luchesii apud Po„ dium-bonitii inveniatur imago beati Guidi picta in habitu tertii ordi„ nis " Sed etiam Dominicanis accensetur sanctus vir, & superius idem Papebrochius retulerat „ Ractium ad Donoraticensis familiæ, unde sanctus

ANN. CHR. 1090.

„ ctus Guidus prodiit, commendationem minime vulgarem, addere se-
„ quentem memoriam antiquitus servatam Pisis apud patres ordinis Præ-
„ dicatorum conventus sanctæ Catharinæ Senensis, de quodam illius con-
„ ventus anno 1222. fundati Beato, ut illi vocant, Gaddo, qui una cum
„ fratre suo Bonifacio, postea episcopo Chironensi, inter primos illius nu-
„ meratus est inquilinos: Frater Gaddus e comitibus a Donoratico, fami-
„ lia nobilissima & inter Pisanos primaria, & tota Italia celeberrima, in
„ delitiis & divitiis educatus, magistratibus & honoribus proximus, om-
„ nibus spretis, nostram elegit paupertatem, eam regnis & sedibus præ-
„ ponens. Manum autem, quam ad aratrum miserat, nunquam retraxit,
„ nec post tergum respexit. Pristinæ dignitatis oblitus nullum prætendebat
„ fastum, nihil propriæ libertatis, quam pro Christo vendiderat, in suis
„ actibus ostendebat. Humilis abjectus humilem secutus est magistrum,
„ & sicut moribus componendis totis vacabat viribus, ita literis ediscen-
„ dis impigre incumbebat. Vigiliis & laboribus, quibus sine ulla paratur
„ virtus, non parcens, a Parisiis rediens, factus generalis prædicator &
„ lector Pisanus, diem obiit non sine ordinis detrimento; in magnum
„ enim virum evasurus sperabatur. De hoc autem mihi scribitur, sequi-
„ tur Papebrochius, filium comitis Tedicis de Donoratico fuisse, viven-
„ teque adhuc sancto Dominico sub annum 1222. habitu ordinis dona-
„ tum, quasdam suas domos dedisse ædificando Pisis conventui. " Hucus-
que illustris actuum Sanctorum editor, post quæ verba subdit. „ Quæ si
„ habeant aliquod in veritate fundamentum, ruit Ractii conjectura, qua
„ floruisse eum ait circa annum 1100. Sed si attendas allata a Ractio
„ exempla eremiticæ vitæ, quam Guidus instituerit pro suæ ætatis usu,
„ merito suspicaberis errore typothetico 1. pro 3. obrepsisse, & notare
„ illum voluisse annum 1300. Certe beatus Luchesius primum anno 1221.
„ habitum suscepit, & obiit anno 1260. Ego in medium relictum volo,
„ utrum alicujus ordinis regulam Guidus assumpserit, & donec antiquior
„ aliqua notitia producatur, inter simplices solitarios eum relinquo citra
„ cujusquam præjudicium; maxime cum de ejus ætate nihil dici possit,
„ nisi per meram conjecturam, & potuerit ipsam Minoritici ordinis, ne-
„ dum Tertiariorum ejus, institutionem multis annis præcessisse. " Hæc
in præfata sylloge collegerat Papebrochius Guidum partim Franciscanis,
partim Dominicanis, partim neutri eorum tribuens, cum admonitus
fuit congruo tempore ab illustrissimo comite de Gherardesca Hippolyti
prælaudati fratre, Guidum fuisse filium Napolionis comitis Donoratici,
qui circa medietatem seculi undecimi vivebat; quare accuratiores notitias
in medium proferens Ractio subscribere videtur, & antiquiorem Mendi-
cantium ordinum familiis Guidum agnoscens ad finem undecimi, vel ad
initia duodecimi seculi beati viri ætatem assignat.

Grandius noster in vita ms. ejusdem sancti Guidi ipsum floruisse asserit
sub Rustico & sub Leone abbatibus cœnobii sancti Michaelis in burgo
Pisarum, qui undecimo seculo declinante ejusdem monasterii regimen ob-
tinuere, natumque circa dimidium ejus seculi profecisse primum in clau-
stris ipsius cœnobii, inde sub Leone abbate copiam discessus postulasse,
ut in abditiore loco vitam perfectioris eremiticæ disciplinæ amplecteretur.
Verum, quo fundamento hæc affirmet, omnino silentio præterit. V. Cl.
domnus Fidelis Soldanius monachus Vallis-umbrosæ, & non semel in An-
nalibus nostris laudatus in sua historia genealogica ms. familiæ Gherarde-
schæ [a] ex monumentis ejusdem familiæ, ex traditione, & ex picturis an-
tiquissimis sanctum Guidum institutum Camaldulensium monachorum &

[a] *Pag.* 128.

Ann. Chr. 1090.

eremitarum fuisse sectatum conjicit; idque confirmat ex eremitica conversatione paulo ante a sancto Romualdo in Etruria propagata, & ex propinquitate monasterii nostri sanctæ Mariæ de Aschis ei loco, in quo se inclusit sanctus Guidus, silvæ nimirum Castanetensi. Uterque ipsorum, immo & suprarelatus comes de Gherardescha natum Guidum asserunt circa dimidium seculi XI. ex Napolione comite Donoratici, qui unus fuit ex tredecim viris, qui anno 1053. fundaverunt domum Misericordiæ in Pisana urbe pro pauperibus alendis in ea existentibus. Soldanius tamen suspicatur patrem Guidi fuisse Teudicem. Fratrem insuper Guidum faciunt Petri Pisani, qui a Paschale papa II. creatus cardinalis interfuit electioni Gelasii II. anno 1118. eamque dignitatem obtinuit sub Calixto II. & sub Honorio II. deinde adhæsit schismati Petri-leonis anno 1130. electi anti-papæ contra Innocentium II. de quo cardinale Petro Johannes Sarisberiensis testimonium profert *nullum aut vix similem ei fuisse in curia*. Pubertatis annos egressus Guidus, amore solitudinis captus se recepit in silvam suæ ditionis, Castenetum appellatam. Ferrarius ad hunc præcise annum 1090. ejus recessum statuit. In Castaneto Donoraticense abbatia inde fuit fundata ad Camaldulensem congregationem pertinens, Pisani vel Volaterrani territorii, sui primum juris, assignata deinde monasterio nostro sanctorum Justi & Clementis prope Volaterras, appellata etiam cœnobium sanctæ Mariæ de Aschis. In eodem territorio Volaterrano initiis seculi sequentis monasterium erat sub directione eremi Camaldulensis de Carisio dictum, cujus fratres, utpote vitæ contemplativæ vacantes *reclusos* appellat in bulla confirmationis abbatis Rogerius episcopus Volaterranus anno 1115. qui creditur fuisse emortualis ejusdem Guidi. Aderat & aliud valde celebre monasterium sanctorum Justi & Clementis, quod primis sequentis seculi annis disciplinam Camaldulensem profitebatur. In Castaneto Guido oratorium primo construxit sub invocatione sanctæ Mariæ de Gloria, quod forte idem est ac monasterium sanctæ Mariæ ad Nives, & etiam de Aschis. Cetera vitæ sancti Guidi acta injuria temporum sunt deperdita. Defunctum asserit Ferrarius anno Domini M. XC. IX. sed cum picturæ veteres non juvenem sed senem nobis exhibeant, ac macie & ætate exhaustum sanctum Guidum, rectius aliquot annis post initium sequentis seculi XII. ejus obitum assignat Ractius; Grandius vero & Soldanius signanter ad annum 1115. ad quem proinde annum de Guidi felici morte sermonem instituemus.

XXII. Donatio ecc. Soci eremo Camald.

Ecclesiæ & eremo Camaldulensi offert hoc anno mense augusto Feralmus filius quondam Corbitionis integram suam partem ecclesiæ, quæ ædificata & consecrata erat ad honorem Dei, & sancti Nicolai & sancti Prosperi, constituta vero in loco Soci. Vidimus ecclesiæ hujus consecrationis sollemnia peracta fuisse anno 1058. ab episcopo Azone. Chartam donationis Feralmi ex tabulario Fontis-boni producimus in Appendice, cum duabus aliis paginis donationum factarum monasterio San-victoriano & Murico abbati ex archivo monasterii sanctæ Catharinæ de Fabriano. Ex summariis Eduardi Baroncinii [a] Herizus quoque olim Liutulfi judicavit hoc anno eremo Camaldulensi, & Martino priori omnes suas possessiones positas in pleberio sancti Martini de Sala & in Fojano, in colle Marini, & in valle Sculpito, excepto morganato suæ uxoris.

[a] §. *Donatio* 200. *A.* I. 6.

XXIII. De Cuniza abbatissa S. Petri de Luco.

Cuniza comitissa filia Alberti comitis (in alia charta appellatur filia olim comitis Origani) & uxor Gotidii comitis, mutuo consensu viri sui, qui in eremo Camaldulensi Deo se consecraverat, relictis seculi pompis & voluptatibus, una cum Beatrice & Mathilda filiabus suis, quarum Mathil-

Ann. Chr. 1090.

Mathilda olim desponsata fuerat Bernardo comiti, Beatrix vero virgo dicata Deo appellatur circa annum 1094. a Rainerio episcopo Florentino, sacrum velamen in noviter extructo parthenone sancti Petri de Luco susceperat, ejusdemque loci obtinuerat abbatissæ dignitate administrationem, vivente adhuc Rodulpho priore Camaldulensi, & asceterii fundatore. Circa hunc annum, nam notæ chronicæ sunt omnino vitiatæ; legitur enim: *anno Dominice incarnationis millesimo nonagesimo, secundo idus februarii indictione nona*. Porro anno 1090. indictio erat XIII. Sin autem legendum sit *anno millesimo nonagesimo secundo, idus februarii*, indictio erat XV. Quapropter circa hunc annum, in præsentia Azonis archipresbyteri civitatis Florentiæ & Azonis filii, Alberti plebani sanctæ Mariæ de Rivo-cornoclario, & Petri abbatis monasterii sancti Petri de Muscheto & aliorum, ipsa Cuniza, quæ in pagina appellatur *archimandritissa de monasterio sancti Petri sito Luco*, chartam refutationis facit *omnium albergariarum & dationum ad omnes homines, qui fuerunt de filiis Gotizii, de Riofrido, & de Casanova circa vassallatico*. Et ipsi homines spoponderunt se soluturos quotannis eidem parthenoni *septem stariora terre de unoquoque manso*, & in auxilium venturos præfati monasterii *pro rege, marchione, civitate, incendio & pro maximo conquesto*. *Actum a Casanove comitatu Florentino*. Interfuit huic transactioni etiam Albertus presbyter monasterii Luci; scilicet ab eo tempore & a sui origine monasterium hocce unum erat ex iis, quæ duplicia appellabantur, in quo præter sanctimoniales, distinctis tamen habitationibus, presbyteri etiam & clerici & conversi morabantur, vel pro ministrandis sacramentis, vel tamquam procuratores & gestores negotiorum earumdem sanctimonialium.

Winizo abbas & rector ecclesiæ & monasterii beatæ Mariæ & sanctorum Pauli & Bartholomæi de Agnano libellum emphyteusis scribit hoc anno Tederico filio Griffi de quibusdam bonis sui monasterii sitis in plebe sancti Quirici in Ambra comitatus Arretini; reservat tamen sibi ecclesiam sancti Michaelis ibidem positam. Subscribunt post Winizonem abbatem Martinus monachus & prior, Rollandus atque Morandus monachi. Duplex suberat monasterio Agnani ecclesia sub invocatione sancti Michaelis, alia appellata de Caphajora, alia de Tontinano, ut discimus ex bullis apostolicis Eugenii III. Clementis III. & aliorum Romanorum pontificum, in quibus præfatæ ecclesiæ confirmantur cœnobio Agnanensi. Charta emphyteutica extat in tabulario monasterii sanctæ Mariæ in Gradibus de Arretio.[a]

[a] *Num.* 23.

Ann. Chr. 1091.

XXIV. Donatio ecc. Condolese eremo Camald.

MARTINUS prior Camaldulensis hoc anno ab Ugone filio Ugonis consecutus est in villa de Condolese territorii Arretini totum ejus prædium cum ecclesiis ceterisque bonis, permutatione cum ipso facta aliorum bonorum, quæ ad eremum Camaldulensem pertinebant, quæque erant in territorio Castellano, manu Aritii notarii, ut in suo chronico, seu potius in excerptis tabularii Fontis-boni scribit Eduardus Baroncinius. Ecclesiæ & bona villæ de Condolese confirmata fuere eremo Camaldulensi a Paschale II. Romano pontifice in suo privilegio anni 1105. & deinceps recensentur ab aliis Romanis pontificibus & ab imperatoribus in diplomatibus sequentium seculorum. Sed jamdudum ecclesia de Condolese adnexa fuit plebi sanctæ Mariæ de Partina, quæ erat in eodem Arretino comitatu.

XXV. Primæ notitiæ monasterii S. Mariæ de Insula.

PRIMA notitia, quæ se nobis exhibet monasterii sanctæ Mariæ de Insula, quod ædificatum erat in territorio Galeatæ & in plebe sancti Petri, continetur in autographa pagina archivi Fontis-boni signata *anno Christi mille-*

Ann. Chr. 1091.

millesimo nonagesimo primo tempore domni Clementis pape & Enrici filius quondam Enrici imperatoris, die nonodecimo mensis februarii, indictione quartadecima. Legitur in ea Ugonem filium Ameltrudæ & Bertam ejus conjugem, Atolsum quoque filium Rustici, & Neviam ejus uxorem pagina venditionis tradidisse Rembaldo Dei gratia presbytero & monacho atque abbati monasterii sanctæ Mariæ, quæ vocatur in Insula, terras positas in plano de Prato; Rembaldum vero abbatem pretium obtulisse pellis unius pro solidis quinquaginta denariorum Veneticorum. Actum in loco, qui vocatur *Lama Ergapleda*. Celebre inde evasit Insulanum monasterium, & pluribus piorum virorum largitionibus & ecclesiarum accessionibus locupletatum, cujus non infrequens memoria nobis occurret in his Annalibus.

XXVI. Charta San-Victoriana. Comitis de Donigalia donatio cœnobio S.Hippolyti de Faventia. Aliqua de iis comitibus.

Muricum abbatem monasterii sancti Victoris de Clusis, titulo insuper decoratum episcopi, sed alterum a præcedenti, de quo annis superioribus egimus, habemus in charta Fabrianensi hujus *anni millesimi nojesimi primi, rennante domno .... mense november per indictione quarta .....* supple *decima*. Ipse enim *episcopus & abbas de monasterio sancto Victore, una per consensum & voluntate de omnes monachis meis & de omnes clericis meis, secundum meam Romanam legem* confirmat, & quædam sui monasterii bona concedit in emphyteusim Alcino filio Luzii. Raginerius quoque abbas successor alterius Murici, & prædecessor Murici II. usurpat eadem verba: *Cum consilio & voluntate de monachis & clericis ipsius monasterii*; quare in eam sententiam devenimus utrumque Muricum Victorianum abbatem abusive appellatos fuisse a notariis episcopos, quia sicut ratione monachorum, quos regebant, titulum promerebantur abbatum, ita ratione clericorum, qui una cum monachis in eodem cœnobio vitam ducebant, titulum penes ipsos obtinebant episcoporum. Non incongrue existimamus clericos hos ad classem pertinuisse conversorum, quorum frequentissimus usus & numerus his temporibus erat in monasteriis, & hos ab abbatibus præfectos datos fuisse iis ecclesiis, quæ sub jure erant suorum monasteriorum.

Raynerium abbatem sanctæ Mariæ de Pratalia legimus sub hoc & sequenti anno in quibusdam libellis emphiteuticis extantibus in tabulario sanctæ Mariæ in Gradibus de Arretio. Successerat Raynerius Ugoni, de quo mentionem fecimus sub anno 1084.

Hoc eodem *anno millesimo nonagesimo primo indictione quartadecima die vigesima octava mensis madii tempore dompni Clementis pape II.* (legendum III.) *& dompni Henrici regis*, Albericus sive Almericus comes de Donicagla seu Donigallia pro anima sua & parentum suorum donavit Gerardo abbati monasterii sanctorum Laurentii & Hippolyti de Faventia recipienti pro se, & pro toto collegio, quod inibi nunc est, vel in futurum erit, integrum fundum appellatum de *Viginti-quinque*, constitutum in curia sua de Donigallia territorio Corneliense & plebatu de Fabrico; in aliis exemplaribus legitur territorio Faventino & in plebe sanctæ Mariæ de Cantu-lucinio sive Centu-licinio. Alius proinde erat Donogaliæ locus positus in episcopatu Ariminensi, de quo & de ascetis ibidem Deo servientibus seculo XIII. aliqua habet in sua Montis-oliveti historia abbas Secundus Lancellotus [a]. In alio authentico instrumento hujus donationis ex tabulario ejusdem cœnobii legitur ipsa pagina confecta ab Alberico comite *anno millesimo octuagesimo sexto regnante Henrico quondam Henrici imperatoris filio die undecimo mensis madii indictione nona*. Forte eo anno Albericus donationem animo proposuit suo, sed eam ad effectum non perduxit

[a] Pagg. 203. 204.

duxit nisi anno præsenti. Gerardus abbas successit in regimen ejusdem monasterii Hieronymo abbati, qui vivebat anno 1087. Albericus autem comes de Donigallia ad eos comites pertinere videtur, qui jus dicebant in comitatu Foro-corneliensi. Guidonem comitem Foro-corneliensem Damiani amicissimum in medium produximus ad annum 1057.[a] eumdemque superstitem vidimus ad annum 1073. & Gerardo filio Ugonis comitis successisse conjecimus. Ugolinum comitem filium Guidonis comitis Imolensis legimus in autographa charta ex iis, quibus ditati sumus a Cl. viro Bonifacio Rangonio marchione Mutinense. Hic anno 1097. investituram castri Donigalliæ accepit a Wiberto archiepiscopo Ravennate. Forte Albericus frater erat Ugolini. In iisdem chartis antiquiorem horum comitum memoriam reperimus; Gerardus enim comes filius Gerardi comitis & vir Giseltrudæ anno 957. a Petro archiepiscopo Ravennate investitur massa Centum-licinia posita in plebe sanctæ Mariæ. Sed utramque paginam ineditam, & haud multum prolixam ad illustrationem horum comitum subjicimus, præsertim cum de eorum successoribus alia simus allaturi pro monasterio prædicto seculis sequentibus.

ANN. CHR. 1091.

[a] T. II. Annal. pag. 169.

In nomine patris & filii & spiritus sancti. Anno Deo propitio pontificatus domni Johannis summi pontificis & universalis pape in apostolica sacratissima beati Petri sede primo, sitque regnantibus Berengario & Adelberto ejus filio piissimis regibus anno septimo die sexto mensis aprilis indictione quintadecima. Domino sancto & meritis beatissimo atque apostolico patri patrum domno Petro sanctissimo sancte catholice Ravennatis ecclesie archiepiscopo. Nobili viro Gerardo filio quondam Gerardi comitis, & Giseltruda jugalis seu filiis & nepotibus nostris, qui de nostro commune amplexo nati sunt vel fuerint procreati tantummodo. Facilis impetrandi via est, quociens beneficia a sancta vestra Ravennate ecclesia, quod juri ejus non noceat, postulari, sed id semper apostolatui vestro ordinare confidimus, & quoniam speramus, uti massa in integrum, que vocatur Centum lisinia, quem vos usque modo a manibus vestris tenere visi eritis cum casalibus & apendicibus suis cum terris & vineis, campis pratis pascuis silvis salectis sationalibus, cultum & incultum, domnicatum & colonicatum & cum omnibus a predicta Massa pertinentibus constituta territorio Corneliense plebe sancte Marie, que vocatur Centum Lisinia, inter affines ipsius Masse ab uno latere fundo Pulliano, ab alio latere rivo, qui vocatur Allo, seu a tercio latere fundus Apianico, atque a quarto latere locus qui vocatur Mondanico, vel quantuscumque a manibus vestris tenetis ad ipsam Massam pertinentibus de jura sancte vestre Ravennatis ecclesie enfiteuticario modo postulamus largiri, si minime cuiquam per enfiteusi antea sunt largita, vel si juste & rationabiliter a vobis petivimus, & ab aliis minime detinentur. Nos qui supra nobili viro Gerardo filio quondam Gerardi comitis & Giseltruda jugalis seu filiis & nepotibus nostris, qui de nostro commune amplexo nati sunt vel fuerint procreati tantummodo, donec nos divinitas in hac luce jusserit permanere, sub denariis sex pensione singulis quibusque indictionibus actoribus sancte vestre Ravennatis ecclesie inferre debeamus, ea vero conditione prefixa, ut suprascripta res nostris propriis expensis seu laboribus cultare, roncare, pastinare, propaginare, defensare & in omnibus meliorare Deo debeamus adjutore, nihilque de omni expensa, quam inibi fecerimus, ab actoribus sancte vestre Ravennatis ecclesie in superius affixa pensione quoquomodo reputari debeamus, nullamque tardietate vel neglectu tam ad inferendam suprascriptam pensionem, quamque ad cultura vel melioratione predictarum rerum facere debeamus, set ante nominatam pensionem omni marcio mense infra indi-

Ann. Chr. 1091.

indictionem sine aliqua excusatione aut dilatatione actoribus sancte vestre Ravennatis ecclesie persolvere debeamus, & ne cuiquam presens preceptum, aut suprascripta res alicui homini dare vel vendere seu transferre aut oponere vel commutuare aut in alio venerabili loco relinquere audeamus per nullum ingenium vel argumentum, set nec aliquando adversus sanctam vestram benefatricem nostram Ravennatem ecclesiam cuiquam contra justitiam tractare aut agere nisi propria causa si contigerit per justitiam tantummodo ventilare audeamus, quod si in aliqua tardietate aut neglectu vel controversia inventi fuerimus extra agere de his que superius affixis conditionibus, non solum de hoc preceptum recadeamus, verum eciam daturi nos promittimus parti sancte vestre Ravennatis ecclesie ante omne litis initium aut interpellationem pene nomine auri ebrizo libram unam, & si non persolverimus multociens dictam pensionem infra biennium, ut leges censeunt, tunc post pene solutionis licentia sit actoribus sancte vestre Ravennatis ecclesie nos exinde expellere & qualiter previderint ordinare, set & post transitum nostrum, quorum si aliquando Domino placuerit tociens dicta res cum omnibus, que inibi a nobis aucta facta meliorataque fuerint, ad jus dominiumque sancte vestre Ravennatis, cui est proprietas, revertatur ecclesie; quam petitionis nostre paginam Georgium notarium sancte vestre Ravennatis ecclesie scribendam rogavimus, in qua nos subscripsimus, vel signum sancte crucis fecimus, testibusque a nobis rogatis obtulimus subscribendam sub die mensis & indictione suprascripta quintadecima. Ravenne.

† *Gerardo filio quondam Gerardi comite in ac peticione a me facta ss.*

†† *Signum manus Lamberto filio Petrus comitis de omnia que superius leguntur rogatus teste signum sancte Crucis fecit.*

† *Signum manus Leo filio quondam Leo, qui vocatur de Nocito de omnia que superius leguntur rogatus teste signum sancte Crucis fecit.*

† *Signum manus Arialdo nacioni Lamgobardorum de omnia* &c.

† *Signum manus Guidoni, qui vocatur de Bafridi de omnia* &c.

† *Signum manus Fulcherado Bononiensis de omnia* &c.

† *Signum manus Rodaldo, qui vocatur Roizo nationi Lamgobardorum de omnia* &c.

†. *IN nomine patris & filii & spiritus sancti. Anno ab incarnatione ejus millesimo nonagesimo septimo temporibus donni Clementis pape & Inrici imperatoris die viesimo secundo mensis septembris indictione sesta in urbe Cesene. Bonum & utile videtur, ut hominum facta literis narrentur, ne forte oblivioni tradantur.* DUM *sederet dominus Gibertus archiepiscopus sancte Ravennatis ecclesie in claustra Cesenatis canonice, astantibus omnibus ante eum clericis & laicis, silicet Morando Imolensi episcopo, & Widone Ferrariensi episcopo, & Guidone filio Manfredi, & Ugone filio Gerardi, & Johanne Ingonis filio, & Tebaldo, qui vocatur de Corbo, & aliis quampluribus, quoniam longum est ad scribendum, infrascriptorum & aliorum presencia, accedens Ugolinus filius Guidonis comitis Imolensis posuit manum supra sanctorum evangeliorum librum positum ante faciem ejusdem archiepiscopi, juravit ei fidelitatem, sicut vassallus solet jurare domino suo, & juravit etiam se numquam moturum accionem criminalem aud civilem, & numquam facturum dannum aut contrarietatem eidem archiepiscopo occasione capcionis sue persone, aud castri sui Donnicali, & neque omnibus, que adjutorium & consilium predicto archiepiscopo de predicta capcione dedere.* ET *juravit se adjuvare eundem archiepiscopum & suos, redificare castrum sancti Potiti, & redificatum castellum & curtem cum omni studio & posse suo retinere & defendere contra omnes omines. Alia quoque juravit, que*

sunt

sunt scripta in breve recordationis predicti Sacramenti , & si omnia , que suprascripta sunt in hac cartula , & in dicto brevi recordationis non osservasset , tradit jure pingnoris & nomine pene . . . . quidquid abebat in Donicalia castrum & curtem , & quidquid abebat in castro Willarini & curte ; & duas partes de curte Mondanica ; & aprendit per manum Ugonem filium Girardi & misit eum in manum predicti archiepiscopi , qui traderet ei aud suo misso vel suo procuratori & suis successoribus sancte Ravennatis ecclesie predictum pingnus , etiam juravit predictus comes , quod predictam ipotecam , & pingnus omni modo se observaturum , ut scribitur. Quam vero paginam Petrus tabellio Longianensis de territorio Arimini scripsit.

Ego Morandus episcopus Immolensis rogatus testis ss.

Ego Wido Ferrariensis episcopus rogatus testis ss.

† Singnum manus Guidonis olim filius Manfridi rogatus testis , ut supra ss.

Petrus molendinarius in hac ipothece cartula testis ss.

Ego Ugo filius Girardi testis ss.

Ann. Chr. 1091.

Ann. Chr. 1092.

XXVII. Constantinus ep. Arretinus eremo Camald. bona donata confirmat.

CONSTANTINUS episcopus Arretinus per suam paginam cuncto clero & populo sibi subjecto significat se hoc anno dono dedisse *carissimo donno Martino venerabili patri anachoritarum eremi Campi amabilis ceterisque confratribus eremitis communi vita Deo famulantibus* integrum mansum juris episcopii sui positum *infra plebem sancte Marie sitam Partina*, alias quoque terras prope castrum Soci , & ecclesiam sancti Nicolai . Confirmat similiter quidquid eremus Camaldulensis acquisiverat a Feralmo filio Corbitionis in loco Soci , de qua donatione egimus sub anno 1090. *Actum infra castello de Biblina* , seu Biblena , *anno Dominice incarnationis millesimo nonagesimo secundo , regnante Henrico rege mense december indictione prima* , inchoata mense septembri . Subscribit post episcopum Rolandus vice-dominus ecclesiæ Arretinæ.

XXVIII. Uguccionis comitis largitiones eidem eremo.

UGUCCIO comes filius quondam Bulgari comitis, idem, quem monasterium sanctæ Mariæ de Morrona fundasse ad annum 1089. diximus , quique multa dabat per hæc tempora beneficentiæ & pietatis testimonia erga monasteria & pia loca , hoc *anno ab incarnatione Domini nonagesimo secundo post mille mense aprilis indictione quintadecima*, tradit Bonicio *monacho de ecclesia & ermitorio sancti Salvatoris sita Campi amabilis* integrum unum castellare de terra positum *infra territorio de plebe sancti Stephani , sicut ipsum castellum fuit edificatum a fossis cum ipsum fundum , sicut predictus Bulgari comes habuit . Actum in loco Bentina* . Castellare hoc appellabatur de Campi, quod cum suis bonis confirmatum reperimus eremo Camaldulensi in privilegio Paschalis papæ II. ad annum 1105. Chartam traditionis Uguccionis comitis ex tabulario monasterii sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia , sicut superiorem Constantini episcopi ex archivo Fontis-boni , edimus in Appendice.

Ejusdem Uguccionis alteram paginam profert Lamius [a] confectam *anno ab incarnatione nonagesimo sexto post mille mense madii indictione quarta* , qua ipse vendit Ildebrando filio Ugonis terram positam in curte de Ficiclo . Quam chartam *predictus comes fecit & dedit Alberto comiti a vice ipsius Ildebrandi , eo tenore si filii & heredes ipsius Ughitzonis comitis post suum decessum dederint pro anima ejus centum libras de bonis denariis de Luca usque ad tricesimum diem , & alias centum usque ad caput unius anni post mortem ejus , in laudamento de abbate de Ficiclo , & de abbate de Septimo , & de priore de Camalduli* (is erat Martinus) *& domni Gerar-*

a *Delic. erudit. T. XVI. pag.* 1368.

Ann. Chr. 1092.

di de Domo, si vivi fuerint &c. Tertiam Uguccionis chartam, qua *anno* M. XCIV. *mense augusto indictione secunda Ughitiones comes filius bone memorie Bolgari, qui fuit comes*, vendit *in ecclesia & monasterio sancte Marie site in Mantignano, ubi Imilia abbatissa posita preesse videtur, terras in Agnano, Grimaldo notario*, profert tabularium [a] parthenonis sanctæ Apolloniæ de Florentia sanctimonialium albarum ordinis sancti Benedicti, cui unitum fuit seculo XV. præfatum monasterium de Mantignano. Alias ipsius Uguccionis & filiorum ipsius paginas alibi proferemus.

[a] *Num.* 416.

Remittimus ad eamdem Appendicem ex chartario cœnobii sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia paginam venditionis factæ a Gerardo, & ab Ugone germanis filiis Uberti quondam Marzoli Gerardo presbytero & monacho atque abbati monasterii sancti Hippolyti quartæ partis ecclesiæ, *que est sita & consecrata in loco, qui dicitur Scarzana, cum vocabulo sancti Laurentii* cum terris & rebus sui juris ad dictam ecclesiam spectantibus positis in territorio Faventino & in plebe sancti Valentini, quæ est in Treudactio. Pretii nomine data fuit a Gerardo abbate *crosna una per solidos viginti monete Lucensium. Anno ab incarnatione Domini millesimo nonagesimo secundo, tempore Domini Clementis pape & Henrichi imperatoris die quintadecima mensis martii indictione quintadecima apud locum, qui dicitur Lutriano*. In privilegio Alexandri papæ III. concesso anno 1181. monasterio sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia, ubi enumerantur bona & ecclesiæ, quæ juris erant prædicti cœnobii, nominatur ecclesia sancti Laurentii in Scarzana; crosna autem pallii seu vestimenti genus erat.

Petro priori eremi sancti Barnabæ de Gamugno successerat Albertus, cujus nomen sub hoc anno reperitur in charta [b] emptionis extante in tabulario canonicorum sancti Laurentii de Florentia.

[b] C. 1. *maz.* 11. *n.* 29.

Ann. Chr. 1093.

XXIX. Walfredi comitis charta.

WALFREDUS comes filius bonæ memoriæ Guidonis, qui similiter fuit comes, commutat hoc anno *nonagesimo tertio post mille mense madio indictione prima* terras cum Martino priore ecclesiæ eremi sancti Salvatoris Campi-amabilis. Mensura terrarum designata usurpatur in hac charta *per funes, & per singulas funes brachia duodecim. Actum Casentino judiciaria Florentina*. Walfredus ad eos comites Guidones sive Guidios pertinet, qui lege vivebant Ripuaria, de quibus plura diximus ad annum 1054. Fratrem quoque arbitramur Alberti, & Ugonis, vel etiam ipsum esse V.. filium similiter bonæ memoriæ Guidonis comitis, de quibus afferemus plura ad annum 1099. Certe Walfredi & Alberti nomina hæreditaria erant in ea Guidonum stirpe, qui vivebant hujusmodi Ripuaria lege; idque potissimum dicendum de Alberto & de V.. quos videbimus donasse eremo Camaldulensi & Martino priori easdem ecclesias & monasteria, quæ anno 1054. confirmaverat Rainerio abbati sanctæ Mariæ de Aprognano in territorio Fesulano eorum genitor Guido, filius quondam Alberti, lege vivens similiter Ripuaria. Id indicare videtur etiam ipsa charta, in qua nominantur locus Strumi, & ecclesia sancti Michaelis, quam illam existimamus esse, quæ dicebatur de Poplena. Sed clariora ad annum 1099. Alterius autem stirpis Guidones vel Guidii comites his temporibus lege vivebant Langobardorum, & ipsorum, sicut plura annis præteritis, ita proximis & futuris occurrent majora in his nostris Annalibus erga Thusciæ monasteria beneficentiæ monumenta.

Nota digna extat pagina [c] in tabulario monasterii sanctæ Mariæ in Gradibus de Arretio sub hoc anno, cujus excerptum hic damus. Raynerius quon-

[c] *Num.* 26.

quondam Griffonis, Saxo filius Raynerii, Guilielmus quondam Saxonis, & Ugo quondam Teuzonis substituunt filiis suis, *si prodigi vel furiosi fuerint*, in hæredem ecclesiam & cœnobium sanctæ Mariæ & beati Pauli de Agnano, ejusque archimandritam, quousque ipsi eorum filii compotes mentis fuerint. Actum in suburbio civitatis Arretinæ, manu Aritii notarii. Alter [a] Raynerius donat eidem monasterio ejusque abbati Winizoni bona sua posita in comitatu Arretino in plebe sanctæ Mariæ in Toppo in curte Oliveti, manu Uberti notarii.

ANN. CHR. 1093.

a *Num.* 27.

Urbani II. Romani pontificis bulla pro monasterio Sextensi Lucensis diœcesis anno sui pontificatus sexto die XVIII. martii, præsenti scilicet anno, asservatur in tabulario cœnobii sancti Pontiani ejusdem Lucensis urbis. Aliam eidem Sextensi monasterio concesserat anno M. LXIV. tertio pontificatus sui anno Alexander II. & recensuerat ipsius bona. Traditum fuit post paucos annos monasterium hocce reformandum juxta consuetudines & disciplinam Camaldulensis eremi.

ANN. CHR. 1094.

XXX. Variæ vices eremi S. Petri de Vivo.

PERTINENT ad hæc circiter tempora variæ vices, quibus obnoxia fuere monasterium & eremus ad Vivum, quæ a sancto patre Romualdo fundata in Amiatinis montibus agri Senensis circa annum 1014. ad instar Camaldulensis eremi & subjecti monasterii Fontis-boni, eatenus perstiterant in observatione ejusdem disciplinæ, rituum & consuetudinum, quæ observabantur in Camaldulo. Verum cum tempore delabente, bellorumque vastationibus locus ad multam desolationem venisset, & monachi ab instituto sancti Romualdi admodum defecissent, suscitavit Deus Lambertum quemdam clericum oriundum de Bricola, & Berizum, ac Venerandum clericos ejus socios, qui ad hanc eremum se conferentes, ibique aliquantisper commorantes, pristinam disciplinam restituere sategere. Postmodum prior Camaldulensis, cujus nomen scriptum non fuit, ad petitionem præfati Lamberti, ipsum remisit cum duobus conversis Stephano & Benzone ad eamdem eremum, sub quibus, priore Camaldulense subsidium præstare non cessante, ampliata fuit eremus, moresque monastici refloruere. Post Lambertum destinati illuc fuere a priore Camaldulensi Berizus & Venerandus monachi, qui non alii fuisse videntur a clericis supranominatis, una cum aliis fratribus, constitutusque fuit eorum prior Petrus, qui fuerat antea abbas monasterii insulæ Gorgonæ. Lapsu temporis Petrus olim abbas, tunc Vivensis prior, remotus loco & dignitate revocatus fuit ad Camaldulensem eremum, iterumque cura loci commissa Lamberto. Quo defuncto fratres Vivensis eremi abjicientes consuetudines Camaldulenses, inconsulto Camalduli priore, elegerunt sibi in præfectum, quem maluerunt; verum missus ab eodem priore ad ipsos Azo monitis suis eos ad obedientiam pellexit. Post obitum Arnaldi (sic habetur in narratione, de qua inferius; scimus autem promiscua tunc fuisse nomina Azonis & Arnaldi, ut Cononis & Conradi &c.) receperunt monachi & eremitæ de Vivo in priorem suum Hieronymum, quem constituerat prior Camaldulensis, sed Hieronymo obeunte, non expectato rursus consilio præsidis Camalduli, subrogarunt in ejus locum Guinizonem, qui paulo post errorem suum agnoscens, neque legitime locum prælationis obtinere sciens, professionem & obedientiam juravit in manibus prioris Camaldulensis, & officium prioratus resignavit, atque cum eo eamdem fidelitatem juravere juxta regulam sancti Benedicti in congregatione Camaldulensi ceteri fratres, Petrus, Bonizo, Guido, Berno, Rolandus, Guido, Carus & Barontius. Accepto sacramento prior Camaldulensis Guinizonem in prioratus officium

Ann. Chr. 1094.

officium restituit, missis cum eo quinque monachis ex Camaldulensi cœnobio ad eremum de Vivo. Vita functo Guinizone, tertio deficientes a professione & ab obedientia elegerunt Vivenses sibi in priorem Bonum. De ea re conquestus fuit prior Camaldulensis coram Innocentio Romano pontifice, ut dicitur in eadem narratione; sed præceptum pontificium contemnentes Vivenses, excommunicati fuere de mandato papæ Honorii ab Aldrigo cardinale & a Petro Clusino episcopo in festo sanctæ Mustiolæ. Scripsit post hæc papa Honorius contra eos episcopo Clusino, sed demum papa Cœlestinus ad obedientiam ipsos redegit apostolica sua sententia & decreto emanato anno M. C. XXXXIII. die XXIII. februarii.

Ista, quæ hactenus excerpsimus, fusius leguntur in vetustissima charta, cujus compendium confecit Baroncinius. Cum porro nulla in ipsa charta chronica nota sit apposita præter tempus concordiæ, harum vicissitudinum expositionem hic collectam damus, quia non minus quam spatio quinquaginta annorum contingere potuerunt ea omnia, quæ narrantur. Plurima tamen in hac narratione animadvertenda simul & emendanda. Loco Innocentii legendum est facile nomen Paschalis II. vel Calixti II. quia Innocentius II. non præcessit, sed subsecutus est pontificatum Honorii II. a quo eremitæ rebelles de Vivo excommunicati fuere, præsertim cum ad annum 1113. eremus de Vivo a Paschale II. recenseatur inter ea monasteria, quæ tunc temporis congregationem Camaldulensem constituebant. Nullus Aldrigus cardinalis apud Ciacconium ceterosque vitarum cardinalium collectores reperitur temporibus Paschalis, Gelasii, Calixti, Honorii & Innocentii Romanorum pontificum, nisi legendum sit Albericus creatus cardinalis ab Urbano II. vel alter Albericus tituli sanctorum Johannis & Pauli electus ab Honorio II. vel demum Aldo diaconus sanctorum Sergii & Bacchi a Paschale II. cardinalis creatus. Lambertus, qui loci reformator dicitur, memoratur ut prior in quodam chartarum veteri fasciculo, in quo asseritur ipsum recepisse terras ab innominata comitissa, & a Rainerio & ab Uguccione ejus filiis, qui eas donaverant eremo ad Vivum & Lamberto priori, manu Pagani Ungari notarii. Ipsa forte est Gasdia mater comitis Uguccionis & conjux comitis Bulgari, vel Cæcilia uxor Uguccionis, & mater Ugonis, Rainerii, Lutherii & Bulgari comitum, cujus mentionem fecimus ad annum 1089. In alio venditionis instrumento, cujus excerptum datur in eodem fasciculo, legitur nomen Guinizonis prioris eremi de Vivo; ut ex iis comprobari possit veritas superioris narrationis. Nota etiam dignum est Petrum, qui olim fuerat abbas Gorgonæ, destinatum fuisse priorem eremi Vivensis a Camaldulensi priore, indeque pariter revocatum ad Camalduli claustrum. Gorgonensis scilicet abbatia opera Boni abbatis sancti Michaelis de Burgo Pisarum, & postea abbatis insulæ Gorgonæ, regimini Camaldulensis eremi facile se subjecerat ante hæc proxima tempora, itaut promiscue ex ea assumerentur monachi & abbates ad incolenda & regenda alia loca, & vicissim ad ipsam ex aliis locis monachi dirigerentur. Initiis seculi sequentis legitur nomen Lanfranchi abbatis Gorgonensis apud [a] Lamium ex archivo Cartusiensium Pisanorum. Ipsi & ejus monasterio ac ecclesiæ sancti Viti Pisarum anno 1112. multa bona largitur comitissa Mathilda, abbatiam sua protectione communiens. Petrus videtur fuisse abbas Gorgonæ ante Lanfrancum. Ignota hæc non fuere Fortunio nostro [b], qui „ instauratum locum magna pietate a Lamberto de Bricola agno„ vit, & Azonem generalem novam monachorum congregationem ibi lo„ ci ad cœnobium instituisse scribit, cui Bonum priorem præordinavit, „ qui quidem Bonus spiritu superbiæ elatus ab ejus obedientia temere de„ scivit;

a *Delic. erudit. an.* 1737. *pag.* 91.

b *P. II. pag.* 69.

„ scivit ; quapropter ortas lites Innocentius secundus papa dirimens cau-
„ tum esse voluit, ut prior statim ac a conventu suo electus fuisset, te-
„ neretur sacramentum fidelitatis & obedientiæ infra quadraginta dies in
„ manibus ipsius generalis præstare, & ad comitia ordinis quotannis per-
„ gere. Datum Laterani tertio idus majas. " Sed Fortunius more suo plura simul miscuit, & brevissime turbas Vivenses complexus est. Verum de concordia secuta inter eremos Camaldulensem & Vivensem, ac de legibus ejusdem concordiæ, suo anno fuse agetur.

ANN. CHR. 1094.

XXXI. Chartæ S. Petri de Luco, S. Quirici de Fojano & S. Apollinaris in Classe.

RAINERIUS Florentinæ ecclesiæ episcopus, adsentientibus canonicis suis, & rogante Beatrice abbatissa monasterii sancti Petri de Luco, quod erat constitutum in sua diœcesi Florentina, confirmat eidem abbatissæ *ecclesiam & monasterium ancillarum Dei* cum rebus omnibus, quæ ad eamdem ecclesiam pertinent, una cum decimationibus terrarum & donationibus a piis viris sacro illi loco factis, *quatenus sanctimoniales, que pro tempore ibidem regulariter aggregate fuerint, stare, ac pro earum requie, que prima devotione eumdem locum ac monasterium fieri decreverunt, Deum omnipotentem possint exorare*. Facultatem etiam facit, *ut si in tempore aliquo congruum fuerit monasterium ad alium transferre locum*, id fieri queat absque alicujus contradictione a dictis sanctimonialibus. Datum est Rainerii privilegium *anno Dominice incarnationis millesimo nonagesimo, indictione secunda mense julii*, sed notarius vel exscriptor τὸ *quarto* omisit, & legendum est *millesimo nonagesimo quarto*, ut componi possit cum indictione II. quæ hoc anno decurrebat; nisi forte, quod suspicamur, sicut error est in anno incarnationis, error sit etiam in indictione. Revera Fortunius indictionem minime attendens Rainerii episcopi confirmationem retrahit ad annum 1101. quo indictio erat nona. Auget suspicionem erratæ indictionis, quod privilegium concedatur Beatrici abbatissæ, quæ Cunizæ successit. Ex verbis etiam privilegii videtur posse desumi Cunizam ad superos abiisse, ac pro ejus requie sanctimoniales Lucenses debere Deum exorare. Porro Cuniza vivebat etiam anno sequenti, immo & anno 1097. Interim chartam episcopalis privilegii ex tabulario ejusdem monasterii publici juris facimus in Appendice.

Ex summariis Baroncinii [a] novimus „ Alpertusculum olim Gerardi,
„ vocatum etiam Davinonem, donasse hoc anno eremo Camaldulensi om-
„ nia bona sua, quæ sita recensentur in territorio sancti Petri in Gello,
„ & sancti Felicis in Sibiano, & in casali Nasciani prope ecclesiam sancti
„ Quirici de Rosis, in quorum possessionem misit Leonem monachum
„ & eremitam Camaldulensem, manu Petri notarii; Johannem autem quon-
„ dam Corbizi, & Bertam uxorem ejus pro animabus suis [b] obtulisse
„ Venerando & Rainerio monachis recipientibus similiter pro eremo Ca-
„ maldulensi possessiones suas in casalibus Vargliano, & Arcina & Sala,
„ manu Ildebrandi. "

a §. *Amissæ.* 53. *A.* 170.

b §. *Donatio.* 205. *A.* 1. 17.

Ab hoc anno ad annum 1115. Ughellius [c] episcopum Firmanum statuit Actium hujus nominis secundum, cum primum statuat ad annum 1049. Actius enim I. eo anno ipsius testimonio aliquot bona in territorio Sancti-elpidii permutavit cum Adelberto Arduino; Actius vero II. donationi comitis Rinaldi anno 1102. interfuit, multaque privilegia concessit hominibus castelli Sancti-juliani, quod hodie Macerata civitas est, cum prius fuissent polliciti episcopo perpetuam fidelitatem se præstituros, ut ex fragmentis Firmanis Adami lib. I. cap. 25. idem Ughellius colligit. Vel Actius I. vel Actius II. fuerit ille Azo episcopus Firmanus, quem Urbanus III. in diplomate anni 1185. & Gregorius IX. in alio 1229. Otto quoque

c T. *II. col.* 689.

IV.

Ann. Chr. 1094.

IV. imperator in privilegio anni 1210. dilargitis monasterio Classensi sancti Apollinaris affirmant indulsisse plura bona in comitatu Firmano præfato cœnobio. *Quidquid*, inquiunt, *habet predictum monasterium in curte sancti Elpidii, & sancti Juliani, & Montis Luponis, & Muri vallis cum decimis & pertinentiis terre vestre domnicate & vestrorum hominum concessis a beate memorie Azone Firmano episcopo*; ubi etiam animadvertendus est titulus *beatæ memoriæ*, cum de ceteris episcopis Romani pontifices usurpent fere semper titulum *bonæ memoriæ*, vel verba *olim*, *quondam* episcopi.

Ann. Chr. 1095.

XXXII. De monasterio S. Viriani in agro Arretino.

INTER cetera monasteria, quibus abundabat territorium Arretinum, in loco appellato Ajole exsurgebat cœnobium sub invocatione sancti Viriani, cujus abbas hoc *anno mense januario indictione tertia* erat Eugubinus; ipsi enim per chartulam oblationis, *pro redemptione & luminarie* animæ suæ & parentum suorum, Thedaldus & Reginarius Gezeri filii cum Purpura & Ilicia uxoribus suis judicant & tradunt mansum de terra posita in casale Sciano. *Actum Monterclo*. Monasterium sancti Viriani paulopost initia seculi sequentis erat sub disciplina Camaldulensis eremi. Postremis autem seculis aggregatum fuit cum suis bonis alteri monasterio nostro sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia. Donationem producimus ex tabulario Fontis-boni; ex chartario vero sanctarum Floræ & Lucillæ de Arretio aliam factam monasterio sancti Petri-minoris ejusdem Arretinæ urbis ab Ugone filio Petri Alberti, qui terras concedit sitas in variis locis ejusdem territorii. Reservat autem Ugo sibi usumfructum omnium rerum donatarum. Si autem ususfructus ei non suffecerit ad victum & vestitum, vult, ut reliquum sibi erogetur ab eodem monasterio. Sin vero usumfructum recusaverit, sed tantummodo in monasterio vivere voluerit *laicali more*, præscribit plura sibi & uni servienti tribuenda pro victu & vestitu a prædicto monasterio. Inter cetera vestimenta nominatur *Corribaldum unum per omnem annum*. Desideratur hæc vox in Cangii glossario & in ejus supplementi auctoribus, sed significare videtur sagulum, vulgo *giustacuore*.

XXXIII. Donatio ecclesiæ S. Columbæ eremo S. Johannis inter Ambas-paras.

EREMI sancti Johannis inter Ambas-paras præses adhuc erat hoc anno Gebizo, dictus etiam in hac pagina venerabilis episcopus. Rambertus filius quondam Cono, Corbo, & Ugo, Rambertus & Guido fratres germani atque filii quondam Guidi offerunt eidem Gebizoni & ejus successoribus, sive monachis servientibus Deo in eadem eremo, medietatem ecclesiæ constructæ sub invocatione sanctæ Columbæ una cum cœmeteriis suis & bonis ad dictam ecclesiam pertinentibus. Sita erat hæc ecclesia in territorio Feretrano & in plebe sancti Petri a Missa; Missa autem erat fluvius, sive aqua, quæ prope prædia ecclesiæ sanctæ Columbæ decurrebat. Notæ chronicæ donationis sunt: *Anno ab incarnatione Domini millesimo nonagesimo, duodecimo die mense julio, indictione tertia*, quæ indictio expresse repetitur etiam ad finem paginæ, quare juxta indictionem tertiam augendus est annus incarnationis, & ultra nonagesimum addendus est quintus, a notario facile relictus, qui indictioni tertiæ erat illigatus. Chartam autographam descripsimus ex tabulario Camaldulensi.

XXXIV. Privilegium Urbani II. pro monasterio Puteolense.

ECCLESIÆ sancti Petri in diœcesi Lucensi eo in loco, qui vocabatur de Puteolis, primam originem dedimus ad annum 1058. quo congregatio hominum canonica lege viventium ab Anselmo Lucensi episcopo facultatem obtinuerat præfatæ ecclesiæ inserviendi. Videantur etiam donationum tabulæ, quas ex archivo capituli Lucensis profert in suis eruditornm deliciis Lamius [a]. In his tabulis ante biennium, hoc est sub anno 1056. recensentur bona præfa-

[a] T. XVI. pag. 1318.

tæ

Ann. Chr. 1095.

tæ ecclesiæ a donatoribus oblata, & institutio monasterii, seu prædictæ congregationis sub cura & ordinatione aliquot Lucensium clericorum, vel si hi negligentes fuerint, sub cura abbatis sancti Pontiani, vel demum sub cura abbatis sancti Salvatoris de Sexto. Circa hæc tempora eadem ecclesia sancti Petri institutionem monachorum Camaldulensium suscepit, in prioratum, deinde in abbatiam erecta; & Martino priori ejusdem monasterii hoc *anno* M. XCV. *calendis februarii pontificatus anno septimo*, Florentiæ cum esset Urbanus II. transiturus Placentiam, ubi post mensem insignem ducentorum episcoporum synodum coegit, privilegium concessit, quo monasterium prædictum apostolica auctoritate munivit, confirmans quæcumque idem cœnobium possidebat. Sepulturam quoque loci omnino liberam haberi sancivit, itaut eorum, qui illic sepeliri deliberaverint, devotioni & extremæ voluntati nullus obsistat, salvo parochianæ ecclesiæ debito. Urbanus septimum adhuc numerabat mense februario hujus anni sui pontificatus annum, ad quem evectus fuerat die XII. martii anni M. LXXXVII. Datum est privilegium *per manum Johannis sancte Romane ecclesie diaconi cardinalis*. Autographam bullam ex tabulario eodem Lucense perhumaniter exscripsit nobis patritius vir & canonicus ejusdem ecclesiæ Martius Michaelius, quam damus in Appendice.

XXXV. Charta Pisana.

Leoni abbati sancti Michaelis in Burgo Pisarum successerat Petrus ex nobilissima Moriconiorum stirpe Pisana, qui etiam post initium seculi sequentis e claustris ejus monasterii ad archiepiscopalem patriæ dignitatem evocatus, celeberrimus pietate & illustribus factis evasit. Vetustior memoria Petri abbatis ex tabulario ejusdem monasterii pertinet ad hunc *annum millesimum nonagesimum sextum*, stilo Pisano, qui more Romano erat nonagesimus-quintus, *pridie calendas junii indictione tertia*, quo anno Bellus filius quondam Donati partim tradidit commutationis jure, partim vendidit pretio solidorum centum & quadraginta, terras positas *foras civitate Pisa in loco & finibus ubi dicitur Rivolta prope ecclesia, que est edificata ad honorem Dei & sancti Laurentii*. Pertinebat hæc ecclesia, cujus prædia adauxit Petrus, ad monasterium præfatum sancti Michaelis, cui ipse præerat.

XXXVI. Alia S. Petri de Luco.

Referenda est ad hæc tempora etiam charta ex tabulario parthenonis sancti Petri de Luco, signata quidem *anno ab incarnatione millesimo nonagesimo, sexto die mensis aprilis indictione tertia*, sed emendanda, & juxta indictionem legendum *millesimo nonagesimo quinto*; vel retento anno incarnationis corrigenda indictio. Per eam Benno comes filius Frederici comitis pro remedio animæ suæ, atque Mathildæ filiæ, cujus consensu donationem facit, offert ecclesiæ sancti Petri de Lusciano, hoc est de Luco, vice ecclesiæ sancti Salvatoris Camaldulensis, ac Cunizæ abbatissæ, suam integram tertiam portionem de castellis, rebus ac sortibus, videlicet de castello Luci, Cantameruli, Riofridi ac curtis Frenæ, Castri & Casa-novæ. *Actum loco Lusciano prope Lucum*.

XXXVII. De canonica S. Michaelis Arretii, ejusque originibus.

Monasterium seu canonica sancti Michaelis de Arretio tradita jam fuerat ante hunc annum directioni eremi Camaldulensis; nam in summariis veteribus instrumentorum Fontis-boni reperimus sub præsenti „ anno M. XCV. mense junio Rigonem olim Petri, & Bonadonam ejus uxorem, Gasdiam quoque viduam præfati Petri pro remedio animarum suarum judicasse & obtulisse monasterio sancti Salvatoris Camaldulensis ad sumptum monachorum sancti Michaelis Arretii aliquot latifundia posita juxta cœmeterium dictæ ecclesiæ, manu Petri notarii. " Vel canonici sancti Michaelis monasticam vitam amplexati fuerant, vel una

cum

Ann. Chr. 1095.

cum canonicis etiam monachi ibidem degebant. Antiquiores igitur sunt hujus loci origines, quæ Fortunium nostrum latuere, qui primas chartas affert ad annum 1110. [a] „ Vetustissimam, inquit, paginam legimus, qua „ Massaga conjux Gerardi Teuzi cognomento Clerici donavit Vvido prio- „ ri generali occasione patronatus ipsius ecclesiæ, quæ existebat sub regi- „ mine sacræ eremi, terras cum vineis in pleberio sanctæ Eugeniæ ad „ Bagnorum cum consensu mariti, si sine filiis decederet, anno 1110. tertio „ octobris: " Porro, subdit, illic excitatum cœnobium est, cum locus „ extra urbem in suburbio esset, qui nunc in nobiliori civitatis parte po- „ situs cernitur. " De canonica seu monasterio sancti Michaelis alibi.

a P. II. lib. II. pag. 78.

XXXVIII. De monasterio Saxi-vivi, qua occasione de aliis ipsi postea unitis.

Protrahuntur usque ad hunc annum donationes factæ Mainardo monacho olim & eremitæ, inde abbati & fundatori monasterii Saxi-vivensis haud longe ab urbe Fulginate. Cœnobium Saxi-vivense multorum monasteriorum caput inde evasit, sub quo scilicet viginti abbatiæ, & septuaginta duo prioratus, & plura alia sacra loca coaluere, inter quæ aliqua etiam Camaldulensia, & sui quondam juris, inde alteri cœnobio subjecta, postremo Saxi-vivensis monasterii disciplinam amplexata fuere. Aliqua pariter olim celeberrima cœnobia prius recepere instituta nostra, inde Saxi-vivensia. Memorandum inter hæc postrema monasterium sancti Petri de Landolina vel de Andolina, quod a Lucio III. & ab Urbano III. Romanis pontificibus ad finem vergente sequenti seculo confirmatum fuit Camaldulensibus. In valle Andolina comitatus Nucerini prope castrum Annisi, quod erat in territorio contermino Fulginate, ædificatum fuerat ad annum 1060. castrum, Andolina vocatum, a comitibus Nucerinis Attone filio comitis Roderici de Attis, & a Rodulpho filio Manfredi fratris Attonis. Circa vero hæc tempora (signanter ad annum 1090. habet Jacobillius [b], a quo ista hausimus) prope idem castrum nobile monasterium sub titulo sancti Petri apostoli conditum est a comite Buccone filio Radulphi filii Manfredi, & ipse Bucco una cum Attone & Ranuccio comitibus fratribus suis & cum Monaldo filio lagitionibus copiosis locum recens extructum locupletavit, & in primum abbatem elegit Gromerium nepotem suum. Addit idem Jacobillius Rainerium filium comitis Vicci dicti Lupi latifundia plura eidem cœnobio dono dedisse anno 1102. Monaldum autem Bucconis filium ac Radulphum filium Lamberti filii Attonis priori canonicæ sancti Feliciani ejusdem Fulginatis urbis præfatum sancti Petri monasterium in clientelam tradidisse anno 1114. una cum ecclesiis sancti Nicolai, sancti Silvestri, & sancti Apollinaris, cum terris, decimis, primitiis & cum omni jure patronatus, cujus traditionis confirmationem fecere Augustinus eo ipso anno, Lotharius anno 1125. & Monaldus anno 1144. episcopi Nucerini. Cetera de hoc cœnobio prosequemur ad annum 1184.

b Pag. 243.

Aliud monasterium inter Camaldulensia recensitum reperimus in privilegio Gregorii papæ IX. ad annum 1227. Erat ipsum constitutum in diœcesi Assisinate, appellatum autem sancti Angeli de Rosano; anne de Limisano, quod ædificatum erat in eadem diœcesi, vel de Rosario, quod in proxima Fulginate diœcesi exurgebat? Utrumque istorum reformationem Saxi-vivensem progressu temporis recepit. In Spoletano pariter, vel juxta alios auctores, in Camerinensi territorio monasterium alterum florebat, appellatum sancti Salvatoris de Aqua-pagana vel de Aqua-cuppana. Hoc, postquam Valle-castrensi abbatiæ multum temporis paruit, ad Saxi-vivenses transiit. Idem factum de aliis ecclesiis & locis, quæ vel Camaldulensibus, vel Avellanensibus primum erant subjecta. Chronicon monasterii Saxi-vivi edidit Italico idiomate Ludovicus Jacobillius Fulginas & protonotarius

rius

rius apostolicus, qui profitetur se omnia ex veteribus paginis tabulariorum ejusdem monasterii, vel cathedralis Fulginatis, vel aliorum locorum eruisse. Demum sub finem quinti-decimi seculi commissum fuit Saxi-vivi monasterium cœnobitis Montis-oliveti ordinis sancti Benedicti, qui hactenus illud possident; de qua re, præter Jacobillium, consulendus etiam in historia Olivetana Secundus Lancellotus [a], ubi de eo cœnobio pluribus agit.

Ann. Chr. 1095.

a Pag. 259.

ELEMPERTUM quemdam vixisse per hæc tempora Arretinum episcopum, & suffectum in locum Constantini, qui per eos dies obierat, [b] asserit Fortunius, testans insuper ipsum Elempertum studiosissime protectionem suscepisse Camaldulensium, & antecessorum episcoporum privilegia ac donationes firmas ratasque habuisse, novis quinimmo beneficiis sacram eremum cumulasse. Ughellius [c] pariter Elempertum successisse Constantino anno signanter 1087. affirmat. Verum ex donatione allata ad annum 1092. superstitem eo anno fuisse adhuc Constantinum vidimus. Quinimmo ipsius monumenta usque ad annum 1095. haberi in paginis tabulariorum Arretinorum admonet nos per literas nostri amantissimus & Cl. V. Hiacynthus Fossombronius patritius Arretinus, non tamen ultra eum annum. An obierit Constantinus in suo schismate, & adhærens anti-papæ Wiberti partibus incertum. Licet enim usque ad annum 1076. Henrici schismati non favisset; ipsi enim eo anno & ceteris episcopis Thusciæ [d] scripserat Gregorius VII. ut Rodulphum Senensem episcopum, qui Henrico regi communicaverat, sed absolutionem petierat, omnes ipsi, aut duo viciniores episcopi convenirent, atque ei pœnitentiam injungerent, qua peracta absolutus haberetur; post eum tamen annum Constantinus Henrici partes fuit secutus, immo testimonio Bertholdi Constantiensis unus fuit ex iis episcopis, qui anno 1084. eumdem Wibertum dominica palmarum in pseudo Romanum pontificem consecrarunt, licet hanc inaugurationem episcopis Bononiensi, Mutinensi & Cerviensi tribuat vita Gregorii VII. nobis servata a cardinali Aragoniensi, & aliqui scriptores hanc noxam ab episcopo Arretino depellant. Ceteroquin optime meritus de Camaldulensi eremo, & de Prataliensi abbatia fuit Constantinus. De Constantino hæc spetialiter habentur in responsionibus Guidonis prioris generalis Camaldulensis ad petitionem episcopi Arretini Martini contra libertatem congregationis ad annum 1216. *Constantinus episcopus Arretinus promisit priori Camaldulensi, quod presbyteri de episcopatu Arretino suscipientes conversionem ordinis Camaldulensis, vel qui manerent in ecclesiis Camaldulensibus, essent ab omni synodali vel capitulari promissione seu obligatione absoluti, & ad synodum cum ceteris ex debito non veniant.* Quam promissionem Constantino hoc seculo viventi tribuimus, cum Constantinus alter & II. hujus nominis seculo sequenti desinente ab Ughellio invectus, celebrium Arretinorum testimonio, delendus sit ex syllabo antistitum ejusdem sedis, nulloque monumento veteri constet de ejus existentia. In locum Constantini arbitramur electum Sigefridum seu Seifridum, natione Teutonicum. Ejus tamen nomen in nostris Camaldulensibus chartis primum apparet ad annum 1099. quo juxta indices Eduardi Baroncinii, Seifridus episcopus & comes Arretinæ sedis locavit [e] Bonizoni abbati Pratalize (successor datus is fuerat Raynerio) *plura tenimenta pro censu annuo denariorum duodecim, nisi remittantur ex ipsius episcopi parabola & in pede.* Idem episcopus eodem anno præfatum censum condonat pro remedio animæ suæ & antecessorum suorum, pro qua donatione denarios centum Lucenses accepit, manu Hugonis

Ann. Chr. 1096.

XXXIX. Ordinatur series episcoporum Arretinorum.

b T. I. Lib. I. p. 123.

c T. I. col. 417.

d Apud Labb. Concil. T. XII. col. 386.

e §. Locatio. A. 1. 46.

Ann. Chr. 1096.

gonis judicis seu notarii. Quare rejiciendus erit commentitius episcopus Arretinus Elempertus, quem nobis obtrudunt Buralius, Ughellius & Fortunius vel ad annum 1087. vel ante annum 1095. vel etiam immediate ante Gregorium & usque ad annum 1104. nisi postremo hoc dicere velimus episcopum Arretinum per hæc tempora fuisse binomium, & præter Seifridi nomen illud etiam obtinuisse Elemperti, qui vocandus erit secundus hujus nominis, ut vidimus Immonem alterum Arretinum episcopum appellatum fuisse etiam Birenfridum, & Ermenfredum.

Data opportunitate animadvertimus hic loci summe vitiatam esse ad hæc tempora seriem & chronologiam episcoporum Arretinæ sedis. Ughellius in sua Italia sacra [a] post Constantinum, ut mox observavimus, Elempertum obtinuisse eam ecclesiam asserit ab anno 1087. usque ad annum 1094. Post Elempertum sedisse Gregorium, qui anno secundo sui episcopatus, anno autem incarnationis Dominicæ 1095. donationem Bernardini filii Sidoniæ in favorem sacræ eremi Camaldulensis ratam habuerit. Post Gregorium floruisse ad annum 1108. Regium vice-dominum civem & episcopum Arretinum. Gualterium alterum episcopum anno 1109. canonicis suæ ecclesiæ & eidem eremo Camaldulensi plura bona dilargitum esse. Demum Guidonem monachum ante annum 1116. episcopalem Arretinam ecclesiam gubernasse. Elempertum commentitium episcopum mox satis superque rejecimus. Gregorium ad eam ecclesiam evectum vel anno 1104. exeunte, vel ineunte anno 1105. ostendemus ad annum 1106. quem secundum sui pontificatus ipse nominat, & præterea autographam chartam proferemus, qua anno tantum 1104. Bernardinus filius Sidoniæ eremum Camaldulensem testamento suo hæredem facit. Regium episcopum non agnoscimus, nisi ex Ughellii fide, sed neque locum habere potest, occupatum eo anno, immo etiam deinceps usque ad annum 1114. a Gregorio. Gualterium episcopum inter Constantinum & Guidonem episcopos antecessores suos recensent, tum Bujanus etiam ipse præsul Arretinus in privilegio anni 1132. tum Maurus alter Arretinus antistes in alio privilegio anni 1136. reticentes uterque nomen Gregorii, sed Gualterium e contra omittunt, neque nominant inter donatores eremi Camaldulensis, tum Guido Arretinus episcopus in privilegio anni 1116. tum Hieronymus præsul similiter Arretinus in charta anni 1144. qui post Theodaldum, Immonem & Constantinum nomen statim apponunt Gregorii episcopi. Quinimmo in chartis tabularii Fontis-boni, ex quibus etiam superiores eduximus, nomen Gregorii episcopi Arretini constanter legitur & ad annum 1106. & ad annum 1110. & ad annum 1114. mense junio in donationibus, quas integras proferemus. Quare Gualterius, nisi Gregorius, præter suum, etiam hoc alterum nomen obtinuerit, quod libenter conjicimus, sententia nostra omnino e censu episcoporum Arretinorum erit expungendus tamquam distinctus & diversus episcopus. Præsertim cum Guido monachus Gregorii successor cathedram Arretinam conscenderit vel sub finem ejus anni 1114. vel primordiis anni 1115. quod constat ex chartis ejusdem Camaldulensis eremi, in quibus ad annum 1117. mense aprili tertium se dicit gerere in præsulatu Arretino annum.

Illud etiam, ne quid omittamus, est diligentius expendendum, nimirum alium reperiri Guidonem episcopum Arretinum, qui si admittatur, dicendus erit I. ante annum 1104. & ante episcopum Gregorium. Etenim Landulfus episcopus Ferrariensis, cujus ut *electi* nomen legitur ad annum 1104. in chartis tabularii archiepiscopatus Ravennatis, quo ab Ottone itidem electo Ravennate archiepiscopo emit curtem Firminianam, immo ad annum

[a] T. I. col. 417.

annum 1091. [a] apud Muratorium, & consecratus anno 1106. a Paschale papa II. episcopus ejusdem Ferrariensis ecclesiæ, concordiam fecisse dicitur inter episcopatum, & laicos ipsius civitatis [b], *qui clericis omnes ecclesias, oblationes & primitias renuntiarunt tempore, quo a Roma rediit consecratus per dominum Paschalem papam, quod factum est anno Dominice incarnationis* M. C. VI. *pontificatus autem domni Paschalis* II. *pape anno* VI. *atque ita diffinita est lis & altercatio, que nec tempore Gratiani episcopi, neque tempore Guidonis Aritini episcopi potuit diffiniri.* En ergo alius Guido episcopus Arretinus ante annum 1106. & ante Gregorium locandus. Duo tamen in contrarium, ne hunc novum episcopum admittamus, animadvertimus; scilicet Guidonem appellatum Arretinum a Landulfo Ferrariense fuisse Arretinum quidem patria, sed Ferrariensem episcopum post Gratianum, qui Gratianus in chartis ejusdem Ravennatis archiepiscopatus ad annum 1081. nominatur, Guido vero Ferrariensis episcopus legitur ad annum 1097. in charta Wiberti archiepiscopi Ravennatis & anti-papæ, quam ex dono marchionis Bonifacii Rangonii inter nostras asservamus. Guidonem in Etruria Arretinum, episcopum Ferrariensem agnovit etiam Ughellius [c], sed male in eam rem laudat Sixtum Senensem, qui de Guidone Ferrariensi episcopo ad annum 1304. ex ordine Prædicatorum verba facit, non de Guidone episcopo ad finem seculi XI. Alterum vero dici potest, quod in charta autographa præfatæ concordiæ nomen hujus secundi episcopi designatum fuerit tantummodo per literam initialem G. ut significare etiam potuerit Gregorium Arretinum episcopum, qui ad componendam eam controversiam Ferrariam missus fuerit anno 1105. ante Landulphum Ferrariensem episcopum consecratum anno 1106. a Romano pontifice. Quæ duo tamen nisi dicantur, admittendus est necessario alter Guido episcopus Arretinus ante annum 1104. qui sederit vel post Constantinum & ante Seifridum, vel post Seifridum ante Gregorium. Chartam concordiæ inter Landulphum episcopum & inter laicos Ferrarienses edidit ex collectaneis Peregrini Prisciani Muratorius, qui dum unicum admittit Guidonem episcopum Arretinum, observat ipsum ad finem imponendum iis altercationibus Ferrariam „ accessisse ante annum 1106. „ & tamen Guido, subdit, si Ughellium au„ dimus, post annum tantummodo 1109. cathedram illius urbis conscendit.“ Supervacanea est Muratorii animadversio, Guidonem Arretinum episcopum reperiri ad annum 1106. quem Ughellius affirmat post annum 1109. ad Arretinas infulas fuisse elevatum; immo tempus ipsius pontificatus statuendus est ad annum dumtaxat 1114. Sed videntur potius admittendæ conciliationes nostræ vel de duplici Guidone Arretino episcopo, vel aliæ mox allatæ.

[a] Antiq. T. I. col. 593.

[b] Ibid. T. VI. col. 261.

[c] T. II. col. 535.

XL. Chartæ Clusinæ, Pisanæ & Romanæ S. Gregorii.

Gualfredus filius Renzii tradit & offert pro remedio animæ suæ & parentum suorum ecclesiæ & monasterio sancti Petri in Campo ac Rainerio abbati ejusdem loci terras, vineas & silvas positas in comitatu Clusino infra plebem sancti Silvestri, & meritum seu mercedem recipit *partem eleemosinarum & orationum* dicti loci. *Actum in comitatu Clusii anno ab incarnatione millesimo nonagesimo sexto mense februario indictione quintadecima.* Chartam hujusce donationis eruit Hubertus Benvoglientius ex codice *delle Coppe* cancellariæ Montis-politiani, & ad Grandium transmisit, sed vel legendum est nonagesimo-secundo indictione-quintadecima, vel retinendo annum incarnationis, corrigenda indictio, quæ hoc anno 1096. mense februario erat quarta. Rainerius successerat in regimen abbatiæ sancti Petri in Campo Petro abbati, de quo ad annum 1072.

Ann. Chr. 1096.

Anno ab incarnatione Domini mille nonagesimo septimo, stilo Pisano, & nonagesimo-sexto stilo Romano, *pridie calendas novembris indictione quinta*, mutata mense septembri, Wido notarius filius quondam Widi ab Augustino priore ecclesiæ & monasterii sancti Frigdiani urbis Pisarum fatetur se recepisse libellario nomine plures terras. Occasione confinium nominantur ecclesia sancti Viti, ecclesia & plebs sanctæ Juliæ, Mons-manius, idest Mons-magnus, portus Pisanus, ecclesia sancti Salvatoris in loco Sambra, plebs sancti Laurentii, Martinus *prepostus* sive præpositus. Illustrantur hac charta etiam ager Pisanus & loca in ipso constituta. Anno præterito, *octavo idus septembris indictione tertia* non mutata eo mense, Leo quondam Guilielmi renuntiaverat quædam bona eidem Augustino priori monasterii sancti Frigdiani tamquam rectori hospitalis prope dictum monasterium ædificati, Andrea notario. *Actum in Chinzica prope sanctum Christophorum*. Ad annum 1113. Anselmus rector ejusdem loci legitur in chartis cœnobii sancti Michaelis in Burgo Pisarum.

Ex codice Gregoriano *anno nono pontificatus domni Urbani* II. *pape indictione quarta mensis octobris die sexto*, Peregrinus Dei gratia abbas venerabilis monasterii sanctorum Andree apostoli & Gregorii confessoris *quod ponitur in clivo Scauri* (electus fuit Peregrinus in locum Petri abbatis, quem nominavimus ad annum 1075.) concedit Johanni terras *in casali, qui dicitur Mandra Camellaria, in loco appellato Luculana, pro pretio; & etiam quia tu fidelis es nostro monasterio, & ad mortem tuam totum, quod pro anima tua ire debet, hic veniat, & tuum corpus hic sepeliatur, & si sine heredibus obieris, omnia tua bona veniant in nostro monasterio*. Subscribunt inter ceteros hujus apparæ, seu chartæ testes, *Rusticus neptus domini Gregorii pape, & Leo frater ejus*. Notus est Rusticus in historia Italiæ, qui non longe a monasterio sancti Gregorii prope Septizonium habitabat, ubi etiam anno 1084. contra Henricum imperatorem, qui Romanam urbem occupaverat, se munierat; obsidione propterea cinctus ab eodem imperatore. Sed ex hac pagina, quam in Appendice damus, innotescit nobis alter Gregorii VII. nepos, Leo nimirum frater Rustici.



ANNA-



ANNALES CAMALDULENSES

LIBER VIGESIMUS-TERTIUS.

Ab anno CHRISTI M. XCVII. *ad annum* M. C.



ONTIGIT sub hoc anno millesimo-nonagesimo-septimo excessus sancti Gualfardi ab Augusta-Windelicorum patria sua, & appulsus ad urbem Veronam, ubi postquam viginti annis solus sine teste in quodam nemore ejusdem dioecesis vixit, a nautis Athesis fluminis detectus, & intra urbem ductus anno 1117. post brevissimas moras apud alias ecclesias, receptus est ad nostrum sancti Salvatoris in Curte-regia monasterium, quod in eadem urbe extabat, subjectum jam ab anno 1073. celebri abbatiæ Vangaticiensi. In cella ejus cœnobii tamquam solitarius & eremita decem annorum spatio commoratus ad cœlestem patriam tandem transivit anno 1127. Extabat olim sancti Gualfardi vita, ab auctore pene contemporaneo scripta, in eodem monasterio sancti Salvatoris, quod circa finem seculi XV. a prioribus Camaldulensibus eatenus rectum ad commendatariorum usus translatum est. Cum enim cardinalis Bartholomæus Roverella abbatiam Vangaticiensem in commendam obtineret, defuncto Benedicto Zane ultimo priore sancti Salvatoris & monacho Camaldulense, locum contulit Danieli San-sebastiani canonico Veronensi, qui anno 1486. monasterium resignavit monialibus Benedictinis, quæ prius commorabantur in parthenone sancti Augustini, Innocentio VIII. Rom. pont. resignationem approbante die XVIII. julii ejusdem anni, & monialibus ad idem cœnobium transeuntibus desinente anno 1487. Hanc veterem sancti Gualfardi vitam in codice exaratam legerat anno 1433. Ambrosius noster præses generalis, qui monasteria congregationis visitans Veronam eo anno accessit, ut habet in Hodœporico [a], in quo hæc scribit: *Veronam hora ferme nona pervenimus. Divertimus ad monasterium sancti Salvatoris, cui Gregorius præerat, vir amicissimus & nobis optime cognitus, a quo accepti humanissime, cum post refectionem multum diei superesse videretur, visitare ex officio nostro perreximus præfectum civitatis Marcum Justinianum, virum amicitia nobis conjunctum singulari, animi religiosissimi atque piissimi .....*

Visita-

ANN. CHR. 1097.
I.
S. Gualfardi appulsus ad urbem Veronam.

a Pag. 34.

Ann. Chr. 1097.

Visitavimus priorem ipsius monasterii ..... Ea ipsa die Veronam reversi sumus. inde postridie profecturi, visitare denuo instituimus amicissimum nostrum Marcum Justinianum, cum quo diutius collocuti ad nostrum monasterium non aliter quam ipso comite redire potuimus. Est in ipsa ecclesia conditum beati Gualfardi corpus, cujus vitam & miracula ibi legeramus. Ignarum eatenus ejus rei præfectum ad sepulcrum sancti viri duximus, vitam illius ei ex parte legimus, pileolumque suum, nam servabatur intra sacrarium, illi ostendimus. Posito genu ipsum capiti suo imponi vir nobilissimus postulavit; fecimus satis votis ejus, a nobisque dimisimus. Eamdem vitam latinam legimus & nos in nostro Senesio in opere ms. cui titulum fecit *la Vangadizza*, exscriptam sibi & fidelissime exemplatam ex eodem antiquo codice, quem legerat Ambrosius, ab Augustino Bezano. Eadem est, quæ edita postea fuit in Actis Sanctorum ad diem xxx. aprilis [a] a Daniele Papebrochio, qui tamen paucula addidit, quæ uncis clausit. Hanc sancti Gualfardi vitam, teste eodem Senesio, vulgari idiomate edidit Veronæ anno Domini 1604. Johannes-antonius Blanchinius apud Franciscum a Donnis tempore Bernardini Fracassi massarii confraternitatis Ephippiorum, seu ut vulgo dicitur, *della confraternita de' Sellari o Bastari*; recusam Viterbii anno 1620. testimonio Papebrochii, curantibus urbis Romanæ Sellariis, qui Veronensium exemplo patrocinium sancti Gualfardi sibi asciverant. Summaria ejusdem vitæ habentur in libro sanctorum episcoporum Veronensium, contexta ab Augustino Valerio episcopo Veronensi & S. R. E. cardinali, & edita cum aliis summariis Venetiis anno 1576. De sancto Gualfardo agunt insuper Hieronymus a Curte [b] in historia Veronensi, Johannes-franciscus Tinti in libro inscripto [c]: *la Nobiltà di Verona* qui publicam lucem aspexit anno 1592. & in *chronico rerum notabilium civitatis Veronæ* [d] Mauritius Morus, & in alio ejusdem opere, cui titulus: [e] *Pomposi fregj di Verona*. Hæc ex Senesio. Sed ante hos Franciscus Corna in libro, quem pedestri & nativo sermone conscripsit anno salutis 1477. *de antiquitatibus Veronæ, ac de Sanctorum reliquiis, quæ in ea reperiuntur*, asserit ossa sancti Gualfardi requiescere in sepulcro in pariete ad latus altaris, ibi conspici etiam cilicium ferreum & capitium. Novissime de sancto Gualfardo, præter Papebrochium, agit [f] Johannes-baptista Biancolinius in notitiis historicis ecclesiarum Veronæ.

a T. III. p. 828.
b P. I. lib. V. pag. 240.
c Lib. V. cap. 8.
d Pag. 51.
e Pag. 60.
f Lib. II. p. 706.

II. Vita ejusdem sancti viri.

Sed scriptorem ipsius vitæ ex Severo Senesio audiamus: *Fuit quidam nobilissimus vir Christianæ professionis, nomine Gualfardus, de provincia Alemanniæ, oriundus de civitate Augusta, qui divina providentia cum quibusdam suis sociis mercatoribus ad civitatem Veronam devenit, ibique videns temporis fertilitatem, loci congruitatem, sui artificii habilitatem, cum quodam suo socio nomine Zinso, aliis omnibus redeuntibus, in eadem civitate morari disposuit. Beatus igitur Gualfardus castitate niveolus, charitate flammeolus, modestia sobrius, ira vacuus, constantia magnanimus, patientiæ virtute longanimis, miseratione compatiens, compassionem intrinsecus retinens, opus vero extrinsecus quotidie peragens, quicquid denique manuum suarum labore inveniebat, pauperibus & egenis erogabat, nihil sibi retinens, nisi tantum vestimenti, ut hyemem depellere, & suum saltem corpus tegere valeat; in eodem vero loco beatissimus Gualfardus in sellarum exercitio (nam optimus sellarius erat) parvo tempore moratus est; considerans enim hominum dolositatem, vitæ suæ fragilitatem, diaboli calliditatem, vitam taliter deducere sibi displicuit, heremum introire paravit, ad hoc ut sibi æternam vitam compararet, & hujus mundi vanitates omnino dimitteret. Nemus, quod appellatur Saltutius, inhabitandi causa desideranti animo nullo sciente introi-*

ANN. CHR. 1097.

introivit, quod nemus non longe a civitate Veronæ juxta Athesim fluvium distabat. In eodem vero nemore beatissimus vir Dei Gualfardus per viginti fere annos strictissime vitam suam deduxit, sed quam strictissimam & quam bonam vitam & quam perutilem ibi duxisset, nullus hominum scire valebat. Nam nemus, in quo manebat, infrequentabile aderat, locus ejusdem impenetrabilis fere undique fuerat, nisi cum Domino libuit tanti viri opera ostendere. Cetera suis locis. Alemannos & Teutonicos per hæc tempora in urbe Verona habitationem sibi statuisse novimus etiam ex charta emphyteutica Pulverami abbatis Vangaticiensis facta Peregrino Teutonico, quam afferemus ad annum 1100.

III. Traditio ecclesiæ S. Angeli de Curte-luponis eremo Camaldulensi.

TRADITA legitur sub hoc anno Martino priori Camaldulensi & ejus eremo ecclesia sancti Angeli de Curte-luponis, quæ anno 1084. a Gualterio rectore administrabatur; sic enim reperitur [a] in summariis instrumentorum Simonis & Rainerii Fontis-boni monachorum. *Guilielmus olim Guidonis, & Bonifacius filius Bandi, & Vitalis filius olim Ubaldi per se suosque heredes in perpetuum nomine judicati pro remedio animarum suarum & suorum parentum donaverunt & obtulerunt domno Martino priori Camaldulensi pro Camalduli heremo in integrum suum jus actionem & portionem, quod & quas habebant in ecclesia sancti Angeli cum circuitu suo, casis, hortis, terris, vineis, mansis, campis, decimis, primitiis, oblationibus, mortuariis, & ceteris pertinentiis suis, posita in territorio sancti Petri in Gello in loco dicto Curte Luponis inter hos fines: ex primo videlicet latere est domus Martini magistri usque ad viam, que vadit ad campum Beccai; ex alio latere est via, quæ venit de Cesa; ex alio latere est via, que vadit de Ficareto ad ortale olim filiorum Segnorelli de Nasciano; ex alio latere est ortale & terra predictorum filiorum Segnorelli; de quibus omnibus domno Leoni monacho Camaldulensi nomine Camalduli heremi investituram dederunt corporalem, hoc pacto apposito, quod predicta ex nunc sint de sepultura predicte ecclesie sancti Angeli Curtis Luponis; & sua, & suorum filiorum bona pertineant jure perpetuitatis ad predictam ecclesiam, si ex suis legitimis filiis mori contingat, sub anno Domini* M.LXXXXVII. *mense februarii. Carta manu Rolandi notarii.* In iisdem summariis [b] legitur „ Jannem „ filium Talliaferri donasse & obtulisse hoc anno mense aprili & domno „ Martino priori Camaldulensi omne jus suum, quod habebat in castro „ & in curte de Soci, & semetipsum consecrasse in conversum Camaldu„ lensis eremi; manu Machabei notarii & monachi. “

a Pag. 150.

b §. Amissæ n. 58. A. 64.

IV. Donatio eremo S. Joh. inter Ambas-paras.

HOC eodem *anno millesimo nonona jesimo septimo e die* IIIzo, hoc est tertio, *ingrediente mense madio indictione quinta in comitatu Feletrano*, nempe Feretrano, Tebertus filius Divici & Tebertus filius ejus una cum Deguncia sive Deguria primi Teberti uxore partim obtulerunt, partim vendiderunt domno Gebizoni venerabili episcopo & rectori monasterii sancti Johannis inter Ambas-paras terras positas prope ecclesiam sanctæ Columbæ infra plebem sancti Petri a Missa.

V. Azo marchio Estensis ditat abbatiam Vangaticiensem.

ILLUSTRIOR tamen donatio fuit illa hujus pariter anni, *tertio decimo die introeunte mense aprilis*, qua benefici se ostendere erga monasterium *beatissime sancte Marie virginis Dei genitricis, quod est edificatum juxta fluvium Atexim loco, qui dicitur Petra, ubi corpora sanctorum Primi & Feliciani & Theobaldi in pace quiescunt*, Albertus marchio, Azo etiam dictus, filius alterius marchionis Azonis, & simul cum ipso ejus filius Ugo. Præsidebat huic cœnobio post Petrum abbatem, cujus ultima memoria superest in tabulis ejusdem monasterii ad annum 1085. Pulveramus abbas. Ipsi propterea recipienti vice sui monasterii amplissima scripta fuit donatio

tio

ANN. CHR. 1097.

tio hoc anno a præfatis marchionibus de quinquaginta massaritiis positis in comitatu Patavino & in locis Montesilice, Vigizolo, Meliadino, Saleto, Montaniana, Urbana, Casale, Altadura & Merlaria. Nominantur deinde massaritiæ. *Actum in loco Rudige in domo domnicata*, Rhodigio nimirum, qui locus tunc erat ditionis marchionum Estensium. Chartam vulgavere [a] Silvestrius & [b] Muratorius, nos ex autographo Vangaticiensi correctiorem ipsam edimus in Appendice nostra. Albertus, qui & Azo vocabatur, centenario major erat hoc anno, ut ad hunc ipsum annum eum appellat Bertholdus Constantiensis in chronico; natus erat ex alio Alberto Azone, quod ex nostra charta colligitur; de ejus patre mentionem fecimus ad annum 1013. Plura pietatis & munificentiæ signa ediderat Azo filius erga monasteria & sacra loca, sed præsenti anno, qui fuit ipsius etiam emortualis, præfata donatione erga monasterium Vangaticiense, de quo aliis vicibus optime meritus fuerat, gloriosæ vitæ suæ coronam imponere maluit. Ex Cunegunde prima uxore sua Guelphum filium susceperat illustri hæreditate in matrimonium collocatum in Germania, ducem deinde Bavariæ & nobilissimum progenitorem domus Brunsuvicensis, de quo mentio a nobis facta est ad annum 1071. Garsenda altera Azonis post Cunegundem uxor duos ipsi Azoni pepererat filios, Fulconem & Ugonem. Ugo is est, qui una cum patre Azone præfatam donationem confecit, quique communiter *del Manso*, sive Cenomanensis, appellatus fuit, quia ditionem ejus regionis ratione matris anno 1069. obtinuerat, cujus tamen jacturam fecerat anno 1072. rursusque vocatus in Cenomanense jus anno 1089. omnino deciderat paucis post annis; quare una cum patre & cum Fulcone fratre alia bona in Italia tunc possidebat, reversus ad paternam domum. Ceterum optimus senex Azo marchio post mensem aprilis hujus anni, quo facta fuit hujusmodi donatio, sed ante augustum mensem decessit.

a Palud. Adriane pag. 56.

b Par. I. p. 81. Antiq. Esten.

VI. Edictum comitum pro abbatiis Morronensi & Berardingorum.

Ugo & Lucterius comites filii Uguccionis comitis & Cæciliæ comitissæ, eorum nimirum, quos ad annum 1089. diximus conditores in territorio Volaterrano abbatiæ sanctæ Mariæ de Morrona, circa hunc annum edictum promulgarunt contra quoscumque raptores, detentores vel inferentes damnum, prædam, *saccum*, furtum, incendium & oppressionem in toto circuitu & ambitu ecclesiæ ejusdem monasterii, & præter pœnam anathematis mulctam etiam pecuniariam indixere. Hoc quoque edictum in suis eruditorum deliciis protulit Lamius, nos ex ipso in Appendice recudimus, ad quam rejicimus etiam alterum edictum publicatum pro monasterio Berardingorum ab iisdem Ugone & Lucterio comitibus, una cum comitibus Raniero & Bulgaro eorum fratribus, & filiis supradicti Ugonis sive Uguccionis comitis. Conferens scilicet se coram eis Bernardus abbas monasterii sancti Salvatoris de Fonte-bona quæsivit a præfatis comitibus, ut propter Deum & remedium animæ eorum *bannum* mitterent super terris, vineis, domibus, mansis ceterisque rebus dicti monasterii. Constituta igitur fuit pœna centum o timorum Byzantiorum auri, quorum medietas solvenda præscribitur cameræ dominorum comitum Ugonis, Rainerii, Bulgari & Lucterii, & medietas Bernardo abbati & præfato monasterio. *Factum est hoc anno Dominice incarnationis millesimo nonagesimo septimo mense september indictione quinta*. Ughellius in historia comitum de Marsciano edictum hocce prælo commisit, ex Ughellio Lamius, & nos ex utroque rursus exhibemus. Ex hujusmodi filiorum Uguccionis comitis edictis potest conjici supremum jam diem obiisse eorum patrem. In charta Lucensi, quam laudat Muratorius [c], Rolandus quidam monasterio sancti Salvatoris

c Antiq. T. I. col. 419.

vatoris prope Arnum donat anno 1098. res *pro remedio bone memorie Ughicionis magni comitis, & Cilie comitisse uxoris sue*. Immo XII. calendas decembris hujus anni 1097. jam decessisse liquet Uguccionem ex donatione supradictorum filiorum ejus ea die facta hospitali Alti-pascii [a] apud eumdem Lamium. Cilia pariter filia Teuzi, quam diximus una cum viro suo Uguccione comite benefactricem monasterii Morronensis, obierat anno præcedenti 1096. sepulta ante ecclesiam cœnobii sancti Salvatoris de Septimo in diœcesi Florentina, & deposita in eadem capsa marmorea, in qua deposita jampridem fuerat Gasdia comitissa ejus socrus & uxor Guilielmi Bulgari comitis patris præfati Uguccionis viri sui, & ad septentrionem sequens fuerat apposita super ejus tumulum inscriptio:

a Pag. 1080. Anni 1743.

ANNO. M. XCVI. DOMINICAE. INCARNATIONIS. VII. CAL. MAII.

OBIIT. CILLA. COMITISSA. CVIVS. CORPVS. REQVIESCIT. IN. PACE.

Ugo & Lotharius filii Uguccionis comitis, necnon Rainerius & Bulgarus memorantur in chartis horum temporum apud antiquitatum collectores. Ugo præsertim & Lotharius anno 1104. Bentio priori ecclesiæ sanctæ Mariæ de Fine pollicentur se nullam imposterum molestiam illaturos circa bona ejusdem ecclesiæ [b] apud Muratorium, qui tamen male adnotat, Uguccionem ipsorum patrem non solum fuisse comitem, sed marchionem insuper Thusciæ, quam dignitatem nullus, quem sciamus, ei tribuit. De Ugone comite Uguccionis filio agemus & nos iterum ad annum 1109. Bernardus demum abbas Berardingorum hoc eodem anno locum fecit Ursoni seu Ugoni abbati, cujus nomen ab hoc ad annum 1101. legitur in chartulario ejusdem abbatiæ.

b T. IV. col. 1105.

VII. Chartæ Sanvictorianæ & Pisanæ.

Muricus abbas sancti Victoris de Clusis, cujus nomine etiam annis antecedentibus signatæ tabulæ leguntur in chartariis sancti Blasii & sanctæ Catharinæ de Fabriano, hoc *anno millesimo nononajesimo septimo, & regnante manno Rigo nostro imperatore, & Clemente papa tenuit apostolica sede apostolorum, & die mense augustu indictione quinta currente*, una cum Rainerio priore, & *cum consilio & voluntate de clericis & monachis ipsius monasterio*, promissionis chartam facit Baroncello & Artuino germanis fratribus. Subscribunt idem Rainerius prior, domnus Petrus monachus, & domnus Giviardus monachus. Vivebat adhuc Romanam ecclesiam & urbem exagitans Wibertus, sive Clemens III. qui in suo schismate post triennium, hoc est anno 1100. repentina morte a Deo punitus misere interiit. In alia pagina oblationis, quam eidem Murico abbati conscripsere Acto filius Lei & Ota ejus conjux, leguntur nomina Bucci comitis & Albrici quondam comitis, qui Camerinenses comites erant & ejus generis, qui suburbani vocabantur; hi sibi ædificia & arces construebant in montibus vel in locis a natura munitis, & dominium exercebant in homines sibi subjectos, variaque gerebant mutua prælia cum vicinis, ex quorum depressione proficiebant, & dilatabant jura sua.

Demum hoc *anno ab incarnatione Domini mille nonagesimo octavo*, stilo Pisano, *quinto calendas julii indictione quinta* habemus ex charta tabularii sancti Michaelis de Burgo Pisarum Curadum filium Rolandi & Bonam ejus uxorem donasse eidem ecclesiæ sancti Michaelis, *ubi nunc dominus Petrus abbas reverentissimus preesse videtur*, varias terrarum portiones positas in loco & finibus Macajo. Nominantur in hac charta terra sancti Prosperi, & terra ecclesiæ & monasterii sancti Zeni, seu sancti Zenonis.

ANN. CHR. 1098.

VIII. Cessiones patronorum ecclesiæ S. Angeli de Curte-luponis eremo Camald.

CUM plures essent patroni ecclesiæ sancti Angeli de Curte-luponis, leguntur in summariis instrumentorum Simonis & Raynerii plures cessiones, quas iidem patroni hoc anno fecerunt eremo Camaldulensi. Eas verbis ipsorum veterum collectorum hic subjicimus. *Berta filia olim Buschi & uxor Guilielmi filii olim Guidonis, & Bertina filia Bonisci ambe in solidum cum suorum virorum consensu pro remedio animarum suarum & suorum parentum donaverunt domno Martino priori Camaldulensi nomine Camalduli heremi suum jus & portionem, & partem, quod & quas habebant in ecclesiam sancti Angeli positam in territorio sancti Petri in Gello in loco dicto Curte-Luponis cum cemeterio, edificiis & pertinentiis suis, de qua investituram corporalem dederunt domno Leoni monacho Camaldulensi. Insuper predictus Guilielmus cum Berta uxore ejus pro remedio anime sue donavit de suis bonis predicte ecclesie staria* VIIII. *terre posite in territorio sancti Petri in Gello loco dicto Pozajolo juxta terram arzi scai & terram filiorum Guinildi in pede, & terram sancti Donati, & viam, nonum vero starium est positum ad quercetum juxta terram sancti Donati, & terram Ubaldi & rivum. Sub anno Domini* M. XCVIII. *mense januarii. Charta manu Rolandi notarii.*

Ugho judex olim Petri & Altoberga ejus uxor, & Burellus ejus filius per se suosque heredes in perpetuum pro remedio animarum suarum & suorum parentum donaverunt & obtulerunt domno Rolando monacho Camaldulensi recipienti pro Camalduli heremo suum jus & actionem, & portionem, quod & quas habebant in ecclesiam sancti Angeli positam in territorio sancti Petri in Gello in loco dicto Curte Luponis cum cemeterio & pertinentiis suis & edificiis, & totam suam partem podii, unde olim fuit castrum Luponis cum fossis suis. Sub anno Domini M. XCVIII. *mense februario. Charta manu Ildebrandi notarii.*

Rigittus filius olim Leti & Adalasia ejus uxor per se suosque heredes in perpetuum pro remedio animarum suarum suorumque parentum obtulerunt heremo suum jus, actionem & portionem, quod & quas habebant in ecclesia sancti Angeli posita in territorio sancti Petri in Gello in loco dicto Curte Luponis cum terris, vineis & olivetis, quercetis, silvis, & edificiis suis & tenimentis. Item simili modo donaverunt alias suas terras, possessiones & tenimenta posita in villa de Curte Luponis cum casis, terris, vineis, olivetis, quercetis, pratis, pertinentiis suis & jure. Sub anno Domini M. XCVIII. *mense julii; manu Ildebrandi notarii.* Anno sequenti mense januario idem præstitere Rodulfinus filius Banduli, & Bernardinus Ugonis, & Burellus Alberti, manu Ugonis notarii.

IX. Refutatio curtis Modionæ facta a comite Guidio canonicæ Arretinæ.

CURTIS seu villa appellata Mojona in territorio Arretino, quæ juris deinde evasit Camaldulensis eremi, quæque eidem eremo decimas persolvebat, hoc ævo pertinebat eodem tempore ad ecclesiam Arretinam. Legimus hoc anno Widonem comitem filium bonæ memoriæ Guidonis comitis per virgam, quam manu tenebat, refutasse in manu Henrici præpositi Arretinæ canonicæ sancti Donati, & in manibus Petri presbyteri, & Virici diaconi omnes usus malasque consuetudines, quas in eam, ejusque homines vel ipse, vel majores sui sibi arrogaverant. Spondet de cetero nec ipsum, neque suos hæredes ibidem amplius facturos *placitum vel districtum ex hominibus, qui ibi habitant*, sed relicturos plenam potestatem & jus præpositis Arretinis vel eorum vicariis. *Factum est hoc anno Dominice incarnationis nonagesimo octavo post mille indictione sexta mense junio in loco Strumi, juxta ecclesiam sancti Fidelis. In presentia domni ac venerabilis Andree abbatis & domni Guidonis monachi &c.* Ecclesia sancti Fidelis

in

ANN. CHR. 1098.

in Strumi prope Puppii oppidum obtinebatur tunc a monachis congregationis Vallis-umbrosæ. Ipsis reformanda tradita fuerat sub Rustico priore generali, Rodulphi, & Johannis-Gualberti successore post annum 1076. ut affirmant tum Atto Pistoriensis, tum idem Andreas abbas Strumensis, qui eam hoc tempore regebat, primusque fuit, qui ex congregatione Vallumbrosana monasterio præsedit. Ipse Andreas est celebris ille Parmensis patria, Vallis-umbrosæ monachus, sed primum beati Arialdi martyris Mediolanensis discipulus & socius Andreas, qui tum vitam ipsius Arialdi, tum gesta Johannis-Gualberti scriptis tradidit, & Strumensis abbas factus legitur in chartis, quas ad annum 1094. & 1100. profert Soldanius [a]. Primus fuit ejus loci præses, intellige ex congregatione Vallumbrosana, nam fundatum fuerat hocce cœnobium seculo decimo a comite Tegrimo & a Gisla comitissa ejus uxore. Petrus abbas ejusdem loci vivebat anno 993. Albertum abbatem Strumensem nominatum reperimus in quadam locationis charta tabularii nostri Fontis-boni ad annum 1056. Sæpius ejus monasterii memoria occurret in his nostris Annalibus, quia ex eo loco plures donationes fecerunt comites Guidii, multaque bona dilargiti fuere ecclesiis & monasteriis in ejus vicinia positis, ut videbimus. Chartam renuntiationis comitis Guidonis edimus ex tabulario Fontis-boni; sicut ex illo sanctorum Bartholomæi & Pontiani de Luca agnoscimus Martino priori sancti Petri de Puteolis suffectum fuisse Willelmum nominatum priorem & rectorem *de ecclesia & monasterio sancti Petri, que constructa & levata esse videtur in loco Pozeoli*, in charta venditionis ipsi factæ hoc eodem anno VII. *idus junii indictione sexta.*

a *Hist. Passin. pag.* 115.

X. Donationes San-victorianæ.

GOCIUS comes filius quondam Ugonis comitis & Soffia nobilis comitissa conjux ejus, lege viventes Langobardorum, vendunt & tradunt Murico abbati sancti Victoris de Clusis aliquot terras suas. Charta traditionis confecta fuit in Æsina urbe. Ugo pater Gocii comitis idem videtur, qui anno 1079. Æsii similiter in loco Murro bona tradiderat Rodulpho & eremo Camaldulensi. Numerus copiosus comitum, qui legitur per hæc tempora, præsertim in Camerinensi marchia, indicat eos non semper fuisse urbanos, sed alterius generis, qui territoriales appellabantur, quique, ut observavimus anno antecedenti, in montanis & in locis ab urbibus remotis bona, prædia, domos & castra possidebant, hominesque ad sui servitium alebant. Confecta est charta nostra anno *millesimo nonagesimo octabo mense jenuario indictione sexta*. In codice pecudineo monasterii sancti Blasii de Fabriano etiam sequentem reperimus.

Anni similiter *millesimi nonagesimi octavi per indicione sexta currente, & ipso manno Rigo imperator & domno papa Clemente tenuit apostolica sedis apostolorum, comitato Camerino territorio Castellano. Gigiza, qui fuit muliere quondam Acto, & Tederada filia sua, proinde tradimus & concedimus & trasactavimus & investivimus omnia ipsa terra, qui ad me Gigiza pertinet de meo conquisitu, & qui mihi pertinet de Acto, qui fuit virum meu, & qui pertinet ad Tederada da genitore suum & da genitrice sua, aut per successionem fratribus meis, tradimus ipsa predicta terra & vinea, qui ad nos pertinet, & beatu sanctu Victore, qui est edificatu in fundo Victoriano, & at tibi domnus Muricus vir venerabilis abbas ipsius monasterii, & at tuis successoribus in perpetuum possidendum, quod est ipsa terra posita in fundo Rosenga, & in fundo Larciano & in aliis locis* &c. *primo latere fluvio Sentino, secundo latere Rave de Clusa veniente ad summo Monte mergente ad Val de rana, & veniente in la fossa, ubi dicitur de Omo morto, per ipsa fossa veniente in Rigaidoni; tertio latere ipso rigo*

Ann. Chr. 1098.

de sancto Apollenario, *& veniente in Rubiano*, *quarto latere ipsu fossatu de Bovanu*, *& veniente in fluvi Exino* &c. *Mense* autem *augusto regnante domno Rigo rege* Manfridus filius Bicci pro anima sua & genitoris & Perlæ matris confirmat eidem monasterio *sancti Victorii* & sancti Benedicti, ac Rainerio abbati ejusdem loci aliquid de rebus suis positis in fundo Murro. Obitus itaque Murici abbatis & successio Rainerii statuenda sunt inter menses januarium & augustum hujus anni.

XI. Promissio facta monasterio Berardingorum.

a §. *Promissio.* 48. *A.* 1. 40.

Eodem anno „ [a] mense junio Bernardus & Albericus fratres cum Ubertino eorum nepote, filii Ildibrandi, & Bernardus, Guinisus & Albertus fratres filii Bernardi, & Bernardus, Guido, & Rugerius fratres filii Bernardi promiserunt Martino priori Camaldulensi & successoribus ejus, emendaturos se & reparaturos intra triginta dies quodcumque damnum, & quamcumque injuriam vel per seipsos, vel per homines suos imposterum intulerint ecclesiæ sancti Salvatoris, quæ de Berardingis dicitur, postquam requisiti fuerint, vel intra annum æstimationem damnorum soluturos, & propterea constituerunt sibi obligationem triginta librarum ipsi ecclesiæ sancti Salvatoris persolvendarum; Petro notario. “ Hæc leguntur in excerptis Eduardi Baroncinii. Urso sive Ugo hoc anno præfatum monasterium regebat, sub quo anno ex præsenti charta liquet cœnobium Berardingorum, seu sancti Salvatoris de Fonte-bona recepisse jam reformationem eremi Camaldulensis, ejusque disciplinæ paruisse, cum prædicta promissio facta fuerit Martino priori Camaldulensi.

Ann. Chr. 1099.

XII. Monasterium Poplenæ donatur eremo Camaldulensi.

Albertus comes filius Guidonis quondam comitis transfert hoc anno de jure & de dominio suo in jus eremi Camaldulensis abbatiam olim constructam vel construendam, ut legitur in pagina donationis, in honorem sanctæ Mariæ *in Pupline*, sive in Poplena, cum omnibus ecclesiis & pertinentiis suis, cum mansis, villis & prædiis quomodolibet ad præfatam abbatiam pertinentibus. Prima ipsarum ecclesiarum ædificata erat in loco dicto Petra-ficta. De loco Petræ-fictæ ac de donationibus ipsi factis præter annum 1054. diximus etiam ad annum 1073. Secunda ecclesia condita erat in honorem sancti Michaelis archangeli in loco ejusdem curtis Puplinæ. Tertia in loco Gaviserre sub invocatione sancti Ægydii. Quarta ecclesia in honorem sancti Nicolai confessoris exsurgebat in loco appellato Lacus. Quam abbatiam cum præfatis ecclesiis supradictus Albertus concedit Martino priori congregationis Campi-amabilis, ea conditione apposita, ut nullus Arretinus episcopus, nec clerici, nec laici ejusdem episcopii in prædictum monasterium, in ecclesias & res ullam potestatem sibi usurpent, vel causas agant, vel molestias inferant. Addit insuper idem Albertus in præfatæ abbatiæ dotem res & curtes sitas in loco vocato *Acune* in territorio plebis sanctæ Jerusalem, in locis Monte-bonello, Rufina, Pumino, Falgano *&c.* excepto jure plebis sancti Petri de Romena, spondet quoque pro se & pro Ugone fratre suo, pro filiis pariter & hæredibus defensurum abbatiam in favorem Camaldulensis eremi, reservato sibi tantummodo jure patronatus. *Actum clausura de plebe sancti Petri sito Ormina*, sive Romena, *judiciaria Florentina*. Inter eos, qui paginam signant subscribit:

Ubertus judex doctus, *sapiens quoque prorsus*,
Subscripsi, *laudavi superius dictavi*, *notavi*.

Conscriptæ fuere donationis tabulæ *anno ab incarnatione Domini nonagesimo nono post mille mense augusto indictione septima*.

Incen-

Incentor præcipuus erectionis vel reformationis abbatiæ Poplenæ, & donationis ceterarum ecclesiarum sive monasteriorum fuit profecto Gebizo episcopus Fesulanus; ipsius, nisi fallimur, est sequens epistola, quam cum superiore charta donationis ex capsula privilegiorum archivi Fontis-boni exscripsimus & subjicimus.

† *G.. Dei servientium famulus Ugoni nobili comiti, quicquid decet in Christo. Vestræ prudentiæ excellentiam obnixe exoramus pro vestræ animæ redemptione sanctæ Mariæ monasterio, atque Laci heremum cum religiosis Campi amabilis fratribus ordinetis, & nulla pravorum hominum consilia ex hoc recipiatis, quoniam prædictum monasterium nostro assensu prædictis fratribus adjutorium præbueritis, & eorum adversariis resistatis, prædicta sancta loca in Deum ordinabuntur, & magna præmia in æterna vita adquiruntur.*

Ugo autem comes his excitatus literis fratrem suum Albertum magis-magisque ad hæc pietatis opera promovit, altera ipsi data epistola, quam pariter adnectimus.

A.. grandi inclito comiti V.. germanus ejus, qui lingua promi melius ac actu agi rectius. Quia præpediente rerum varietate, Thusciæ partes frequentare nequivimus, miror satis, & cum sis sapientia ditior, & natu antiquior, cur ea, quæ divina sunt, & hæreditati nostræ attinere videntur, non disposueris & ordinaveris, ita dumtaxat ut Deus peccatis nostris erit propitius, & animabus parentum nostrorum misericors piissimus. Quia igitur constat nec vos, nec nos olim fecisse, mandamus sagacitati vestræ sollicitæ, ut provideatis monasterio sanctæ Mariæ, & cum consilio domini venerabilis episcopi, Camaldulensi priori committere non neglexeritis, ita videlicet, ut sit vobis de manibus suis cum scripto promissio, ut nullo in tempore ecclesia illa sine præfixo & nominato abbate permaneat. Vos itaque, quod de ecclesia laicis adtinet facere, illi firmare ac stabilire satagite, adhibentes vobiscum majores, ac de minoribus terræ illius, quos ad hoc aptos videtis, ita videlicet, si vobis dignum visum fuerit, ut si, quod absit, congregatio illa de hac sacra religione, in qua nunc Deo volente persistit, aliquo in tempore exierit, nullam inibi potestatem habere liceat. Nunc igitur jam videbor aquam pelago addere, si plus prudentiæ tuæ mea inscitia locuta fuerit. Valeas igitur domine. Plebanus sancti Laurentii harum dictator & scriptor salutat vos. Vivere digne vale comitum diadema regale.

Idem Gebizo Fesulanus episcopus donationes Alberti & Ugonis comitum ratas habuit, rursusque tradidit hæc eadem loca reformanda præfato Martino priori eremi Campi-amabilis, & monacho Gregorio, eorumque idoneis successoribus, assensum præbentibus canonicis Fesulanis, *anno millesimo nonagesimo nono* V. *idus septembris indictione* VI. quæ tamen corrigenda est, substituendo VII. nisi Gebizonis donatio antecesserit anno integro donationes Alberti & Ugonis, qui prius postulaverint voluntatem sui dioecesani episcopi. Tunc autem emendandus esset annus incarnationis, vel usurpatus fuisset a Gebizone episcopo annus Pisanus. Nominantur speciatim a Gebizone eremus, quæ dicitur de Lacu, & sanctæ Mariæ monasterium situm in loco appellato Petra-ficta, & aliud monasterium construendum, ac Deo permittente meliorandum in loco dicto Gaviserre, qui potestatem insuper facit ædificandi, *secundum Deum & secundum seculum*, eremum & monasterium in præfatis locis. *Hoc autem factum est, consentientibus Ormene comitibus, eorumque majoribus fidelibus, ac Johanne sancti Petri*, ecclesiæ Romenæ scilicet, *plebano*. Subscribit *Gebizo Christi servorum servus*, & post ipsum Rag... presbyter & monachus, & Amicus presbyter item & monachus.

ALBER-

ANN. CHR. 1099.

XIII. Quis Albertus comes donator eremo Camaldulensi?

ALBERTUM quemdam comitem, ejusque uxorem laudat Gregorius papa VII. anno 1074. epistola ad ipsos data [a], eorumque fidem & religionem commendat, eos adhortans, ut in puritate & constantia permaneant, resistentes episcopis & sacerdotibus Simoniacis & fornicatoribus. Guidam pariter Alberto nobilissimo viro, cujus uxorem Ermilinam *serenissimam* vocat, epistolam dedit circa annum 1070. Petrus Damiani. [b] Alterum Albertum comitem, ipsiusque conjugem Mathildam comitissam, patrem vero Lamberti comitis, & avum Bonifacii & Corboli comitum exhibet nobis charta apud Ughellium [c], qua hi postremi amplam donationem plurium castrorum & bonorum suorum faciunt ecclesiæ Ravennati, & Anselmo ejus archiepiscopo anno 1158. Albertum quoque comitem his temporibus profert charta a nobis allata sub anno 1092. qua Uguccio comes filius comitis Bolgari anno 1096. fecit venditionem terræ in curte de Ficiclo. Demum Albertum comitem his temporibus reperimus assidentem cum Mathilda comitissa cuidam placito pro abbatia Puteolensi diœcesis Lucanæ. Albertus noster munificus in Camaldulensem eremum donationibus abbatiæ Poplenæ aliorumque locorum, & filius Guidonis quondam comitis, ejus Guidonis filius reapse fuit, qui anno 1054. Rainerio abbati in loco Aprognano donaverat *terras & vineas & ecclesiam edificatam in honorem sancte Trinitatis, & sancti Egidii in vocabulo, Gaviserre in pertinentia de plebe sancte Marie sito Stia, alias quoque terras infra casale Pratilone, ubi dicitur Pietra ficta, & in pertinentia de plebe sancti Petri sito Ormina*, ut vidimus [d] tomo antecedenti. Concordant loca ad eum annum enuntiata cum locis recensitis in chartis hujus anni, quæque nominantur ab Ugone comite *attinentia ad hæreditatem nostram*. Vivebat propterea lege Ripuaria, nihilque commune habebat hæc Guidonum vel Albertorum familia cum ceteris comitibus Guidiis, qui plura & ipsi castra, loca & ecclesias possidebant his temporibus in eadem Thusciæ regione, licet temporis progressu hi postremi primorum hæredes evaserint, ut videbimus seculo XIII. in quo comites Guidones, lege viventes Langobardorum, comites de Romena, præter alia loca, quæ possidebant, se nominabant. Frater Alberti erat Walfredus; hujus chartam attulimus ad annum 1093. Alberti & Walfredi hæreditaria nomina erant ejus Guidonum familiæ, qui legem Ripuariam profitebantur. Quare arbitraremur Ugonem nominatum fratrem Alberti in charta Alberti comitis, & in epistola Gebizonis episcopi Fesulani alium non esse quam Walfredum; forte enim scriptum erat nomen ejus per initialem literam V. & exscriptor ejus epistolæ Ugonem pro Walfredo expressit. Nil tamen vetat, quo minus tertius eorum frater, præter Walfredum & Albertum, fuerit Ugo. Ceterum monasterium Poplenæ statim a Camaldulensibus excitatum fuit sub invocatione sanctæ Mariæ cum ecclesia adhærente sub titulo sancti Michaelis; quandoquidem ad annum 1105. ipsum recensetur inter Camaldulensia cœnobia a Paschale II. Situm erat in plano prope flumen Arnum, parumque distabat ab oppido Prati-veteris. Monasterium sanctæ Mariæ de Petra-ficta prioratus evasit, neque unquam titulum abbatialem obtinuit; positum erat in alpibus Casentini prope locum Pomponi nuncupatum, semperque habitum fuit tamquam manuale abbatiæ Poplenæ, cui subdebantur rectores loci de Petra-ficta. Cœnobium seu eremus de Lacu, ecclesia sancti Nicolai, ecclesia sancti Ægidii, aliæque in pontificiis & imperialibus privilegiis emanatis pro Camaldulensibus enumerantur. Hæc speciatim leguntur in privilegio Gregorii papæ IX. ad annum 1227. *In episcopatu Fesulano monasterium sancte Marie de Poplena, & ecclesia sancti Michaelis juxta ipsum;* ecclesia

a Labb. Concil. T. XII. col. 310.

b Lib. VII. epist. I.

c T. II. col. 368.

d Pag. 148.

ecclesia sancti Bartholomei de Astra Petronis, *ecclesia sancte Margarite in Pomino*, *ecclesia sancti Egidii in Gaviserre*, *ecclesia sancti Nicolai de Monte-mezzano*, &c. Eadem habentur in illo Alexandri IV. ad annum 1258. sed ecclesia sancti Nicolai dicitur *de Monte-zano*, tributa postea monialibus sancti Johannis-evangelistæ de Prato-veteri; in aliis diplomatibus recensetur eremus seu monasterium sanctæ Mariæ in Lacu, & potissimum in antiquioribus privilegiis Honorii II. ad annum 1125. & Innocentii II. ad annum 1136. spectantibus.

ANN. CHR. 1099.

XIV. Alterius ecclesiæ de Casaliclo donatio eremo Camald.

ILDEBRANDUS filius olim Rolandi & Orfrisca ejus uxor donant & tradunt hoc eodem anno *oratorio sancti Salvatoris*, eremo scilicet dedicatæ in honorem sancti Salvatoris, & positæ in loco Campi-amabilis terras, & quartam partem unius ecclesiæ cum parte sui cœmeterii, *ubi possint facere mansionem & habitationem* Camaldulenses. Sita erat hæc ecclesia in territorio Arretino in plebe sancti Hippolyti Biblenæ in casali *Casaliclo*, & consecrata in honorem sanctæ Mariæ. Ex manibus donatorum ipsam recepit pro Martino priore, & pro eremo Camaldulensi Ildebrandus monachus cœnobii Fontis-boni.

XV. Joh. Laudensis nil remitti vult de regula Avellanensi.

PERTINENT ad hæc tempora ea, quæ de Johanne Laudensi Avellanensis eremi priore enarrat anonymus ipsius vitæ scriptor & ejusdem loci accola. Spectant enim ad tempus illud, quo præfecturam eremi tenebat, & quo simul in senium vergebat ipsius ætas. Porro in chartulis Avellanensis tabularii post Aliprandum semel & bis priorem, rursus hoc anno apparet nomen Johannis Laudensis prioris, quod legitur iterum ad annum 1101. post quem annum non amplius reperitur signatum. Anonymus vero hæc de ipso habet. *Cum gravis ejus ætas declinaret in senium, virtus nitens nesciebat occasum. Qui enim scire flagitat, quam irrevocabilis virtutum cucurrerit viam, quamque manu super aratrum missa respicere sit dedignatus, interea pauca, quæ subdo, consideret, & per hæc indeficuum viri fervorem poterit nosse. Cum enim de eremiticæ regulæ austeritate die quadam sermocinaremur, eamque in debilibus ægrisque fratribus condescendendo temperandam aliquatenus causaremur, præsertim cum ipse domnus Petrus in eadem scriptum reliquisset, ut post obitum suum, id fieret, ille etsi languidus, etsi cunctis pene nobis esset debilior, ejusque assensus ad id credendus esset facilior: Cum multis, inquit, peccatis graver, hoc utique superonerari non patiar, sed sicut domnus Petrus in vita id fieri non toleravit sua, ita quoque fieri non assentiar in mea. His certe paucis verbis licet attendere, quanto ille conatu latam multorum spreverit viam, quamque medullitus arctam, quæ paucorum est, tenuerit semitam, nec cum carnali Israel multitudine contemptas jam Ægyptias ollas sit dignatus respicere, sed cum solis Jesu Nave & Caleph omni prorsus vi sua ad typicam promissionis terram perstiterit anhelare. Ruminabat namque vir sanctus, mundum scilicet animal, multorum quidem esse bene incipere, paucorum vero, quod sine gemitu recolendum non est, bene finire. Frustra enim velox in stadio currit, qui ante finem deficit; quoniam in cursus meta currentium est corona, nec in divinum sacrificium accipitur hostia, quæ caret cauda.*

XVI. Quænam regula eremitica conscripta a Petro Damiani?

QUÆNAM fuerit hæc eremitica regula olim a Petro Damiani constituta, primisque temporibus ad superstitionem usque observata in cœnobio Avellanensi, & cujus austeritatem nonnihil temperandam pro debilibus & ægrotis fratribus impense flagitabant a Johanne Laudensi priore cœnobitæ & eremitæ ejusdem loci [a], inquirit Sartius noster; neque enim arbitratur hoc nomine intelligenda esse duo opuscula ejusdem sancti institutoris Damiani, unum *de ordine eremitarum & facultatibus eremi Fontis-avellanæ*, & al-

[a] *Vit. S. Joh. Lauden. pag.* 60.

Ann. Chr. 1099.

& alterum *de suæ congregationis institutis ad Stephanum monachum*, ea potissimum de causa, quod in primo opusculo summo zeli fervore percitus inculcaverit Damianus priori, qui post mortem suam primum locum in eremo obtinuerit, *ut ab hujus observantiæ* regula *cum iis, qui illi subditi fuerint, non declinet, & a bono tramite, per quem* in eo loco *nunc inceditur, non aberret*, ipsumque ea super re *per adventum Domini nostri Jesu Christi, per terrorem divini judicii lacrymabiliter* obtestatus fuerit. Ex quibus verbis propterea argumentum desumit idem abbas noster Sartius, alteram regulam pro eremitis conscripsisse aliquando Petrum Damiani, quæ prioribus temporibus viguerit & extiterit, modo autem alicubi lateat, & quæ incassum requiratur in utroque ex allatis opusculis; in qua nimirum præfatus Petri Damiani facultatem successoribus suis tribuerit aliquid de austeritate disciplinæ relaxandi. Sed jam sibimetipsi satisfacit Sartius, cum animadvertit sanctum virum priores sui successores deterruisse a mutatione regulæ eremiticæ in Avellanensi cœnobio, ne loco hujus introduceretur aliquando monastica vita. Quare statim post superiora verba subjungit idem Damianus: *Non itaque ad monasterialem laxitudinem ab eremitica vos libeat districtione descendere, & relicta lege spiritus, carnis illecebris & lenociniis consentire. Et quidem bona sunt illa, sed ista meliora; & quid est aliud a melioribus ad bona descendere, nisi ab excelsis ad humilia declinare?* Idemque cautum & sancte vetitum novimus etiam in Camaldulensi eremo, ut nunquam in ipsa immutaretur vita eremitica, vel ad monasticam transferretur. Sed eidem nostri amantissimo Sartio insuper ostendimus, quo loco & qua ratione Petrus Damiani in iisdem opusculis scriptum reliquerit, ut ait anonymus Avellanensis in vita sancti Johannis, se vivente nullatenus passurum, ut temperaretur eremi austeritas; posse vero id a prioribus Avellanensibus post obitum suum fieri; scilicet hujus rei potestatem fecit capite XVIII. secundi opusculi *de suæ congregationis institutis ad Stephanum*, in quo sermonem habens *de metaneis, disciplinis, palmatis, sive etiam brachiis extendendis in orationibus, ceterisque sancti fervoris exercitiis, nulla* fratres suos super his *lege* constringit, *quin potius* uniuscujusque *committenda provisionis arbitrio* judicat præfata exercitia. Post quæ superaddit: *Hæc itaque nos remoto omni austeritatis rigore, ideo sub tam modestæ discretionis libramine constituimus, ut frater, qui de sua est salute sollicitus, institutionem salutiferam non abhorreat, & tamen si hoc fecerit* (melius fortasse *hæc non fecerit*) *plenissime de omnipotentis Dei miseratione confidat. Verumtamen hæc regula post nostrum teneat obitum, nam dum vivimus, assuetum minui Deo largiente non patimur institutum.* En ergo, quomodo conceptis verbis Petrus copiam tribuerit prioribus sibi succedentibus moderandi eremiticæ regulæ austeritatem, & cur Johannes Laudensis, unus ex ejus successoribus in prioratu Avellanensi, ipsius exemplo motus, commonachis suis responderit: *Sicut domnus Petrus in vita id fieri non toleravit sua, ita quoque ego fieri non assentiar in mea*; atque ita exemplo sui magistri ne latum quidem unguem, licet multum exoratus & efflagitatus, voluerit de primæva loci & regulæ austeritate remittere. Supervacaneum itaque est inquirere aliam regulam a Damiano conscriptam, cujus nullum in aliis ejus operibus extat vestigium, præter allata duo opuscula. An vero regula eremitica non una vice laudata a beato Rodulpho in suis constitutionibus Camaldulensibus annorum 1080. & 1085. eadem fuerit ac regula Damiani, sive usus & statuta Avellanensia, quæ leguntur in præfatis duobus Damiani opusculis, fusius examinavimus ad annum 1085. & prius in præfatione secundi tomi horum Annalium.

QUAN-

Ann. Chr. 1099.

XVII. De Aliprando priore Avellanensi.

Quandoquidem de Aliprando eremi Avellanensis priore non sumus ulterius locuturi, & ignoratur annus ejus obitus, illud adjicimus in necrologio Font-avellanensi reperiri ipsius memoriam ad diem XVI. augusti his verbis: *Obiit domnus Laprandus prior heremi, sacerdos & monachus nostræ congregationis.* Exoptandum foret, ut scriptores hujus necrologii, qui varii fuere, variisque temporibus defunctorum nomina adnotarunt, nudis nominibus minime contenti, aliqua saltem brevia elogia addidissent clarorum & piorum monachorum Avellanensium; quale profecto elogium Aliprandum imprimis decuisset, eo potissimum tempore viventem, immo præsidentem, quo in suo robore vigebat regula eremitica Damiani, & quo plurimi alii piissimi viri pœnitentiis & carnis macerationibus insignes, ac virtutibus florentissimi ex eadem eremo prodiere. Hinc nil mirum etiam, si præter ea, quæ in suis operibus memoravit sanctissimus eorum institutor Petrus-Damiani, pauca in his Annalibus nostris protulimus de sanctis cœnobitis primævis Avellanensis cœnobii, quorum simplicia dumtaxat nomina ad nostram notitiam pervenere.

XVIII. De Guitmundo cardinale & ep. Aversano. De celebribus Avellanensibus.

Nullam pariter mentionem ingessimus de Guitmundo monacho, episcopo inde Aversano, & S. R. E. cardinale, quem aliqui scriptores Avellanensibus nostris adjudicant, sed quonam fundamento ipsi viderint. Trithemius Guitmundum monachum sanctæ Crucis Leutfredi facit, sed Trithemium æquivoco monasterii sanctæ Crucis Fontis-avellanæ nomine deceptum existimat Arnoldus Wion, quem proinde monachum Avellanensem credit; Jacobillius vero ex cœnobio Leufrediano ad Avellanense fama sanctitatis beati Ludulphi illectum Guitmundum transiisse contendit. Eorum opiniones affert Grandius [a] in suis dissertationibus Camaldulensibus, qui etiam adnotat ab aliquibus appellatum fuisse Sigismundum. Plures etiam ex nostris scriptoribus, inter quos novissime domnus Basilius du Verge eremita Viennensis, nonnulli pariter catalogi Guitmundum Avellanensibus accensent. Illud tamen Jacobillio concedere nequimus Guitmundum ex cœnobio sancti Leutfredi in Neustria ad Avellanense tractum nomine & sanctitate Ludulphi transitum fecisse; tempora enim id non patiuntur, cum ad summum anno 1048. ad superos evolaverit Ludulphus, & post medietatem hujus seculi viveret Guitmundus Lanfranci discipulus, & monachus Crucis Eltonis, seu sancti Audoeni, sive Leutfredi, qui contra Berengarium scripsit sub pontificatu Gregorii VII. & in Italiam non venerit nisi anno 1079. Ut enim narrat [b] Ordericus Vitalis, & ex ipso Mabillonius [c], mortuo Johanne archiepiscopo Rotomagense, a rege Angliæ postulatus fuit Guitmundus ad eumdem archiepiscopatum, sed ejus æmuli, quos ille vituperaverat, ipsius electioni obstitere, & effecere, ne archiepiscopus crearetur, objicientes, quod filius esset cujusdam presbyteri. *Ille autem*, subdit Ordericus, *ab omni avaritia purgari volens, & inter exteros paupertate premi, quam inter suos dissensiones fovere mallens, Odilonem monasterii sui abbatem reverenter adiit, & humiliter ab illo licentiam peregrinandi petiit & accepit. Porro illiteratus abbas metiri nesciebat, quantus sapientiæ thesaurus in præfato doctore latebat, ideo desiderabilem philosophum de monasterio suo facile dimisit, quem Gregorius VII. papa venientem ad se gaudens suscepit, cardinalem sanctæ Romanæ ecclesiæ præfecit, & Urbanus papa jam probatum in multis metropolitanum Adversis urbis sollemniter ordinavit.* An occasione hujus peregrinationis Guitmundus visitaverit, diverteritque ad Avellanense cœnobium eo tempore clarissimum, brevique intervallo loci ejusdem accola fuerit, neque affirmare, nec negare audemus. Guitmundum hunc Guidonem appellat, abbatemque facit monasterii sanctæ

a *Dissert. IV. cap. I. num. 5.*

b *Lib. IV. pag. 526.*

c *Ann. T. IV. pag. 142.*

Ann. Chr. 1099.

a T. II. col. 595.

ctæ Crucis Leutfredi Hermannus Cornerus in chronico apud Eccardum [a]. Fortunium quoque nostrum non audimus, qui postquam de Guidone Aretino verba instituit, hæc de Guitmundo, quem Sigismundum nominat, superaddit. " Eodem seculo aluit cœnobium Avellanense Sigismundum
„ monachum eximium, qui cum esset in divinis scripturis versatissimus,
„ archiepiscopus Antuerpiæ factus est, disputavitque singulari pietate con-
„ tra ipsum Berengarium Turonensem, & inter cetera volumina ipse quo-
„ que tres libros complevit de Corpore & Sanguine Christi. Vixit circa
„ annum Domini 1040. " Circa annum 1040. nondum se produxerat Berengarius. Guitmundus autem scripsit libros adversus ejus hæresim sub Gregorio VII. Romano pontifice, quem sæpius in opere suo memorat; nemo autem Antverpiensibus & omnes Adversanis datum episcopum Guitmundum scribunt. Ipsum omittunt inter S. R. E. cardinales Ciacconius, & qui Ciacconio additiones fecere; prætermittit etiam Ludovicus d' Attichy in sua cardinalium historia, recenset vero Ludovicus Castaigner episcopus Pictaviensis in Nomenclatore cardinalium edito anno 1615. pagina 8. ut animadvertit Caveus [b], & claro Orderici Vitalis testimonio liquet hoc honore Guitmundum decoratum fuisse a Gregorio VII. An insuper Guitmundus fuerit ille Witmundus monachus, qui una cum episcopo Ostiense, relatu Hugonis archiepiscopi Lugdunensis, obstitit electioni Victoris III. papæ, adhuc magis incertum. Obiisse Guitmundum anno 1080. scribit idem Caveus, & propterea aliquot annis ante Victoris pontificatum, cum Ordéricus ex adverso ab Urbano II. episcopum electum affirmet post Victoris brevem sedem. Fatendum est plura de Guitmundo in obscuro esse posita, quem tamen insignem doctumque virum & scriptorem fuisse exploratissimum est.

b Pag. 532.

Hæc nos sub hoc anno de Guitmundo, eadem ratione, qua aliqua ad annum 1083. de Gebizone altero S. R. E. cardinale, collegimus, si quando clarioribus documentis innotescat ipsos ad Avellanensis cœnobii ascetas pertinuisse. Ceterum etiamsi nil cum Avellanensibus commune uterque haberet, illud tamen non ibit inficias quisquam ex præfato monasterio plures prodiisse illustres sanctimonia, doctrina & dignitatibus ecclesiasticis viros, qui insigniter Italiam ejusque ecclesias ornarunt. Ut enim animadvertit Grandius noster, „ supra quadraginta monachos hæc una solitudo
„ ad cœlestem patriam transmisit, quorum nomina inter Sanctorum at-
„ que Beatorum fastos posterorum venerationi sunt consecrata, totidemque
„ circiter variarum urbium episcopi ex ejus claustris assumpti recensen-
„ tur. " De his sequentibus libris aliqua a nobis illustriora sub suis annis referentur, eos tantummodo heic loci subjicientes, qui ex Jacobillio, Ughellio, Sartio, sed præsertim ex sæpius laudato veteri Avellanensi necrologio ad seculum XI. jam elapsum pertinent, vel quorum incertum episcopalis sedis est tempus, vel demum eorum, qui nisi monasticam induerint vestem in eodem cœnobio, tamquam commissi Avellanenses locum habent in eodem kalendario. Julianus ex eremita sanctæ Crucis de Avellana adlectus est juxta Ughellium anno 1009. Eugubinus episcopus, subducente se ab episcopali honore Ludulpho ipsius magistro, & Avellanensium credito institutore; decessit autem ejusdem testimonio anno 1012. Lucentius existimat Ughellio 1012. pro anno 1032. excidisse. Sartius autem in magno hiatu, qui habetur in episcopis Eugubinis ab anno 968. quo Johannem Eugubinum antistitem exhibent acta concilii Romani, ad annum 1037. quo primum occurrit nomen Theudaldi seu Theobaldi episcopi, Julianum locandum non dissentit. In necrologio Avellanensi Juliani obitus adno-

adnotatur sub die septima maji his verbis : *Obiit domnus Julianus episcopus Eugubinus commissus noster*. Observat vero idem Sartius Julianum commissum dicit, quod plurimum a monacho distat; ex qua nimirum formula infirmatur sententia eorum , qui putant ipsum in monasterio Avellanensi sub Ludulphi magisterio tamquam monachum vel eremitam meruisse . Theudaldus episcopus sancti Mariani , quam invocationem usurpare consueverant episcopi Eugubini , assedit inter patres concilii Romani anni 1037. & rursus alterius Romanæ synodi anni 1044. ac eremita Avellanensis dicitur ab eodem Ughellio , sed Theudaldi nomen desideratur in necrologio ejusdem loci. Obiit ante annum 1057. quo sedem Eugubinam replebat Guido . De Rodulpho , & de Dominico Eugubinis episcopis ad eam cathedram assumptis ex Avellanensi eremo, consulantur, quæ diximus suis locis, sicut etiam plura in medium protulimus de Mainardo episcopo itidem Eugubino ad annum 1072. De Johanne vero Laudensi ex priore Avellanensi Eugubino præsule dicemus initiis seculi sequentis. Theodosius Senogalliensis & Odelricus Firmanus episcopi , qui passim afferuntur fuisse Avellanenses monachi , non memorantur in eodem necrologio . Ad diem quartam-decimam januarii legitur in ipso : *Obiit domnus Arduinus episcopus*, sed nomen ecclesiæ, quam rexit, non apponitur. Alius is esse nequit ab Arduino Fanensi episcopo , qui floruit temporibus Petri Damiani sub Leone IX. Romano pontifice circa annum 1050. & rursus sub Alexandro II. nominatur in concilio Lateranensi anni 1062. vel 1070. suffectus in locum sacrilegi episcopi Fanensis , de quo idem Damianus agit in epistolis ad Gregorium VI. ad Clementem II. & ad Gebehardum Ravennatem archiepiscopum . Ad diem vigesimam-octavam februarii legitur in eodem necrologio : *Obiit Martinus episcopus monachus congregationis nostræ*. Anne Sarsinas episcopus Martinus , qui vivebat ad annum 1052? Sub die vigesima-octava martii nomen apponitur Gragdi vel Draghi episcopi Assisinatis : *Obiit domnus Gragdo episcopus Assisinas commissus noster* . In syllabo episcoporum Assisiensium deest nomen Gragdi, qui inter Ugonem sive inter Aginum , & Clarissimum, ab anno scilicet 1050. & 1066. ad annum 1126. locum habere potest , quo tempore nullus affertur apud eumdem Ughellium Assisiensis episcopus. Philippi Firmani episcopi obitus adnotatur ad diem vigesimam-quartam maji : *Obiit domnus Philippus episcopus Firmanus monachus nostræ congregationis* . Is , quando floruerit , nos latet ; ipsum tamen statuit Ughellius post Odelricum ad tempora Alexandri II. & Gregorii VII. Deinde minime recordatus eorum , quæ ad ea tempora dixerat, Philippum monachum Avellanensem & episcopum Firmanum retrahit ad seculum XIII. ejusque obitum sub ea die 24. maji memorari scribit in veteri Fontis-avellanæ kalendario, quo seculo vivebat alter Philippus episcopus , quem ignoramus , an Avellanensis unquam monachus fuerit. Tertium Firmanum episcopum Philippum habemus eodem seculo ex præposito cathedralis ecclesiæ ad eam sedem evectum a Gregorio X. Romano pontifice anno 1273. Sub die secunda junii legitur: *Obiit domnus Raynaldus episcopus monachus nostræ congregationis*. Æsinus episcopus hujus nominis vivebat anno 1179. Asculanus anno 1208. alter episcopus pariter Asculanus anno 1259. Nucerinus autem Raynaldus , qui certe fuit Avellanensis, & Sanctorum fastis adscriptus, ad diem pertinet nonam februarii , adeoque alius est ab episcopo signato ad diem secundam junii . De Nucerino dicemus suo loco . Sub die quinta-decima junii: *Obiit episcopus Michael Arretinus monachus nostræ congregationis*. Sed inter Arretinos præsules nullus reperitur , qui Michaelis nomen gesserit , Facile spectat ad

Ann. Chr. 1099.

aliam ecclesiam; Anne Pisaurensem, in qua Michael sedebat anno 1074? Ad diem vigesimam-secundam augusti habetur: *Obiit domnus Gregorius sancti Andrii episcopus conmissus noster*. Insignis lacuna, quæ a seculo VIII. ad XII. in episcopis Andriensibus protenditur, Gregorii sede aliquatenus impleri potest. Ad diem vigesimam-octavam augusti: *Obiit domnus Milo episcopus commissus noster*. Sed cujus sedis nos latet. An episcopus Urbevetanus, qui floruit anno 1160? non certe Beneventanus seculi XI. qui archiepiscopus appellaretur. Sub die nona octobris legitur: *Obiit domnus Johannes de Fano episcopus & monachus nostræ congregationis*. An Fanum fuit patria, vel sedes episcopi Johannis? nam in episcopis Fanensibus nullus ex monachis Avellanensibus episcopus memoratur. Sub die decima-septima octobris: *Obiit domnus Lutherius Lucerinus episcopus commissus noster*. An legendum Nucerinus Lotharius, qui vivebat anno 1125? vel si Lucerinus, is locandus videtur inter Benedictum episcopum anno 1099. & inter Rainaldum episcopum anno 1179. vel unus est ex iis episcopis Lucerinis, quorum nomina latuere Ughellium ad annos 1219. & 1220. Ad diem octavam novembris: *Obiit domnus Johannes episcopus de Ancona commissus noster*. Facile est Johannes Bonus ex canonico Anconitano patriæ suæ episcopus sub Innocentio IV. qui in commissorum Avellanensium syllabo adnotatus fuerit. Sub die decima novembris: *Obiit episcopus Firmanus commissus noster*, sed cum episcopi nomen non afferatur, quis fuerit, divinare non est animus. Demum ad diem quartam-decimam decembris: *Obiit domnus Rodinus episcopus Asculanus commissus noster*. An ne Theodinus, qui floruit circa annum 1239?

De Davizone episcopo Castellano, Raynerio episcopo Galliensi, altero Raynerio episcopo Castellano, Bernardo Anconitano, Anselmo Fulginate, Aldero Galliensi, Benedicto Fulginate, de Transmundis duobus episcopis Senogalliensibus, de Marco Eugubino, Philippo Nucerino, Guidone Urbinate, Raynaldo Nucerino, Villano Eugubino, Theobaldo itidem Eugubino, inde Jaderense archiepiscopo, Bonacto pariter Eugubino, Urso Faventino, Ubaldo Foro-semproniense, inde Tarvisino episcopo, aliisque suis locis agemus. Ad annum 1132. in charta permutationis bonorum facta a Benedicto priore sanctæ Crucis de Fonte-avellana cum Bernardo abbate sancti Geruntii legitur inter subscribentes & inter monachos Avellanenses *Quinicus episcopus*; sed cujus ecclesiæ cathedram tenuerit, expiscari nequimus. De sanctis quoque ascetis Avellanensibus Dominico Loricato, Guidone Arretino, de variis Leonibus, pluribus Petris & Albizonibus, Michaele Polense, Lupo, Mainardo, Agio, Juventio, Martino Storace, Baruntio, Adamo, Gezone aliisque piissimis viris, quorum pauci & fere nullus locum habent in præfato necrologio, satis superque locuti sumus in tomo præcedenti. De sancto Albertino priore ejusque prodigiis, ac de ceteris sanctimoniæ & miraculorum gratia insignibus monachis ejusdem loci, qui post hæc tempora floruere, sermonem instituemus sequentibus seculis.

Prætereundus tamen silentio a nobis non est, licet omnino de ipso taceat necrologium Avellanense, beatus Fortis, cujus vitæ synopsim attulimus ad annum 1040. Ipsius beatificationis nuperrimam sententiam, dum hæc scribimus, opportunissime ab Urbe accipimus, & quammaximas, etiam Camaldulensis congregationis nostræ nomine, gratias referimus Apostolicæ sedi, & sanctissimo patri Benedicto XIV. qui eam gloriosissime implet, quod præsenti anno 1756. supremi cœlitum honores statuti fuerint sancto viro honorificentissimo decreto, quod ad perenne rei monumentum subjicimus.

Eu-

EUGUBINA CANONIZATIONIS

BEATI FORTIS DE GABRIELLIBUS

Monachi sanctæ Crucis Fontis-avellanæ Ordinis Sancti Benedicti.

Cum a Sacra Rituum Congregatione sub die 7. julii 1753. ad relationem Eminentissimi & Reverendissimi Domini Cardinalis Tamburini ejusdem Sacræ Congregationis Præfecti & Ponentis admissa fuerit commissio introductionis causæ beati Fortis de Gabriellibus, *& a sanctissimo Domino Nostro* Benedicto papa XIV. *postmodum signata, juxta tenorem præfatæ commissionis, ad instantiam comitis Fortis de Gabriellibus Valletæ Eugubini postulatoris, propositum fuit ab eodem Eminentissimo Ponente, atque in dicta Sacra Congregatione discussum infrascriptum dubium* „ An sententia lata a Reverendissimo episcopo Eugubino super cultu ab immemorabili „ tempore eidem Servo Dei præstito, sive casu excepto a Decretis jussu „ sanct. mem. Urbani VIII. editis, sit confirmanda in casu, & ad effectum &c. " *Sacra eadem Congregatio, audito prius R. P. D. Benedicto Veterani Fidei promotore, qui suam sententiam exposuit, rescribendum censuit* „ Affirmative " *si Sanctissimo Domino Nostro placuerit. Die 13. Martii 1756.*

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis eidem Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas sua benigne annuit. Die 17. Martii 1756.

D. F. Card. Tamburinus Præfectus
M. Marefuscus Sac. Rit. Congreg. Secret.

Subinde die 4. septembris ejusdem anni 1756. in honorem beati viri concessa fuit recitatio Officii & Missæ : *Pro gratia sub ritu duplici de Communi pro civitate Eugubii. Quoad diœcesim & monachos Camaldulenses sub ritu semiduplici. Quoad oratoria privata Oratoris, comitis nimirum Fortis de Gabriellibus, pro gratia pro una Missa votiva cantata ad vitam Oratoris tantum.*

Validissima porro rationum momenta, quæ concurrebant pro asserenda beati Fortis sanctitate, petita fuere ex publico ad immemorabili tempore cultu, quem semper is obtinuerat, tum ex sacello sub ipsius invocatione extructo in eremo Schiggiæ, in quo vitam majori ex parte traxerat, tum ex elevatione sacri ejus corporis facta ad cathedralem basilicam Eugubinam, ubi in magnifico sacello fuit collocatum, nec non ex titulis Beati & Sancti, quos statim ab obitu promeruit, ex imaginibus ipsius cum splendoribus & laureola insignitis, ex lampadarum & cereorum accensione ad ejus tumulum, ex tabellis votivis & donariis appensis ad ipsius urnam, ex celebratione peculiaris sollemnitatis, quæ quotannis peragebatur cum frequentissimo populorum concursu tum die ipsius emortuali, tum festiva die sancti episcopi Ubaldi, ex asservatione clavium sepulcri ipsius una cum clavibus ceterarum reliquiarum Cathedralis ecclesiæ, & demum ex distributione imaginum & ex impressione numismatum in ejus honorem. Mentionem sancti viri facit anonymus scriptor seculi XV. qui visionem cujusdam monachi Avellanitæ expressit rudi carmine in italico poemate dicato Leonardo Grypho episcopo Eugubino, ubi inter ceteros Eugubinæ civitatis Sanctos patronos inducitur beatum Fortem fuisse a sancto episcopo Ubaldo simul cum aliis interpellatum ad deprecandum atrox pestilentiæ flagellum, quo eo tempore patria Eugubina misere divexabatur.

Atque

Ann. Chr. 1099.

Atque hæc dicta sint de claris piisque ascetis Avellanensibus undecimi seculi.

XIX. Constructio parthenonis S. Christinæ in agro Bononiensi.

CONSTRUCTUM fuerat proxime ante hæc tempora monasterium pro sacris virginibus sub titulo sanctæ Christinæ in territorio Bononiensi; quod communis fert traditio, atque veteribus monumentis comprobatur, conditum fuisse a sanctimonialibus sancti Petri de Luco, quæ coloniam in loco dicto Pasteno, octo milliaribus a Bononia distante, constituerunt sub disciplina & legibus eremi Camaldulensis ejusque priorum obedientia, eodem modo, quo ante paucos annos ipsum sancti Petri de Luco ædificatum fuerat. Prima hujus novi loci abbatissa fuit Mathilda, quam filiam fuisse Cunizæ olim comitissæ, inde sancti Petri abbatissæ, non incongrue dicimus. Duas siquidem filias novimus Cunizam habuisse, quæ una cum matre sacrum religionis velamen susceperunt in parthenone Lucensi, Mathildam nimirum & Beatricem nominatas in charta anni 1090. Beatrix matri Cunizæ suffecta fuit in regimen monasterii sancti Petri, Mathilda vero destinata fuit mater & præfecta sacris novis virginibus in Bononiensi agro. Aliam tamen Mathildam filiam comitis Bennonis reperimus, cujus intuitu suam portionem castrorum monasterio sancti Petri de Luco donavit anno 1095. comes Benno pater. Ipsi Mathildæ *monache & abbatisse* ecclesiæ sanctæ Christinæ virginis, & Gerardo presbytero hoc *anno ab incarnatione millesimo nonagesimo nono, regnante domno Enrico imperatore filius quondam Dnrici imperatoris anno sesto decimo, die octavo mensis augusti indictione septima*, Sighizo filius quondam Brisii pro anima sua & Ermingardæ olim uxoris suæ partim concedit & donat, partim commutat & vendit omnes res & latifundia, quæ ad jus pertinuerant ejusdem Ermingardæ, posita in plebe sancti Johannis in Toricciano, *salva tamen justitia sancti Salvatoris Camaldulensis*. Imperii Henrici anni hic sumuntur ab anno 1084. quo ab anti-papa Wiberto die sancto Paschatis inauguratus & unctus fuerat in imperatorem. Eodem *anno octavo calendas octobris indictione octava*, mutata scilicet mense septembri, Beatrix filia quondam Ugonis comitis concedit eidem ecclesiæ sanctæ Christinæ & præfato Gerardo presbytero pro ea recipienti terras positas in plebe sancti Johannis in loco Malito. *Actum in ospitio plebe sancti Johannis*. Beatricis comitissæ filiæ Ugonis comitis beneficæ in monasterium sanctæ Christinæ, aliam hoc eodem anno *die nono mensis septembris indictione* VII. *regnante domino Enrico imperatore* monasterio sancti Bartholomæi de Muxiliano & Ingezoni abbati venditionis chartam conscriptam affert domnus Cœlestinus Petracchius [a] in suis libris de abbatiali ecclesia sancti Stephani Bononiæ. Indictio in hac pagina non mutatur. Gerardus presbyter in nostra charta appellatur insuper prior, quandoquidem, ad instar monasterii sancti Petri in Luco, etiam in illo sanctæ Christinæ, præter moniales, sacerdotes monachi & conversi alebantur. Historici nostri constructionem parthenonis sanctæ Christinæ de Pasteno, sive de Stifonte, aut de Septem-fontibus, quod nomen recepit a castro homonymo, prope quod situm erat, retrahunt ad annum 1130. Et Fortunius scribit „ ab episcopo Bononiensi N.. traditum fuisse locum „ Martino priori generali ob celebrem famam cœnobii Luci, unde vene„ rabilis pater coloniam virginum sacratarum traduxit, ibique loci pri„ mus omnium habitum & institutum Camaldulensis ordinis locavit; “ verum cum Martinum priorem eremi constituat post annum dumtaxat 1106. neque ipse loci primam originem agnovit. Sed ex tabulario ejusdem monasterii sanctæ Christinæ, ex quo descripsimus præfatas donationes, quas integras ad Appendicem remittimus, sicut etiam ex illo Fontis-boni,

[a] Pag. 97.

boni, liquet ædificationem hujus parthenonis præcessisse finem seculi XI. & ad annum 1097. statuendam. Ipso enim anno die quinta septembris, ut legimus [a] in excerptis Camaldulensis chartarii confectis ab Eduardo Baroncinio, „ Agerardus & Guido olim Agerardi cum suis consortibus pro „ se, suisque hæredibus in perpetuum pro remedio animarum suarum do- „ naverunt & obtulerunt domno Martino priori Camaldulensi pro eadem „ eremo recipienti & domnæ Cunizæ archimandritissæ sancti Petri de Lu- „ co, ecclesiam sanctæ Christinæ positam in loco de Septifonte, ubi di- „ citur Pastinum, cum omnibus suis terris, vineis, pascuis, pratis, silvis „ & pertinentiis & confinibus aliis, secundum quod vadit via Valvignana, „ & via de Roncho usque in rivum Roncho intrantem in rivum de Pa- „ stina, & extenditur usque ad terram Ruffi, & usque ad fontem de „ Albari. Simili modo donaverunt totum suum tenimentum positum, ubi „ dicitur Petra Satuelara. Insuper singuli prædictorum donaverunt tres „ tornaturas terræ inter hos confines; videlicet sicut trahit strata de sub- „ ter usque ad viam transversalem, & ad castellare de Ortice usque ad „ rivum Marciano: manu Gerardi notarii. " Idipsum confirmat Alexander papa III. in diplomate anni 1177. pro iisdem sanctimonialibus, ubi hæc habet: *Universas siquidem possessiones, que monasterio vestro a bone memorie viris Airardi filiis & Aidulini de proprio jure oblata sunt, atque a Martino Camaldulensi priore concessa vobis* &c. *confirmamus*. Airardus ipse est Agerardus, cujus filii alter Agerardus & Guido nominati sunt in excerpto Fontis-boni. In eodem privilegio testatur Alexander Paschalem II. Romanum pontificem communisse diplomate suo recens exstructum monasterium sanctæ Christinæ. Quæ omnia anteriorem hujus asceterii originem declarant, quam putaverit Fortunius. Porro episcopus Bononiensis, qui, teste eodem Fortunio, donationem approbavit, fuit Bernardus, qui ab anno 1083. post Sigilfridum usque ad annum 1104. eam ecclesiam administravit, designatis tamen se vivente, Gerardo, Victore atque Henrico episcopis Bononiensibus. Mathildæ vero abbatissæ nomen constanter legitur in tabulario ejusdem parthenonis usque ad annum 1142.

ANN. CHR. 1099.

[a] §. Amissæ. 192. n. 59.

XX. De alio asceterio S. Mariæ de Toma in agro Senensi.

AUTOGRAPHA pagina archivi monasterii nostri Rosæ Senarum primam sub hoc anno notitiam exhibet alterius loci, qui subinde in pasterium similiter conversum est monialium Camaldulensium, inde etiam monialibus loco motis monachorum domicilium evasit, qui sub regimine vixere eremi & congregationis Camaldulensis. Locus hic ædificatus erat in honorem sanctæ Mariæ prope Tomam fluvium in territorio Senensi, & juxta castrum sancti Quirici in Osenna, cujus castri porta ad hodiernam diem Camalduli porta appellatur. Huic sacro loco Ventura Ginerius filius quondam Gualandi, & Guinizo filius quondam Adelmi plura bona donarunt in finibus fluviorum Tomæ & Romanciani, in colle Guarni, in Saturniano, & in plebe sancti Quirici, & juxta fluvium Aso, & in monte Gualandi, collaudantibus hanc donationem presbyteris & clericis, qui videntur tunc obtinuisse regimen ejusdem ecclesiæ, sed eam cessisse sacris virginibus, quæ post aliquot annos leguntur in chartis nostris incoluisse præfatum locum. *Actum est hoc anno ab incarnatione millesimo nonagesimo nono, decimo calendas julii, indictione sexta*; sed notarius erravit in indictione, quæ hoc anno erat septima, nisi dicamus usurpatum ab ipso fuisse annum Pisanum, & donationem pertinere ad annum Romanum antecedentem. De hoc monasterio præsertim agemus seculo XIII.

XXI. Tabulæ testamentariæ Bernardi Pisani.

AUTHENTICUM exemplum, quod extabat apud canonicum primatialis Pisanæ ecclesiæ, & eruditum virum Octavium-angelum Abrahamium, ex

Ann. Chr. 1099.

ex quo Grandius noster conscripsit, subministrat nobis donationem, seu potius testamentarias tabulas confectas pro remedio animæ suæ a Bernardo filio quondam Gerardi, qui hoc *anno millesimo centesimo*, stilo Pisano, *quarto idus junii indictione septima*, iudicavit & confirmavit abbati ecclesiæ & cœnobii sancti Michaelis de Pisis (is erat Petrus) & Augustino præposito sancti Frigdiani Pisarum, & presbytero Rainerio de loco Travalda domus omnes, terras, servos & ancillas, quæ possidebat in comitatibus Pisano, Lucense, & Volaterrano. *Actum loco Travalde prope ecclesiam sancti Angeli*. Ultima nimirum voluntate omnia sua relinquebat Bernardus sacris locis, & præfatos assumpsisse videtur tamquam executores sui testamenti. Post quam paginam aliud *breve ad recordationem* scribi mandavit, quo judicavit eidem ecclesiæ sancti Angeli de Travalda terras suas positas in Gello, Grossetto *&c.* ecclesiæ vero ac cœnobio sancti Stephani Cintoriæ legavit, quæ habebat in curia de Calcinaria & de Blentina, & in curia de Buiti *tam intus castello, quam & de foris*, & similiter in Cintoria; canonicæ autem sanctæ Mariæ *Pisense* reliquit medietatem de rebus suis, quas habebat in loco Travalda cum aliis in castro Vici, alibique positis, medietatem autem Bernardo filio Gerardi vice-comitis Pisani. Postremum cœnobio sancti Salvatoris (facile Sextensi) omnia, quæ possidebat in loco Rapidi & Crissiano, beneficentiam suam extendens etiam erga propinquos & fideles suos, quos in his tabulis testamentariis nominat.

XXII. Chartæ Sanvictorianæ.

Chartam reperimus in tabulario sanctæ Catharinæ de Fabriano signatam: *Anni Domini sunt millesimo nonagesimo, & regnante manno Enrigo nostro imperatore & die mense martius per indiccione septima*, qua Raginerius venerabilis abbas monasterii sancti Victoris concedit cum consilio & voluntate monachorum & clericorum suorum, aliquot terras ipsius monasterii Adelgratiæ viduæ quondam Carvonis; sed legendum est *nonagesimo nono*, quo decurrebat indictio septima, & notarius omisit τὸ *nono*, præsertim cum anno 1090. Muricus, non vero Raginerius, præfecturam obtineret ejusdem monasterii, & e contra Raginerii nomen legatur in aliis chartis a decembri mense anni præcedentis post Muricum. Subscribunt chartæ ipse Raginerius abbas, Petrus prior, Johannes & Acto presbyteri *per jussione domni abbatis*.

XXIII. Chartæ Rosanenses & Pisanæ.

Sequens excerptum legitur in miscellaneis Ferdinandi del Migliore [a] olim apud Biscionium. *Anno ab incarnatione nonagesimo nono post mille tertio kalendas septembris indictione septima. Ego Guido comes filius bone memorie comitis Guidonis pro Dei timore & remedio anime mee & Tegrimi filii mei dono & offero in ecclesia & monasterio sancte Marie de Rosano, ubi est abbatissa Uberta, rem, que posita est in loco, qui vocatur Ripagnana* &c. *Actum & confirmatum est in claustro sancti Fidelis judiciaria Arretina in presentia abbatis sancti Fidelis & abbatis de Cultibono, & insuper domni Bernardi venerabilis cardinalis beatissimi Petri. Ego Ugo notarius*. Uberta successerat Johannæ abbatissæ, de qua anno 1066. Bernardus erat ex Ubertorum familia monachus congregationis Vallis-umbrosæ, S. R. E. cardinalis & episcopus Parmensis. Monasteria autem sancti Fidelis, & de Cultibono pertinebant ad eamdem Vallis-umbrosanam familiam. In iisdem miscellaneis [b] sequens excerptum de eodem monasterio Rosanensi legitur, in quo tamen deficiunt notæ chronicæ. *Presentes Bernardus filius bone memorie Teuderici, & Lichelmus filius b. m. Guidonis, & Ugo filius b. m. Guidonis, & Ubaldus filius Actonis & Adimarus filius b. m. Bernardi, & Rolandus filius b. m. Gulielmi, & abbatis Benedicti de monasterio sancte Marie de Florentia, alieque plurime principales ecclesiarum persone, & Al-*

[a] *Zibal.* 80. *pag.* 92.

[b] *Lib. LXXX. pag.* 96. *ex arch. Rosani n.* 77.

& Aldobrandius filius b. m. Ugonis, & Bonactinus, & Rimbertinus, Bernardinus filius b. m. Villani, & Ardimannius filius b. m. Urselli, & Guido & Aldobrandinus filius Brunelli, & Aldobrandus filius b. m. Ugonis &c. *Factum est in loco, qui nominatur Rosano, in presentia Langobardorum & Tuscanorum, qui cum Guidone marchione & patre suo comite Guidone aderant. Guido comes filius b. m. comitis Guidonis, & Guido marchio filius ejusdem comitis Guidonis pro Dei amore admiserunt in altario genitricis Marie, que est situm in monasterio de Rosano, nominative omnes albergarias, & placitum, & destrictum, & usum & jus, que illi & fideles illorum nominative de castello & ecclesia & monasterio & burgo sancte Marie de Rosano* &c. *si ab illa ora in antea ipsi vel eorum eredes vel eorum comites vel ipsorum vicecomites seu castaldiones ipsorum vel judices sive scariones illorum vel aliquos ministeriales suorum in dicto monasterio & castello & burgo illius castelli molestiam facere presumpserit, debeant permanere sub maledictione omnipotentis Dei, & beate Marie virginis, & debent componere & dare ipse comes & filii ejus & eorum eredes ad dictum monasterium nomine pene denariorum de Luca libras quatuorcentum, medietatem curti regie, & medietatem ad dictum monasterium sancte Marie de Rosano.* Hæc in miscellaneis. Subscribit quidem *Senzanome* judex, qui ad finem seculi sequentis vivebat, & appellatur judex Friderici imperatoris, sed ignoramus, an autographa sit pagina Rosanensis a Meliore exscripta vel apographa, ac post seculum dumtaxat recognita a Senzanome judice. Ceterum Guido comes & marchio filius Guidonis comitis desinente seculo XI. vivebat. *Ego Wido qui marchio vocor filius Widonis comitis* ita se inscribit in pagina donationis curtis de Portiano facta anno 1100. apud Soldanium [a] monasterio sancti Fidelis de Strumi. Nullus pariter Benedictus abbas sanctæ Mariæ de Florentia vivebat ad finem vergente seculo sequenti, sicut quidam Benedictus abbas vivebat hoc seculo, testibus Paschale II. & Alexandro III. Romanis pontificibus in bullis annorum 1108. & 1176. qui dum recensent bona monasterii hujus Florentini, ajunt: *Preterea quidquid de donatione Bonifacii fratris Benedicti quondam abbatis vestri legitime possidetis;* ubi etiam animadvertimus Bonifacium fratrem Benedicti abbatis alium esse a marchione Bonifacio, benefico etiam ipso in monasterium Florentinum, quem non distinguit ab altero Puccinellius in chronico hujus abbatiæ. [b]

Ann. Chr. 1099.

a *Hist. Passim. pag.* 116.

b *Pag.* 15.

In chartis autem monasterii sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia [c] binæ sub hoc anno die XXIII. januarii & IV. augusti leguntur donationes factæ hospitali Pisano pauperum & peregrinorum sancti Frigdiani a Johanne Boncii & a Guntilda Gerardi ejus uxore, & a Petro Vicecomite filio Sigherii judicis Vicecomitis. Postrema donatio rogata fuit *extra urbem Pisanam in burgo prope ecclesiam sanctorum Felicis & Reguli*, manu Ildebrandi notarii.

c *Num.* 75. & 98.

Ann. Chr. 1100.

XXIV. Mira translatio oratorii Vertighensis.

Refertur ad hunc annum millesimum-centesimum prodigiosum factum, quod sub Paschale II. qui Romanam cathedram ascenderat post mortem Urbani II. anno præcedenti, sub Henrico IV. imperatore, & sub episcopo Arretino Gregorio, Thusciæ vero provinciam regente magna comitissa Mathilda, prope terram Asciani Senensis comitatus contigisse dicitur in quibusdam mss. monumentis & narrationibus. In quibus tamen chronologicis notis emendandum est tempus Gregorii Arretini episcopi, qui ante annum 1104. vel 1105. ad eam ecclesiam regendam non fuit postulatus. Terra Asciani, in qua factum contigit, ad jus tunc pertinebat

Ann. Chr. 1100.

tinebat illustris familiæ Cacciacontum vel Cacciacomitum, ut liquet ex veteri testimonio vitæ beatæ Bonizellæ, quæ obiit anno 1300. „ quam fama perpetuo tractu ad nos usque deducta, inquiunt Fastorum Senensium auctores, dubitare non sinit progenitam ex illustrissimo Cacciacomitum genere, qui videlicet titulo comitum Scialengam, Ascianum, Sinalongam, Fojanum, Trequandam, Petrorium aliaque oppida in Senensi ditione possederunt. " Ipso tamen anno 1300. Asciani terra juris erat reipublicæ Senensis; immo in tabulario archinosocomii Schalæ Senarum reperimus in veteri regesto scripto anno 1334. a Bartholomæo ser Incontri notario Senensi instrumentum donationis de castro Asciani, deque ejus burgis & plateis, quam communi Senarum fecit Ildibrandinus quondam Cacciaguerræ comes, manu Jacobi notarii *in anno Domini* M.C.LXVIIII. *decimo septimo kalendas octobris indictione* I. anno facile Pisano, idest Romano M.C.LXVIII. qui prima indictione signatur.

Porro prope Asciani præfatum castrum eo adhuc tempore, quo ibidem dominabantur supradicti comites, oratorium quoddam exsurgebat, in quo græca manu depicta conspiciebatur imago beatæ virginis Mariæ cum filio suo; oratorium autem hoc constructum in prædio, quod nunc ad illustrissimam familiam Albertiam pertinet, possidebatur tunc a quodam viro, qui ad mortem veniens omnium bonorum suorum hæredes duos ex se genitos filios reliquerat. Dum itaque filii possessionem hæreditatis paternæ adeunt, concertatio inter ipsos oritur, ad quem eorum præfata ædicula spectare debeat, quam proprio juri adjicere uterque contendit, forte quia affluentia & oblationibus piorum virorum frequentabatur. Singulari certamine pro more ejus seculi rem decidere malunt, sed alter illorum contumeliosis verbis & saxis præfatam imaginem dehonestat. Quapropter nocte, quæ præcedebat diem monomachiæ assignatam, en divino prodigio avellitur a suis fundamentis ædicula, locum, in quo jacebat, derelinquit, & præternaturali virtute in alium locum transmigrans subsistit in colle Vertighe dicto, in quadam parva silva prope castrum Montis-sancti-Sabini. Fert loci traditio huic colli nomen impositum a sepulcro Vertigis ducis Gallorum Senonum, qui obiit in bello cum Romanis sub arce Marciani. Obstupescunt circumjacentes populi ædiculam repente loco dimotam, & in alium locum translatam, certatim accurrunt ad novum fani situm, quod exinde majori cultu & veneratione ad presentem diem fuit frequentatum & frequentatur. Hæc mira transmigratio oratorii contigisse dicitur nonis julii; addunt aliqui sabbati die.

XXV. Descriptio imaginis B. M. V. ejusdem oratorii.

Ecclesiam hanc appellatam deinceps beatæ Mariæ de Vertighe una cum altera sanctæ Agathæ intra oppidum Montis-sancti-Sabini valde collapsas in spiritualibus monasterio nostro sanctæ Mariæ de Agnano in melius restituendas regendasque destinavit anno 1228. Martinus episcopus Arretinus, & XXX. die septembris anni 1262. confirmavit Guilielmus Ubertinus alter ejusdem ecclesiæ episcopus. Tempore Anastasii papæ IV. anno 1153. monasterium Agnani plura bona possidebat in colle Vertighe, ut ex bulla ejusdem Romani pontificis liquet. Anno 1109. Martino priori Camaldulensi a Petro olim Martini donatæ fuere terræ positæ in territorio sancti Savini in Barbacaro, in loco dicto *curte de Vertice*. Sed collis Vertighe antiquiora adhuc extant monumenta. Habemus [a] ex tabulario monasterii sanctarum Floræ & Lucillæ de Arretio „ anno 1073. Liutolfum quondam Ildebrandi obligare se suosque heredes domno Guidoni abbati sanctæ Floræ de integro manso constituto in comitatu Arretino *infra plebem sancti Savini in curte de Vertige*. Eodem anno [b] Paganus quondam

a Capf.C.n.XI.

b Capf.H.n.20.

„ dam Rustici sponsionem facit eidem abbati pro quadam terra, quæ di-
„ citur Barbaritana: *Actum in comitatu Aretino in loco qui dicitur Verti-*
„ *ghe* ..... facile prope vel ante, *ecclesiam sancte Marie non longe a do-*
„ *mo, ubi residebat comitissa Beatrix una cum filia sua Mathilda*. " Ex quo postremo documento dubitari posset, an factum mirabile translationis, quod narravimus, antiquius sit, quam vulgo credatur, & ad seculum elapsum referri debeat, cum ecclesia beatæ Mariæ in loco Vertighe ad annum 1073. nominetur. Verum communis fert opinio ad præsentem circiter annum statuendam esse prodigiosam translationem. Ipsius meminerunt Fortunius in brevi chronico terræ Montis-sancti-Sabini, & parte II.[a] historiarum Camaldulensium, Minius in sua Camaldulensi ms. historia, Ractius in libro Sanctorum & Beatorum Camaldulensium, [b] Marchesius in diario ad diem VII. julii, & Hieronymus Gilius pariter in suo diario Senensi ad eamdem diem.

ANN. CHR. 1100.

a Lib. II. pag. 53.

b T. III. pag. 29.

Quod attinet ad veritatem facti, licet desiderentur vetustiores auctores, qui scriptis consignaverint narrationem hujus prodigii, vel amplius non existant, constans tamen rei traditio viget apud oppidanos, & ipsa sacræ imaginis pictura & sacelli positio de facti antiquitate & veritate dubitare non sinunt. Conspicitur enim ædicula hæc ad hodiernam diem deposita super nudam humum, & fundamentis omnibus carens ad instar alterius sacræ Lauretanæ ædis, in qua postrema, cum restaurandum esset pavimentum coram episcopis a sancta sede deputatis, observatum fuit ipsam solo inhærere sine alio supposito fundamento, quod veram translationem, simplicemque depositionem indicat. Præterea utroque ex latere ædiculæ Vertighensis duæ quodammodo alæ extenduntur, quæ contiguæ ecclesiæ parietibus quidem sunt, sed cum iis minime conglutinantur, ut videre licet ex lata fixura, quæ numquam potuit obduci aliquo cæmento. Forma hujus ædiculæ ipsa quoque antiquitatem redolet; in apsidis vel semicirculi figuram compacta est, in cujus meditullio erigitur ara parvæ molis ad instar aræ sanctæ Mariæ Dei genitricis in medio basilicæ Classensis sancti Apollinaris, aræ quoque confessionis abbatiæ sancti Urbani de Apiro, & alterius vetustissimæ, quam in suo museo servat Cl. V. Johannes-baptista Passerius a cognitionibus sive auditor generalis legationis Urbinatis. Ad seculum proinde XI. præterpropter pertinet, & forte antiquior est. Picturæ similiter in parietibus expressæ ejusdem vetustatis testes sunt, immo cum populi religione abrasa fuisset calx, super quam colores imaginum appliciti fuerant, tres picturarum impressiones, altera super alteram impositæ conspiciuntur, id quod longævitatem sapit. Prodigiosa imago Deiparæ virginis picta est super tabulam græcanico more, neque spernendi artificii, licet pro genio nationis & ætatis duritiem obtendat. Constat enim Italos his seculis operam adhibuisse Græcorum pictorum, & Desiderium abbatem novimus ex Græcia in Italiam evocasse artifices ad constructionem & ornatum suæ novæ Casinensis basilicæ post medietatem seculi præcedentis. Ipsa musiva Romana & aliarum urbium Italiæ græcitatem redolent, vel artificium sunt Græcorum usque ad seculum decimum-quartum. Libenter heic loci exhibuissemus ectypon picturæ Vertighensis, sed cum in aliquibus sui partibus subobscura sit, & contutata insuper chrystallo, quæ sigillis obsignatur, commode id præstare non valuimus. Prostant quidem imagines ejusdem picturæ ære cœlatæ, sed eæ nativam imaginem non referunt, & præter figuræ positionem non exprimunt græcum veterem characterem. Beata virgo depicta est sedens cum puerulo Jesu super genua ad lævam partem; aureo diademate tam ipsa, quam puer insigniuntur, sed

Ann. Chr. 1100.

hæ coronæ recentissimæ sunt, & superimpositæ anno 1749. mense septembri ab episcopo Arretino, qui de mandato insignis capituli canonicorum sancti Petri in Vaticano sacras imagines sollemnissime coronis decoravit. Verum sub corona aurea prominente eadem virgo circumcingitur vetustissimo diademate colorato, quod angulum format in medio, & simile est ei, quo conspicitur insignitus sanctus Henricus imperator in eo codice, quem cum aliis pluribus idem augustus initio seculi XI. dono dedit ecclesiæ Bambergensi abs se constructæ, cujus ectypon impressit Altorfii Noricorum anno 1738. in sua dissertatione de sacri Romani imperii Archiscutifero nobilissimus vir Johannes-carolus Ebner ab Enschenbach [a]. Ex lateribus coronæ beatæ Virginis pendent duo monilia græcanico more, id quod *eximium & proprium insigne imperatoriæ potestatis erat*, ut [b] scribit Anna Comnena in sua Alexiade. In quatuor angulis ejusdem picturæ conspiciuntur quatuor tessellæ quadratæ, exprimentes quatuor potiora sanctæ Virginis mysteria; ipsius nimirum angelicam Annuntiationem, Partum prodigiosum, Magorum receptionem, & ad cœlos Assumptionem, ac veteri ductu hæc lemmata sunt exarata ad hujusmodi formam:

a *Pag.* 25.

b *Lib. III. pag.* 78.

ANNVNTIATIO BEATE MARIE

PARTVM BEATE MAR.....

HIC MAGI VENERVNT ADORARE CHRISTVM

ASSVMPTIO BEATE MARIE

Quorum characterum diligens exemplar confecerunt Ludovicus Buccius canonicus Mont-politianensis, & Alexander eques Galletus ea occasione, qua interfuerunt sollemni recenti coronationi; quo tempore ablata fuit chrystallus, & exactissime observata sacra imago. Literæ ipsæ produnt grandem picturæ antiquitatem, cum litera A careat linea orizontali, ut Λ, litera T sit recta linea innixa super C, litera M habeat duo latera curva, quæ amplectuntur lineam curvis perpendicularem; hæ propterea literæ indolem seculi XI. vel etiam anteriorum manifestant. Ad pedes sacræ imaginis recentioribus characteribus legitur

MARGARITVS A. RESTAVR..... A. M. CCC?.... CONPAR..... VS SVB ANNO MC.

Margaritus fuit celebris pictor Arretinus, qui historicis factis adornavit ecclesiam nostram sancti Clementis Arretii, aliasque ejusdem urbis, & defunctus est desinente seculo XIII. vel anno 1317. ut habetur in Abecedario pictorico Peregrini Orlandi. Cum enim tabula passa esset injurias temporis, ipse eam vel desinente seculo XIII. vel XIV. ineunte restauravit. Ex his animadversionibus nostris judicabit candidus lector prodigiosam ædiculæ Vertighensis translationem veram esse, & referendam ad annum prærerpropter, quem indicavimus, nisi credere maluerit antiquiorem.

XXVI. Donationes factæ in agro Mucellano eremo Camald.

c §. *Amissæ n.* 74. *A.* 180.

Faciunt ad historiam eremi Camaldulensis hæc, quæ leguntur sub præsenti anno mense februario in copiosissimis indicibus tabularii Fontisboni elaboratis a Baroncinio. „ Albertus filius olim Tedizii [a], qui Gheizo „ vocabatur, & Imeldina ejus uxor pro remedio animarum suarum & pa„ rentum in perpetuum donaverunt & obtulerunt domno Martino priori „ Camaldulensi omnes terras suas positas in curte de Orticaja comitatus „ Florentini, omneque suum jus, quod obtinebant in ecclesia ædificata in „ curte & villa de Orticaja, quidquid etiam possidebant in territorio ple„ bis sancti Ditali de Brilla in Mucello comitatus Fesulani, & in terri-

„ torio

„ torio sancti Leonini in Fontignano loco dicto Varina, & in territorio „ plebis sanctæ Hilaratæ in Monte-acuto, al Piscolo, Martio, & Campagnano, & in territorio sancti Cassiani in loco dicto Brilla; manu „ Johannis notarii. " Consulendus de iis ecclesiis eruditus vir Joseph-maria Brocchius Florentinus, qui anno 1748. descriptionem provinciæ Mucellanæ concinnavit; ex nostris etiam topographicis notitiis illustrari nonnihil poterit ipsius elucubratio. Prope ecclesiam Orticajæ erectum subinde fuit monasterium sub invocatione sancti Jacobi, quod aliquando paruit directioni eremi Camaldulensis. In iisdem pariter excerptis legitur „ Fojanum olim Lei donasse sub hoc anno eremo Camaldulensi omnia bona „ sua posita in territorio sancti Martini de Sala in curte Fojani in villa „ de Curte-veteri cum terris, vineis, domibus &c. de quibus in possessionem misit Leonem eremitam; manu Ildebrandi notarii. "

Ann. Chr. 1100.

XXVII. De S. Venantio Albacinæ patrono. Aliquot ibi inscriptiones.

Quinque milliaribus ab urbe Fabriani distat castrum Albacina appellatum prope rudera Tufici veteris urbis; cujus castri ecclesia parœcialis nostro Vallis-castri monasterio fuit & est hodie subjecta. Detectum fuit in ipsa sub præsenti anno 1100. corpus sancti Venantii, quod in ea ecclesia quiescebat, titulumque dabat sacro loco. Veteri charactere extantem adhuc vidimus & nos antiquam inscriptionem versibus Leoninis confectam, quæ fidem facit hujusmodi inventionis, & applicitam parieti altaris erecti in honorem sancti episcopi, quæ est hujusmodi:

VT. RESONAT. PSALMVS. IACET. HIC. VENANTIVS. ALMVS
CORPVS. NAM. SANCTVM. SATIS. HIC. GLORIFICATVM.
IN. STEPHANI. FESTO. FVIT. INVENTVM. BENE. PRAESTO
ANNO. MILLENO. ET. CENTENO. SIBI. PLENO.
IPSE. CVM. PRIMO. CORPVS. SERVATVR. IN. HVMO
AD. CHRISTI. VELLE. FVIT. INVENTVMQVE. NOVELLE.
NAM. MANIFESTVM. VENANTIVS. IPSE. VOCATVR
EST. ALBACINAE. DANS. SACRA. SPES. MEDICINAE.

In postremo disticho loco *manifestum* legendum *manifestatur* pro ratione Leonini versus, & pro integritate. Ex altera altaris parte hæc alia verba super parietem leguntur, quæ declarant, cujus sedis foret episcopus. *Venantius episcopus Lunensis fuit tempore Gregorii papæ anno Domini* DC. *de quo idem Gregorius* III. *dialogorum libro sic scribit: Tacendum non est, quod venerabilis Venantius episcopus Lunensis retulit de Iridiario episcopo Lunensi, qui sua oratione alveum Auseris fluvii mutavit. Idem Venantius episcopus retulit Savinum episcopum Placentinum Pado terras collesve inundanti in scriptis mandasse, ut in alveum rediret, & ejus mandato ad proprium alveum rediisse*. Erat & alius tempore sancti Gregorii M. Venantius episcopus Perusinus, ad quem exstat ejusdem pontificis altera epistola [a], sed Sartius noster [b] rectius suspicatur Venantium Albacinensium patronum Tuficanum fortasse fuisse episcopum. Ceterum in secunda inscriptione seu narratione ab imperito viro ex divo Gregorio compaginata manifestum mendum irrepsit. Nullus Lunensis episcopus Iridiarius nomine neque ante, neque post tempora Gregorii Magni. Legendum itaque est Frigdianus Lucensis episcopus, cui prodigiosum factum Auseris seu Sercli fluvii in eadem Lucana diœcesi alvei mutati tribuit capite nono III. dialogorum libri idem Gre-

a *Lib. XII. epist.* 4.
b *De episc. Eugub. pag.* 84.

Ann. Chr. 1100.

Gregorius. Referuntur suprarelati versus etiam in adnotationibus Philippi Montani [a] ad tertiam epistolam de nomine Jani tributo flumini, qui Fabrianum alluit, sed cum erroribus ad ipsum transmissi fuere. Eos insuper laudat, & correctos producit Sartius in sua *veteri diptyca casula*.

Inter duo ostia lateralia extra eamdem ecclesiam imago pariter super parietem depicta conspicitur ipsius sancti Venantii episcopi presbytero genuflexo benedictionem impartientis. Episcopus nimbo decoratur, cathedra, super quam sedet, ad normam veterum sedium est elaborata, baculum autem eburneum dextera tenet. Subtus imaginem apposita hæc epigraphe: *Factum temporibus pape Nicolai, & rectoris domini Antonii de Fabriano*. Vetustum opus Nicolaum IV. vel III. potius quam V. ibidem nominatum credere nos suadet. Festum sancti Venantii ibidem celebratur die VII. junii.

Addimus etiam aliquot veteres Romanas inscriptiones eleganter dispositas sub ecclesiæ exteriori claustro, quas publici juris fecit Muratorius ad se transmissas a Dionysio Sancassanio, patre Philippo Camerinio, & nostro domno Maria-angelo Flacchio. Ipsas simul collegerat anno 1614. monachus, qui quæstoris officio fungebatur in monasterio sancti Blasii de Fabriano, cujus nomen tamen delendum censuit præfectus, qui tunc cœnobium regebat, ut fidem facit hæc supposita inscriptio.

Incisos quos cernis lapides Albæ urbis
Sunt illustrium monumenta virorum.
Hos ex visceribus Moregini editos,
Ne tuum antiquitatum illustreque nomen
Albacina deperiret ac origo periret.
. . . .
Huc adducendos apponendosque curavit
Anno salutis M. DC. XIV.

Prostant ipsæ apud eumdem Muratorium paginis 103. 684. 854. 862. 1746. & 1753. Postrema vero inedita collocata est ad domum parochi ejusdem Albacinensis ecclesiæ. Quia vero aliquam in editis variationem deprehendimus, eas denuo lectorum oculis subjicimus.

C. CAESIO. C. F. O. V. F.
SILVESTRI. PP.
PATR. MVNIC.
CVRATORI. VIARVM
ET. PONTIVM. VMBRIAE
ET. PICENI. ALLECTO. AB
OPTIMO. IMP. T. AELIO
ANTONINO. AVGVSTO. PIO
PP. IM. P. II
LIBERTI. PATRONO
OPTIMO. AC. DIGNISSIMO
L. D. D. D.

AVG. SACRVM
GABINVS. TRIB. MIL. CVR. VIAR.
PROVINC. AFRIC. PAT. MVN. P. S. P.

C. SIBIDIENO
C. F. O. V. F.
MAXIMO
TRIB. COH. II. P. P.
L. SIBIDIENVS.

TIFANIAE
L. FIL.
POLLAE.

L. SI-

a Pag. 144.

L. SIBIDIENVS
O.V.F. S.
L. SIBIDIENI FIL.

C. CAESIVS. C. F. O. V. F.
SILVESTER. P.P.
S. P. P. S. F.

C. VESENNIO
VESENNI.ARRI.FRVE
EQVICIO. VIIII. PR.
M... ANN. VII. VI.A.X.
HERTORIA. MAXIMILI
FIL. PIISSIMO

XXVIII. Donatio Vangaticiensis.

Monasterio Vangaticiensi præsidebat Pulveramus abbas. Chartam emphyteuticam ab ipso scriptam hoc anno 1100. in favorem cujusdam Peregrini Teutonici exscripsit [a] Blancolinius ex tabulario monasterii sancti Salvatoris de Curte-regia Veronæ, & nos ab ipso. Monasterium sancti Salvatoris de Curte-regia urbis Veronæ subjectum erat abbatiæ Vangaticiensi, ut vidimus ad annum 1073.

[a] T. III. pag. 277.

XXIX. Primordia canonicæ seu monasterii S. Mariæ ad Carceres.

Alterius æque insignis cœnobii in territorio Patavino exstructi auspicandæ sunt ad hæc tempora origines, monasterii nimirum sanctæ Mariæ ad Carceres, quod primo canonicorum regularium Portuensium fuit domicilium, inde monachorum Camaldulensium, demum autem seculo elapso desinente suppressum, humilia tantum retinet hodierna die primævæ gloriæ suæ vestigia. Excitatum ipsum communiter dicitur pietate & magnificentia marchionum Estensium, & in instrumento anni 1432. tum monachi Camaldulenses, tum Nicolaus Estensis marchio testati fuere majores hujus nobilissimæ familiæ fundasse, liberaliterque dotasse hanc abbatiam. Fortunius tamen noster auctoritate Scardeonii, ut ipse scribit, arbitratur „ fluxisse templi domusque Carcerum exordia ab Hieremia illustre „ comite Caldenatii, quod oppidum in agro Tridentino situm est. Scilicet, prosequitur ipse, ei fuerunt amplissima fortunæ bona, non solum „ Tridenti, sed etiam in Patavino, præcipue apud vicum Ridi cum tertia parte Curtaroduli, qui tres filios habens largiores nimium & prodigos, prævidens eos bona paterna post suam mortem brevi dissipaturos „ esse, obliguriturosque scortis & alea, optimum factu esse duxit eorum „ futuræ indigentiæ, simul animæ propriæ saluti prospicere, duo erigendo „ cœnobia, quæ suis prædiis ac censu ditavit, apposita conditione, ut si „ filios ad indigentiam venire contingeret, ex relictis proventibus a præposito Carcerum ali vestirique deberent. Si vero militiam sequi mallent, equis & armis honeste donarentur, quibus decenter in bello stipendia merere possent. Porro duorum cœnobiorum unum in ipso vico „ Curtaroduli constructum est divo Andreæ apostolo sacrum, alterum vero in vico Carcerum Deiparæ Mariæ semper virgini dicatum. Postremo Hieremias, qui a mundo inofficiosi in liberos animi testamentique „ culpari posse videbatur, vix diem suum clauserat extremum, quod prudenter & magno cum consilio sese gessisse ex eventu rei laudatus est. „ Beltrandus siquidem & Theobaldus filii superstites copioso patrimonio „ potiti, idipsum integrum brevi tempore, ut pater prænuntiaverat, sic „ distraxere, ut inopia pressi alieno servitio exire compulsi sint, & famulos stabularii agere. Unde a præfecto Carcerum ad civilem statum revocati, mox in Dalmatiam ad militandum sunt profecti, unde numquam comparuerunt. Ceterum erecto Carcerum templo, domusque officinis instructis, parva principio religiosorum virorum congregatio in-

„ stitui-

Ann. Chr. 1100.

„ stituitur sub unius presbyteri præfectura, qui prior nuncupatus est, qui „ propter accessum peregrinorum hospitalem domum pauperibus Christi „ erexit, cujus gratia cœnobium donationibus & immunitatibus illico cœ- „ pit augeri. “ Hæc monasterii Carcerum primordia ex Scardeonii historia Patavina se hausisse dicit Fortunius. Attamen ne hilum hujus narrationis apparet [a] in Scardeonio, qui templum & cœnobium in vico Carcerum juxta Atheste oppidum antiquissimum, prædiis & prædialibus decimis locupletissimum dumtaxat memorat, eo loci positum, ubi Carceres erant equorum, qui inde in circo de celeritate certantes emittebantur in cursum. Ne quid tamen dissimulemus, in historica narratione Fortunii aliquid veri continetur. In charta etenim autographa tabularii nostri sancti Michaelis de Muriano, qua Bellinus episcopus Patavinus anno 1146. confert monasterio Carcerum ecclesiam sancti Andreæ de Curtarodulo, legimus interfuisse plures testes hujus donationis; sequenti vero die „ dominum Theobaldum de Caldenatio & Dominicum de Steno per suas par- „ tes, & Abbonem subdiaconum missum domini Willielmi, & Penzonis „ & Warimberti de Caldenatio ipsorum vice atque mandato, secundum „ quod in eorum breviculo continebatur, refutasse cum fuste in manu „ domni Bellini Paduani episcopi omne jus & omne dominium, quod ipsi „ unquam habuerunt, aut hactenus se habere dicebant in supradicta ec- „ clesia sancti Andreæ, & hæc fecerunt ipsi in remissionem peccatorum „ suorum. “ Ergo comites & domini de Caldenatio, nisi in ecclesiam Carcerum, quod clare non constat, saltem in ecclesiam sancti Andreæ de Curtarodulo jurisdictionem aliquam obtinebant; concordat quoque nomen Theobaldi, qui potuit esse Hieremiæ comitis filius; & tempore Fortunii aliæ fortasse extabant chartæ, quæ hinc inde posteriori tempore fuere dispersæ, præsertim suppressionis monasterii Carcerum tempore, & translatæ ad plures dominos abbatiæ bonorum emptores, ex quibus narrationem suam consuere potuit historicus noster.

[a] Pag. 98.

XXX. De ecclesia S. Salvatoris in Fracta.

Quidquid tamen sit, gloria debetur etiam marchionibus Estensibus, qui plura liberalitatis testimonia dederunt erga monasterium Carcerum, ut in decursu horum Annalium videbimus. Anno 1107. ecclesia sanctæ Mariæ jam ædificata fuerat, & sub presbyterorum custodia exstabat, ut ad eum annum dicemus. *Anno* vero præsenti *millesimo centesimo pridie calendas augusti indictione* VIII. memoria habetur alterius ecclesiæ sub titulo sancti Salvatoris constructæ in comitatu Pataviensi, non longe a villa appellata Maratica, quæ anno 1181. unita fuit præfato monasterio Carcerum. Huic ecclesiæ sancti Salvatoris Fulco marchio filius quondam Azonis marchionis *habitator*, ut dicitur, *in castro Montagnana*, obtulit præsenti anno pro mercede animæ suæ & parentum suorum totam terram, quam habebat in comitatu Pataviensi & Veronensi & inter Tres-comitatus, & silvam Caracedi, & inter viam Fellidanam & Fractam, cum terris, pratis &c. in sumptu, & usu, & in dispendiis clericorum, *qui modo ibi sunt vel in antea pro tempore ordinati fuerint*. Anno præcedenti M. XCVIIII. appellatur hæc ecclesia *scola sacerdotum de plebe sanctæ Mariæ de vico Casale, que est constructa in honore sancti Salvatoris, non multum longne de villa, que vocatur Maratica, in qua presenti tempore Johannes presbytero custos & rector ipsius ecclesie videtur esse, & ubi multa res a bonis hominibus delegate sunt*, cui *pridie calendas junias indictione* VII. Hondo presbyter filius quondam Johannis de loco Corenzo, & Rozo advocatus ipsius, ex natione lege viventes Romana, donant terras cum vinea positas in comitatu Patavienfi, *& in finibus Casale*, *locus ubi dici-*

tur

tur Ponte. Actum in loco sancti Salvatoris. Hanc postremam chartam edimus ex autographo tabularii nostri sancti Michaelis de Muriano, ad quod pervenere aliquot veteres membranæ monasterii Carcerum, primam vero publici juris jam fecit Muratorius [a] in antiquitatibus Estensibus., quam Petrus Cannetus præsul noster Classensis cum eodem fecerat communem.

ANN. CHR. 1100.

[a] *P. I. pag.* 313.

XXXI. De alia S. Floræ in Noceto agri Clusini.

REFERTUR in tabulario monasterii Rosæ Senarum ad hunc circiter annum refutatio usuum, quos comites *Ildibrandesci* obtinuerunt eatenus circa ecclesiam sanctæ Floræ de Noceto, facta a Gemma comitissa pro remedio animæ suæ & viri sui. Forte anterior est hujusmodi pagina, & revocanda ad annum circiter 1000. quo vivebat Gemma comitissa uxor Caduli comitis Burgi-novi, & filia Landulphi comitis Beneventani, quæ una cum viro suo anno 986. sub pontificatu Johannis XVI. ecclesiam & monasterium sancti Salvatoris de Burgo-novo a fundamentis ædificavit, ut ex synopsi antiquorum monumentorum Ficicli, quam confecit Antonius-maria Tondolus Ficicli plebanus apud Lamium [b] colligitur, ex quibus etiam asseritur Gemmam obiisse anno 1005. Nisi illud dicamus aliam Gemmam comitissam posteriori tempore viventem requirendam esse, & facile inter comites Senenses, quæ minus ex veteribus monumentis sit nota. Gemmam etiam filiam comitis Ugonis & uxorem Ubaldi comitis reperimus ad annum 1102. in chartis tabularii sancti Petri de Luco. Sed de altera Gemma comitissa facile sermo in charta nostra Senensi. Progressu temporis pertinuit ecclesia sanctæ Floræ de Noceto ad eremum nostram de Vivo in Senensi territorio, & legimus in præfato Rosæ archivo beneficium sanctæ Floræ de Noceto unitum fuisse prioratui de Vivo anno 1517. *ut antiquitus attinebat.* Habetur etiam in eodem tabulario Petrum Gerardelli sacerdotem, aliosque ex castello de Plano donationem fecisse ecclesiæ sanctæ Floræ de Noceto anno 1175., ad annum vero 1185. refertur Peponem priorem eremi ad Vivum concessisse licentiam Guilielmo monacho sancti Benedicti retinendi vineam ecclesiæ sanctæ Floræ, quam Guilielmus habebat, quando gubernabat monasterium sancti Anthimi, consentiente etiam Guidone abbate ejusdem monasterii. Interim ex laudato archivo paginam refutationis Gemmæ comitissæ edimus in Appendice.

[b] *Del. erudit. an.* 1743. *pag.* 892.

XXXII. Cur historia monasteriorum extra Italiam locum non habeat in his nostris Annalibus?

SECUNDO fere expleto seculo ab ortu Romualdi, nemo miretur abstinuisse nos in his elaborandis Annalibus ab historia monasteriorum constitutorum extra Italiam, ubi exploratum est Romualdum vel pedisequas, vel imitatores, vel discipulos habuisse, immo in ipsis Annalibus monasticis Italiæ concinnandis parcissime admodum attigisse historiam eorum locorum, quæ vel semina solitariæ vitæ ab eodem sancto viro hausere, vel ab ipso fundata sive reformata juxta cœnobiticam sancti Benedicti normam, & perfectiorem a se institutam anachoreseos regulam, sub ejus sanctissimis legibus primitus effloruere, quorum monasteriorum numerum ad centum & eo amplius scriptores tum nostri, tum exteri producunt. Id eo consilio a nobis præstitum est, ne limites nobis ipsis constitutos transgrederemur, & eam potissimum persequeremur historiam, quæ affinitatem propiorem haberet cum historia tum ejus congregationis, quæ paulopost Camaldulensis nomine fuit distincta, tum eorum cœnobiorum, quæ ejusdem Camaldulensis eremi disciplinam recepere. Alia inerat opinio Grandio nostro, qui animadvertens possessionem præclarissimi elogii *communis eremitarum patris, & omnium Occidentalium eremitarum ducis & magistri* Romualdo ab ecclesia decreti, a Romanis pontificibus confirmati, & a gravissimis auctoribus cum plausu recepti, ad ejus ordinem pertinere sibi persuasit nedum quotquot in eremitica & monastica vita eumdem virum beatissimum audie-

Ann. Chr. 1100.

audierunt, ipsorumque hæredes & successores, sed & omnes illos, qui post ipsum eremiticam vitam sub regulæ Benedictinæ observantia coluere. Hinc meditabatur ille suis Annalibus, quos mente præconceperat, Coxanensis & Rivipullensis monasteriorum, aliorumque ipsis adjunctorum historicas narrationes inserere, cum certum sit in Aquitaniæ provincia Romualdum uberiora semina suæ novæ institutionis jecisse, discipulos ibidem erudiisse, & regulam cunctis sectatoribus singularis, hoc est eremiticæ vitæ, præfixisse. Nos vero alio consilio, postquam Petri Urseoli ejus illustris discipuli, & se vivente ad cœlestem patriam evecti, Johannis item Gradonici, Johannis Mauroceni, Guarini abbatis, Marini olim magistri sui, Olibani comitis ab eo conversi ad monasticam disciplinam & Olibæ Ausonensis episcopi res præclare gestas enarravimus, supersedimus ab ulterioribus monasticis factis ejusdem provinciæ. Eadem pariter ratione, licet constet Willielmum Divionensem monasterii sancti Benigni abbatem, & plurium cœnobiorum in Galliis reformatorem laudari potissimum *ob gratam societatem, jucundamque conjunctionem* cum Romualdo, Tornodorensium tamen, Reomaensium, Mettensium sancti Arnulphi, Divionensium sancti Benigni, Fructuariensium, Vezeliacensium, Besuensium, Fiscamnensium & Cadomensium monachorum, quos novimus Willielmum ad regulæ Benedictinæ summos apices revocasse, historias consulto omisimus; præterivimus res gestas etiam Johannelini ejus discipuli, quas omnes Grandius in suis schedis affines historiæ Camaldulensium fuit arbitratus. Sic dicendum de Farfensi illustri abbatia ab Hugone magni nominis abbate reformata tum per Romualdi discipulos, tum per consuetudines Cluniaco ibidem advectas a Johanne altero Romualdi discipulo, ob quam reformationem meruit Hugo *concordans & sequipeda Romualdi* appellari; ita de Pomposiana per Martinum & Willielmum Romualdi adjutores & magni nominis eremitas, *patres & doctores eremitarum* dictos, & demum per Guidonem Ravennatem & abbatem monasterii sancti Severi in Classe Ravennæ ad excelsum perfectionis monasticæ & anachoreticæ fastigium elevata; sic postremo dicendum de aliis cœnobiis, eremis, canonicorum domibus, sanctimonialium domiciliis erectis vel restitutis a Romualdo, quorum etiam obscurissima est origo & historia; nimirum initia harum reformationum suis locis delibavimus, cetera autem ad eorum monasteriorum historiam pertinentia silentio suppressimus, & intra fines certos nosmetipsos continuimus. Alia fuit mens nostra pro eremo & monasterio sanctæ Crucis de Fonte-avellana, cujus integram historiam in hos Annales derivavimus, pro qua re, ne actum agere videamur, lectores nostros remittimus ad præfationem tomi secundi.

XXXIII. De sanctis monachis abbatiæ sancti Salvatoris de Monte-acuto.

Fraudare tamen lectores nolumus aliquot, licet imperfectis, notitiis spectantibus ad abbatiam sanctissimi Salvatoris de Monte-acuto in territorio Perusino, quas ad nos perhumaniter transmisere patres eremitæ Montis-coronæ, qui eamdem abbatiam a ducentis & ultra annis incolunt. In quadam eorum ecclesia, quæ ædificata est prope prædia supradict æabbatiæ in loco dicto *Palazzo della Rosa*, trans fluvium Tiberis, qui ea alluit, prostat super aram imago Deiparæ virginis cum puero Jesu; ad ipsius autem latus dexterum effigies picta visitur sancti viri schemate monastico induti, cum epigraphe: *Sanctus Bellatamus*. Prope sanctum monachum Bellatamum Italico veteri idiomate hæc verba leguntur, quæ in Latinum transferimus. *Adnotantur hic aliquot miracula sancti Savini monachi hujus abbatiæ sancti Salvatoris de Monte-acuto, oriundi a Castellione abbatiæ, & hoc prædium collis Citernæ* .... Cetera sunt abrasa. Mons Castillionis & collis Citernæ ad hunc diem pertinent ad jus ejusdem abbatiæ. Subtus relatam

atam inscriptionem altera legitur, cujus pariter prima verba calce cadente obliterata sunt .... *præcepit, ut omnes in ædiculam proximam ecclesiæ se reciperent. Savinus orabat in abbatia, & monachi dicebant: Passeres nobis damna afferent; nequaquam, respondit ille, sed ipsis dedi in mandatis, ut per fenestram in ædiculam convolarent, & monachi introspicientes locum præfatum passeribus repletum invenere. Alia vice monachi abbatiæ, qui recreationis gratia ad præfata prædia se contulerant, rediere ad claustra navigii ope. Savinus, qui solus remanserat, arundinem manu tenens pedibus super scapulare suum incedens Tiberim trajecit.* Minutiori charactere subjungitur: *Plura alia miracula habentur in ejus vita.* Tertia inscriptio subtus secundam hæc profert: *Commorante Savino in heremo, monachi se ad ipsum & ad heremum contulere, & secum detulere pullum coctum. Redierunt altera vice, & reperere ipsum orantem, & lebetem cum pullo adhuc ebullientem a diebus carnisprivii ad Pascha Domini, ipsique ut sancto reverentiam exhibuere.* Sub allatis inscriptionibus conspicitur imago sancti viri vestibus monasticis & albis induti, qui librum manu tenet cum subjecta ad pedes epigraphe: *Sanctus Savinus monachus abbatiæ sancti Salvatoris.*

De sanctis Bellatamo & Savino monachis Montis-acuti nulla monumenta, nullamque notitiam reperimus neque apud Jacobillium, neque apud doctos Perusinos, sed neque ullam de ipsis mentionem faciunt celebres collectores Actuum Sanctorum. Veri speciem habet ipsos vixisse temporibus vel Romualdi, qui eremos construxit in Perusino territorio, vel Petri Damiani, qui tum eremiticam, tum cœnobiticam vitam exemplo Romualdi propagavit in eodem territorio, & præses fuit monasterii sancti Salvatoris. In eadem ecclesia etiam ista leguntur, quæ tempus indicant constructionis ipsius: *Anno Domini* M.CCCC.LXXXIII. *die secunda aprilis Capellam hanc ædificari præcepit Nicolaus Petri de Scarino oriundus a Castellione..... & stetit annis viginti-quatuor in Regno cum domino Matthæo de Capua, nunquam potuit licentiam obtinere ab ipso redeundi domum. Quando denuo Matthæus bellum contra Florentinos suscepit, cum armatis suis prælium commisit, exercitus ejus penitus fugatus fuit, neque aliquis effugit nisi Nicolaus, qui ob suam pietatem capellam hanc extruxit.* Ipsius itaque Nicolai tempore noti erant, cultumque obtinebant in monasterio Montis-acuti sancti Bellatamus & Savinus, cujus etiam postremi vita manibus terebatur. Cœnobium istud incoluere etiam monachi congregationis Cisterciensis, sed Cistercienses monasticæ & non eremiticæ vitæ erant addicti. Quare Savinus, qui frequenter in eremum secedebat, tempore ipsos antecessisse videtur, eorumque monachorum disciplinam sectatum fuisse, qui degebant in eo cœnobio ante Cisterciensem reformationem. Præter imagines & inscriptiones, quæ adhuc, licet multam injuriam temporis passæ, supersunt, de ipsorum sanctitate & de ævo, quo floruere sancti hi viri, rescribunt patres Coronenses nequire se majora dicere. Sed quæ fati invidia Sanctos Mont-acutenses agnoscere non sinit, eadem nos fraudat cognitione & factis tot aliorum celebrium eremitarum, & sanctorum monachorum, quos par est credere in eremis & monasteriis a Romualdo & a Petro Damiani erectis & reformatis vixisse primis seculis, quibus purior & suæ origini propior disciplina tum cœnobitarum, tum solitariorum vigebat.



ANNALES CAMALDULENSES

LIBER VIGESIMUS-QUARTUS.

Ab anno CHRISTI M. CI. *ad annum* M. CVIII.

ANN. CHR. 1101.

I. Ortus B. Alberti Senensis.



CIRCA hujus seculi initium statuendus est ortus beati Alberti Senensis, qui post integerrimam vitam in seculo peractam, post plures peregrinationes religionis & pietatis causa susceptas, viginti-septem annorum spatio solitariam & ab hominum consortio remotam vitam ducens, miraculis & signis meruit a Deo etiam vivens honorari, quibus permoti episcopi & populi divinos ei honores tulerunt ante finem hujus duodecimi seculi. Anno 1186. *ecclesia beate memorie Alberti* sub jure monasterii nostri sancti Salvatoris de Fonte-bona sive Berardingorum extabat, teste Urbano III. in bulla privilegii sui & enumerationis bonorum ac ecclesiarum ejusdem monasterii, ex quibus verbis tutissimo argumento affirmamus eo anno ad superos & quidem ante aliquod tempus evolasse sanctum virum; ex ea pariter bulla hypothesis aliqua figi potest ætatis & temporis, quo sanctus eremita floruit. Ad medietatem quoque hujus seculi vivebant ii, quibus gratias curationum obtinuit adhuc vivens idem Albertus, in sua scilicet solitudine commorans. Quapropter si computentur anni pueritiæ & adolescentiæ, quibus vixit in domo paterna, juventutis, quibus patriam linquens varia subivit sacra itinera, & floridioris ætatis, qua per viginti & septem annos solitariam vitam in cellula peregit, non incongrue protendetur ejus vita ad quinquaginta circiter annos, & obitus propterea ad annum 1151. triginta & quinque annos ante Urbani III. relatum privilegium; ad annum vero 1124. ætatis ejus vigesimum-quartum recessus in solitudinem, & primo hujus seculi anno ipsius ortus, deficientibus præsertim in scriptore ejus vitæ atque in ceteris auctoribus, qui de ipso agunt, chronicis aliis notis, ex quibus peculiariter determinari queant veri anni ortus & obitus ipsius sancti viri.

II. De scriptore vitæ ipsius. Primæ Alberti actiones.

ALBERTI Senensis vitam primus edidit Fortunius noster ex eodem exemplari, ex quo & nos hausimus; verum more suo eam compendio coarctavit. Narrat enim „ sub id tempus, (quod tamen non definit) or-

„ ordinem Camaldulensem illustrasse Albertum eremitam sanctissimum, si-
„ cut in ejus, subdit, vita constare vidimus in cœnobio Berardingarum,
„ jussione abbatis ejus coætanei exarata, in codice ex membranis, qui ex
„ cœnobio postea ablatus, & denique anno 1514. cum venalis in foro Se-
„ narum civitatis haberetur, ad manus Antonii-Mariæ Thomasii patritii
„ Senensis pervenit, a quo emptus, gratuitoque doni munere Hieronymo
„ Albertio jurisperito ejus gentili donatus, tamquam pretiosissima marga-
„ rita in ejus domo custoditur. Fecitque nobis copiam ex ipsa vita Ven-
„ turas filius, & Hieronymus nepos, cum Scipione presbytero consobrino,
„ ne res memoratu digna talis nos lateret. Notissima est stirps Albertia,
„ quæ ex nomine viri sancti originem traducit in oppido Asciani. Senis
„ & alibi latissime per ejus agrum, omnesque familiæ ejus natalem quo-
„ tannis sollemni ritu colunt die VII. januarii. Quo die ipsi Venturas &
„ Scipio illum honoratissimum habent, divinisque officiis illustrant ad cœ-
„ nobium Arcus, perinde ac olim facere majores consueverant ad sancti
„ Vigilii (Sacerdotium clericis Societatis Jesu postea concessum, ubi ara
„ antiquissima illi posita fuerat, & ubi in xysto ejus effigiem ad hanc
„ diem depictam persistere vidimus) sequenti die suffragia pro defunctis
„ addentes anniversaria, necnon tredecim pauperibus Christi, in memo-
„ riam duodeni numeri apostolorum, & ipsius Mundi Redemptoris, pran-
„ dium facientes, sicut alii quoque gentiles patresfamilias in locis, ubi
„ degunt, ubique exequuntur. Porro beati viri vitæ series hujusmodi ex
„ ipso codice describitur " *&c.* Eamdem vitam Italico idiomate typis edi-
dit abbas noster Silvanus Ractius ex Fortunio mutuatam, aliquas tamen
conjecturas suas addens, quæ in mentem Fortunii non venerant. Demum
ipsam ex Italico Ractii in Latinum denuo sermonem transtulit Bollandus
ad diem VII. januarii, aliquibus demptis vel additis. Nos antiquissimum
apographum consuluimus & exscripsimus, quod extat in codice membrana-
ceo, qui ad usum olim fuit monasterii Berardingorum, modo possidetur
a doctissimo & nobilissimo equite Johanne-baptista de Albertis patritio Se-
nensi & in patrio archigymnasio juris Cæsarei interprete. Vitam hanc
conscripsit anonymus monachus monasterii Berardingorum, qui vel tem-
pore, vel paulo post obitum sancti Alberti vivebat, ut se prodit non
semel in suo opere. Huic monacho provinciam colligendi gesta beati Al-
berti injunxerat abbas ejusdem monasterii, vel Nicolaus profecto, qui ab
anno 1153. ad annum 1165. eam abbatiam rexit, vel Bonus, qui ab eo
anno ad annum 1185. legitur Berardingorum abbas. Sed prologum ejus-
dem scriptoris audiamus, quo ætatem suæ scriptionis aperit.

ANN. CHR. 1101.

Inter beneficia creatoris humanæ collata creaturæ suffragia vel exempla Sanctorum præcipua sunt. Horum itaque sancta commemoratio sanctitatis incitatio est. Ex hac quippe nascitur inflammatio karitatis, expulsio criminum; desolatio vitiorum, dicente propheta: Quid inquit detur tibi, aut quid apponatur tibi, ad linguam dolosam: Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis. Unde cum beati Alberti nostri temporis eximii confessoris miræ sanctitatis audissem exempla concaluit cor meum infra me, & in meditatione mea exardescet ignis, ut tanti viri merita primum mihi quasi amplius indigenti, dein ceteris imitari volentibus, tamquam desolatorios ignitosque carbones apponerem ad inflammationem dilectionis, & desolationem vitiorum. Hinc est, quod cum vestra mihi paternitas venerabilis abbas Berardingorum monasterii hujusmodi opus injunxisset, non recusavi laborem, cum plena mihi esset recusandi materia, propria scilicet imperitia, & emergentium causarum occupatio. Hæc autem ita describere curavi, ut non per

singula

Ann. Chr. 1101.

ſingula referantur, ſed quod memoratu videantur eſſe digniora, & non ſolum pluribus, ſed etiam veracioribus poſſint teſtibus approbari, ne ſub colore pietatis notam falſitatis poſſem incurrere, non enim multum diſtat in crimine vel vitia fallaciter intendere, vel virtutes fallaciter approbare: nemo quippe ad ſalutem, patrocinante mendacio, producendus eſt. Et cum duobus aut tribus teſtibus ſtare poſſit omne verbum, minime tamen hoc verbo contenti ſumus. Nam nihil pene retuli, quod non ſenis, aut etiam denis, vel omnium accolarum teſtimoniis conſtet approbari.

Tum Alberti vitam puerileſque ejus annos ita deſcribit:

Beatus itaque Albertus ex provincia Tuſciæ, regione Aſſcianinga, oppido videlicet montis Alceti, oriundus fuit. Genere quidem non ignobilis, ſed illuſtriſſimus ſanctitate. Quamquam in generatione Sanctorum nobilitas carnis ſuperfluo quæratur. Siquidem omne genus hominum ſimili conſurgit ab ortu. Nec aliquis extat degener, niſi qui fovens pejora vitiis, infra quæque infima ſuam detrudit dignitatem. Hujus ſanctitatis inditium etiam ante diem ſuæ nativitatis, præſagia quædam mira teſtantur. Nam cum maternis portaretur viſceribus, teſtabatur mater ipſius ſe vidiſſe per ſomnium, quaſi ſolem & lunam in ejus gremio deſcendiſſe. Addebat quoque, quod in ejus geſtatione nullum pondus, nullamque moleſtiam imprægnantium ſentiret. Quod cum tremefacta vicinis atque cognatis referret, aliquid eximiæ ſanctitatis in utero ſuo portari omnes teſtabantur. Merito igitur per ſolem & lunam beatus deſignabatur Albertus, cujus anima fide ſplendida, fervida karitate, pulcra ut luna, electa ut ſol, futura mirabiliter præſagiebatur; illum videlicet ſitiens, illum in corde & corpore ſuo gerens, quod non ſolum angelicam quaſi ſolem, ſed etiam humanam quaſi lunam illuſtrat creaturam. Natus igitur infans, ipſa ætatis ſuæ primordia divinis virtutibus conſecrata monſtravit. Materna quippe ubera nonniſi raris certiſque horis ſugere acquieſcebat, ut ſobrietatis & abſtinentiæ virtus etiam inter cunabula ſibi clareſceret. Cum vero jam ad pueriles perveniſſet annos, cum augumento ætatis ſuccreverunt incrementa virtutis. Nam tribus diebus in epdomada jejunio vacans, cibos quos ad hedendum a parentibus accipiebat, aut pauperibus ſi occurrerent, aut conſodalibus & paſtoribus erogare curabat, jam tum intelligens, non litera, ſed ſpiritu, verum eſſe, quod dicitur: Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauper m; in die mala liberabit eum Dominus. Studebat enim pueriles annos ſenili maturitate tranſcendere, & in tenera ætate morum canitiem ſervare.

III. Eccl. S. Mariæ in Verzajo donata monachis Valle-caſtrenſibus.

MONASTERIO ſancti Salvatoris Vallis-caſtri a ſancto parente Romualdo ædificato donationem factam legimus hoc *anno milleſimo centeſimo primo menſe decembri indictione nona* cujuſdam eccleſiæ cum omnibus ad ipſam pertinentibus poſitæ intra civitatem Peruſinam in populo vel in porta ſanctæ Suſannæ, quæ dicebatur eccleſia ſanctæ Mariæ in Verzajo. Paganus ſcilicet presbyter, & Gualfredus ejus nepos ipſam tradunt eccleſiæ ſancti Salvatoris, *ubi ſanctus Romualdus nominatur, que dicitur ſita & edificata in comitatu Camerinenſe in Valle Caſtrenſis*. Dant autem Ugoni abbati Valle-caſtrenſi, & Petro monacho priori ejuſdem eccleſiæ ſanctæ Mariæ poteſtatem plenam in dictam eccleſiam ſub pœna librarum viginti de argento. Poſt Paganum presbyterum, & Gualfredum nepotem, nomen & ſignum ſuum apponunt Gerardus presbyter, Ugo presbyter, Baruntius presbyter, Rainerius presbyter & Teubaldus clericus *recordator*. Plura alia bona in territorio Peruſino poſſidebat monaſterium ſancti Salvatoris Vallis-caſtri, ut habetur in hac pagina, quam ex archivo ſancti Blaſii de Fabriano amandamus ad Appendicem una cum altera tabularii ſanctæ Catharinæ,

næ, qua eodem *anno millesimo centesimo primo & regnantes rege Enrigo*, *& die mense septembri indictione nona* Divezzo filius Offi & Johannes Divezzonis filius Rainerio abbati sancti Victoris de Clusis ejusque monasterio donant domus, vineas & terras.

ANN. CHR. 1101.

IV. Aliæ S. Petri de Monte-liscario Rotensibus, & S. Quirici Agnaniensibus.

ALTERI Rainerio abbati monasterii sancti Petri Rotensis, qui in locum suffectus fuerat Petri abbatis, cujus mentionem fecimus ad annum 1089. Rodulphus presbyter, qui prior erat ecclesiæ sancti Petri de Monte-Liscario, concedit jus patronatum & dominium ejusdem ecclesiæ sancti Petri, *anno millesimo centesimo primo mense novembri indictione decima*, mutata scilicet mense septembri. Monasterium Rotæ sive sancti Petri Rotensis, quod exsurgebat in territorio Arretino, appellatur in hac pagina *sub regimine Camaldulensis congregationis*. Ecclesia vero sancti Petri de Monte-Liscario ædificata erat in territorio Volaterrano. Hanc quoque chartam ex archivo cœnobii nostri Rosæ Senarum publici juris facimus.

Winizoni abbati sanctæ Mariæ de Agnano successerat Reginaldus, sive Raynaldus; ex tabulario [a] enim monasterii sanctæ Mariæ in Gradibus habemus ipsi ejusque cœnobio Teuzonem quondam Guinildi, Bernardum & Ugonem quondam Uberti hoc anno promisisse *manutentionem ecclesie sancti Quirici*, quam ecclesiam sub ejus invocatione fundatam ipsi obtulerant monasterio Agnani, salvo jure patronatus; recipiuntque pro hac promissione libras centum manu Teuzonis notarii. Ecclesia sancti Quirici dicebatur etiam, & in Romanorum pontificum bullis appellatur *de Viccione*, habebatque adjunctum hospitale.

a *Num.* 29.

V. Guido comes protectionem sumit parthenonis S. Petri de Luco.

WIDO comes Widonis comitis filius patrocinium sumit ecclesiæ dedicatæ in honorem beati Petri apostoli, aliorumque Sanctorum, *que est sita infra plebem sancti Johannis majoris comitatu Florentino in loco, qui nominatur Luco, que abbatia clare videtur esse constituta in honore sancti Salvatoris Campi amabilis, sub potestate prioris ejusdem eremi. Actum ante abbatiam sancti Fidelis sitam Strumi: Anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo primo, mense majo, die quinta decima, indictione nona*. Simile patrocinium ejusdem sacri loci spoponderant Wido & Ermellina pater & mater junioris Widonis anno 1086. Eidem monasterio Zabulina filia olim comitis Landolfi, quondam Gotidii comitis, & Aldinæ filiæ olim Landolfi quondam Gotifredi comitis, habito consensu Uberti sive Longoberti filii Ugonis mundualdi sui, per chartulam donationis offert integram suam portionem de curtibus, castellis, turribus, ecclesiis, domibus terris &c. quæ sibi obvenerant in hæreditatem vel dotem anno 1082. a Landolfo genitore suo, quæque posita erant in marchia Thusciæ & in comitatibus Florentino & Fesulano; portionem nimirum curtis & castelli in loco dicto Monte Raynaldo sive Reginaldo, curtis & castelli in loco Gragnano, curtis & castelli in loco Luco, curtis & castelli in loco Riofrido, cum omnibus, quæ insuper possidebat in territorio plebis sanctæ Mariæ in loco Novella, & sancti Leonis de Flaciliano, & sancti Johannis-majoris, & sanctæ Mariæ in loco dicto colle Fenario. Excipit tamen bona, quæ sibi reliquerat bonæ memoriæ Theodoricus vir suus filius olim Ugonis, de quibus chartulam conscripserat Thebaldino filio Petronis; excipit quoque servos & ancillas suas. *Actum in castellum, quod vocatur Planum, judiciaria Florentina anno ab incarnatione Domini centesimo primo post mille mense octobris indictione decima*, quæ incœperat mense septembris. Distinguenda est hæc Zabulina Theodorici conjux ab alia comitissa Zabulina uxore comitis Henrici, quæ anno 1083. ex chartis ejusdem tabularii vivebat.

Ursoni seu Ugoni abbati Berardingorum suffectum fuisse hoc anno Gui-

donem

Ann. Chr. 1101.

a Num. 1060.

b Num. 497.

c §. Donatio 223. A. 2. 7.

donem constat ex chartis ejusdem abbatiæ, in quibus ab hoc anno ad annum 1136. constanter Guidonis nomen legitur; sub anno præsenti reperitur ipsum [a] emisse aliquot bona a Berizone Salico, & a Gualdrada ejus conjuge; recepisse pariter [b] a Berardo Salico filio quondam Eldibrandi portionem castri Vallis-piattæ, & ecclesiæ ejusdem castri, ac domum *intus castro de Ortiale*.

In excerptis Eduardi Baroncinii donatio [c] legitur sub hoc anno mense octobri facta eremo Camaldulensi in casali *Sparena juxta terras Benzingam & Guillerminam*.

Ann. Chr. 1102.

VI. Abbatia Carisii tradita reformanda Camaldulensibus.

Nobilis abbatiæ accessione aucta fuit eremus Camaldulensis hoc *anno millesimo centesimo secundo* VII. *idus decembris in festivitate sancti Ambrosii archiepiscopi indictione* X. Appellabatur ipsa abbatia sanctorum Hippolyti & Cassiani, quæ edificata erat eo in loco, qui dicebatur Carisius, sive Cariscicius; decem & novem milliaribus dissita ab urbe Volaterrana, cujus antiquioris fundationis annum expiscari nequivimus, licet condita videatur saltem initio seculi XI. cum decimas terrarum obtinuerit in episcopatibus Lucensi, Pisano & Volaterrano a Johanne, Azzone & Gunfredo episcopis earum ecclesiarum, qui floruerunt post ejusdem seculi initia, præsertim Azo & Gunfredus, ille in Pisana, hic in Volaterrana ecclesia. Testis hujus rei est Clemens III. Romanus pontifex, qui in privilegio concesso anno 1188. monasterio Carisiano, *decimas*, subdit, *omnium terrarum vestrarum, quas in Lucano, Pisano & Wulterrano episcopatibus habere noscimini, sicut a bone memorie Johanne Lucano, Azo Pisano, Gunfredo Wulterrano episcopis vobis concesse sunt, & eas pacifice possidetis*. Placet insuper hic loci ex ejusdem Clementis, & ex alio anteriori anni 1181. Lucii III. Romanorum pontificum privilegiis in tabulario monasterii sanctorum Bartholomæi & Pontiani de Luca existentibus, ad demonstrandam ejusdem abbatiæ parum notæ amplitudinem, syllabum locorum & ecclesiarum præfato cœnobio subjectarum texere. Possidebat siquidem monasterium sanctorum Hippolyti & Cassiani de Carisio villam ejusdem nominis cum curte & districtu & omnibus pertinentiis ejus, & cum flumine Rogulo; ecclesiam sancti Michaelis de monte Ruttulo cum bonis, quæ habebat in curte & castello de Pezzole; ecclesiam sancti Cerbonii cum latifundiis in villa & curte de Applano, in rocca & curte de Valli, partem in ecclesiam sancti Justi, & prædia in curte de Aliga, & in curte & districtu de Foliano, & in podio de monte Fusculo, & in curte de Alatreta cum ecclesia sancti Andreæ; ecclesiam sancti Pontiani cum podio, villa & curte ejusdem; alia insuper habebat in curte de Legule, de Tognano, & in curte castelli Falsi; ecclesiam sancti Petri de Libbiano; ecclesiam sanctæ Mariæ de Gricciano, & bona in monte Cuccari, & in curte de Monticlo, de Pava, de Casanova, de villa in Padule, in curte de Camuliano, de Palaja, de monte Zano; ecclesiam sancti Frigdiani de Pomponiano, & possessiones in castello & curte de Bibbone, & in curte de Gavoranno; ecclesiam sancti Andreæ de Ravi; ecclesiam sancti Germani, & terras in curte de Colle-majori, in curte de Buriano, de Cumulo & de Ceole. Quæ quidem ecclesiæ & loca, licet potuerint plura ex ipsis donari monasterio de Carisio post præsentem annum 1102. consulto hic a nobis exhibentur, quia earum donationum tempus frustra, deficientibus chartis, alibi quæreretur. Miramur tamen, cur Secundus Lancellotus in descriptione monasterii Lucensis sancti Pontiani tribuat suprarecensitas ecclesias eidem cœnobio Lucensi; nam ex possessione villæ de Carisio in cognitionem venire potuisset diploma Lucii

III.

III. non pertinere ad monasterium sancti Pontiani, sed ad illud sanctorum Hippolyti & Cassiani de Carisio. Hinc idem ipse animadvertit in Lucii III. literis anno 1181. datis plures numerari ædes sacras, quarum a superioribus tum pontificibus, tum imperatoribus mentio prorsus nulla fit; nulla nimirum fit mentio, quia ipsæ spectabant ad monasterium Carisianum, & non ad Lucense sancti Pontiani. Ecclesia sancti Petri de Libbiano, quæ juris dicitur cœnobii Carisii, pertinebat anno 1085. ad monasterium itidem nostrum sancti Petri de Funtiano ejusdem Volaterrani comitatus, ut sub eo anno vidimus. Forte utrumque monasterium jura patronatus in eam ecclesiam obtinebat.

Præsenti anno 1102. Carisianum hocce cœnobium monachis affatim erat desertum, aut id contigerit culpa patronorum, aut culpa familiæ ejusdem loci, vel utraque ex causa, atque proinde reformandæ in ipso monasticæ disciplinæ gratia traditum & concessum fuit per librum & stolam, pro remedio animarum suarum & suorum parentum, a Rainerio filio quondam Rainerii, & a Gualfredo filio quondam Gualfredi, a Bertha quoque relicta quondam Guidonis & filia quondam Gerardi, ac ab Adalasia relicta quondam Ildebrandi & filia quondam Lamberti, atque a Ranuccio Adalasiæ filio, qui erant ejusdem ecclesiæ & monasterii patroni, *domno Martino priori & abbati Camaldulensium fratrum* (is est prior eremi Camaldulensis, qui in eo regimine ab anno 1089. perdurabat, & abbatis in hac charta titulo decoratur, eo modo, quo Petrus Dagninus primus Camaldulensis eremi prior in quadam pagina eodem abbatis titulo insignitur) ut ipsam abbatiam juxta morem beati Benedicti abbatis restitueret, ea tamen adjecta conditione, ut salvus permaneret eorum jus patronatus, & interesse eis liceret *ad mittendum abbatem temporaliter*; semper nihilominus foret *capitalis abbatia sub regimine suprascripti Martini abbatis*, *ejusque successorum Camaldulensium in perpetuum*. Sacramento deinde se adstrinxerunt oblata & concessa olim super sacrum altare non amplius repetituros, sub pœna centum librarum argenti optimi, sed omnem potius navaturos operam, ut etiam bona illicite adempta recuperarentur; spoponderunt etiam omne auxilium, & præsto se futuros promiserunt, *quando nos*, inquiunt, *invitaveritis*, *recto usu nostrorum castrorum*, *videlicet in vigiliis noctium*, *in vita habitantium villarum nostrarum temporaliter*. Insuper Bertha confirmat omnia oblata per se, & per omnes homines suos a diebus abbatis Juventii *in antea*. Juventium abbatem Carisianum cognoscimus ex hac charta, qui videtur postremus fuisse, ante quem alii abbates præfuerint eidem monasterio. In eorum tamen censu non admittendus Rodulphus Narniensis episcopus, quem, licet subdubitanter, abbatem fuisse anno 1092. hujus cœnobii conjicit [a] Augustinus Lubinus, sed Rodulphus, qui etiam fuit abbas Farfensis, alterius monasterii, & in alio loco positi, sub titulo sancti Cassiani præfecturam vel commendationem obtinuerit. Inter eos, qui affuerunt una cum Martino Camaldulensi priore contractui hujus donationis, nominantur Eribertus abbas, Johannes prior de Morrona, domnus Ugo *eruditus monachus*, Raimundus abbas ejusdem loci sancti Cassiani, & domnus Leo presbyter missus domni Anselmi abbatis *de Ficecelo*. Cujus loci abbas foret Eribertus, ignoramus. Monasterii Morronensis, cujus prior erat Johannes, origines dedimus ad annum 1089. Ugo eruditus monachus ad quod monasterium pertineret, non liquet. Raimundus abbas Carisii Juventio facile successerat. Raimundum quemdam abbatem legimus inter subscriptos donationi factæ anno 1081. a Rodulpho episcopo Senensi capitulo suorum canonicorum, cujus donationis paginam ex Benvoglientio affert

a *Notit. Abbatiar. Ital.* p. 89.

Ann. Chr. 1102.

Muratorius [a]. Anselmus autem abbas erat monasterii sancti Salvatoris de Ficiclo, vulgo *Fuccecchio*, congregationis Vallis-umbrosæ, de quo monasterio plura habet V. Cl. Johannes Lamius in suis [b] Deliciis eruditorum anni 1743. sicut etiam pluries apud ipsum in chartis horum temporum nomen legitur ejusdem Anselmi abbatis. Apographum hujus donationis a nobis transcriptum ex archivo monasterii sanctorum Bartholomæi & Pontiani de Luca congregationis Montis-oliveti, beneficio humanissimi tunc præsulis ejusdem loci domni Ignatii Burlamachii in pace defuncti anno elapso, in Appendice exhibemus.

a T. V. *Antiq. med. ævi col.* 174.

b *Pagg.* 1086. 1108. 1110.

VII. Monachi de Crucique vendunt terras monast. S. Savini in Chio.

Hoc eodem *anno millesimo centesimo secundo mense martii indictione nona* (emendanda indictio, quæ hoc anno erat decima, vel usurpatur in hac pagina annus Pisanus, qui more Romano esset centesimus-primus, & proinde charta spectaret ad annum antecedentem) Gregorius prior, Gerardus & Tebaldus monachi abbatiæ de Crucique, *professi ex lege nostra*, ajunt, *vivere Romana*, fatentur se recepisse *rem finitum meritum* a Raimundo notario, vice ecclesiæ sancti Salvatoris eremi de Campo-amabili, pro terra juris eorum monasterii posita *infra plebe sancte Marie sita Chio in vocabulo castro de Celone*, quam dederant hospitali monasterii sancti Savini, quod erat subjectum eremo Camaldulensi, pro pauperibus & peregrinis ibidem alendis. Monasterium de Crucique, sive de Cruce erat in territorio Cortonensi, idem facile, quod appellabatur sanctorum Abundii & Abundantii de Cruce, dictum etiam in nostris chartis de Cruce *supra & infra Cortonam*. Hoc vero tempore immo hoc eodem anno confluebant plures pii viri ad ditandum præfatum sancti Savini hospitale, quod conditum prope monasterium ejusdem nominis circa hunc annum putamus. Nam reperimus in copiosis indicibus archivi Fontis-boni confectis ab Eduardo Baroncinio Ildebrandum quondam Bellini [c] mense februario hujus anni obtulisse eremo Camaldulensi pro dicto hospitali aliquot latifundia, manu ejusdem Raimundi notarii; mense autem octobri [d] Petrum quondam Bernardi obtulisse eidem eremo, & in proprietatem sancti Savini de Chio pro susceptione hospitum & peregrinorum alia bona in vocabulo Renzana, manu Ildebrandi notarii.

c §. *Donat.* 227. *A.* 2. 14.

d *Ibid. n.* 226. *A.* 2. 11.

VIII. Donationes factæ partheno- ni S. Petri de Luco.

Donatus filius olim Ramperti comitis & Parenza filia Odoaldi comitis ejus uxor mutuo consensu tradunt & vendunt ecclesiæ & monasterio sancti Salvatoris de Campo-amabili, *ubi nunc domnus Martinus vicarius preesse videtur*, vice ecclesiæ sancti Petri de Luco, integram eorum quartam portionem de omnibus curtibus, castellis, turribus, ecclesiis, domibus & terris &c. quæ fuerant Landolfi & Odoaldi, ac in ejusdem Parenzæ jus devoluta erant ex parte prædicti Landolfi, & Odoaldi filii ejus, a fluvio Arni usque ad Radicosam, videlicet quartam portionem de castellis Luco, Cantamerulo, Riofrido, Riocornoclario, & Castro. Recipiunt pretium venditarum rerum ab Alberto presbytero ejusdem ecclesiæ sancti Petri. *Actum in loco, qui vocatur Pinzano, anno ab incarnatione Domini centesimo secundo post mille mense martii indictione undecima.* Usurpatur hic annus Florentinus, qui desinebat die XXV. martii anni sequentis, quare hæc charta pertinet ad annum Romanum 1103. in quo decurrebat indictio undecima. In monumentis Florentinii ad vitam Mathildæ comitissæ [e] reperitur in territorio Volaterrano ad diem XXVI. novembris anni 1131. *Ramprettus divino munere Thusciæ præses & marchio.* An hujus Rampretti progenitor est Rampertus comes pater etiam Donati nominatus in hac nostra Lucensi donationis charta? Eodem *anno millesimo centesimo secundo mense octobri indictione undecima*, quæ scilicet initium sumpserat mense septembri,

e *Lib.* II. *p.* 347.

ANN. CHR. 1102.

bri, Bernardus & Theudoricus filii quondam comitis Ugonis, & Gemma ejus filia uxor quondam Ubaldi comitis vendunt eidem eremo Camaldulensi, vice ecclesiæ & monasterii sancti Petri de Luco, integram eorum tertiam portionem & integram medietatem, & si plus ad eos spectat, de curte & castello, quod vocatur Luco, cum ecclesia sancti Laurentii, & sancti Nicolai, de curte & de castello, quod vocatur Riofrigidum cum ecclesia sanctæ Mariæ, de curte & castello Cantamerulo, de curte & castello Riocornoclario, *sicut Seve recurrit ad Radicosam*, recepto pretio triginta librarum denariorum Lucensium a Petro de Casavecchia vice prælibatæ ecclesiæ & monasterii. *Actum apud castellum, quod vocatur mons Corboli, judiciaria Florentina.*

Ursoni abbati sanctæ Mariæ de Paterno, qui ab anno saltem 1087. huic monasterio præsidebat, & ejus cœnobio Viventius filius Salemoni per testamentarias tabulas donat hoc anno res suas positas in comitatu Arretino in pleberiis sancti Felicis in Sibbiano, & sancti Petri in Gello, manu Ildibrandi notarii, ut novimus [a] ex chartula tabularii sanctæ Mariæ in Gradibus de Arretio.

[a] *Num.* 30.

ANN. CHR. 1103.

IX. Reformatio Camaldulensis introducta in abbatiam Triviensem.

ALTERA insignis abbatia commendata fuit hoc anno directioni & reformationi monachorum Camaldulensium. Georgius & Candolfus aliique pii viri olim large ditaverant ecclesiam conditam ad honorem Dei & beatæ Mariæ virginis sitam in diœcesi Sarsinate in loco appellato Trivio juxta montem Cornarium, ut regulare evaderet monasterium, & omni tempore spirituales in eo viri pro remedio eorum facinorum, suorumque filiorum & hæredum, cunctorumque fidelium omnipotenti Deo regulariter deservirent. Sed quia hoc tempore carnaliter & non spiritualiter eo in loco vivere conspiciebantur ii, qui ad locum incolendum evocati fuerant, nullamque rectitudinis normam tenere, ideo piorum virorum consilio instructi cogitaverunt Rigo & Ubaldus filii Georgii quondam Rustici, & Candulfinus ac Guilielminus filii Georgii quondam Manfredi, & Manfredus filius quondam Candolfi, & Ugo filius quondam Rainerii, cum consensu ceterorum patronorum ejusdem ecclesiæ, spirituales in ea viros constituere, qui suis orationibus, ceterisque bonis operibus indulgentiam peccatorum eorum apud Deum promererentur. Quare accito hoc anno Martino priore eremi Camaldulensis Campi-amabilis, eidem concedunt & largiuntur liberam potestatem, ordinationem ac regimen præfatæ ecclesiæ sanctæ Mariæ, copiam insuper faciunt eligendi, constituendi, & de loco movendi abbates, priores, monachos atque conversos, addita etiam potestate in famulos omnesque subjectos, & in res mobiles & immobiles dictæ ecclesiæ; ita tamen ut per hanc concessionem ecclesia Arretina, vel alia aliqua persona nullum jus, nullamque facultatem in præscriptum monasterium sibi usurpet, & exerceat, hæcque potestas resideat penes solos priores eremi Camaldulensis regulariter ordinatos, vel penes abbates ab ipsis in eo monasterio constitutos, *& ut nullum jus*, subdunt, *a Romana ecclesia, nec ab alia persona de predicto monasterio aut de rebus ejus accipiatis, nisi ad utilitatem prefati monasterii, ad exemplum antiquorum preceptorum. Et quod avertat divina potentia, si venerit, ut aliquis subripiat locum regiminis supradicte eremi contra regulam beati Benedicti, abbas cum fratribus hujus monasterii in suo permaneat statu, quousque eremus reconcilietur in regularem priorem, & facta reconciliatione, mox revertatur in potestatem ejusdem eremi. Et si forte acciderit, ut eremus patiatur a malignis hominibus, & regulari priori placuerit, maneat in predicto cœnobio, quomodo &* quan-

Ann. Chr. 1103.

quantum voluerit. Quæ animadversione sunt digna, & declarant, quanti facerent donatores eremum Camaldulensem, ut quodcumque aliud institutum respuerent, & Triviense monasterium tamquam asylum & refugium exhiberent prioribus Camaldulensibus, si injurias vel expulsionem a suo loco paterentur aliquando. Reservant tamen sibi jurispatronatum, extra quod refutant omne dominium, omnesque res prædicti monasterii, sicut etiam omnes commendationes & malos usus, & quam eatenus potestatem exercuerant in rebus monasterii. Subjungunt: *Et abbates a vobis vestrisque successoribus regulariter electos atque ordinatos in hoc monasterio nos prenominati patrones, nostrique filii & heredes laudabimus & recipiemus, atque retinebimus in abbates. Et si aliquis ex nobis se subtraxerit, quandocumque electio facienda est atque abbatis ordinatio, nil obstet ordinationi monasterii, sed firma & stabilis permaneat. Acta ante porte suprascripte ecclesie intus in claustro, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo tertio, regnante Henrico rege in Italico regno, & donno venerabili papa Paschasio residente in apostolica sagratissima beati Petri apostoli sede mense junius indictione undecima.* Autographum hujus concessionis ex tabulario abbatiæ Triviensis a nobis fuit exscriptum. In mundiburdio, quod concessum fuit circiter annum 928. ab Hugone Italiæ rege quibusdam hominibus territorii Balneensis apud Muratorium [a], nominatur Georgius cum tribus filiis suis, idest Alberico, Gandulfo atque Frodgerio; hi videntur fuisse progenitores fundatorum & patronorum monasterii Triviensis parum a Balneo distantis. A sua statim origine Triviense monasterium communitum fuit Paschalis II. amplo privilegio, ut fidem faciunt Innocentius II. & Adrianus IV. in præceptis suis pro ecclesia Balneensi.

a *Antiq. med. ævi* T. I. col. 271.

In summariis instrumentorum [b] Simonis, & Rainerii monachorum Fontisboni hæc sub præsenti anno leguntur: *Guido olim Gerardini, & Rolandinus olim Petri Zepherini per se suosque heredes in perpetuum pro remedio animarum suarum & suorum parentum nomine judicati donaverunt & obtulerunt Camalduli heremo integrum suum jus, actionem & portionem, quod & quas habebant in ecclesia sancti Angeli de curte Luponis, cum terra, tenimento & cemeterio ecclesie predicte, cum omnibus redditibus, decimis, mortuariis & ceteris pertinentiis suis. Anno Domini* M. C. III. *mense februario manu Petri notarii.*

b *Pag.* 152.

In archivo autem monasterii sancti Michaelis de Burgo Pisarum legimus Petrum vicecomitem filium Siceri obtulisse terras eidem cœnobio hoc anno in utilitatem hospitalis de Rivolta, quod subjectum erat præfato monasterio sancti Michaelis.

Ann. Chr. 1104.

X. Testamentariæ tabulæ Bernardini filii Sidoniæ.

Bernardinus filius Sidoniæ, & Bernardi filii quondam Rainerii de Galbina, ex proceribus scilicet Arretinis hujus familiæ, gravi infirmitate decumbens in lecto testamentarias tabulas confecit, consensu etiam Imildinæ conjugis suæ, hoc *anno millesimo centesimo quarto indictione duodecima mense septembri*; & ad redimendas deprædationes ac rapinas, quas villici & ministri sui faciebant ex frumento aliisque rebus bonorum ecclesiarum & pauperum, decrevit omnia bona sua Deo in perpetuum offerre. Accito itaque die septima mensis septembris hujus anni feria quarta presbytero Johanne de Anglari disposuit, ut ecclesia sui ipsius juris, quæ sita erat in loco dicto Popani, libera omnino efficeretur a monasteriis & a patronis, a quibus detinebatur, & ut corpus suum ibidem sepulturæ traderetur; *uxor* vero *sua cum omnibus rebus, & cum ordine monastico omni tempore vite sue permaneret sub dominio & regimine Camaldulensis eremi*, liber-

libertatem insuper concessit omnibus servis & ancillis suis, & distributione facta ad proprietatem aliquot bonorum suorum *masnade*, sive hominibus suis de Anglari, statuit, ut nullus unquam ea bona imposterum alienaret, vel daret alteri parti. Quod si aliqui præfata bona alienaverint, decrevit, ut redire deberent in integrum ad proprietatem ecclesiæ, quæ aliorum bonorum suorum futura esset hæres, & ut *masnaderii* sui de Anglari fideles forent eidem ecclesiæ, sicut erant sibi; id quod tacto libro sacramentorum ipsi spoponderunt in manibus dicti Johannis presbyteri. Sexta feria ejusdem hebdomadæ, advenientibus Gregorio & Azzone monachis Camaldulensis eremi, per sacramentalem confessionem expiavit idem Bernardinus omnia peccata sua, & remissionem accepit, atque donationem omnium bonorum suorum fecit in manibus dictorum monachorum, & Johannis presbyteri Anglariensis, ea voluntate, ut in præfata ecclesia de Popano monasterium construeretur, si a patronis illius ecclesiæ cum justis permutationibus id posset obtineri absolute & libere; alioquin Martinus prior Camaldulensis, Gregorius episcopus Clusinus, & Henricus præpositus Arretinus locum designarent in proprietate sui juris, ubi monasterium ædificaretur, & monachi ibidem permanerent, qui Deo famularentur secundum regulam sancti Benedicti sub protectione & regimine Camaldulensis eremi. Monasterium autem haberet pro dote omnia bona sua, castra, villas, ecclesias, domus, terras &c. relinquens tamen ipsorum arbitrio, ut salvo jure proprietatis, sororibus, propinquis & fidelibus suis aliqua de supradictis rebus tribuerent, & qui inde aliquid accepissent, omni tempore Deo & fratribus in dicto monasterio commorantibus deservirent. Actum in castello de Monte aureo coram pluribus testibus sacerdotibus & laicis.

Per hæc tempora nullus in ecclesia Clusina apud Ughellium in Italia sacra episcopus legitur Gregorius nomine, sed post Lanfrancum, cujus monumenta supersunt usque ad annnm 1098. nomen apparet Petri ad annum 1128. Admittendus ergo est ex hac pagina inter Lanfrancum & Petrum Gregorius; neque dicendum notarium pro Gregorio episcopo Arretino, qui proxime ad hæc tempora Arretinam ecclesiam administrabat, errore collocasse Gregorium Clusinum, nam ex charta referenda ad annum 1106. Gregorius Arretinus episcopus III. idus octobris ejusdem anni secundum numerabat annum in cathedra Arretina. Si vero die IX. septembris hujus anni 1104. electus jam fuisset Gregorius episcopus Arretinus, III. idus octobris anni 1106. non secundum, sed tertium saltem inchoasset sui episcopatus annum.

Episcopi ergo Gregorii Clusini & non Arretini, Martini prioris Camaldulensis, & Henrici præpositi Arretini mutuis consiliis & voluntatibus erectum fuit ex bonis præfati Bernardini hoc anno, vel primis mensibus anni subsequentis monasterium in castro Anglaris sub invocatione sancti Bartholomæi apostoli, subjectis eidem monasterio toto castro, hominibusque in eo habitantibus, necnon ecclesiis, plebibus, castris aliisque bonis ejusdem hæreditatis. Dicimus hoc anno vel novo ineunte; nam die vigesima-prima aprilis anni 1105. inter cetera monasteria confirmata, & apostolico privilegio communita a Paschale papa II. eidem Martino priori Camaldulensi ejusque eremo, nominatur speciatim *monasterium sancti Bartholomei in Anglario cum monasteriis & ecclesiis, castellis & curtibus, & pertinentiis suis ex integro, sicut fuerunt Bernardini filii Sidonie*; immo nominantur monachi Anglarienses in alia pagina confecta statim post initium anni sequentis.

IPSA

ANN. CHR. 1104.

XI. Anglariense cœnobium fundatur.

IPSA est charta Rainerii filii quondam Rainerii marchionis, & Trotæ ejus conjugis, quæ appellabatur etiam Catharina, qui *anno millesimo centesimo quarto mense januario indictione decima tertia*, more scilicet Florentinorum, qui annum protendebant usque ad diem XXV. martii, atque proinde anno novo 1105. ineunte spoponderunt pro se & pro filiis suis eidem Martino priori ecclesiæ sancti Salvatoris Camalduli molestiam nullam illaturos; quinimmo refutarunt ipsi omnia, quæ idem Bernardinus filius quondam Sidoniæ habuerat & tenuerat octo dies, antequam moreretur, per se vel per alios homines; feudum tantummodo excipientes, quod ab iisdem marchionibus Bernardinus detinuerat, & quidquid Rolandus quondam Petri de Cellule detinuit jure Rainerii II. patris Rainerii III. & omne jus, quod Ughiccionus marchio, ejusdem Rainerii III. avus habuit & tenuit in *rocca de Vizano* in tota ejus curia; promittentes insuper eidem Martino priori se defensuros omnia præfata bona sub pœna ducentarum librarum denariorum Lucensium. *Actum castro Felicitatis in loco Pitiliano*. Ad paginæ calcem additur: *Centum libras Lucensium monete veteris dedimus, & centum annos de penitentia eorum recepimus, & unum anulum optimum auri*. Feudum, quod Bernardinus a Rainerio marchione detinuerat, appellabatur juxta aliam paginam *de Bibbione* & *de Teverina*; juxta quam postremam paginam in præsentia multorum procerum idem Rainerius cum prædicta Trota uxore ratam habuit superiorem Bernardini donationem, ipsam confirmans Martino priori & monacho Gregorio, addentes tam ipse, quam ejus conjux, quod si aliquis voluerit priorem Camaldulensem vel *monachos Anglarenses* molestare ex ipsis rebus, vel aliquam invasionem inferre, *ita eas, excepto contra papam vel regem, defendemus, & si ablatas fuerint, ita recatare curabimus ut proprias nostras res*. Hanc & antecedentem donationis Bernardini chartas, quæ primas origines illustrant monasterii Anglariensis, ex tabulario Fontis-boni in Appendice edimus.

XII. Patronus alter abbatiæ Triviensis ipsam tradit Camaldulensibus.

PETRUS comes filius quondam Lamberti comitis, qui partem juris obtinebat in ecclesiam & monasterium sanctæ Mariæ de Trivio, de quibus anno antecedenti, hoc *anno millesimo centesimo quarto, presidente domno venerabili papa Paschali in apostolica sacratissima beati Petri apostoli sede, pridie calendas aprilis indictione duodecima*, totam sui juris portionem, quæ sibi competebat, concedit & elargitur eidem Martino priori eremi Campiamabilis, ad hoc ut regulariter & spiritualiter ordinet eamdem ecclesiam in regulare monasterium, similes formulas, immo ipsa verba usurpans, quæ leguntur in donatione anni præcedentis. *Actum Aritio juxta jugum alpis de Balneo subtus ecclesiam sancte Crucis*. Post Petrum comitem signat se inter ceteros, ut testis, Ildibrandus comes filius quondam Petri comitis. Hi comites videntur Sarsinates, in cujus urbis territorio exsurgebat tum mons Cornarius, tum ecclesia ac monasterium sanctæ Mariæ de Trivio; vel etiam comites de Montedolio, & Ildibrandum quemdam comitem de Montedolio videbimus anno sequenti. De Triviensi abbatia plura dicemus annis sequentibus; interim chartam cum altera anni antecedentis ad eamdem abbatiam spectante, producimus in Appendice ex autographo tabularii ipsius monasterii, in cujus jura successit cœnobium nostrum sancti Nicolai urbis Burgi-sancti-Sepulcri.

XIII. Comitissæ beneficæ in monasterium S. Petri de Luco.

RAINERIUS comes filius quondam Ardinghi comitis, & Gasdia ejusdem uxor hoc *anno millesimo centesimo quarto, mense februario indictione undecima*, sed legendum *duodecima*, vel mutandus annus incarnationis in millesi-

millesimum centesimum-tertium, largiuntur monasterio & ecclesiæ sancti Salvatoris de Campo-amabili, vice monasterii sancti Petri de Luco, integram eorum portionem de castris, turribus, ecclesiis, domibus & terris, ad se pertinentibus, sive ex parte patris sive matris, sive fratrum & sororum, positis infra comitatum Florentinum ac Mucellanum, scilicet res, quas possidebant in civitate Florentiæ, & in castris Luci, Riofridi, Cantameruli & Larciani, aliisque curtibus Mucelli, quæ omnia obtulerunt Aczoni monacho vice prædictæ ecclesiæ sancti Petri, & vice Martini prioris Camaldulensis recipienti. Actum in castro Luco. His comitissis, Zabulinæ scilicet, Cunizzæ, Parentiæ & Gasdiæ, quæ lege vivebant Langobardorum, quæque suis largitionibus monasterium sancti Petri de Luco locupletarunt, ut vidimus præsenti & huic proximis annis, ad perennandum earum donationum monumentum, post aliquod tempus sequens inscriptio apposita fuit a sanctimonialibus ejusdem parthenonis, quam hic subjicimus.

ANN. CHR. 1104.

HOS. AGROS. ZABULINA. CUNIZZA. GASDIA. ET. PARENTIA
COMITISSAE. CASTRI. LVCI. CANTAMERVLI. REOFREDI
ET. FRENE. SANCTO. ROMVALDO. ET. BEATO RODVLPHO
CAMALDVLENSI. FVNDATORI. HVIVS. MONASTERII
DILARGITAE. SVNT. ANNO. M. LXXXVI.

Erant Zabulina, Parentia & Gasdia filiæ Landulphi comitis & Aldinæ comitissæ, quorum comitum paginam attulimus in Appendice ad annum 1082. Zabulina fuerat uxor Teuderici comitis, Parentia conjux Donati comitis & Gasdia jugalis Rainerii similiter comitis. Cuniza vero ex uxore Gotidii comitis, qui se Deo dedicaverat in eremo Camaldulensi, prima fuerat abbatissa monasterii sancti Petri, de qua plura attulimus in libris antecedentibus.

XIV. De Leone abbate S. Adalberti, & de monasterio S. Georgii in Aula Ravennæ.

ANNO *ab incarnatione Domini millesimo centesimo quarto anno* XXI. *Henrici imperatoris die* XX. *quarta mensis aprilis indictione duodecima, domnus Leo gratia Dei abbas monasterii sancti Adalberti martyris Christi; quod est fundatum in insula, que vocatur Pereus, accipiens chartam pacti, quam detinebat a monasterio sancti Georgii, quod est fundatum foris civitate Ravenne, in loco, qui dicitur Aula, mittensque eam in manu Imize abbatisse ejusdem monasterii dixit: Refuto tibi, tuo monasterio & collegio monacharum duas uncias principales terre, que sunt scripte in hac charta, & apprehendens Rolandum monachum per manum, misit eum in manum dicte Imize, mandans ei, ut sua vice investiret, & traderet predictas uncias terre prefate Imize.* Subscribunt post Leonem abbatem frater Guifredus monachus & prior, & fratres Paulus, Johannes, Albertus, Ambrosius monachi, Orlandus monachus levita, Rainerius levita & monachus. Die XXIIII. aprilis vigesimum-primum sui imperii annum jam incœperat Henricus imperator coronatus XXX. mensis martii, die sancto paschatis anni 1084. a Clemente pseudo-papa III. Locum fecerat Leoni Johannes abbas sancti Adalberti, quem memoravimus ad annum 1086. Monasterium vero sancti Georgii in Aula effertur in aliis chartis etiam in Taula, & in Tabula. Imiza abbatissa in chartophylacio archiepiscopii Ravennatis reperitur etiam ad annum 1098. & in eodem tabulario plura leguntur monumenta spectantia ad præfatum asceterium sancti Georgii, quod erat Ravennæ foris portam Artenectorum. Abbatissa Ratilda legitur ad annum

1019.

ANN. CHR. 1104.

1019. Florentia Marotia ad annum 1029. Maria ad 1036. altera Ratilda ad 1037. Gasdia ad 1058. Gratia ad 1063. Huic eo anno Paulus & Wido Traversarii donationem fecerant; Gratiæ vero abbatissæ ejusdem monasterii anno 1086. Clemens III. alias Wibertus archiepiscopus Ravennas, confirmaverat quinquaginta *tornaturias* terræ pro animabus Sigelfridi Bononiensis episcopi (is excommunicatus & depositus fuerat a Gregorio VII. in synodo Romana anni 1079.) & Orlandi diaconi fratris Sigelfridi, quam confirmationis chartam affert [a] Rubeus. Gratiæ subrogata fuit Imiza nominata in hujus anni pagina. Rursus post Imizam Richa legitur in iisdem membranis sub anno 1119. Gualderada ad annum 1136. Matalida ad annum 1173. Superiorem refutationis libellum scriptum a Leone abbate sancti Adalberti integrum damus in Appendice ex autographo ejusdem tabularii Ravennatis.

a Lib. V. p. 312.

XV. De Petro & Rainerio Sanvictorianis, & de Guidone Insulano abbatibus.

SUFFECTUS fuerat in locum Rainerii abbatis sancti Victoris de Clusis Petrus. Ipsi enim præsenti *anno millesimo centesimo quarto, & regnante manno Enrico nostro imperatore & die mense madius per indictionem* IIX. nempe, ut interpretamur, duodecimam, quæ decurrebat hoc anno, Paganus filius Actonis & Gisla ejus conjux, juxta eorum legem Langobardorum, tradunt & vendunt terras positas in territorio Castellano, recepto pretio a Gozo monacho ejusdem monasterii. Autographam donationis paginam subministrat nobis archivum sancti Blasii de Fabriano.

Ramberto autem abbati Insulano successerat Guido, cui hoc *anno* [b] M. C. IIII. *trigesima die maji* Ugo filius quondam Rainerii vendit terras in loco dicto *Sanctus Martinus*, & in alio loco appellato *Radius* in territorio sancti Petri Galeatæ.

b §. Mutilæ 6. A. 2. 1.

Diximus mox mense majo Rainerium locum fecisse Petro abbati sancti Victoris de Clusis. Quare annus verisimiliter Pisanus usurpatus fuerit in alia pagina inserta codici pecudineo monasterii sancti Blasii de Fabriano, qua *anno Domini millesimo centesimo quarto & die mense exiente novembri per indictione duodecima* nominatur adhuc abbas ejusdem monasterii Rainerius. Indictio quoque mutata fuerit mense septembri anni præcedentis, ad quem proinde pagina hujusmodi erit referenda. Charta hæc habet: *Galfredo & Bernardo filiis Acto, & Galfredo conjuncto cum Bernardo, Muscho filio Carbonis, & Gozzo filius Ugo, & Offredo* &c. *dono, trado, transacto ad isso monasterio beatu sancto Victore & domnus Rainerius abbas, & at vestris successoribus in servum servorum Dei in perpetuum de ipso patronato de ipso monasterio sancto Victore, & de ipso patronato sancto Salvatore de Valle, & de omnes aliis nostris ecclesie sive capelle, sive canonica, sive castella, ipsu castellu della Civitella cum suo avivatu, & cum suo introitu & exitu suo, & ipsu castellu delle Sassa cum suis senaite, sicut inter nobis communiter habemus, & ipsu castellu de Plecbe cum introito & exitu suo, ipsu castellu de Cerosula cum suo avivatu, introito & exito suo, & ipsu castellu de Serra sicca cum suo avivatu, introito & exito suo, & ipsu castellu de Valle cum suo avivatu, introito & exito suo. Non habeamus licentiam nec vindere, nec donare, nec gambiare, nec pro animas judicare ad nulla persona, si non est inter nobis consortibus, & at isso monasterio sanctu Victore & Rainerii abbas, & at vestris successoribus in servum servorum Dei, & qualicumque vel nos suprascripti nominatis & de nostris eredis in perpetuum de hoc seculo defunctus fuerit, abeamus licentiam de nostra portione de ecclesie, castellis cum suis pertinentie adjudicare pro anima sua ad ipsu monasterio sanctu Victore, sine omnes calumnie, & qualicumque de nos suprascripti nominatis, & de nostris eredis in perpetuum*

faci-

facimus &c. Prædicti erant patroni monasterii sancti Victoris de Clusis, & aliarum ecclesiarum & castellorum, quæ subjiciebantur monasterio Sanvictoriano. Ecclesia sancti Salvatoris de Valle erat parthenon sacrarum virginum, cujus origines vidimus in his nostris Annalibus [a] ad annum 1008. Pariter in castello appellato inter Saxa alterum subinde erectum fuit sanctimonialium monasterium subjectum cœnobio Victoriano.

Ann. Chr. 1104.

[e] T. I. p. 301.

XVI. Charta Pisana.

ALIUD vetus monumentum ad hunc annum spectans reperitur in chartario monasterii sancti Michaelis in burgo Pisarum; quod est hujusmodi: *Breve memorie facimus, quem loco testamenti fecit Villanus filius Bonaldi veniens ad exitum mortis coram abbate sancti Michaelis, necnon & monachis ejusdem monasterii. Adstantibus aliquantis viris, qui testes hujus testamenti sunt, & dedit investituram predicto abbati ob gratiam bone recordationis, scilicet uti quidquid ipse habebat, totum absque ulla inpeditione abbatia sancti Michaelis jure proprietario teneret, haberet, possideret ad utilitatem monachorum ipsius sancti loci pro remedio anime sue, & pro venia omnium delictorum suorum. Testes sunt Rusticus quondam Pepi, Constantinus quondam Martini, Martinus quondam Pauli, Wido quondam Widonis, Rusticus quondam Bruni, Romanus quondam Johannis, Johannes quondam Bonosi. Alia vice, ut firmum & stabilium maneret judicium, quod prius fecerat, summa devotione ipse predictus Villanus prebuit alteram investituram, scilicet per Crucem Dominicam ad confirmationem prioris investiture ad domnum abbatem jam nominatum coram cunctis fratribus ibi circumstantibus, ut nullus dubitationis scrupulus alicui remaneret. Testes ibi affuerunt Moculus cognatus ipsius Villani, Benedictus quondam Bonizonis, Aborettus filius Johannis.*

XVII. Petrus abbas S. Michaelis eligitur ep. Pisanus.

ABBAS sancti Michaelis in burgo Pisarum erat adhuc Petrus, ad quem pertinet superior pagina, cui alteram donationem factam reperimus sub præsenti anno a Bruna vidua consensu Gherardi tutoris ac mundualdi sui, quæ vineam positam prope Colignolam dilargitur eidem monasterio, manu Ottonis notarii sedis apostolicæ, præsentibus Berizone judice, & Gherardo converso ac tribus aliis testibus, *anno* M. C. V. *die decima tertia decembris indictione* XIII. Annus Pisanus, qui communi more erat 1104. usurpatur in hac pagina, indictio vero mutatur mense septembri. Post eum diem nullus alius contractus, nullumque publicum aut privatum monumentum legitur in chartulario ejusdem monasterii, quod nomen referat abbatis Petri. Reperitur equidem contractus Petro absente factus ab Iventio priore sancti Michaelis in burgo Pisarum post quinque dies, die scilicet XVIII. decembris ejus anni Romani 1104. quo Ludovicus filius Ugonis & Willia ejus uxor filia Balduini vendunt prædicto cœnobio terras prope Colignolam, rogante Folcherio notario, & interventu Ildebrandi judicis sacri palatii Lateranensis. Ex quo documento verisimiliter colligere possumus Petrum abbatem Romam eo tempore se contulisse pro obtinenda confirmatione electionis sui ipsius factæ a clero & a populo Pisano in antistitem ejusdem ecclesiæ post mortem Daimberti primi archiepiscopi Pisani & patriarchæ simul Jerosolymitani. Testimonio Fulcherii Carnotensis obitus Daimberti revera contigit anno 1104. non anno 1106. ut ponitur in veteri fragmento historiarum Pisanarum apud Ughellium; multoque minus anno 1107. quo statuitur ejus decessus ab Alberico Aquensi & a Paulo Troncio in memoriis Pisanis, qui postremus insuper narrat eodem anno 1107. Paschalem II. Rom. pont. conspicientem nullum prodire accusatorem contra Daimbertum, qui expulsus fuerat a sua Jerosolymitana sede, compertam fecisse universis illius innocentiam, & apostolico diplomate ipsi indul-

ANN. CHR. 1104.

indulsisse, ut ad suum patriarchale solium se restitueret. Verum discedentem e Romana urbe Daimbertum, ut in Orientem denuo proficisceretur, Messanæ constitisse, ibique graviter decumbentem supremum diem obiisse XVIII. kalendas julii, post septem annos patriarchatus Jerosolymitani. Sed contra Albericum Aquensem & Troncium facit, quod jam ab anno 1106. in tabulario archiepiscopali ecclesiæ Pisanæ memoria extet novi præsulis Petri; quare certo certius redditur Petrum Daimberto suffectum fuisse ante annum 1107. & probabiliter hoc anno 1104. desinente, vel novo 1105. ineunte, & quidem, ut auctor est Fulcherius, jam defuncto Daimberto; vel si Fulcherii testimonium non admittatur, dicemus Petrum electum fuisse vivente Daimberto, qui utramque ecclesiam commode administrare non valens nuncium miserit ecclesiæ Pisanæ. Consecratus itaque fuit Romæ Petrus a Paschale II. maxima inde suorum civium exultatione susceptus in episcopum patriæ.

Successor ejus in regimine monasterii sancti Michaelis fuit Johannes, sub quo, nisi malumus dicere sub eodem Petro, præfatum monasterium disciplinam & reformationem suscepit eremi Camaldulensis, omnem operam saltem præstante ipso Petro. Monumentum autographum, quod indicet verum annum unionis hujus monasterii congregationi Camaldulensi, non invenimus neque in tabulario Fontis-boni, neque in illo ipsius cœnobii sancti Michaelis. Fortunius [a] refert dumtaxat ad tempora Petri abbatis; nam allato privilegio concesso anno 1077. a Gregorio papa VII. Leoni abbati ipsius monasterii, & Petri antecessori, statim subdit: „ Insequenti tempore aggregato cœnobio sacræ eremo & ordini Camalduli, præsidebat Petrus abbas, qui ad episcopale fastigium sua bonitate & virtute „ deinde provectus est. " Baroncinius in chronico hanc unionem statuit ad annum 1103. & propterea sub Petro abbate. Exploratissimum est eam contigisse ante annum 1111. quo Henricus V. imperator anno primo sui imperii in præcepto, quo communit eremum Camaldulensem, inter cetera monasteria, quæ congregationem eo tempore efformabant, recenset *monasterium sancti Michaelis in urbe Pisarum*.

[a] Par. II. p. 66.

XVIII. Monasteria aliquot Pisana suscipiunt reformationem Camaldulensem.

IDIPSUM dicendum de altero monasterio sancti Savini, quod situm erat tribus milliaribus extra urbem Pisanam, in loco dicto Cerefiolo, vel ex privilegio Eugenii III. in loco appellato Montione, ad quem postremum translatum fuit ex illo Cerefioli. Antiquissimum ipsum fuisse constat, ejusque origines pertinere ad seculum VIII. cujus etiam mentionem primam fecimus ad annum 969. Hoc similiter enumeratur ab eodem Henrico in præfato privilegio anni 1111. Immo hoc ipsum putandum est de monasterio sancti Stephani ad antiquum castrum Cintorium, seu Cintojam, dictum quoque de Militia, in agro Pisano, quod inter monasteria Camaldulensia nominatur a Paschale papa II. in sua apostolica bulla anni 1113. scilicet hæc cœnobia opera potissimum Petri, vel abbatis sancti Michaelis, vel dum evaserat episcopus Pisanus, in congregationem Camaldulensem ad hæc circiter tempora devenere. Monasterium sancti Stephani situm erat inter Vicum-Pisanum & inter terram Butii. Ipsius memoriam ingessimus ad annum 1099. occasione testamenti Bernardi quondam Gerardi, qui se beneficum ostendit vinearum & terrarum largitionibus erga præfatum cœnobium. Ecclesia sancti Thomasii de Travalda reperitur ad annum 1365. manualis ipsius monasterii sancti Stephani. Serius contigit aggregatio alterius cœnobii sancti Zenonis siti in eadem urbe Pisarum, quæ differenda est ad tempora Innocentii papæ II. & Lotharii III. imperatoris & ad annum 1136.

SPE-

ANN. CHR. 1104.

XIX. Constructio cœnobii S. Salvatoris de Florentia.

SPECTAT similiter ad hos præterpropter annos extructio monasterii sancti Salvatoris extra urbem Florentiam in loco, qui appellabatur Pedemonte, quod cœnobium dictum etiam semper fuit Camaldulum de Florentia; immo extensis postea mœnibus urbis, illa pars civitatis, quæ est prope cœnobium sancti Salvatoris, ad hæc usque tempora Camalduli denominationem retinet. Vel si ante hunc annum extabat templum sanctissimo Salvatori dicatum, ut innuere videtur Fortunius, pertinet ad præsens tempus ejusdem ecclesiæ traditio facta Martino priori Camaldulensi, qui coloniam monachorum illuc introduxit, vel monasterium existens juxta disciplinam Camaldulensem reformavit. Ejus revera loci origines primæ sunt obscuræ. Legimus in excerptis tabularii Fontis-boni, quæ confecit Baroncinius, anno M. C. IIII. mense decembri donationem factam fuisse eremo Camaldulensi portionis terrarum *stariorum sex juxta pedem designatum in petra* (pedem scilicet Liutprandi Langobardorum regis) *juxta portam sancti Pancratii Florentie mensuratam, que terra posita est in loco nominato Bauciani & Pedemonte*. Et anno sequenti 1105. inter ecclesias subjectas eremo Camaldulensi numeratur a Paschale II. in suo privilegio: *Ecclesia sancti Salvatoris sita Florentie*. Quoad pedem Luitprandi observamus post Duchesnium, laudatum etiam a Mabillonio [a] in suo itinere Italico, Liutprandum tantæ longitudinis pedes habuisse, ut ad cubitum humanum metirentur. Hujusmodi mensura utebantur Thusciæ & Insubriæ populi pro metiendis arvis, & Florentiæ ad portam sancti Pancratii marmoreus hujus mensuræ pes appositus erat. Sæpius in chartis nostris, quas afferemus, mentio fit pedis Liutprandi.

a *Pag.* 177.

XX. Chartæ Arretinæ & Bifurcenses.

HABETUR in iisdem compendiis Baroncinii [b] sub hoc anno „ mense „ majo Germanam uxorem olim Guinildi, & Ubertinum ac Ugolinum „ ejus filios vendidisse domno Martino priori Camaldulensi recipienti pro „ eremo & pro monasterio sancti Quirici de Rosis terras positas in terri„ torio sancti Petri de Gello, manu Salomonis notarii. “ In privilegio Eugenii III. recensentis anno 1151. bona ejusdem monasterii sancti Quirici, inter cetera eidem cœnobio confirmatur *castrum de Fracta-Guinildi*. Guinildus ejusque filii plura bona sacro illi loco donaverant annis antecedentibus, videnturque fuisse patroni ecclesiæ sancti Quirici. Consulantur etiam, quæ diximus ad annum 1086. Hujus Guinildi filius Rigus seu Henricus [c], ut legitur in præfatis excerptis, „ ad mortem veniens resti„ tuit dictæ ecclesiæ, quidquid extorserat & injuste detinebat in curte de „ Fracta, aut in Marciana, aut alibi de jure præfati cœnobii, & insuper „ judicii nomine tradidit ipsi ecclesiæ silvam cum terris in sumptum fra„ trum ibidem Deo servientium, & postmodum obiit in plurium sacerdo„ tum præsentia. “

b §. *Amissæ. n. 79. A. 172.*

c §. *Recordationes.*

Tabularium collegiatæ & imperialis ecclesiæ sancti Laurentii de Florentia, quæ in jura successit cœnobiorum Bifurcensis & Aceretani, & eremi Gamugnensis, exhibet nobis sub præsenti anno chartam donationis situs factæ a Rolando Brandonis, a Guizone & a Bailardo pro ædificanda ecclesia sanctæ Marinæ, quæ supposita fuit regimini ejusdem monasterii Bifurcensis. Locus in quo templum constructum fuit, appellabatur in Vatho, sæpiusque in apostolicis & imperialibus privilegiis confirmata fuit eadem ecclesia Bifurcensibus monachis. Anno tamen 1218. in privilegio Honorii III. concesso Avellanensibus, ipsa *ecclesia sancte Marine in Bifurce* subjecta dicitur & confirmatur Avellanensi cœnobio. Animadversione digna est, ut id obiter dicamus, haud infrequens, quæ his & sequentibus temporibus contingebat translatio monasteriorum & ecclesiarum a subjectione &

Ann. Chr. 1104.

dominio alicujus cœnobii ad dominium alterius, & plura a nobis annis superioribus in eam rem allata sunt exempla, aliaque afferentur in prosecutione horum Annalium. Hinc eo præfidentius in iisdem Annalibus historicas quandoque notitias producimus, quæ prima facie stricte ad Camaldulensem congregationem non spectare induceret aliquis in animum suum; verum si horum temporum varietates, variaque monasteriorum fortuna attendantur, ut præsertim de Bifurcensi cœnobio observamus, in quo jampridem per Romualdum eremitæ & monachi instituti fuerant, hæc monumenta admodum conferre ad locorum historiam & ad illustrationem totius operis nullus non judicabit; præsertim, quia licet quælibet congregatio monastica per hæc tempora sui juris esset, & etiam monasteria nonnulla legibus & consuetudinibus propriis viverent, & minime addicta forent alicui congregationi, neque præses aliquis toti simul ordini Benedictino, sive variis congregationibus ejusdem ordinis jus diceret, fœdere tamen tam arcto ejusdem spiritus & regulæ sancti patris Benedicti sociabantur cœnobia alicujus provinciæ, ut frequentissime ex uno assumerentur monachi alterius monasterii ad locum regendum, immo nulla attenta coloris vestium diversitate albi monachi ad nigrorum prælaturas, & vicissim atri coloris ascetæ ad alborum monachorum curam suscipiendam indiscriminatim & promiscue evocarentur. Quod in progressu clarissime constabit.

Ann. Chr. 1105.

XXI. Joh. Laudensis eligitur ep. Eugubinus.

HUGONI episcopo Eugubino, cujus mentionem fecimus ad annum 1062. successisse in ea cathedra Dominicum anno 1070. asserit Ughellius, post quem præsedisse Eugubinæ ecclesiæ anno 1105. affirmat Johannem Laudensem, cognomento Grammaticum, qui tamen annum integrum in administratione demandati sibi officii non expleverit. Nobis vero compertum est ab anno 1061. ad præsentem annum pluribus vicibus pastore suo fuisse viduatam eam ecclesiam; eo primum anno 1061. qui fuit emortualis Rodulphi, in cujus locum suffectus fuit Hugo, quem dicimus hujus nominis primum; post Hugonem sedit Mainardus ad annum usque 1074. Iterum actum fuit de successore dando anno 1075. IV. nonas januarii indictione XIII. ipso enim tempore Gregorius papa VII. ad Feretranum & ad Eugubinum populos scribens significat se ea de causa misisse apostolicos legatos Gebizium seu Gebizonem abbatem sancti Bonifacii, & Maurum abbatem sancti Sabbæ, quatenus darent operam, ut idoneus pastor in iisdem ecclesiis eligeretur, ipsos propterea admonens, ut obedientiam præfatis legatis pontificiis impenderent, qui, ut diximus alibi, videntur elegisse Hugonem ejusdem nominis II. memoratum ad annos 1075. & 1076. in publicis chartis tabularii Eugubini. Post Hugonem ad eam cathedram postulatus fuit Dominicus Avellanensis monachus, & Dominico suffectus Rusticus, quem auxilio veterum monumentorum ejusdem ecclesiæ ad annum 1098. e tenebris eripuit Sartius. Demum post mortem Rustici vel etiam alterius episcopi, qui Rustico successerit, testimonio anonymi monachi Avellanensis scriptoris vitæ sancti Johannis Laudensis, vidua erat præsenti anno 1105. ecclesia Eugubina. Ad eligendum ergo hac postrema vice successorem in episcopatu Eugubino, una cum ceteris clericis & aliis abbatibus congregatis evocatus fuit e sua eremo Avellanensi etiam Johannes Laudensis tam a primoribus ejusdem urbis, quam a Johanne apostolicæ sedis legato, qui Eugubii tunc aderat, & dum de providendo pastore idoneo deliberatur, ipse Johannes postulatur & invitus eligitur in episcopum. Rem sic narrat idem Avellanensis anonymus: *Talibus ergo virtutum exercitiis dum more suo Johannes instaret, apostolique instar, quæ retro oblitus,*

tus, momentatim in anteriora contenderet, a te Sancta Eugubinensis Ecclesia, necnon a Johanne Apostolicæ Sedis Legato, reverentissimo per omnia viro Eugubium accersitur, quatenus communicato vobiscum consilio de præficiendo vobis Pastore tractatus habeatur. Quo ille utpote caritate plenissimus, atque ut omnibus omnia fieret ardentissimus, quamvis ætate jam gravis, quamvis languoribus debilis, tamen non segnis approperat, diuque cui tanta imponenda sit sarcina, vobiscum tractare non cessat. Sed dum tanta res in crastinando discutitur, nec alia ad id perficiendi via idonea reperitur, ipse hoc tandem onus, quamvis invitus & obnitens, a vobis cogitur subire, qui alterum illo venerat onerare. Cui rei tametsi per sapientiam, & sanctitatem esset idoneus, pro corporea tamen debilitate molestiaque erat incommodus. Quid ergo flammata in Domini amore anima ageret? quodve tanto vallata populo confugium peteret? Certe cum sacri canones eis etiam, qui jam episcopantur, si dignam possint causam pertendere, successores non abnuant dare, rationabilius qui hoc nondum onus subierat, justis ab hoc subeundo causis excusabilis erat. Hinc scilicet effœto viribus corpusculo reclamante; inde validissima languoris molestia ratiocinante. At qui ab ipsa pueritia omne, quod erat, Christo consueverat tradere, nefas duxit non vinci ab ejus Ecclesiæ unanimitate: firmissime credens illum profecto ignem divinitus descendisse, qui tot animos in ejus electione conflasset: nec de impotentia jam causatur, cui omnipotentis voluntas suffragium pollicetur. Qui enim in se nihil potest, quid in Domino non potest?

Ann. Chr. 1105.

XXII. Exercitia episcopalia ipsius

Electus itaque Johannes communi omnium acclamatione & lætitia Eugubinus episcopus consecrationis munus accepit a Paschale papa II. deinde totus sollicitus circa commissum sibi gregem, immo ad vicinarum etiam ecclesiarum populos extendens curam suam, exercitiis episcopalibus, & verbo præsertim prædicationis impigre incubuit. Auctor alterius vitæ ejusdem sancti Johannis statum nobis describit, in quo tunc versabatur ecclesia Eugubina. *Tunc temporis*, inquit, *marchiones, comites & milites in arcibus, & castellis & casalibus commorantes, & sub Romana republica militantes, pedagia & tributa a minoribus exigebant sibi dari, & vectigalia sibi reddi, & alia servitia sibi fieri. Et vir Dei Johannes pius pastor & spiritualis pater afflictos & oppressos filios, quantum poterat, adjuvabat, sustentabat & confortabat, & ferocitatem dominorum sua humilitate & precibus mitigabat, & a vitiis eos refrænabat.* Addit insuper de Johanne hic idem auctor, quod *eamdem morum gravitatem & religionis observantiam, quam prius in eremo tenuerat, conservavit in episcopatu.* Sed anonymus Avellanensis fusius exponit exercitia episcopalia Johannis dicens: *Volens ergo nosse vere Dominum habuerit complicem, attendat, quid tantillo in tempore egerit, & ab omni mox scrupulo conticescet. Mox namque ut divina Eugubium miserante clementia, a sanctissimo papa, secundo scilicet Paschale, in antistitem consecratur, tanta basilicas instantia dedicare, pueros consignare, omniaque omnino episcopalia peragere nititur, ut nisi ætatem cerneres, pubescere forte putares. Nec in sui tantum episcopii angustiis contentus id agere, per quæcumque, secundum canonicas regulas, collimitanea invitatus idem Christo largiente infatigabilis operatur. Ad hæc divini pugionem verbi, quem tamdiu acuerat, tempus nunc cœlitus nactus in girum rotat, ardetque vivas a mundo messes metere, ut supernis eas valeat horreis infercire. Ad quod tam egregium opus, quamvis multi a domino messis videantur conducti, perrari, proh dolor! reperiuntur idonei. Huic namque negotio, ut digne quis possit instare, a semetipso necesse est principium sumere, Domino dicente: Ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicies, ut educas festucam*

Ann. Chr. 1105.

de oculo fratris tui. Quia videlicet donec quis terræ inhæret, impossibile est, ut a terra alterum secet. Hinc Dominus per Prophetam; gladii, inquit, ancipites in manibus eorum. Quis enim est iste gladius, nisi, teste Apostolo, sermo divinus? Per manus autem, quid intelligitur, nisi bonum opus, quod manibus exercetur? Quid ergo est gladium habere in manibus, nisi verbum Dei tenere in operibus? Hoc autem ille congrue peragit, qui ab omnibus se carnis & spiritus vitiis nititur sequestrare, & per geminæ caritatis alas in alta sustollere. Hinc est enim, quod alteri Prophetæ falx volans ostenditur, per quam non nisi sermo divinus identidem figuratur; quia videlicet falcis more, quos a terrenis vitiis desecat, alas sumere docet, ut ad cœlestia tollat. Hanc ergo, quia a primævo Johannes tempore manibus bajularat, sui jam securus, quocumque se verteret, in alios exerebat.

XXIII. An Ubaldo sacerdotium contulerit?

Ferrarius in suo martyrologio existimat Johannem Laudensem tempore sui episcopatus ad se evocasse e domo canonica sancti Secundi Eugubii, ubi, tunc morabatur, sanctum Ubaldum, post viginti & tres annos futurum sanctissimum in episcopatu Eugubino sui successorem, eumque sacerdotio initiasse. Idipsum asserunt fere omnes Eugubinarum rerum scriptores. In tabula altaris existentis in cathedrali Eugubina, & eidem sancto Johanni dicati visitur sanctus episcopus Ubaldo sacerdotii honorem conferens. Immo in vita sancti Ubaldi hæc de ipsis Johanne & Ubaldo proferuntur: *Videns autem beatæ memoriæ Johannes grammaticus, prædictæ civitatis episcopus, religiosæ conversationis adolescentem,* (Ubaldum) *ad ecclesiam suam eum studuit revocare, & gravitati ejus paterno amore congaudens, sæpe illum secum faciebat manere* &c. *Cum autem Dei famulus adolescentiæ annos seniliter transisset, & morum illum gravitas omnibus commendaret, in prædicta ecclesia sanctorum martyrum Mariani & Jacobi prior efficitur, & prælationis ecclesiasticæ dignitate communi omnium voto honorifice sublimatur.* Sed satis clare constat Teobaldum Ubaldi successorem in Eugubino episcopatu, cujus fœtus est illa Ubaldi vita, distinguere tempora adolescentiæ Ubaldi sub Johanne Laudense, & tempus, quo adolescentiæ annos seniliter transierat. Adolescentiæ tempore Johannes Ubaldum ex canonica sancti Secundi ad canonicam cathedralis ecclesiæ evocavit, ut sub oculis propriis educaret. Post transactos autem adolescentiæ annos, & consequenter post mortem Johannis episcopi, qui uno dumtaxat anno in regimine Eugubinæ ecclesiæ perduravit, prior effectus fuit Ubaldus ecclesiæ sanctorum martyrum Mariani & Jacobi, nam Teobaldus inter utrumque factum interserit narrationem consilii cujusdam Ubaldi amici, qui eum interea ad uxorem ducendam allicere & persuadere tentabat. Manu recentiori ad alteram vitam sancti Johannis additur: *Temporibus istius beati Johannis episcopi Eugubini beatus Ubaldus juvenculus erat, & virgo purissimus, & literas didicit bene ecclesiasticas prius in canonica sanctorum Mariani & Jacobi, & postea in ecclesia sancti Secundi. Si vero iste fuerit Johannes grammaticus episcopus, qui beatum Ubaldum revocavit ad suam ecclesiam, vel alius episcopus sic vocatus, determinatum non invenimus.*

XXIV. An dedicaverit ecc. S. Salvatoris de Monte-acuto?

Consecrata asseritur hoc anno ecclesia monasterii sancti Salvatoris Montis-acuti in territorio Perusino, de quo plura diximus ad tempora sancti Romualdi & sancti Petri Damiani, quæ hodie appellatur abbatia Montis-coronæ, & sedes est eremitarum nostrorum Coronensium. Lapidea profertur inscriptio, in qua hæc leguntur:

ANNO.

Ann. Chr. 1105.

ANNO. DOMINI M. CV. V. NONAS. AVGVSTI
JOANNES. EPISCOPVS. HANC. ECCLESIAM. CONSECRAVIT
IN. HONOREM. SANCTAE MARIAE. SANCTAE. SOPHIAE
ET. FILIARVM. EIVS. SANCTAE. AGNETIS.
ET. OMNIVM. MARTYRVM.

Idem Ferrarius & Piccotius in historia mss. Eugubina existimant Johannem Eugubinum episcopum nostrum ecclesiam hanc dedicasse. Idipsum asserit Cantalmadius alter collector antiquitatum urbis Eugubii, qui insuper præter inscriptionem, quam affirmat in fornice prædictæ ecclesiæ extantem, superaddit memoriam hujus consecrationis adnotari in chartula, quæ asservatur in archivo præfatæ abbatiæ. Verum duo sunt, quæ dedicationem hanc peractam præsenti anno non fuisse a Johanne Laudensi episcopo Eugubino adstruant. Primum, quod cum ecclesia sancti Salvatoris de Monteacuto esset, & nunc etiam sit constituta & posita intra diœcesim Perusinam, ad Perusinum episcopum spectasset hujus ecclesiæ consecratio, non ad Eugubinum, qui postremus si consecrasset, nomini suo nomen cathedræ quoque suæ addidisset, cum consecrationes ecclesiarum ad antistitem diœcesanum pertineant; quamvis ex suprarelato anonymi Avellanensis testimonio intelligamus Johannem Laudensem factum episcopum Eugubinum *basilicas per quæcumque collimitanea summa instantia dedicare* consuevisse; ex altera vero parte nullus per hæc tempora esset Perusinus episcopus Johannes nomine. Secundum vero, quod potest opponi in hoc facto, est chronica nota V. *nonas augusti* anni 1105. qua die Johannes Laudensis nondum in Eugubinæ ecclesiæ episcopum fuerat consecratus; nam cum integrum annum in episcopatu non expleverit, & die VII. septembris anni 1106. ad superos evolaverit, post diem VII. ejusdem mensis anni 1105. auspicanda est ipsius consecratio in episcopum. Accedit impropria illa formula V. NONAS AVGVSTI. quæ exprimit ipsum diem kalendarum ejus mensis, neque alterum fere exemplum suppetit, quo dies kalendarum signetur per V. NONAS. Quare fortasse, qui primus inscriptionem exemplavit, male legit V. NONAS. AVGVSTI. cum scriptum esset NONIS. AVGVSTI. & facile in marmore vel in chartula detrita est unitas, & loco anni M.C.V. V. NONAS. AVGVSTI. legebatur M. C. VI. NONIS. vel NONAS. AVGVSTI. itaut unitas ad annum incarnationis, non ad nonas pertineret, neque numerum V. referret, sed unitatem I. Qua emendatione admissa potuerit Johannes basilicæ consecrationis munus impendere anno 1106. quinta die augusti, qua adhuc vivebat, defunctus tantummodo sequentis mensis septembris die septima.

XXV. Alia, quæ eidem episcopo tribuuntur.

EIDEM Johanni Laudensi episcopo a præfato Ferrario & a ceteris historicis Eugubinis tribuitur erectio hospitalis sanctæ Crucis Eugubii, in quod suos Avellanenses monachos introduxerit; hanc nihilominus erectionem a Johanne Laudense factam aliqui opinantur eo tempore, quo nondum episcopus præfecturam Avellanensem adhuc obtinebat. Variant etiam in determinando situ hujus hospitalis, putantes alii hospitale hocce esse ecclesiam illam, quam Eugubini *Maestadella* appellant, alii eam, quæ Mercati vel Mercatalis dicitur. Utraque hæc ecclesia ad jus Avellanensium, & postrema etiam ad jus Camaldulensium usque ad præteritum seculum perseveravit.

Quoad regimen Avellanensis cœnobii, in locum Johannis Laudensis vel hoc

Ann. Chr. 1105.

hoc anno, quo assumptus fuit ad cathedram Eugubinam, sed probabilius anno 1101. post quem non amplius apparet ipsius nomen in tabulis Avellanensis monasterii, prior ejusdem loci electus fuit Baruntius, & post Baruntium Rainerius, cujus postremi nomine signantur paginæ post kalendas februarias hujus anni 1105. usque ad annum 1123. Officium itaque prioris Avellanensis dimisisse videtur Johannes eo anno 1101. & Baruntio resignasse, qui ad paucos annos vel vixerit, vel præfuerit, & hoc anno obierit, vel magistratu se abdicaverit. Baruntii obitus adnotatur in necrologio Avellanensi ad diem XI. februarii his verbis: *Obiit Baruntius sacerdos & monachus nostræ congregationis & prior eremi.*

XXVI. Paschalis II. insigne privilegium pro Camaldulensibus.

Memorabili privilegio Martinum priorem venerabilis, ut vocat, eremi Camaldulensis ditat hoc *anno millesimo centesimo quinto* XXII. *aprilis indictione* XIII. *pontificatus* sui *anno* VI. Paschalis II. Rom. pont. Datum est ipsum Laterani per manum Equitii agentis vicem cancellarii, & scriptum per manum Rainerii scriniarii, regionarii & notarii sacri palatii. Apostolica auctoritate idem supremus antistes munit eremum, quæ dicitur Campus-amabilis cum universis cellulis ei adjacentibus, & cum omnibus bonis, quæ legitimis fidelium donationibus oblata fuerant hactenus sacro loco. Hæc autem propriis nominibus recenset: *Monasterium sancti Donati, quod dicitur Fons bonus, cum hospitio & curtibus suis*, monasterium scilicet Camalduli-majoris dicatum sanctis martyribus Donato & Hilarino, diversum ab eremo, quæ consecrata erat in honorem sanctissimi Salvatoris, cujus etiam monasterii Fontis-boni & eremi Camaldulensis curtes, bona & prædia enumerat cum castris & ecclesiis in iis positis. *Preterea monasterium sancte Marie de Poplena cum ecclesiis* &c. Hujus cœnobii traditionem factam eremo Camaldulensi attulimus ad annum 1099. *Ecclesiam sancti Salvatoris sitam Florentia*; de ipsa egimus sub anno antecedenti. *Sancti Petri ad Arretium*, dicti scilicet *minoris*, cujus ecclesiæ diximus plura seculo præterito. *Sancti Petri apud Funtianum*; hujus cœnobii origines dedimus ad annum 1085. *Monasterium sancti Frigdiani apud Pisas*; de hoc omnia collegimus ad annum 1076. *Monasterium sancti Petri de Luco*; de quo disseruimus annis 1085. & 1086. *Sancti Petri de Puteolis*; loquuti sumus de ipso monasterio primum ad annum 1058. & ad sequentes annos. *Ecclesiam sancti Savini in loco Chio*; de hac ad annos 1063. & 1066. *Monasterium sancti Bartholomei in Anglario* &c. cujus primordia protulimus anno præcedenti 1104. *Ecclesiam sancti Petri de eremo, que est Fajoli*; de hac verba primum fecimus sub anno 1082. *Monasterium sancti Quirici de Fojano*, de quo ad annum 1086. & cœnobium *Sancti Georgii de Murro*; cujus loci initia adduximus ad annum 1079. Non omnia tamen monasteria enumerat Paschalis, quæ tunc subjecta erant eremo Camaldulensi; immo neque ea nominat, quæ recensentur in antiquioribus privilegiis Alexandri II. & Gregorii VII. Cerretanum scilicet sancti Petri, & Pullicianum sanctæ Mariæ in agro Volaterrano. Omittit præterea monasterium Insulanum in Galeata, Berardingorum in agro Senensi, Rotense in Arretino, abbatiam Triviensem in Sarsinate, abbatiam sanctorum Hippolyti & Cassiani de Carisio in territorio Volaterrano, ecclesiam sancti Angeli de curte Luponis, canonicam sancti Michaelis in suburbio Arretino, & alia loca, quæ certe ante hunc annum, ut notavimus suis locis, reformationem & directionem susceperant eremi Camaldulensis, ut proinde nequeat ex hoc privilegio argumentum desumi alia, præter recensita, monasteria tunc temporis non fuisse regimini ejusdem Camaldulensis eremi vel congregationis subjecta. Vult præterea idem Romanus pontifex, ut nulli episcoporum

liceat

liceat priores aut congregationis Camaldulensis monachos absque canonico judicio excommunicationi subjicere. Ex autographo tabularii sancti Blasii de Fabriano edimus in Appendice ipsum privilegium, ex quo sigillum plumbeum adhuc pendet cum lemmate: PASCHALIS. PP. II. VERBO DOMINI CAELI FIRMATI SUNT.

ANN. CHR. 1105.

XXVII. Refutationes factæ Camaldulensibus & Anglariensibus.

VENERUNT hoc *anno Dominice incarnationis millesimo centesimo quinto mense madii regnante Henrico rege indictione tertia decima* in castrum Anglarii in plebe sanctæ Mariæ de Micciano, & in præsentia multorum judicum & aliorum virorum, Ildebrandinus filius Rolandi, & Ugo filius Ildibrandi comitis de Monte-dolio, & Ardimanus filius Widonis de Pilistrino, & Teuzo filius Pagani, & Tiveri filius Rustici, & Ugo filius Bernardi de Urbino, qui omnes cum cognati essent Bernardini filii Sidoniæ, per virgam, quam præ manibus tenebant, refutaverunt Martino priori Camaldulensi, atque Anglariensi ecclesiæ, *que edificata est in bonore sancti Bartholomei*, omnes terras, vineas, ecclesias, castella, homines & *hominagia*, quæ Bernardinus Sidoniæ olim possedit, sub pœna librarum centum. Receperunt autem ab eodem priore Martino, & ab Imeldina vidua quondam uxore Bernardini Sidoniæ, quartam partem curtis Montis-viridis, curtis de Casaprati, & medietatem villæ de Tizona, Bibbiona &c. spondentes se deservituros præfatæ ecclesiæ Anglariensi & priori, *sicut mos est servire abbatibus*. In altera pagina clarius exprimuntur res a Martino priore concessæ præfatis proceribus; medietatem scilicet concessit iis villæ de Tizona cum curte sua, duas partes villæ de Bibbione cum curte sua, & duos mansos in Casaprati, quorum *capitantia* erat inter ecclesiam sanctæ Floræ, & ecclesiam sancti Angeli, & sancti Laurentii de Casaprati, & duos mansos in curte de Anglare in villa Amotæ, & in Colcello, in Casale & in Casanova, *exceptis semper ecclesiis & castellis, & guaitis & totum servitium de castello & datiis*. Vetavit insuper, ut nullo modo liceret ipsis vendere, alienare & oppignorare ea bona sine licentia rectoris predictæ ecclesiæ, sed semper fideles esse deberent ipsi & eorum hæredes jamdictæ ecclesiæ ejusque rectoribus, & facere ea servitia, præstareque eum honorem, quæ laici solent & debent facere & præstare clericis, & ecclesiis pro beneficio feudi. At si qui eorum mortem oppetierint sine liberis, portio bonorum, quam obtinuerint, revertatur ad ecclesiam præfatam Anglariensem. Varia statuta sequentibus annis facta Anglariensibus a prioribus Camaldulensibus, referentur suis locis.

XXVIII. Placita comitissæ Mathildæ pro monasteriis Camaldulensibus.

CUM comitissa Mathilda esset in loco *Venga*, assidentibus cum ea pluribus judicibus, hoc *anno millesimo centesimo quinto mense octobris indictione decima quarta*, mutata mense septembri, venit Gherardus comes filius Suavizzi, & reddidit ac restituit possessionem terrarum & castrorum, quæ Zabulina, Parentia & Gasdia filiæ Landolfi comitis olim obtulerant ecclesiæ sancti Petri de Luco, eamque transtulit in presbyterum Gherardum vice ejusdem parthenonis recipientem, spondens se, neque ejus hæredes ullam exinde molestiam illaturos eidem monasterio, sicut Ardericus judex disposuit, sub *banno* sive pœna imposita a comitissa Mathilda, si præfatus Gherardus comes præsumpserit de cetero supradictum monasterium & res ipsius invadere. Similiter eodem *anno & mense indictione duodecima*, quæ tamen emendanda est, & reponenda vel *decima tertia*, vel *decima quarta*, cum esset eadem Mathilda comitissa & *ducatrix* in villa Sevis ad causas audiendas & deliberandas, in præsentia multorum judicum, misit *bannum* etiam super Ubaldinum filium Azonis in defensionem prædicti monasterii sancti Petri, quoad res & terras, quas eædem comitissæ Zabulina, Pa-

Ann. Chr. 1105.

Parentia & Gasdia in præfatam ecclesiam contulerant, & mandat observari omne id, quod supradictus Ardericus judex decreverat, qui insuper judex testatus est, se ea de causa mandasse Orlando filio Contarii, ut præfatorum bonorum possessionem acciperet pro dicta ecclesia & parthenone sancti Petri de Luco. Gherardus comes idem videtur, cujus nomen legitur in chartula anni 1097. apud Brocchium [a] in descriptione provinciæ Mucellanæ. Dicitur enim in ea Guidonem comitem filium bonæ memoriæ Guidonis comitis tradidisse Rozoni præposito canonicæ sanctæ Reparatæ *medietatem castelli Campiani cum curte & cum ecclesia sancte Marie, cum sortibus illis, seu servis & ancillis, sicut Gherardo comes dedit. Actum in civitate Florentie, in foro qui dicitur veteri*. Ejus majores, lege viventes Langobardica, Gherardus scilicet filius quondam Suavizzi & Lisarda ipsius conjux leguntur in chartis tabularii nostri Lucensis plura bona emisse in ea Mucellanæ regionis parte ad annos 1013. 1021. & 1025. Ad ipsorum proinde stirpem pertinet Gherardus comes nominatus in charta præsentis anni. Utrumque placitum ex tabulario ejusdem parthenonis in Appendice edimus, cum tertio pro abbatia Puteolana ex archivo capitulari Lucano; nempe *sexto idus julii indictione* XIII. *anno millesimo centesimo quinto*, cum esset eadem comitissa Mathilda in territorio Lucensi & in villa Foxana in domo Roberti filii Marini, & resideret cum pluribus judicibus, ad ejus præsentiam venit Petrus abbas monasterii sancti Petri de Puteolis una cum Fralmone advocato suo, conquerens Ildibrandum filium quondam Pagani de Corsena injuste detinere res, quæ ad monasterium suum pertinebant, precesque obtulit eidem comitissæ, ut eas sub pœna proclamari faceret. Quæ misit *bannum duorum millium aureorum, medietatem camere domine comitisse, & medietatem eidem monasterio*. Unus ex judicibus, qui se ad calcem placiti signavit, hunc versum apposuit:

Subscripsi dictis judex Bonus omnibus istis.

Inter ceteros vero placito adstantes legitur quidam comes Albertus, facile Albertus comes de Prato. In omnibus his judicatis solita Mathildæ comitissæ se subscribentis formula reperitur. MATILDA. DEI GRATIA. SI. QVID. EST. literis cruce intersecatis. Mathildam hoc anno mense octobri in Thusciam profectam fuisse asserit ex Mellinio & Ractio etiam Florentinius. Ex monumentis allatis liquet mensibus octobris & novembris Mathildam Lucæ substitisse, & Thusciam visitasse hoc anno, antequam in eamdem provinciam se reciperet Romanus pontifex Paschalis II. ob cujus in Thusciam adventum prope anni finem putat Muratorius [b] tantummodo etiam Mathildam comitissam iter illud versus eas partes suscepisse. In notarum additione [c] ad monumenta comitissæ Mathildæ collecta a Florentinio legitur Mathildam etiam anno 1103. in loco Marture pro eodem Petro Puteolensi abbate judicasse aliquot jura bonorum in Saturno. Mathilda dicitur in eo placito *presidiatum* habens *in Thuscia* III. *idus novembris indictione* XII. ex tabulario eodem Lucano signato S. numero 150. Petrus abbas successor datus fuerat Wilielmo, quem memoravimus priorem ejusdem monasterii sub anno 1098. Quare veri speciem habet ipsum monasterium Puteolense, quod vidimus hoc eodem anno recensitum a Paschale II. inter cetera Camaldulensia monasteria, ex prioratu evectum fuisse in abbatiam a Martino priore Camaldulensi.

a Pag. 175.

b Ann. T. VI. p. 345.

c Pag. 460.

XXIX. Chartæ Sanvictorianæ & Pisanæ.

ANNO *ab incarnatione Domini millesimo centesimo quinto, & regnante manno Enrico nostro imperatore & die mense ..... per indictione* IIIX. idest tertia-decima, Vivo filius Amici, & Acto filius Johannis offerunt monasterio

ANN. CHR. 1105.

ſterio ſancti Victoris de Cluſis, & Petro venerabili abbati res ſuas poſitas in comitatu Camerinenſi in loco dicto *Murru*. Eodem *anno menſe januario indictione tertiadecima* Bucco comes filius Sifredi nobiliſſimi comitis, & Diadicta ejus uxor eidem Petro abbati pro ſua portione, & Muſconi filio Carbonis, Ugoni, Albrico & Bernardo filiis Gualfredi, Gozio filio Ugonis, ac Albrico & Actoni filiis Ugonis pro aliis portionibus fidem ſuam obligant, quod circa caſtellum *de Petra-ficta* non facient ipſi, nec eorum homines prædam, nec *aſſaltum*, nec furtum, immo ſpondent ſe præfatum caſtellum defenſuros ab invadentium moleſtiis, nec vendituros aut donaturos, nec pro anima judicaturos, niſi inter ſuos hæredes, & alterum alteri, aut ipſi monaſterio ſancti Victoris; venditum vero donatum aut judicatum alio modo revertatur pro ſua portione ad præfatum monaſterium, & pro ceteris portionibus ad alios conſortes; atque *ad ſancta Dei evangelia* juravit Ugo filius Bucconis comitis pro ſe & pro *friaſtris* ſuis, & pro genitore ſuo ſuiſque hæredibus obſervaturum, quod ſuperius ſcriptum eſt. Eodem *anno die & menſe per indictione* XII. ſed legendum XIII. idem Petrus abbas ſancti Victoris, conſenſu habito omnium monachorum ſuorum, & inſuper præfatorum conſortum, ſecundum eorum legem Romanam & Langobardicam, paginam obligationis conſcribit præfato Bucconi comiti, eodem ſacramento ſe obſtringens circa idem caſtellum de Petra-ficta, quo ipſi abbati & aliis conſortibus ſeſe obſtrinxerat Bucco. Nominatur in hac ſecunda charta monaſterium ſanctæ Crucis; non certe illud, quod erat prope oppidum Saxi-ferrati haud multum diſſitum a cœnobio ſancti Victoris, quodque poſt præſens ſeculum fundatum fuit.

Cum litem Piſani quidam cives haberent cum monaſterio ſancti Michaelis in burgo Piſarum, ad contentiones tollendas convenit inter ipſos & inter abbatem ejuſdem cœnobii, ut jurejurando lis dirimeretur. Caſtaldius itaque monaſterii ſacramento teſtatus fuit terras quaſdam, de quibus erat controverſia, pertinuiſſe olim ad Ardiccionem, qui monachus factus fuerat ejuſdem loci. Chartam hanc pro addiſcendo more hujus temporis in civilibus concertationibus recudimus in Appendice ex Grandio noſtro, [a] qui eam ex tabulario ipſius cœnobii protulit in ſua Appendice monumentorum ad epiſtolam de Pandectis.

[a] *Pag.* 168.

XXX. Obitus B. Johannæ Balneenſis.

FERUNT nonnulli præſenti anno M.C.V. ad Deum evolaſſe beatam Johannam Balneenſem ſanctimonialem parthenonis ſanctæ Luciæ in eodem oppido ſiti. Id arguunt ex characteribus & numeris impreſſis ſuper ipſius marmoream arcam, quos annum M.C.V. reddere arbitrantur. „ Johanna, „ teſte Fortunio [b], ex quo iſta depromimus, Balnei orta fuiſſe dicitur, & „ virginitatem ſuam Domino Jeſu-chriſto ab ineunte ætate devoviſ- „ ſe; non deſunt, qui eam ex Fonte-cluſo apud oppidum Sancti-Bene- „ dicti natam credant. Venit beata virgo Johanna ad converſionem „ ad cœnobium ſacrarum virginum ſanctæ Luciæ, quod in ſuburbio Bal- „ nei olim celebre vigebat, ordinis ſancti Benedicti, famulataque eſt vir- „ go ſacra Chriſto ſponſo interiori affectu ſpiritus, & maceratione carnis „ caſte & pie quaſi in abſcondito multos annos. Denique ad extremam „ veniens horam, dum feliciſſimam animam cœlo redderet, ecce per to- „ tum oppidum audiuntur campanæ per ſe eminus pulſari, compertaque „ dormitione virginis ſacræ, celebrantur exequiæ illius magna totius po- „ puli devotione, corpus vero venerabile in lapidea arca conditum. De- „ ſtructo deinde ejus cœnobio (nam ex eo die locus de ejus nomine no- „ men ſervabat, & adhuc hodie ſervat) venerabile corpus ad plebem „ translatum eſt in eadem arca, in qua ſculpta eſt crux cum quibuſdam cha-

[b] *P. II. lib. III. pag.* 133.

Ann. Chr. 1105.

„ characteribus, qui tempus designant, sed non bene intelliguntur. Aliqui „ tamen annum M. C. V. indicare existimant. “
Eadem opportunitate addit & ista Fortunius: „ Circa finem seculi XV. „ Benedictus Tenaccius abbas Balneensis dedit operam requirendo corpori „ beatæ Agnetis, quæ Sarsinæ oriunda fuisse perhibetur; quiescitque in „ templo castri Pereti-parvi, ejus corpus ad abbatiam transferendi causa, „ ubi est ejus altare, quod a Balneatoribus multa aditur devotione. Fe„ runt enim, quod in die ejus natalis aquæ Balnearum extra morem lu„ cem emittere solent & concrescere. Unde ejus memoria celebris decre„ to municipali quoque redditur. Sed quibusdam emergentibus perturba„ tionibus, negotium conficere non valuit. “ Quoad Johannam etiam Ractius testatur ab aliquibus existimari characteres exsculptos, quod minus clari & distincti sint, annum M. C. V. significare. Ferrarius quoque eam obiisse scribit XVII. kalendas februarii, anno post Christum natum M. C. V. Idem habent Arnoldus Wion, Dorganius & Menardus. Ex ipsis alii Beatæ titulo sacram virginem condecorant, alii Sanctæ. Præfati auctores agunt de Johanna ad diem I. junii, quæ fuit translationis dies. Subdit Ractius anno 1506. die XX. augusti cum Balnei oppidum pestifero morbo laboraret, oppidanos novam beatæ Johannæ capsam fabrefecisse, novumque extruxisse sacellum cum sequenti epigraphe, quam & nos pluries legimus:

DIVAE. JOHANNAE. OB. PATRIAM
A. PESTE. VENDICATAM. OPPIDANI
VRNAM. HANC. EREXERVNT
ET. HVC. TRANSLATA. JACET.

Demum Ferrarius hæc de beata Johanna narrat; „ Illud silentio non præ„ tereundum, quod cum quidam clam reliquiarum partem noctu abstulis„ sent in suam ipsorum patriam deferendam, cum per totam noctem in„ cedentes longe a Balneo distare se arbitrarentur, mane se ad Balneensis „ ecclesiæ januam invenere. Quare ea re perterriti crimen confessi, bra„ chium, quod abstulerunt, restituerunt. “ De Johannæ sacri corporis translationibus, & potissimum de prima sollemniori, quæ contigit tempore Gerardi prioris Camaldulensis anno 1287. ad eum annum fuse agemus.

Ann. Chr. 1106.

XXXI. Johannis Laudensis ep. Eugubini felix mors.

Breve admodum fuit Johannis Laudensis in Eugubino episcopatu vitæ tempus. Antequam compleretur annus a die suæ consecrationis, in cœlum evolavit mense septembri hujus anni, præmia recepturus suorum bonorum operum & laborum, quos subierat tum pro adaugenda monastica & eremitica disciplina, dum monachum ageret, tum pro utilitate concreditæ sibi ecclesiæ factus episcopus. Paucis exponit ejusdem obitum anonymus Avellanensis: *O quam felix*, inquit, *Eugubina Ecclesia esses, si diu te talis patroni vigilantia gubernasset. Ille certe cœlesti te sponso, forma præ filiis hominum specioso, non solum sine macula formosam exhiberet, sed etiam sine ruga satageret. At aliter divina super hoc providentia censuit, quæ ante peractum consecrationis suæ annum tanto te Pastore privavit. Cum enim, sicut scriptum est, flagellat Deus omnem filium, quem recipit, jugi sui corporis molestia vapularet, & carnis ergastulum egressura nullius vel levis peccati nævus obsisteret; adeo ei circa Septembris Calendas solito impentius incubuit, ut VII. earumdem Idus te illo viduarit: teque in hoc* mundi

mundi laborante exilio, ille, ut confidimus, potiore sui parte triunfat in Regno. De cujus mihi vita, chariſſimi Patres, & Domini, quia ut ſcriberem juſſiſtis, ecce ut præſumerem extorſiſtis. Etſi enim non feci ceu debui, facere tamen ſategi, quod potui.

Ann. Chr. 1106.

XXXII. Expenduntur, quæ certa, quæ incerta ſint de ipſo.

De Johannis Laudenſis epiſcopi ætate, ac de anno, quo ejus obitus contigit, aliqua ex Sartio hoc loco addenda. Ipſe nimirum vitam ejuſdem ſancti epiſcopi Æſii in lucem protulit anno 1748. vel melius vitam a coævo monacho Avellanenſi ſcriptam, quam doctis animadverſionibus & adnotationibus illuſtravit, primus e tenebris eduxit. Rurſus poſt biennium hoc eſt anno 1750. a patre Ignatio Pinio S. J. acceptam, cui eam dederat idem Sartius, eamdem edidere in magna Actuum Sanctorum collectione ſocii Bollandiani ad diem VII. ſeptembris. Ut, quæ circumferuntur, ad veritatis normam exacta demonſtrentur, exploratiſſima quoad Johannem Laudenſem hæc oſtendit eſſe ex monacho Avellanenſi idem Sartius; videlicet Johannem, *poſt quam ephebi tempora tranſegiſſet*, *fervidum operarium mox contendiſſe ad eremum*, *ſacrumque monaſticæ profeſſionis arripuiſſe inſtitutum* in ſolitudine Avellanenſi; ipſum aliquot annis & poſtremis vitæ ſancti Petri Damiani, qui obiit anno 1072. *ſocium & comitem* beato viro adhæſiſſe; *quadraginta circiter annos* vitam pertraxiſſe in eremo Fontis-avellanæ; demum *non integro anno* ante obitum conſecratum fuiſſe Eugubinæ eccleſiæ epiſcopum. Ex quibus confici argumentum pene certum affirmat idem Sartius Johannem hoc anno 1106. poſtremum diem obiiſſe; ante annum ordinatum fuiſſe epiſcopum, & ante quadraginta annos, quorum ſeptem vel octo convixerit cum Petro Damiano, ipſum adiiſſe eremum Avellanenſem, anno nimirum 1065. vel ut nos ſupputavimus, anno 1064. Quoad annum obitus conveniunt omnes epiſcoporum Eugubinorum catalogi; inſuper rerum hujus urbis ſcriptores ad eumdem annum ipſius glorioſum tranſitum ſtatuunt. Auctor tamen vitæ alterius ejuſdem ſancti Johannis Laudenſis præciſum annum non figens tantummodo circiter hunc annum ipſum obiiſſe ſcribit: *Obdormivit*, inquit, *in Domino, & intravit in gaudium ſempiternum circa calendas ſeptembris, circa annos Domini* M. C. VI. *ſub domino papa Paſchali II. & Henrico VI.* (corrige V.) *imperante, quem venerabilem patrem domnum Johannem, ſicut eum Dominus in vita ſua ſanctitate & virtutibus fecerat clarum, ita poſt ejus obitum, ſignis & miraculis clarere fecit in tota regione.*

Quod vero affirmat hujus alterius vitæ auctor defunctum circa calendas ſeptembris, manifeſte patet ſcriptorem confundere primum diem mortalis infirmitatis Johannis cum die ipſius emortuali. Certa eſt itaque dies ipſius obitus VII. idus ſeptembris, & præter anonymi Avellanenſis teſtimonium, alterum habemus antiqui necrologii ſimiliter Avellanenſis, in quo ad diem VII. ſeptembris legitur: *Obiit domnus Johannes epiſcopus Eugubinus monachus noſtræ congregationis.* Sub eadem die notatur ejus nomen in kalendario ad breviarium vetus membranaceum, quod ad uſum fuit cathedralis eccleſiæ Eugubinæ his verbis: *Johannis de Loda epiſcopi confeſſoris.* Laudenſis etiam eccleſia, & congregatio Camaldulenſis celebrant ipſa die VII. ſeptembris ſancti Johannis feſtum.

Extremam ſenectutem Johanni tribuit idem auctor ſecundæ vitæ, octuaginta annos Ughellius, inſcriptio, quæ poſita fuit ſuper altare ſancti viri in cathedrali Eugubina eo temporis, quo translatum fuit ſacrum ejus corpus, octuaginta-octo; ſed ſi *fervidus operarius contendit ad eremum, poſt quam ephebi tempora tranſegerat*, ut ait anonymus, & quadraginta annos in eremo permanſit, unum autem in epiſcopatu, veri ſpeciem habet ad

ſexa-

Ann. Chr. 1106.

sexaginta & quinque circiter annos dumtaxat vitam produxisse Johannem. Quomodo insuper, ut observat etiam Sartius, octuagenario vel plusquam octuagenario viro, & ob carnis macerationes, incredibilesque pœnitentias fere attrito creditum & commissum fuisset regimen ecclesiæ Eugubinæ?

Fama vulgatum est sanctum virum Johannem paulo post beatam mortem miraculis pluribus ad ejus tumulum secutis a Paschale papa II. in Sanctorum canonem relatum fuisse, motum ad id agendum etiam supplicationibus Johannis legati apostolicæ sedis, & ejusdem Laudensis in Eugubina cathedra successoris, quod communiter ab auctoribus Eugubinis traditur. Irrefragabile tamen hujus rei argumentum non habetur. Plura mirabilia ab ipso tum vivente, tum defuncto patrata narrantur, sed evidens in primis signum ipsius sanctitatis ex eo deducitur, quod conspiciatur post sex secula cum dimidio incorruptum adhuc sacrum ejus corpus; ipsius pedes præsertim, quorum alter immediate osculandus exhibetur, colorem vividum & carneum, tamquam viventis adhuc retineant. Ignoratur, quando primum apertus fuerit ejus tumulus. Anno 1188. Bentivolus vel Benedictus episcopus Eugubinus a papa Clemente III. facultatem obtinuit transferendi ex veteri cathedrali in novam a se extructam basilicam sacras reliquias, & nominatim corpora sanctorum Mariani & Jacobi urbis protectorum; ea occasione facile translatum fuerit etiam corpus sancti Johannis episcopi, & apertum primo ejus sepulcrum, tunc etiam ædificatum fuerit super ejus sacrum corpus altare, intra quod jacuit usque ad medietatem præteriti seculi, quo Alexander Sperellus episcopus Eugubinus novam aram sancto episcopo antecessori suo Johanni honorificentissime construi mandavit, in qua ad hodiernam diem quiescit integrum corpus, uno excepto osse brachii, quod precibus cardinalis Francisci Taverna Laudensis Andreas Sorbolongus episcopus Eugubinus anno 1608. extraxerat, ut Laudensis urbs, quæ patria fuerat sancti Johannis, ditaretur, collocatum die XVII. martii anni 1613. in cathedrali basilica Laudensi a Ludovico Taverna ejusdem ecclesiæ episcopo & Francisci cardinalis patruo.

XXXIII. De anonymo Avellanensi monacho ejus vitæ scriptore.

Johanni Laudensi alter Johannes, Ughellio ignotus, in episcopatu Eugubino suffectus fuit, idem nimirum, quem diximus apostolicæ sedis legatum, quique curaverat ante annum, ut Laudensis eligeretur in episcopum. Id testatum videbimus infra ab anonymo Avellanensi. Vitæ alterius sancti Johannis Laudensis auctor cardinalitiam insuper dignitatem tribuit Johanni legato dicens: *Dei providentia actum est, ut legatus domini papæ domnus Johannes cardinalis sanctæ Romanæ ecclesiæ, per omnia reverendus & timens Deum, patriam ipsam visitando circumiens pervenit Eugubium*, sed Avellanensis monachus nullam dignitatem, præter legationis munus, Johanni assignat. Raro etiam cardinalibus Romanæ ecclesiæ per ea tempora tribuebantur episcopatus aliarum ecclesiarum, ut Eugubinam cathedram legimus post Johannem Laudensem tributam Johanni legato. Hic ergo Johannes legatus & episcopus factus Eugubinus monacho cuidam Avellanensi dedit in mandatis, ut vitam sancti antecessoris sui Johannis Laudensis scriptis traderet, accedentibus etiam voluntatibus aliorum monachorum Avellanensium, & civium Eugubinorum, quod testatur idem auctor in sequenti prologo, quem ad historiæ integritatem hic subjicimus.

Incipit prologus sancti Johannis confessoris Christi & episcopi.

Diu jam est quod, Sanctæ Eugubinæ Ecclesiæ filii, parvitatem meam non cessatis pulsare, ut de nostri vita Antistitis, jam in Domino morientis, Sancti scilicet Laudensis Johannis, aliquid vobis aggrediar scribere; nec putatis de eo silendum lingua, per quem divina vobis coruscare crebra narratis miracula;

racula; quatenus quia superstiti vobis jam non datur irrigari doctrina, ædificationi vestræ ut cognita proficiat vita. Atque dum alterum Jacob ejus oves perbibemini cernere, quasi ad virgarum ejus aspectum spirituales Domino filios possitis generare. Ceterum hoc, quod mihi injungitis, onus vires meas excedere ipsos vos non æstimo dubitare. Quippe cum sim inops scientiæ, vacuus sanctitate; ad hæc quia pro meritorum ejus magnitudine pauca me illius contigit nosse. Sed quia quandam typici argenti stillulam, Domino largiente, videor habere, nec eam tabernaculi ejus fabricæ, quæ vos estis, debeo non offerre; confidens in ejus misericordia, qui muta quondam animalia fecit facunda, vestris, dominorumque meorum, servorum scilicet Dei, cum quibus cohabito, jussibus, postremo Domini Johannis Apostolici Legati, religiosissimi per omnia Viri, ejusdem in episcopatu successoris, imperiis cum non audeam resistere, ecce quasi balbutiens incipio obedire. Vestrum autem sit, ut dignum possim aliquid de ejus vita proferre, id mihi divinitus precibus impetrare.

Ann. Chr. 1106.

Auctor hic vir est totus vitæ spirituali, compunctioni, & sui ipsius humiliationi deditus, & plus satagit docere perfectionis viam, quam historicas res tradere, abundat insuper sacrarum Scripturarum auctoritatibus, ut dicta sua confirmet. Ipsum edidit noster Sartius ex codice, sive fragmento codicis membranacei in magno folio, qui existebat in archivo Armanno Eugubii. Putant Eugubini auctores aliquot, eumdem Johannem legatum vitam alteram conscripsisse Laudensis, sed inverisimile id demonstrat Sartius. Cur enim Johannes legatus monachum Avellanensem interpellasset ad vitam scribendam Laudensis, quando vel ipse eamdem provinciam susceperat, vel eamdem vitam recudere meditabatur? Plures notitias, quas de Johanne Laudensi hactenus protulimus, eidem Sartio acceptas referimus, ad quem lectores remittimus.

XXXIV. Privilegium Gregorii ep. Arretini concessum eremo Camald.

Gregorius episcopus Arretinus egregio privilegio anno præsenti ditat eremum Camaldulensem, & Martinum ejus priorem. Testatur omnes antecessores suos veneratos esse sacram illam eremum *ut matrem*, se autem venerari *ut matrem & dominam, quia in episcopatu nostro*, subdit, *caput & perfectio est vere & summe religionis*; eremi autem priorem Martinum *dilectum & venerabilem patrem & magistrum* appellat. Concedit ergo vi sui privilegii omnia bona, quæ Bernardinus filius Sidoniæ, aut pater ejus ab ecclesia sancti Donati, vel a prædecessoribus episcopis tenuerant; nominatim autem plebem sanctæ Mariæ in Micciano, & quidquid præfati habuerant in castello & in curte montis Aurei, in Viario, &c. reservans tamen sibi & successoribus suis *synodum, capitulum, paratam, & penitentiam eorum, qui in sacro sunt ordine constituti, & per singulos annos Letanias, sicut moris est nostre ecclesie, & omnem canonicam obedientiam, salvo tamen in omnibus jure Camaldulensis eremi*. Largitur etiam feudum, quod alter Bernardinus & Feralmus ejus pater dederant annis 1090. & 1092. eremo Camaldulensi, & habuerant olim ab ecclesia Arretina. Demum confirmat quæcumque antecessores sui Arretini episcopi jure & canonice contulerant eidem eremo. Subscribit ipse *Gregorius Dei gratia Arretine ecclesie qualiscumque minister*; & post ipsum *Ugo indignus primicerius*. Post Ugonem se signat *Johannes prepositus*; vel Johannes successerat Henrico, qui præposituram obtinebat ante biennium, vel potius legendum *Henricus prepositus*. Deinde se subscribit *Maurus indignus Aritinus episcopus*. Ad annum 1012. diximus Maurum forte fuisse coadjutorem Gregorii in episcopatu Arretino, sed majori veritatis specie hic animadvertimus Maurum fuisse Arretinum episcopum post Bujanum ab anno 1136. & etiam

Ann. Chr. 1106.

etiam 1134. ad annum 1144. & ſubſcripſiſſe privilegio Gregorii epiſcopi, ut moris erat etiam aliarum eccleſiarum, ſcilicet ut epiſcopi ſucceſſores nomen quoque ſuum apponerent, & firmarent ſubſcriptione ſua anteceſſorum epiſcoporum privilegia. Demum ſubſcribunt *Gotizo canonicus & Bonus presbyter*. Datum fuit privilegium *in eremo Camaldulenſi* III. *idus octobris anno Dominice incarnationis milleſimo centeſimo ſexto indictione* XV. *pontificatus ejuſdem domni Gregorii epiſcopi anno ſecundo*. Inter teſtes legitur *Lamdulfus* frater prædicti epiſcopi; & in privilegio, quod autographum exſcripſimus ex tabulario Fontis-boni, & in Appendice edimus, adhuc viſitur locus ſigilli deperditi. Ad eumdem annum 1012. monuimus Mabillonium ejus fuiſſe ſententiæ primam hanc fuiſſe Camaldulenſis loci donationem factam eidem eremo, ſitumque, ubi fundata fuit eremus, ad jus pertinuiſſe Bernardini filii Sidoniæ, ſed ex jam dictis in hiſce Annalibus noſtris liquidò conſtat diſtinguendam eſſe donationem loci Camaldulenſis factam a Maldulo a donationibus epiſcoporum Arretinorum, & in hoc Gregorii privilegio nominari tantum inſignem donationem ante biennium factam a Bernardino filio Sidoniæ, quæ alia loca eremo tradita, præſertim in Anglarienſi caſtro, & non locum proprie dictum Camaldulum, complectebatur, quæque ſeculo integro poſterior fuit fundatione ejuſdem eremi Camaldulenſis.

XXXV. Quid ſint Synodus, Capitulum, Parata, Litaniæ, Pœnitentiæ?

Quod ſpectat ad *ſynodum*, *capitulum*, *paratam*, *pœnitentiam* & *litanias*, quæ omnia in allato privilegio ſibi, & ſucceſſoribus ſuis reſervat Gregorius epiſcopus, quandoquidem hoc primum anno occurrunt in hac noſtra hiſtoria, ſed frequentiſſime exinde, immo non ſolum in noſtra, ſed in univerſali monaſtica & etiam eccleſiaſtica hiſtoria, breviter explicandæ hæ voces. *Synodus* erat cenſus, qui epiſcopo a clericis venientibus ad annuas ſynodos, quibus intereſſe tenebantur, pendi ſolebat. Antiquiſſimus eſt is uſus, ſed aliquando monaſteria ab hoc cenſu eximebantur ab epiſcopis. Videatur vetus exemplum apud Mabillonium [a] Aimmonis archiepiſcopi Bituricenſis abſolventis monaſterium Navenſe; & aliud apud nos Conſtantini epiſcopi Arretini abſolventis eccleſias Camaldulenſibus ſubjectas ad annum 1096. horum Annalium. *Capitulum* erat virorum eccleſiaſticorum minus ſollemnis congregatio; & fiebat potiſſimum in capite quadrageſimæ, in ſabbato de ſymbolo, in dominica palmarum & in ſabbato ſancto. *Paratæ*, dictæ etiam manſiones, erant expenſæ, quas pro epiſcoporum receptionibus fieri decebat. Si parata erat regalis, & rex vel imperator excipiendus eſſet, appellabatur *Fodrum*. *Pœnitentiæ*, quas *confeſſiones* pariter vocabant, erant æmolumenta, quæ proveniebant ex confeſſionibus peccatorum. Cum enim his temporibus pro peccatis redimendis, præter jejunia, peregrinationes, diſciplinas aliaque pia exercitia, mulctæ pecuniariæ ſolerent imponi tam ſanis, quam lecto decumbentibus & morti proximis, decretum fuit in multis diœceſibus, ut redemptiones ſeu oblationes factæ pro pœnitentiis impoſitis privatis perſonis in beneficium converterentur earum eccleſiarum & monaſteriorum, apud quæ peccata ſua deponebant pœnitentes viri, ſed oblationes eccleſiaſticorum virorum, qui erant conſtituti in ſacro ordine, & peccata ſua redimebant, ad epiſcopum & ad epiſcopalem eccleſiam pertinerent. *Litaniæ* demum erant ſupplicationes, vel annuæ, vel multoties in anno repetitæ ad majorem vel ad alias eccleſias, juxta varios eccleſiarum uſus, quarum tempore oblationes a fidelibus exhibebantur. De Litaniis ſeu viſitationibus plebium, quæ ad cathedralem Arretinæ urbis baſilicam devotionis ergo ſe conferebant, & donaria ſua ibidem relinquebant, videatur Grazinus [b] in Vindiciis ſanctorum martyrum Arreti-

a Annal. T. IV. pag. 441.

b Pag. 82.

retinorum. Legi potest etiam dissertatio [a] Muratorii *de cleri & ecclesiarum immunitatibus, privilegiis & oneribus*. In ea inter cetera legitur, definitum fuisse anno 1152. ab Eugenio III. ut presbyter ecclesiæ de Cicognaria, quæ subjecta erat monasterio Brixiensi sanctæ Juliæ *ad capitulum & Letaniam ire* debeat, & *publicos pœnitentiales ad pœnitentiam excipiendam deducere* teneatur ad majorem ecclesiam Cremonensem, in cujus diœcesi erat ecclesia de Cicognaria. Hinc intelligimus, quid sibi velint episcopi, cum a synodo vel a capitulo eximunt monasteria, cum liberant a paratis vel ab albergariis, cum litanias plebium vel earum visitationes concedunt monasteriis, cum pœnitentias privatas vel etiam publicas impartiuntur, cum, usuarias sive canonicas vel civiles consuetudines condonant, vel cum omnia, aut horum partem exigunt a cœnobiis. Sed frequentia imposterum horum usuum, nec non concertationum inter episcopos & monasteria, & concordiarum secutarum ipsorum occasione proferentur documenta in his Annalibus; illud tamen hic loci animadvertentes Gregorium episcopum Arretinum sermonem habere in præfata pagina de plebanis & rectoribus ecclesiarum subjectarum Camaldulensi eremo, & præsertim de plebano sanctæ Mariæ de Micciano, non autem loqui de monachis & eremitis Camaldulensibus, quorum jus salvum esse decernit; immo, ut alibi observavimus, Constantinus episcopus ejus antecessor promiserat priori Camaldulensi, *quod presbyteri de episcopatu Arretino suscipientes conversionem ordinis Camaldulensis, vel qui manerent in ecclesiis Camaldulensibus, essent ab omni synodali vel capitulari promissione seu obligatione absoluti, & ad synodum cum ceteris ex debito non veniant*. Quare non de obligatione, vel ex debito, ut loquitur Constantinus, sed de spontanea & libera præsentia explicanda sunt exempla, quæ reperiuntur, Camaldulensium monachorum & eremitarum, qui synodis Arretinorum episcoporum interfuerunt. Petrus Delphinus ultimus generalis præses perpetuus Camaldulensium temporibus Gentilis de Becchis episcopi Arretini duos eremitas elegit, qui synodo diœcesanæ interessent circa finem seculi XV. & legimus in depositione Guidonis Mazzolini canonici Arretini circa annum 1216. vel 1218. *quod in synodo episcopi Arretini Heliotti sermonem habuit Rodulphus tunc monachus, postea prior Camaldule, & deinde episcopus Anconitanus*; quæ synodus habita fuit ab Heliotto anno 1179. post synodum Lateranensem ejusdem anni celebratam ab Alexandro III. Romano pontifice. Et ad summum Gregorius reservat hanc obligationem ecclesiis parœcialibus Camaldulo subjectis, quam Constantinus indulserat.

ANN. CHR. 1106.

a T. V. col. 1030.

XXXVI. Paschalis II. scribit Petro ep. Pisano.

PETRO archiepiscopo Pisano epistolam scripsit hoc anno Paschalis Rom. pont. ipsius apud Deum preces implorans, quatenus fortiter ferre valeret onus sui pontificatus, quæ epistola asservatur [b] in archivo secreto archiepiscopatus Pisani; ex qua in cognitionem venimus, quanti Petrum faceret Romanus antistes vivens pessimis temporibus, quibus sacerdotium & imperium invicem digladiabantnr. Ad ipsius quoque petitiones concessit idem pontifex immunitates plures congregationi Camaldulensi, & abbati potissimum ac monachis sancti Michaelis in Burgo Pisarum, cujus monasterii vix regimen dimiserat Petrus, ut constat ex chartulis ejusdem archivi archiepiscopalis, inter quas asservantur ejusdem Romani antistitis privilegia prædicta.

b *Num.* 111.

XXXVII. De ecc. S. Mariæ in Gradibus in urbe Arretina; & de bulla Leonis IX.

RAGINALDUS abbas sanctæ Mariæ de Agnano [c] libellario jure concedit Widoni *da la Classaria* filio Rodulphi terram in plebe sanctæ Eugeniæ *al Bagnoro*, spectantem ad ecclesiam sanctæ Mariæ, *que dicitur Gratizata*, hoc est in Gradibus, *que quidem ecclesia*, inquit, *est sub nostro regimine*,

c *Arch. S.M. in Grad. n.* 31.

Ann. Chr. 1106.

gimine, cum onere reddendi annuatim sibi abbati, aut præfato monasterio sanctæ Mariæ in Gradibus in die sanctæ Mariæ de augusto, vel in nativitate ejus *unum statuale de candila*, *vel unum denarium de ruzo*, per Salomonem notarium. Hæc legimus in excerptis tabularii sanctæ Mariæ in Gradibus confectis cura & labore nostri domni Joseph-mariæ Gherardini, ex quibus & potissimum ex hujus anni excerpto liquet ecclesiam & monasterium sanctæ Mariæ in Graticiata, vel ut post hæc tempora appellata fuit, in Gradibus unita ante hos annos fuisse abbatiæ Agnaniensi.

De hujus templi origine hæc habet [a] Fortunius noster: „ Manifestum „ est, inquit, originem templi sanctæ Mariæ in Gradibus a beato Hila- „ rino monacho atque a sancto Donato pontifice Arretino proficisci. " Refert deinde Hilarini & Donati martyrium, quod nihil ad nos. Postea hæc addit: „ Porro viri sancti, dum una vixerunt, fossa humo subterra- „ neum fecere specum, in quo sacellum sibi construxere, cum ara Chri- „ stiferæ Mariæ semper virgini sacra, ubi cum lumen per fenestram a „ parte superiori viminibus ligneis cratatis mutuassent, factum est, ut il- „ le locus sanctæ Mariæ in Graticiata nomen sortiretur, sed mutatum po- „ stea oratorium sanctæ Mariæ in Gradibus novum nomen obtinuit, quod „ intus per gradus descendatur, extatque subterranea via, quæ a viris san- „ ctis itidem facta est ibidem, ut in domos Christianorum prædicationis „ gratia clam paganis ingredi possent, nec ejus viæ vestigia vel hodie „ quemquam Arretii latent, sicut ipsum oratorium magna a municipibus „ colitur, aditurque assidue religione, innumeris indulgentiis auctum, & „ cujus gratia plurimi ibi ad templum sepulturam eligunt. "

a Part. II. lib. II. cap. 2.

Celebris est controversia, an ad ecclesiam & ad monasterium sanctæ Mariæ in Graticciata seu in Gradibus spectet bulla Leonis papæ IX. a nobis edita tomo II. [b] Certissimum est autographum hujus bullæ servari in tabulario ejusdem monasterii, ut nos ipsi perspeximus. Exploratum adhuc est in eadem ecclesia cathedram fixam permanere, quæ cathedra, præterquam in cathedrali majore basilica, in nulla alia ecclesia existit. Traditio insuper constans & numquam interrupta viget ecclesiam sanctæ Mariæ in Graticciata esse ecclesiam primitivam, nobilitatam a mille quadringentis & plus annis fracti calicis & resolidati miraculo; tumulatum in ea fuisse corpus sancti episcopi & martyris Donati, & ex ea translatum. Id profecto de ipsa ecclesia potius asserendum est, quam de plebe sanctæ Mariæ in Gradibus, quæ plebis & canonicæ quidem nomen semper retinuit, numquam monasterii, & de qua nullum traditionis vestigium afferri potest, quo probetur ipsam fuisse primitivam Arretinam ecclesiam. Quo autem fundamento innitatur nuperrimus scriptor *Monumentorum spectantium ad ecclesiam primitivam episcopalem Arretii*, qui anno 1755. dubia sua movit contra *Vindicias sanctorum martyrum Arretinorum* Angeli-laurentii Grazini, ut fidem præfatæ Leonianæ bullæ sollicitaret, ipse viderit. Fortunius quidem cognitionem non habuit hujus bullæ; sed Fortunio incognitæ & invisæ innumeræ bullæ, & si quas vidit, non omnes ipse illustravit. Procusam ipsam & confictam, si recte intelligimus scriptoris anonymi verba, asserit sub finem seculi præteriti, sed qui venerandum antiquitatis monumentum primo intuitu & sæpius inde inviserit, judicabit pro veritate eam omnia authenticitatis indicia præseferre, & esse ipsum autographum scriptum Leonis IX. tempore.

b App. Col. 233.

Quo loco etiam in studiosorum rei diplomaticæ gratiam vindicamus formam sive compendium literarum *Bene valete* usurpatum a Leone in præfato diplomate, & subjectum ad oram ejusdem paginæ, quod est hujusmodi

ANN. CHR. 1106.

modi $^{B}_{V}$T. Romani pontifices Leonis IX. prædeceſſores ad calcem bullarum integras voces ſubjicere ut plurimum conſuevere: *Bene Valete*. Videantur bulla Gregorii V. anno 996. & Sergii IV. anno 1011. apud Muratorium, [a] & aliæ Adriani II. anno 871. & Benedicti VIII. anno 1013. penes nos [b]. Sed Leo IX. vel aliquot dumtaxat literis B. V. & B. T. ac $^{B}_{V}$T. uti conſuevit, vel præter has ſiglas monogramma etiam confecit. Siglas Leonis IX. imitati fuere Calixtus II. anno 1124. & Cœleſtinus III. anno 1194. [c] De monogrammate conſulantur bullæ annorum 1052. & 1053. exiſtentes apud Muratorium [d] & Gattolam [e], quæ nomen referunt ejuſdem Leonis. Monogramma uſurparunt etiam Stephanus IX. Nicolaus II. Urbanus II. Paſchalis II. aliique ſequentes Romani pontifices, donec in deſuetudinem venit. Cœleſtinus III. ſuperiori ſigla B. V. uſus eſt in bulla data Laterani XII. kalendas maji anni 1191. pro exemptione monaſterii Odenheimenſis ab epiſcopi Spirenſis juriſdictione. Legantur vindiciæ diplomatum Odenheimenſium contra dubia, quæ occaſione hujus ſiglæ excitaverat promotor fiſcalis Spirenſis, Romæ editæ anno 1747. Eugenius III. aliquando ſolam initialem B. adoptavit; in bullis ſcilicet anni 1148. [f] Anaſtaſius tamen IV. anno 1153. & Urbanus III. anno 1185. integras duas dictiones *Bene Valete* adhibuerunt. Quare varius fuit ejus ſalutationis uſus penes Romanos pontifices, neque ex diverſa uſurpata forma argumentum deſumi licet infirmandi ipſorum diplomata. Hæc breviter occaſione bullæ Leonianæ, quam integram jam attulimus tomo præcedenti.

a *Antiq. med. æv. T. I. col.* 943. & *T. V. col.* 341.
b *T. I. App. col.* 212. & *T. III. App. col.* 1.
c *Ap. Mur. T. V. col.* 826. 446.
d *T. V. col.* 340. *T. VI. col.* 214.
e *T. I. hiſt. Mont. caſ. pag.* 252.
f *T. IV. Antiq. med. ævi col.* 186. & *T. V. col.* 998.

ANN. CHR. 1107.

XXXVIII. Guido comes refutat caſtrum Mojonæ præpoſito Arretino.

WIDO Werra comes una cum Imilia conjuge ſua exiſtens prope eccleſiam ſancti Donati, in loco dicto *Mudiliana* (ab eo loco comites Guidii appellati fuere comites quandoque de Mutiliana) reſtituit Henrico præpoſito eccleſiæ ſancti Donati de Arretio curtem Mojonæ cum eccleſia & caſtello ibidem ædificato vel ædificando, & cum omnibus rebus ad eamdem curtem vel ad canonicam ſancti Donati ſpectantibus, ſpondens inſuper, quod de cetero neque ipſe, neque ejus miniſtri aliquam moleſtiam vel loco, vel loci hominibus inferent, ſub pœna librarum centum denariorum Lucenſium. Charta confecta fuit *anno ab incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo centeſimo ſeptimo, temporibus Henrici imperatoris & Paſchalis pape, die vigeſima ſeptima menſis madii indictione quinta decima*. Inter ceteros teſtes dictæ Widonis comitis ſponſionis legitur nomen Sinibaldi comitis. Henricus erat præpoſitus canonicæ Arretinæ anno 1104. ut vidimus in chartis ejuſdem anni; rurſus hoc anno hac dignitate fruebatur: anno tamen antecedenti attulimus nomen Johannis, qui præpoſitus appellatur eccleſiæ Arretinæ. Vel ergo Henricus hujus anni alius eſt ab Henrico anni 1104. vel Johannis præpoſiti nomen delendum in charta anni ſuperioris, & ſubſtituendum loco ejus nomen Henrici. Similem refutationem fecerat anno 1098. Wido comes Widonis junioris pater, quam renovat hoc anno ipſe Wido comes filius, appellatus *Werra*, ſive *Guerra*. Porro curtis Mojonæ decimas eremo Camaldulenſi donaverat anno 1073. Jocundus præpoſitus Arretinæ canonicæ.

XXXIX. Donationes Vangaticienſes.

PLURES ſub hoc anno leguntur donationum chartæ ſcriptæ in favorem monaſterii Vangaticienſis in tabulario ejuſdem abbatiæ. Pulveramus adhuc ibidem erat abbas. Vangaticienſe autem cœnobium appellatur etiam hoc ſeculo *monaſterium ſancte Marie virginis conſtructum juxta ripam Atheſis in loco, qui dicitur Petra, ubi multe res ab omnibus hominibus delegate ſunt* &c.

Ann. Chr. 1107.

XL. Paschalis II. privilegium pro monialibus S. Petri de Luco.

Cum Biblenæ esset Paschalis Romanus pontifex, qui præsenti anno in Thusciam descenderat, privilegium concessit sanctimonialibus monasterii sancti Petri de Luco, & Beatrici abbatissæ ejusdem parthenonis, quo confirmat quæcumque bona idem cœnobium ex oblatione Gotidii bonæ memoriæ viri, & ex concessione Rodulphi Camaldulensis prioris obtinebat. Inter possessiones autem ejusdem monasterii recensentur pars de oppido Luci, Larcianæ villæ pars, pars de Cantamerulo, pars de Rivo-frigido, & de Rivo-cornoclario, pars villæ Castri, villæ Silvæ & Frenæ; intra urbem autem Florentinam domus juxta ecclesiam sancti Proculi, alia juxta ecclesiam sancti Donati, & cetera, quæ in ejusdem urbis territorio monasterium præfatum Lucense acquisierat. Decernit præterea, ut monasterium sancti Petri conservetur semper *sub Camaldulensis prioris provisione*, neque episcopo Florentino, aut episcopi Florentini ministris liceat ejusdem loci congregationem vel ipsius presbyteros excommunicare, interdicere, aut super alio negotio molestare, nisi antea Camaldulensis prior caritatis studio fuerit requisitus. Privilegium, cui subscripsit, & quod ex tabulario ejusdem parthenonis in Appendice producimus, datum est *per manum Johannis sancte Romane ecclesie diaconi cardinalis ac bibliothecarii* (is sub nomine Gelasii II. Paschali II. successor in regimine universalis ecclesiæ datus fuit) v. *nonas octobris indictione* I. *Dominice incarnationis anno* M.C.VIII. *pontificatus autem domni Paschalis II. pape* VIIII. Sed cum anno 1108. Paschalis, Urbe relicta, Beneventum se contulerit, ubi eodem mense octobris concilium episcoporum celebravit, dicendum est usurpatum fuisse in notis chronicis hujus privilegii annum Pisanum, qui erat annus M.C.VII. Romanus, quo reapse Paschalis erat in Thuscia, mutata tamen indictione XV. in I. & auspicata mense septembri. Beatrix abbatissa post annum 1097. successerat Cunizæ, nam post eum annum nomen non amplius apparet Cunizæ. Ipsius Beatricis nomen legitur in tabulario ejus loci usque ad annum 1127. In aliquibus paginis appellatur etiam Bertha.

XLI. Massiliensibus monasterium tradit Petrus ep. Pisanus.

Eodem stilo Pisano signata reperitur sub hoc anno *die* XI. *julii indictione* XV. charta donationis, qua Petrus noster episcopus Pisanus offert ecclesiam & monasterium sanctorum duodecim Apostolorum ejusdem urbis Riccardo abbati sancti Victoris de Massilia, & ejus successoribus, ut ibidem transmittat monachos observantes suæ congregationis, qui ibi commorentur sub priore vel abbate, cujus electio nota fiat episcopo, ut ab ipso confirmationis robur accipiat. Initio hujus epistolæ episcopus usurpat hæc verba: *Petrus peccator divine concessionis dono Pisanorum episcopus*; & ad calcem se subscribit: *Ego Petrus Pisane ecclesie indignus episcopus*. Post ipsum, signum & nomen suum apponunt etiam canonici, & legitur integra in nova collectione veterum scriptorum [a] Martene & Durand. *Data in sua curia episcopali prope sanctum Georgium, notario Carolo sacerdote & canonico ecclesie Pisane*. Refertur & in addendis [b] Tomi VI. annalium ordinis sancti Benedicti.

a T. I. *col.* 614.

b *Tom. VI. pag.* 581.

XLII. Donatio facta monast. S. Mariæ ad Carceres.

Henricus dux filius quondam Guelfonis ducis professus ex natione sua lege vivere Langobardorum offert hoc *anno millesimo centesimo septimo, quarta decima die intrante octubre indictione septima*, ecclesiæ sanctæ Mariæ constructæ in loco, qui vocatur *le Carcere*, *sub regione Patavensis episcopatus, ubi nunc presbyter An.* scilicet Andreas, *ordinatus esse videtur, braydum suum donnicatum jacentem juxta eamdem ecclesiam, & de Clusurella omne illud, quod sibi competebat. Actum apud sanctam Theclam de Este*. Chartam exscriptam olim a Canneto nostro edidit Muratorius in Antiquitatibus Estensibus, recte animadvertens indictionem VII. non componi

poni

poni cum anno 1107. quippe quæ hoc anno erat quinta-decima; septima vero concurrebat dumtaxat cum annis 1099. vel 1114. neque judicari posse, an error lateat in anno incarnationis vel in indictione; Henricus vero dux Guelfonis filius idem est ac Henricus niger frater Guelfi V. & filius Guelfi IV. pater autem Guelfi VI. Is dux erat Bavariæ, & distinguendus ab Henrico IV. Estensi Guelfo similiter ac duce Bavariæ & Saxoniæ, filio ejus, benefico pariter in monasterium Carcerum, de quo alibi dicemus.

ANN. CHR. 1107.

ANN. CHR. 1108.

XLIII. Chartæ Camaldulenses, Pisanæ & Aretinæ.

ERMANNUS seu Ormannus & Guido germani filii quondam Rainerii ecclesiæ & eremo sancti Salvatoris de Campo-amabili, pro Dei timore & pro anima Ugonis germani, nec non pro animabus genitoris ac genitricis eorum, tradunt & offerunt hoc *anno millesimo centesimo octavo, mense madio indictione prima* integram partem *castelli & curtis de Partina, sicut habuit idem Ugo, quintodecimo die antequam moreretur*, cum suis ecclesiis, domibus, terris, vineis &c. quodque positum erat in territorio plebis sanctæ Mariæ, cum obligatione, ut castellum & curtis sint in proprietate dictæ eremi *ad cuntum*, sive ad jus, fratrum monachorum ibidem famulantium. *Actum in loco Fonte-bona ante hostium sancti Donati*; in monasterio scilicet Camalduli-majoris, dicti Fontis-boni, cujus ecclesia dicata erat sancto Donato.

Petro abbati monasterii sancti Michaelis in Burgo Pisarum patriæ episcopo facto successisse Lodojcum scripsit Fortunius [a]; verum ex chartis tabularii ejusdem monasterii constat non Ludovicum, sed Johannem per plures annos post Petrum præsedisse eidem cœnobio in abbatem, & in Johannis locum subrogatum posterioribus tantum annis fuisse Ludojcum sive Ludovicum. Johannes enim hoc *anno mille centesimo nono* (more Pisano) *octavo idus septembris indictione secunda*, auspicata eodem mense, libellum emphyteusis conscribit Bono & Gherardo germanis filiis quondam Morelli de terris positis in finibus Ghetiani.

In summariis Eduardi Baroncinii reperimus „ hoc anno [b] mense novembri Fusthum olim Ramberti & Bonizam uxorem donasse nomine judicii „ eremo Camaldulensi, & monasterio sancti Michaelis de Arretio & presbytero Petro recipienti vice domni Martini prioris Camaldulensis terras „ in territorio sanctæ Eugeniæ in loco dicto *Gavargini*; manu Salomonis „ notarii. “ Eidem Petro [c] anno sequenti mense februario venditæ fuere aliæ terræ a Guidone olim Leonis. Anno 1111. Guido presbyter eam ecclesiam administrabat, ut [d] ex alia pagina tabularii Fontis-boni agnoscimus, qua Dominicus presbyter & Johannes de Figlate fratres pro remedio animarum suarum terras judicant eremo Camaldulensi.

a *Par. II. p.* 66.

b §. *Donatio* 235. *A.* 2. 41.

c *Emptio* 139. *A.* 2. 52.

d §. *Mutilæ* 7. *A.* 2. *C.* 1. 1.



ANNA-



ANNALES CAMALDULENSES

LIBER VIGESIMUS-QUINTUS.

Ab anno CHRISTI M. C. IX. *ad annum* M. C. XVI.

ANN. CHR. 1109.

I. Monasterii Morronensis donatio facta Camaldulensibus.



TTULIMUS ad annum 1089. constructionem monasterii Morronensis in agro Volaterrano factam ab Uguccione comite & a Cæcilia ejus uxore; post vicennium, præsenti nimirum *anno millesimo centesimo nono ipso die kalendarum februarii indictione secunda* Ugo comes filius ejusdem Uguccionis quondam comitis & Cæciliæ comitissæ pro remedio animarum patris & matris suæ donavit, cessit & tradidit ecclesiæ sancti Salvatoris de Campo-amabili eamdem *ecclesiam & monasterium Domini, & sancte Marie virginis, quod est constructum sive construendum & edificandum in loco, & curte sua appellata Morrona*; constituens & decernens, ut omnia præfati monasterii bona & dispositio forent in potestate domni Martini prioris Camaldulensis eremi, ejusque successorum catholicorum, ita ut nullus episcopus Arretinæ ecclesiæ, neque fideles ejusdem ecclesiæ, clerici forent vel laici, aliquam facultatem imposterum sibi arrogarent in illud; reservans unice sibi juspatronatus, quod tamen & ipsum tunc recideret in ecclesiam ejusdem eremi sancti Salvatoris, si ipse Ugo vel sui hæredes sine legitimis posteris filiis obierint, hæc omnia observaturum se spondens sub pœna optimi auri librarum centum persolvendarum eidem ecclesiæ Camaldulensi. *Hoc factum est juxta abbatiam sancte Marie sito Pulliciano infra plebem sancte Marie de Cellule in comitatu Vulterrano*. Etiam abbatia sanctæ Mariæ de Pulliciano jam ab anno 1073. erat subjecta regimini eremi Camaldulensis, & in eodem Pulliciani castro plura bona obtinebat idem comes Ugo, quæ fuere inde anno 1115. vendita Rogerio episcopo Volaterrano. Interfuere huic Ugonis comitis donationi tamquam testes Raignerius abbas, & Gerardus abbas. Primus fuisse videtur abbas sancti Petri de Rotis, cujus nominis præsul prope hæc tempora vivebat, vel abbas etiam ejusdem monasterii Pulliciani, qui Raignerius & ipse vocaretur. Gerardus autem abbas erat præfati Morronensis cœnobii.

Octavo

ANN. CHR. 1109.

Octavo autem *idus aprilis* ejusdem anni prædictus Ugo comes vendidit & tradidit ipsi *ecclesie* , *& monasterio Domini & sancte Marie sanctique Benedicti constructe & edificate prope Morronam* , *in qua Gerardus gratia Dei abbas & rector consistere videtur*, medietatem integram totius suæ portionis de curte Aquisiana , cum alia medietate totius suæ partis castelli appellati Vivarii , *cum tota sua parte de virtute & earum destricto* . Excepit tamen castellum de sancta Lucia cum curte ejusdem castelli; pro qua venditione recepit *meritum* a Gerardo abbate & rectore supradictæ ecclesiæ *unum par pellium in presinito*. *Actum Pancule juxta ecclesiam sancti Petri infra plebem de Cellule in comitatu Vulterrano* . Hæc tamen secunda pagina ea conditione confecta est , ut si Ugo legitimum filium vel filiam susceperit , suprascriptæ ecclesiæ & monasterio Morronensi numeret ipse libras quadraginta *de bonis denariis de moneta de Luca* , & præfata donatio inanis sit & nulla ; firma autem maneat largitio , si filium aut filiam ex uxore non habuerit , & tunc insuper oblationis nomine perveniat in Morronense monasterium etiam alia castelli & curtis medietas. Frequentes scilicet erant his temporibus chartæ hujusmodi , quibus donatores parvo pretio redimebant bona sua olim donata ecclesiis & monasteriis ; sicut etiam in usu erant aliæ paginæ , quibus dilargiebantur omnia bona sua iisdem sacris locis , si contingeret eos absque legitimis filiis decedere . Plura exempla utriusque usus legi commode possunt in chartis nostris , quas sub annis antecedentibus protulimus . Uxor Ugonis comitis erat Cæcilia, quæ idem nomen gerebat , quod gerebat mater Ugonis , ut ex charta [a] tabularii parthenonis sanctæ Apolloniæ de Florentia ad annum 1107. liquet, quo ambo de bonis suis libellum conscripserunt in favorem monasterii sanctæ Mariæ de Mantignano. Binas superiores paginas damus ex autographis archivi Fontis-boni , ac ex exemplaribus archiepiscopatus Pisani , in cujus loci chartario sub numero 212. habetur tertius contractus venditionis factus a præfato comite Ugone iisdem pene verbis de castello Morronæ sub eodem anno 1109. *& die kalendarum februarii* , pro qua venditione & traditione dicitur is recepisse ab jamdicto Gerardo abbate & rectore ejusdem monasterii *meritum spatam in presinito*. An Ugo comes donator , qui post quadriennium vitam cum morte commutavit , ex Cæcilia prima uxore sua, vel ex altera ducta post ipsam filios susceperit, aut obierit sine filiis , videatur Lamius , [b] qui tamen rem in ancipiti etiam ipse relinquit.

a *Num.* 484.

b *Delic. erud. pag.* 1135. *anni* 1743.

Alium Ugonem Ugonis , & comitem castelli Romenæ pro remedio animæ suæ donasse hoc ipso anno eremo Camaldulensi ecclesiam sanctæ Mariæ castelli Mojonæ , quæ ad se jurepatronatus pertinebat , asserit Fortunius. Hic Ugo filius videtur ejus Ugonis , qui una cum Alberto fratre anno 1099. abbatiam Poplenæ tradidit eremo Camaldulensi . Erant enim & Albertus ac Ugo tam pater quam Ugo filius comites de Romena , quod castrum est prope oppidum Prati-veteris, lege vero viventes Ribuaria . De cetero jus in castrum Mojonæ obtinebant etiam alii comites Guidii legem profitentes Langobardicam. Addit Fortunius tertium Ugonem Pepii filium libellum fecisse hoc eodem anno mense februario de omnibus bonis suis positis in territorio plebis sanctæ Mariæ de Micciano in villa Corzani. Quarum donationum notitias hic ex Fortunio afferimus [c] , quia earum paginis ex tabulario Fontis-boni caremus.

c *P. I. lib. I. cap.* 68.

II. Alia monasterii S. Petri de Mucchio.

PARITER *anno centesimo nono post mille* , *mense martio indictione tertia* , quæ nihilominus est emendanda , & reponenda secunda , nisi confugium habeatur ad annum Florentinum productum usque ad diem XXV. martii

Ann. Chr. 1109.

tii anni sequentis, Guido, Gualfredus & Ildebrandus cum pluribus aliis consortibus tradunt & offerunt ecclesiæ & eremo sancti Salvatoris de Camaldulo portionem suam *castelli illius, quod vocatur Mucchi, una cum fossa & carbonaria sua. Actum intus predicto castello territorio Volaterrano.* Alia autem pagina ex indicibus Baroncinii [a] „ promittunt iidem Martino „ priori Camaldulensi se nullam deinceps molestiam illaturos præfatæ ere„ mo ratione ejusdem castelli, & ecclesiæ ibidem erectæ sub invocatione „ sancti Michaelis, recipientes pro dicta sponsione a priore monasterii san„ cti Petri de Funtiano in eodem agro Volaterrano, nomine eremi, *me„ ritum crosne unius.* " Excrevit in eo Mucchii castello monasterium & „ abbatia sub regimine eremi Camaldulensis, & ecclesia sub titulo sancti „ Petri, quæ memoratur in posterioribus privilegiis pontificiis & imperialibus. Ad calcem primæ paginæ, quæ autographa extat in tabulario Fontis-boni, leguntur hæc verba: *Hanc chartam a suo scriptore finem non accepit propter absentiam judicis, & ideo ego judex finem impono.*

a S. Promissio. 57. A. 12. 45.

III. Largitiones factæ Camaldulo Florentino.

VIRTINA filia Pagani & conjux Petri quondam Donati, & Donatus filius ejusdem Petri, Justina quoque & Ermingarda filia Florentioti vendunt & tradunt ecclesiæ & monasterio sancti Salvatoris *sita Campo li amabili* terras: *Actum Florentie.* Nominatur in hac pagina *pes, qui est designatus juxta portam sancti Pancratii*, nempe pes Liutprandi, qui erat positus extra urbem Florentinam ad portam sancti Pancratii, & ibidem in marmore sculptus. Hæ terræ videntur cessisse in usum monasterii sancti Salvatoris ejusdem Florentinæ urbis, quod appellatum etiam fuit subinde Camaldulum Florentinum, & in Pedemonte, eratque subjectum disciplinæ eremi Camaldulensis.

IV. Chartæ Camaldulenses & San-victorianæ.

IN summariis instrumentorum Fontis-boni, quæ habemus opera & ex collectione monachorum Simonis & Rainerii, legitur sub hoc anno sequens compendium: *Bernardinus filius olim Feralmi & Cuniza uxor ejus per se suosque heredes in perpetuum vendiderunt domno Martino priori Camaldulensi suum jus, actionem & proprietatem & portionem totius castellaris de Soci cum fossis circa se & muris & omnibus edificiis, & platea posita circa ecclesiam sancti Nicolai. Item* XXXXIIII. *stariora terre posite in casali de Soci infra castellare predictum, & fluvium Arcliani, & ecclesiam sancti Nicolai & cemeterium ejus positum infra predictum casale pro pretio librarum* XXXIIII. *sub anno Domini* M. C. VIIII. *mense octobris, manu Ildebrandi notarii;* mense autem februario ejusdem anni, stilo, ut credimus, Florentino, nempe anni sequentis, Guido come filius olim Guidonis comitis & Imilia comitissa donarunt eidem eremo totum suum jus, quod habebant in idem castrum Soci, in ædificiis, plateis, muris & fossis, terris & vineis, quæ idem Bernardinus, & ejus uxor vendiderunt olim Martino priori Camaldulensi; manu Ildebrandi notarii. [b]

b Amissæ A. 1. 64.

Chartam addimus ex tabulario sanctæ Catharinæ de Fabriano donationis factæ monasterio San-victoriano, & Petro ejus abbati a Pagano filio Actonis, ab Ablrico & ab Actone filiis Ugonis, a Moscone quoque filio Carbonis & a Bernardo filio Actonis *anno millesimo centesimo nono, rennante Carilo res, temporibus domnu Paschasiu papa, die mense november indictione secunda.* Caroli alterum nomen erat Henrici V. regis & imperatoris.

V. Chartæ Bononienses.

HOC eodem anno, *regnante vero Henricus rex filius quondam Henrici imperatoris die quinto ante calendas octobris indictione secunda* Mainfredus & Ubaldus atque Guidus germani filii Guidonis de castro Bixano donant *pro remedio & luminaria de quondam Ava genitrice sua* ecclesiæ &

& monasterio sanctæ Christinæ de loco Pasteno, *salva justitia sancti Salvatoris de Camaldulo*, atque Gerardo presbytero recipienti nomine Mathildæ abbatissæ ejusdem parthenonis, & fratribus simul ac sororibus, qui & quæ in ipso monasterio *ordinationem habuerint*, terras in curte vocata *Saxo nigro*. Acta in castro Bixano. Inter testes leguntur Azo presbyter de Bixano, Petrus legis doctor de Monte-armati &c. & Teuzo filius Petri *de Sette fonti*. Chartam autographam damus in Appendice ex archivo ejusdem asceterii.

ANN. CHR. 1109.

VI. Aliæ Pisanæ.

JOHANNI abbati sancti Michaelis de Burgo Pisarum vendunt hoc anno *mille centesimo nono*, Romano more, *quarto idus* januarii *indictione secunda* Sicherus filius quondam Lamberti & Mingarda ejus uxor terras in finibus *Gerbareto*, ubi dicitur Petra-ficta, & prope viam de Castello, pro quibus terris receperunt a Widone clerico quondam Gerardi pro persona Johannis abbatis *anulum de auro per solidos mille centum nonaginta tres*.

Cum in eodem territorio Pisano hoc ipso anno in nemore Miliarini immanis serpens non vulgaria armentis & hominibus damna & cædes inferret, ob quæ perterriti erant admodum cives Pisani, quidam nobilis & generosus eques Pisanus, nomine Johannes Orlandus, obtenta facultate a prioribus urbis, munitus insuper benedictione Petri Pisani episcopi, artificio ferrei capuli, serpentem decepit, & captum occidit, cujus serpentis cadaver super fornices ecclesiæ cathedralis in perpetuum rei monumentum appensum fuit. In cœmeterio Pisano visitur anaglyphum opus marmoreum, in quo describitur hocce factum, quod ad servandam memoriam hujus illustris civis a Julio Cajetano operario basilicæ Pisanæ ex Miliarino fuit deductum, ubi inserviebat pro epistylio portæ.

In finibus Ghetiani seu Ghessani ecclesiam sub titulo sancti Michaelis possidebat idem monasterium sancti Michaelis in burgo Pisarum. Ipsi ecclesiæ *per unum coclearium aureum & argenteum* concesserunt omnia bona sua, quæ habebant in supradicto loco, hoc anno pro redemptione peccatorum suorum, Maginfredus filius quondam Willelmi, qui fuit judex, & Bella ejus uxor, mittentes in possessionem ipsius Johannem abbatem sancti Michaelis. Hæc sancti Michaelis Ghessani ecclesia nunc Arni fluminis eluvionibus penitus diruta est, & animarum cura, quæ ipsi inerat, addicta fuit parœciali ecclesiæ sancti Johannis Ghetiani, ut discimus ex Grandio, [a] qui in sua Appendice ad epistolam de Pandectis chartam ex archivo sui monasterii produxit, ex quo ipsam recudimus.

[a] *Pag.* 170.

ANN. CHR. 1110.

VII. Gregorii ep. Arretini oblationes eremo Camald.

GREGORIUS episcopus Arretinus offert hoc anno millesimo centesimo-decimo ecclesiæ sancti Salvatoris eremi Camaldulensis *guaitas*, *que solebant fieri ad castrum Marciani cum omnibus aliis, que consuetudo est facere de tota terra sancti Salvatoris, que habet & tenet ad donicatum suprascripta ecclesia sancti Salvatoris, vel rectoribus ipsius ecclesie, vel alii homines per ipsam, infra tota plebe sancte Marie sitam Partina*. Concedit insuper *omnes albergarias & ipsum usum, quod consuetudo est facere de casa de Arcina*. Guaitæ erant onus excubiarum, seu id, quod pro adimplendo eo onere ab oppidanis erat exsolvendum; Albergariæ vero erant procurationes, quas urbes vel villæ debebant dominis suis ad eas venientibus, erantque census & pactiones, quæ debebantur pro comestionibus a vassallis, quando ad eos adventabant domini sui. Subscribunt post Gregorium episcopum Panzus archidiaconus, & Ardimannus filius quondam Guidonis ac Ormannus filius quondam Raineri vicedomini.

VIII. Venditiones San-victorianæ.

DE monasterio sancti Benedicti de Conjunctulo in territorio Eugubino aliqua

ANN. CHR. 1110.

aliqua diximus ad annum 1054. occasione sancti Dominici Loricati ad tempus accolæ ejusdem cœnobii, quod pariter titulum alium obtinebat & obtinet etiamnum sancti Æmiliani. Hoc *anno millesimo centesimo decimo, regnante donno Enrigo imperatore, dies mense julius per indictione tertia*, abbas ejusdem loci erat Petrus, qui consensu suorum sacerdotum & monachorum, cunctorumque clericorum ipsius ecclesiæ, secundum legem suam Romanam concedit, vendit & tradit alteri Petro abbati monasterii sancti Victorini, hoc est sancti Victoris, *qui nominatur Victoriano de la Clusa*, terras in locis dictis Varano & Recereta. Recensetur inter confines terra sanctæ Mariæ de Plano. Hoc castrum consurgebat extra urbem Æsii ad sex circiter milliaria, ubi erat etiam ecclesia, quæ adhuc superest sub titulo sanctæ Mariæ Mollearum ad ripam oppositam alteri ripæ, in qua jacebat monasterium sanctæ Helenæ ad flumen Æsinum; modo præfata ecclesia sanctæ Mariæ de castro Plano possidetur a canonicis ecclesiæ Æsinæ. Subscribunt post Petrum abbatem sancti Benedicti de Conjunctulo alius Petrus prior, Johannes & Dominicus monachi.

IX. Charta Pisana.

EODEM *anno mille centesimo undecimo*, stilo Pisano, VII. *kalendas augusti indictione tertia* Rusticus filius quondam Golfi, Ubertus filius quondam Ceci, & Actius a Johanne abbate ecclesiæ & monasterii sancti Michaelis de Burgo Pisarum recipiunt per libellum aliquot terras positas extra civitatem Pisanam in loco, ubi dicitur *Muro vetero*.

X. Obitus Martini prioris Camald.

POSTREMUS hic annus fuit Martini prioris Camaldulensis, sub cujus regimine multum aucta fuit congregatio Camaldulensis accessione nobilium abbatiarum & ecclesiarum; a mense enim martio hujus anni indictione III. quo Ormannus filius Rainerii confirmat donationem quamdam olim a se factam, Martini nomen non amplius apparet in chartis tabularii Fontis-boni, & julio mense ejusdem anni legitur nomen Guidonis, qui in ipsius locum suffectus fuit, cuique eo mense Farolfus olim Ildoli bona donat. Quare & hic loci emendanda est chronologia Fortunii, qui Martinum obiisse anno 1124. existimat, „ cum jam anno 1114. inquit, intuitu contemplativæ vitæ sectandæ sponte se se magistratu abdicasset, & occasionem dedisset, ut Guido prior declararetur. Qui etiam præ humilitate, nec non reverentia Martini magistratus insignia numquam recipere voluit; quapropter utrique Johannes subrogatus est. Qui & ipse similiter nunquam se priorem scribere ausus est, Martino & Guidone superstitibus, nec nisi tantum nomine cathedram sancti Romualdi tenere; quo factum est, ut multæ oblationes modo sub hujus, modo sub illius nomine sacræ eremo factæ sint. “ Gratis hæc de penu suo eduxit Fortunius, quippe quæ adversantur monumentis & paginis archivi Fontis-boni. Ceterum nescimus, an ad Martinum I. priorem Camaldulensem hoc anno defunctum pertineat hymnus, qui reperitur in pervetusto ms. orario bibliothecæ eremi Camaldulensis. Tres siquidem idem Martini nomen habentes constat fuisse priores Camaldulenses; primum, qui hoc anno decessit, Martinum secundum electum priorem anno 1189. & Martinum tertium assumptum ad prioris officium anno 1248. qui postremus etiam Beati titulo decoratur. Ignorat insuper Baroncinius, an Martinus I. idem fuerit cum Martino eremita Camaldulensi, cujus sanctitatis, doni lacrymarum & in Deum contemplationis locupletissimum testimonium reliquit nobis Petrus Damiani, qui bis in suis opusculis ipsius mentionem facit, in cujus etiam laudem confectum præfatum hymnum idem Baroncinius existimat. Sed insignem sanctimonia Martinum, qui Damiani ævo vivebat, credibile non est fuisse assecutum hæc tempora, neque ullo historico monumento,

ulloque

ulloque fundamento demonstrari potest Martinum illum sanctissimum eremitam Camaldulensem prioratus Camaldulensis officium assumpsisse, cum tamen hymnus in honorem compositus dicatur Martini illius, qui fuit prior Camaldulensis. Ad quemcumque Martinum ipse hymnus pertineat, eumdem subjicimus una cum oratione, quæ in ipsius laudem recitabatur, ex qua tamen, immo etiam ex hymno, nihil nisi generale colligi licet, quamvis unus & alter & tertius insignes & celeberrimi viri fuerint.

Incipit antiphona ad laudem sancti Martini prioris Camaldulensis.

Vexillifer mirifice specula bonorum,
Martine beatissime spretor terrenorum,
Prior de Camalduli, lux, decus Italorum,
Humilitatis forma, & omnium bonorum,
Remissionem nostrum, o Pater, peccatorum
Impetra, & gaudia bonorum æternorum.
℣. *Sancte Martine tuis precibus, meritisque beatis.*
℟. *Participes regni simus summæ Deitatis.*

Oratio.

Clementissime pater, omnipotens, æterne Deus, qui beatum Martinum priorem Camaldulensem, terrenis pessumdatis, cælestibus fecisti mirabiliter adhærere, virtutum actibus, & exemplis magnifice radiando, suppliciter tuam clementiam flagitamus, ut ejus tuti precibus cælestia totis viribus appetamus, carnis desideria fortiter supplantando, & ejusdem, Sanctorumque tuorum omnium mereamur perfrui consortio in æternum. Per Dominum &c.

In missali ms. anni 1242. & membranaceo signato litera Q. V. 4. bibliothecæ eremi Camaldulensis legitur ad præfixum kalendarium sub die VI. septembris festum beati Martini prioris Camaldulensis, cui tamen non præscribitur Missa, deficientibus præsertim aliquot foliis ejusdem Missalis. Hæc demonstrarent ad primum, vel ad secundum Martinum suprarelata esse referenda, cum tertius Martinus eo anno 1242. adhuc in vivis esset, immo nondum insignia Camaldulensis prioratus recepisset.

XI. Reliquiæ Sanctorum ex Centum-cellis delatæ Pisas.

EODEM anno cum ex Centum-cellis Pisas advectæ fuissent reliquiæ sanctorum Mamiliani, Gobuldei, Lustri, Vendemii, Rustici & Infantis a quodam presbytero, qui ipsas furatus erat, eas Florentiam translaturus, contigit, ut navigium immobile consisteret ante monasterium monialium sancti Matthæi Pisarum supra flumen Arnum, neque umquam tridui tempore loco dimoveri potuerit; quare presbyter ob rei novitatem stupens confessus fuit furtum, agnoscensque divinum esse beneplacitum, ut sacræ reliquiæ ibidem deponerentur, ad episcopum Petrum se contulit, qui statim accurrens sacras reliquias e navigio sustulit, easque recondidit in ipsa sancti Matthæi ecclesia die secunda maji, includens sub altari sanctorum Innocentium, quo facto statim navigium faciliter iter suum prosequi visum, est omnibus admirantibus, Florentiam versus. Visuntur in marmore, quod sacra lipsana condit, cælata hæc verba, usupato tamen anno Pisano.

ANNO. M. C. XI. VI. NONAS. MAII. TEMPORE. DOMNI. PETRI ARCHIEP. PISANI. ISTA. SACRA. CORPORA. SANCTORVM. MAMILIANI. LVSTRI. VINDEMII. AVRELII. RVSTICI. INFANTIS ET. GOBVLDEI. MARTYRVM. POSITA. FVERE. IN. HOC. SACRO TEMPLO. IN. ARA. PARVVLORVM.

ANN. CHR. 1110.

Ferunt hos sanctos viros tempore Genserici Wandalorum regis in servitutem Roma Carthaginem advectos, inde vero ex Africa in Sardiniam, & secretiore recessu postea in insulam Arethusam, seu Montis-Jovis deportatos esse, quæ deinceps dicta fuit Montis-Christi, ibique pervasit opinio eosdem conditores fuisse celebris monasterii nostri in ea insula, quod etiamnum appellatur sancti Mamiliani Montis-Christi. Mamilianum vero ibidem sepultum fuisse cum sociis; corpora deinde ipsorum ad Centumcellas delata, hoc denique anno mirabili suprarelato modo ex ea urbe deducta, & in Pisana sancti Matthæi ecclesia deposita. Fusior historia legitur apud Ughellium [a].

[a] T. III. col. 378.

Hoc ipso anno peracta dicitur a præfato Petro episcopo Pisano consecratio ecclesiæ sancti Petri in Vinculis ejusdem Pisanæ urbis.

XII. Johannes mon. Camaldulensis fit abb. Sestrensis in Janua.

Si vera sunt, quæ de beato Johanne abbate monasterii sancti Stephani urbis Januensis scribit Benedictus Bobiensis monachus Casinensis congregationis in suo *de Vitis Sanctorum & Beatorum monastici ordinis* volumine, quod ms. in bibliotheca Constantini Cajetani abbatis asservabatur, hoc anno Johannes ex monacho Camaldulensi evectus fuit ad abbatiam sancti Andreæ de Sexto, seu de Sestro, sexto a Januensi urbe milliario. Ait enim: *Sanctus Johannes abbas sancti Stephani Genuæ fuit Genuensis, monachus ordinis Camaldulensis; postea eligitur abbas sancti Andreæ de Sexto ordinis Cisterciensis, in quo præfuit decem & novem annis. Postmodum præficitur abbas sancti Stephani Genuæ, relicto priori. In ejus regimine expletis annis triginta & septem, vitam suam laudabiliter finivit anno* M. C. LXVI. *die* XIV. *martii*. Ordo Cisterciensis hoc anno 1110. in Italiam nondum invectus fuerat, quare per anticipationem Benedictus Bobiensis monasterium sancti Andreæ appellat ordinis Cisterciensis, quem in Januensem urbem introduxit sanctus Bernardus Claræ-vallensis abbas anno dumtaxat 1132. cum ad Januenses legatum & sequestrem pacis ipsos inter & Pisanos ageret, ut etiam notat Ughellius in Januensibus episcopis, adeoque post absolutam præfecturam Sanct-andreanam nostri Johannis abbatis. A Manriquez monasterium Sestrense tertia-decima appellatur abbatia a sancto Bernardo reformata. Hoc tamen negat Augustinus Schlaffinus Carmelita conventus sanctæ Mariæ de Monte-oliveto Castri Sestrensis in *Liguriæ annalibus sacris* italico idiomate ab ipso conscriptis, qui nondum in lucem prodierunt. Commendatariorum incuria primitus cœnobio, inde ecclesia funditus solo æquatis, nunc ab apostolica sede bona ipsius assignata fuere inquisitoris Januensis mensæ. Dominicus Mussus tabulario Januensi præfectus se legisse asserit in ipsius archivi codicibus beatum Johannem nostrum e nobili Januensi familia *Serra* fuisse progenitum. De Johanne cetera suis annis.

ANN. CHR. 1111.

XIII. Henrici IV. imp. privilegium pro Camaldulensibus.

HENRICUS IV. dictus etiam frequentius a compluribus V. Romanorum imperator, qui patri Henrico III. vel IV. in imperio successerat, hoc anno, interventu Frederici Coloniensis archiepiscopi, Hartuici episcopi Ratisponensis, Ottonis Bambergensis, Erlungi Werceburgensis, necnon comitum Hermanni de Saxonia, Berengarii de Bavaria, aliorumque multorum imperii sui fidelium tam Latinorum, quam Teutonicorum, recepit sub sua protectione Camaldulense monasterium, & eremum sancti Salvatoris & sancti Donati cum omnibus eorum pertinentiis; monasterium pariter sancti Bartholomæi de Anglari cum castellis, ecclesiis, monasteriis, feudis, arimaniis, & cum omnibus, quæ olim fuerunt Bernardini filii Sidoniæ; monasterium sanctæ Mariæ in Trivio, alia tria sancti Frigdiani, &

sancti

ANN. CHR. IIII.

ſancti Michaelis ſita in Piſana urbe, & ſancti Savini in comitatu ejuſdem urbis, & monaſterium ſancti Salvatoris de terra Berardinga, una cum omnibus aliis locis rebuſque ſpectantibus ad prædictam eremum Camaldulenſem. In exemplari [a] hujus imperialis præcepti, quod aſſervatur in parthenone ſancti Petri de Luco, præter dicta cœnobia, recenſetur ab eodem Henrico etiam monaſterium ſancti Petri de Luco *de terra Florentina*.

Statuit inſuper imperator, ut nullus, qui ſub eremi Camaldulenſis regimine degeret, iret ad placitum, niſi ante papam, vel ante imperatorem, ſed permaneret in omni libertate, pœnam comminans moleſtiam inferentibus mille librarum auri, medietatem cameræ ſuæ, alteram vero medietatem habitatoribus præfati monaſterii ſeu eremi. Burchardus Monaſterienſis epiſcopus & cancellarius vice Alberti archicancellarii Moguntinæ ſedis electi recognovit privilegium, *datum ſexto nonas maji indictione tertia, anno Dominice incarnationis milleſimo* C. XI. *regnante Henrico quinto rege Romanorum V. imperante I. ordinationis ejus* XI. *Actum juxta Forumpompilii*. Henricus coronatus fuerat imperator Romæ a Paſchale II. Romano pontifice idibus aprilis hujus anni. Poſt coronationem ſe per Æmiliam in Lombardiam conferebat alloquuturus Mathildam magnam comitiſſam, quæ in Rhegienſi comitatu morabatur. Hanc alloquutus fuit die VI. maji. Occaſione itaque hujus itineris, die ſecunda maji erat Foro-pompilii in Æmilia, ex quo loco conceſſit dictum privilegium, in quo tamen emendanda eſt indictio, quæ non III. ſed IV. decurrebat hoc anno. Similes omnino notæ chronicæ cum recta indictione IV. leguntur in præceptis ejuſdem Henrici emanatis die XIX. hujus menſis maji pro Cremonenſibus canonicis [b] apud Muratorium, & die XXI. pro Alberico abbate monaſterii Padolironis [c] apud Bacchinium. Quintus appellatur Henricus imperator, computato in hujus nominis regum numero Henrico I. Aucupe rege Germaniæ. Quintus inſuper erat hoc anno ipſius regni annus; nam anno 1106. Moguntiæ confirmatus fuerat in regem, excluſo omnino & rejecto a primoribus regni Henrico IV. ejus patre. Undecimus autem numerabatur ordinationis ejus annus; deſinente enim elapſo ſeculo vel novo ineunte, Henricus ejus pater iratus in primogenitum ſuum Conradum obtinuerat in dieta Aquiſgranenſi a principibus Germanicis, ut hic ſecundus-genitus ſuus Henricus deſignaretur in collegam & ſucceſſorem imperii. Quare hæc epocha ordinationis regni Henrici ab iis annis, & non ab anno 1102. vel 1103. eſt petenda. Albertus archicancellarius, qui in diplomate appellatur electus Moguntinus, is erat, qui hoc ipſo anno ante coronationem Henrici imperatoris præcipuus auctor & incentor fuerat regi, ut Paſchalem Romanum pontificem carceri addiceret. Fridericus Colonienſis archiepiſcopus nuntius ab eodem Henrico miſſus fuerat anno antecedenti, ut diſponeret animum pontificis ad ipſius coronationem, ſimulque ad concordiam. Berengarius de Bavaria non erat dux ejuſdem provinciæ, cum hoc tempore duces Bavariæ eſſent Guelfus V. & ejus frater Henricus, cognomento Niger, ex familia marchionum Eſtenſium, ſed Berengarius facile erat comes ille, qui legitur anno 1106. animum junioris Henrici regis induxiſſe ad arma ſumenda contra Henricum patrem.

XIV. Caſtrum Tegiani donatum Camaldulenſibus.

RAINERIUS filius Ardingi donat & offert hoc anno Guidoni priori monaſterii ſancti Salvatoris in Campo-amabili integram ſuam partem, quam obtinebat in caſtro de Tegiano, quod erat poſitum in comitatu Arretino in plebe ſanctæ Mariæ in Bujano, una cum eccleſia & curte ejuſdem caſtri, & cum omni jure prædiorum urbanorum & ruſticorum, in poſſeſſionem loci mittens Widonem commiſſum ſeu converſum Guidonis prioris.

[a] Sac. K. n. 46.

[b] Antiq. medii ævi. T. II. col. 77.

[c] Append. Hiſt. monaſt. Padoliren.

Ann. Chr. 1111.

prioris. Recipit autem *meritum ex parte Dei centuplum*, *& vitam eternam*. *Actum in loco qui dicitur Silva-munda*, ubi erectum erat cœnobium, quod post annos octo reperitur fuisse constitutum sub regimine eremi Camaldulensis. Ad calcem paginæ legitur: *Ut prenominatus Rainerius suprascriptam rem in vita sua teneat ex parte suprascripte ecclesie & predicti prioris, & per singulos annos pro possessione habeat ecclesia unam obliam*. De *Obliis*, sive de Oblatis fusissime agunt Du-cangius & ejus Glossarii supplementi auctores.

XV. Similiter castrum Laurentiani.

Pariter *anno millesimo centesimo undecimo*, *imperante Enrigo imperatore Romanorum augusto*, *mense octuber indictione quarta* Raimundus filius Gerardi, consentiente sibi genitore suo, offert & confirmat in ecclesia & eremo sancti Salvatoris de Campo-amabili, ad usum & sumptum fratrum monachorum & clericorum ac laicorum ejusdem congregationis, omnia castella, ecclesias, domus, terras, vineas, quæ ad se spectabant in comitatu Arretino in territorio plebis sancti Eleutherii in plano, & in plebe sancti Antonini in Socana, idest integram suam portionem castelli & curtis de Tulglano, castelli & curtis de Laurentiano, quod alio nomine vocabatur Riozpparelli, excipit tamen coronam castelli, cum ecclesia sancti Nicolai, & cum domibus, quæ in eo erant, *sicut est circumdatum cum casale Salonica*, *casale Camparno*, *& casale Larciano*. Actum in loco Soci.

XVI. Aliæ donationes factæ eremo Camald.

In summariis veteribus instrumentorum Fontis-boni hæc reperiuntur sub hoc anno: *Domnus Teuzo abbas sancti Martini de Pino cum consensu monachorum suorum per se suosque heredes successores in perpetuum*, *titulo*, *quo res creditori pro soluto traduntur*, *dedit & concessit domno Guidoni priori Camaldulensi*, *& presbytero Martino rectori ecclesie sancti Angeli de Curte Luponis omne suum jus & actionem*, *quod & quam habebat in ecclesia sancti Angeli de Curte Luponis cum omnibus ornamentis*, *tenimentis & decimis ad predictam ecclesiam pertinentibus*. *Simili modo dedit suum jus & actionem*, *quod & quam habebat in podio cum fossis olim Castri Luponis*. *Insuper simili modo dedit totam terram*, *que fuit olim Guidonis filii Guidonis ad monasterium nostrum pertinentem jure testamenti Guidonis ejusdem*. *Sub anno Domini* M. C. XI. *mense septembris*, *manu Salomonis notarii*. Bernardus ejusdem monasterii abbas legitur ad annum 1125. in charta locationis tabularii Fontis-boni, qui Teuzoni suffectus fuit. Teuzo autem locum implevit post Henricum, de quo loquuti sumus ad annum 1088. Reperitur etiam in chronico Baroncinii donatam fuisse hoc anno eremo Camaldulensi ecclesiam sanctæ Luciæ in Sparena cum bonis & prædiis a Rigolo quondam Teobaldi manu Ildebrandi notarii.

XVII. Largitiones monasterio S. Adalberti.

Leoni abbati sancti Adalberti in Pereo successor datus fuerat Rainerius. Ipsi Rainerio abbati ejusque monasterio, & ecclesiæ sancti Pauli, quæ ecclesia erat in Ferrariensi urbe constituta, & subjecta monasterio sancti Adalberti, *anno Domini millesimo centesimo undecimo*, *Paschale in apostolatu anno undecimo*, *Henricus* IV. *imperator anno* I. *die quinta mensis julii indictione* IV. Dominicus appellatus Zacone, & Stephanus filius quondam Johannis habitatores civitatis Ferrariæ donant terras positas in eadem urbe juxta cœmeterium ipsius ecclesiæ sancti Pauli, mittentes in possessionem earumdem terrarum Bonizonem presbyterum. Corrigendus est in charta annus pontificatus Paschalis, qui erat duodecimus. Paginam edimus in Appendice ex tabulario archiepiscopali Ravennæ. Rainerii abbatis nomen legitur & ad annum 1113. in eodem archivo, [a] sicut etiam Bonizonis presbyteri.

a *Capf.* I. 4221. *&* L. 4750.

XVIII. Aliæ monasterio S. Mariæ de Toma.

De monasterio sanctæ Mariæ prope fluvium Tomam in territorio Se-

nensi

nensi verba fecimus ad annum 1099. Hoc *anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo undecimo, kalendis aprilis indictione septima* (sed emendanda est indictio, quæ hoc anno erat quarta, vel annus incarnationis mutandus est in millesimum centesimum decimum quartum, quo decurrebat indictio septima) hoc itaque anno, vel anno 1114. Raginerius filius quondam Gualandi, & Guinizo filius quondam Adelmini spondent & obligant se Bertæ & Guillæ, ac earum posteris, quæ regent locum præfatum, non molestaturos bona ejusdem venerabilis ecclesiæ sub pœna librarum sexaginta. Locus itaque sanctæ Mariæ de Toma præsenti anno ad sanctimonialium domicilium jam fuerat destinatus. Autographam paginam asservatam in tabulario Fontis-boni producimus in eadem Appendice.

ANN. CHR. IIII.

Johannes quondam Teuzi [a] offert ecclesiæ sanctæ Mariæ de Agnano bona quædam posita in comitatu Arretino in plebe sancti Sabini in Barbajano in vocabulo *al Colle*, recepta pro merito participatione bonorum, quæ fient in congregatione supradicti monasterii de Agnano, ut legimus in excerptis tabularii cœnobii sanctæ Mariæ in Gradibus. In tabulario autem monasterii Berardingorum habetur [b] Rainerium & Majolinam jugales promisisse Guidoni abbati litem non moturos pro terris & domo, quæ obtinuerant ab abbatia, *positis infra burgo civitatis Sene, locus, ubi dicitur arcus sancti Ansani martyris*. Anno præterito [c] Imilda filia Cadalelli uxor Alberti, & mater Ildebrandi ac Albertini dilargita fuerat eidem abbatiæ ecclesiam sancti Martini cum pluribus bonis.

a Num. 34.

b Num. 337.

c Num. 837.

NOBILIS præsenti anno millesimo centesimo duodecimo deducta est monachorum Camaldulensium colonia in regnum Sardiniæ. Judices sive reges, qui in eadem insula jus dicebant, erga monasticum cœtum optime affecti, pluries eatenus expetierant cœnobitas ordinis sancti Benedicti, per quos monastica disciplina propagaretur in eo regno. Baraso unus ex ipsis Sardiniæ judicibus, testimonio Leonis Ostiensis, flagitaverat circa annum 1065. a Desiderio abbate Montis-casini, ut aliquot de monachis suis destinaret, qui cœnobium ibidem construerent. Sed duodecim Casinates monachi a Desiderio missi cum abbate, & cum libris sacris præterea, reliquiis Sanctorum, vestibus ac vasis, & super Cajetæ navim impositi, Sardiniam versus velum solventes, a Pisanis maxima Sardorum invidia ductis capti fuere, combusta navis & omnia utensilia sacra direpta. His fraudatus duos alios obtinuit monachos Baraso, quorum opera cœnobium ædificavit & dotavit in suo regno. Alter rex ejusdem insulæ Torchitorius nomine monasterium aliud construxit circa annum 1066. Anno 1089. Arzo rex & judex Calaritanus cum uxore sua Vera & cum Constantino filio suo fundaverat monasterium sancti Georgii & sancti Genesii, quod tradiderat Richardo abbati sancti Victoris Massiliensis urbis, ut monachos ibidem mitteret, qui viverent sub consuetudine & disciplina Massiliensis cœnobii. Ipso anno præfatus Constantinus filius cum matre sua dilargitus fuerat eidem Richardo ecclesiam sancti Saturnini cum aliis octo, ut monasterium eo loci excitaretur. Anno itaque præsenti ceterorum regum vestigia premens rex *Constantinus vocativo nomine de Laccon, una cum uxore sua Marcusa regina dicta nomine de Gunale*, gratiosum diploma exscripsit in favorem monasterii sancti Salvatoris de Camaldulo, quo eidem sacro loco attribuit ecclesiam sancti Petri de Iscanu una cum hominibus & cum pertinentiis suis, terribiles superaddens imprecationes adversus eos, qui ecclesiam præfatam vel bona ipsius ecclesiæ damnis aut molestiis afficere præsumerent, benedictiones e contra exorans iis, qui donationem hanc grato ani-

ANN. CHR. 1112.

XIX. Constantinus rex Sardiniæ donat Camald. ecclesiam S. Petri de Iscanu.

ANN. CHR. 1112.

animo susciperent, vel qui beneficia conferrent eidem ecclesiæ vel monasterio, petito auxilio Salvatoris Jesu Christi, beatæ Mariæ virginis, sancti Michaelis archangeli, beati Petri principis apostolorum, & beatorum Gavini, Proti & Januarii martyrum, *sub quorum protectionem atque defensionem*, inquit, *in hanc insulam Sardinie nos credimus esse salvatos*. Voluit etiam, ut in flumine de Bosa, super quod sita erat prædicta ecclesia, nullus imposterum auderet piscari, sed pisces usui inservirent monachorum Camaldulensium, quos evocabat, commisitque Furato presbytero & notario, ut chartam conficeret publicam. Interfuere plures testes hujus largitionis, quam etiam Petrus episcopus Bosanæ ecclesiæ manu sua subscribens ratam habuit. Datum est Constantini præceptum *in regno*, *quod dicitur Ardar*, *pridie kalendas maji*, *luna vero* XII. *anno* M. C. XII. Pendet adhuc ab ipso sigillum plumbeum, in quo ex una parte sculptum conspicitur astrum Lunare, ex altera vero inscribuntur literæ: GONSTANTINE. REGE. Privilegium lingua Latino-sarda conscriptum ex tabulario Fontis-boni in Appendice exhibemus.

De laudata donatione hæc habet Fortunius noster, qui tamen male legit aliqua ipsius privilegii verba: „ Cum bona, inquit, præclaraque de „ sacra eremo fama Sardiniæ insulæ fines peragrasset, Constantinus rex „ Torrensis atque Bocati Bonomine primus omnium in ipsa insula Camal„ dulensium ordinem amplissimis muneribus exornare summa pietate vo„ luit, quippe qui coloniam monachorum ex sacra eremo illas in partes, „ missa ad patres legatione, ascivit, eique cum Marcusa regina pernobile „ cœnobium sancti Petri de Iscanu concessit, quod possessionibus, fundis „ & juribus honestissime ditavit, necnon privilegiis, gratiis & exemptio„ nibus pariter illustravit. Quam sane donationem Petrus Bosanæ ecclesiæ „ pontifex summa lætitia comprobavit pridie calendas majas anno salutis „ M. C. XII. quemadmodum ex pagina ipsius regiæ largitionis constat ab „ ipso Petro episcopo subscripta, quæ sericis funiculis mira varietate ac „ pulchritudine compactis regalis sigilli formam appensam retinet, & in „ archivo diligenter asservatur. “

a §. *Privileg.* 17. *A.* 2. 24.

Die decima-tertia decembris ejusdem anni [a], ut legitur in excerptis Eduardi Baroncinii, sed facile referenda sunt aliqua ex sequentibus privilegiis ad annum 1116. „ Azo archiepiscopus Turritanus, ad preces ejusdem „ Constantini regis Torrensis & Marcusæ uxoris ejus reginæ, concessit, „ seu melius confirmavit Guidoni priori eremi Camaldulensis ejusque suc„ cessoribus in perpetuum eamdem ecclesiam sancti Petri in villa Scanno „ positam in episcopatu Bosensi cum pertinentiis suis, quam ecclesiam „ prædictus rex & regina donaverant eidem eremo, statuens, ut nullus „ ibidem, nisi a priore præfato instituatur ad officium vel ad regimen, „ neque adsumatur ad aliam ecclesiam vel extrahatur, excommunicetur, „ nec suspendatur, aut ad synodum ire cogatur, sine prædicti prioris li„ centia. Quod si cum licentia ejusdem prioris promoveatur quis ad aliam „ prælaturam, nullum ibidem dominium retineat. Insuper exemit dictam „ ecclesiam a solutione decimarum, & quod non possit interdici, nisi cum „ consensu ipsius rectoris. Datum in loco dicto Sacaria cum sigillo & „ subscriptione ipsius Azonis archiepiscopi & episcoporum Bosanensis, & „ Plovacensis & Gisarcensis, manu Oddonis notarii. “

XX.
Et abbatiam SS. Trinitatis de Sacargia.

EXTAT sub eadem die in archivo Fontis-boni [b] exemplar alterius privilegii, quod Camaldulensibus concessit præfatus archiepiscopus pro ecclesia & monasterio sanctæ Trinitatis de Sacargia, & pro supradicto cœnobio sancti Petri de Scanno, interventu & precibus eorumdem regis & reginæ.

b §. *Privileg.* *num.* XVII.

Ann. Chr. 1112.

ginæ. Decernit, ut nullus, quacumque dignitate præfulgeat, audeat minuere vel auferre, vel ad alium usum applicare, quæ præfatis ecclesiis a Constantino & Marcusa Camaldulensibus donata sunt, vel imposterum conferri poterunt, neque abbates & monachos præsumat quis excommunicationi subjicere, suspendere, aut ad synodum convocare, sed abbates eligantur & constituantur tantummodo per priorem Camaldulensem, neque ullus episcopus in præfatas ecclesias vel earum res dominatum exerceat, vel celebrandarum Missarum vel aliorum sollemnium non invitatus jus sibi vindicet. Concedit insuper eisdem ecclesiis oblationes & decimas earum possessionum, quas nunc habent vel habebunt in futurum. Quicumque etiam ad conversationem sociare se monachis voluerint, possint, & offerre præterea valeant bona sua; & priori Camaldulensi fas sit eos recipere, & in subditos suos, tum monachos, tum laicos, liberos sive servos, judicium ferre queat, ecclesiasticos autem ordines, ac altarium consecrationes petere & accipere possint abbates & monachi a quocumque maluerint episcopo. Donatio hujus monasterii sanctæ Trinitatis de Sacargia ad præsentem annum pertinet, quandoquidem sub finem anni sequentis inter cetera Camaldulensia monasteria recensetur a Paschale II. Nomen obtinebat etiam sanctæ Mariæ, & modo commendatariis inservit, una cum monasterio, jam Sacrariensi abbatiæ unito, sancti Petri de Iscano, quorum redditus sunt satis ampli. Ex relatione patris Gerardi ab Osilo Sardi ordinis Cappucinorum Constantinus rex abbatiæ fundator in ecclesia monasterii de Sacargia tumulatus fuit. Distat Sacargia ab urbe Sassaritana octo millibus passuum. Ecclesiæ longitudo est ducentorum palmorum, latitudo sexaginta, porta princeps Occidentem respicit. Extra ecclesiam porticus columnis lapideis innititur; visuntur etiam aliquot ædiculæ, turris campanaria excelsa; monasterium duobus claustris clauditur, in dormitorio habitant modo custodes ecclesiæ. Anno 1660. Sassaris apud Hieronymum Castelluci typis edita fuit pagina indulgentiæ decem & novem millium annorum, & remissionis omnium peccatorum concessæ huic ecclesiæ, Francisco Serra canonico & vicario generali Turritano ipsam approbante, tempore vacuæ sedis archiepiscopalis. Idem religiosus vir asserit monasterium sancti Nicolai de Trulla, de quo anno sequenti, affatim esse modo solo æquatum, & extitisse olim apud Samestenem, quæ est in diœcesi Sassaritana, illud vero sancti Petri de Iscano etiamnum permanere sub diœcesi Bosana.

XXI. Quid de his donationibus historici Sardiniæ?

De iis donationibus hæc leguntur in historia generali insulæ regni Sardiniæ, quam conscripsit Franciscus de Vico, & edidit Barcinone per Laurentium Deu anno 1636. *Aviendo el santo abad Romualdo fundado la observantissima religion Camaldulense, sabidor de ello el pio y devoto rey Turritano Constantino luego despachò embaxadores a sus prelados, pidiendoles, que le concediessen un numero crecido de religiosos para su reino, assegurandoles todos honores, astimacion y comodidades. Assintieron los prelados, y vinieron a la provincia Turritana muchos religiosos Camaldulenses, a les quales concediò luego el piadoso rey el templo y casa de san Pedro de Escano, y aprovò el opispo de Bosa llamado Pedro, porque era de sa diocesi, y juntamente les dio la casa y templo insigne de la santissima Trinidad de Sacargia, y de san Pablo de Codrongiano. Y para que el curioso vea la forma antiga destas donationes, pondremos a la letra la de san Pedro de Escano, que dize assi, suponiendo, que todas las otras tenian esta misma forma.* Auxiliante Domino &c. *Demas de los dichos templos y casas les dieron dichos reyes Constantino y su muger mil oveias, quinientos puercos, treinta vacas, y muchos criados y viadas, que trae a la letra. El P. Agostino Florentino*

monge

Ann. Chr. 1112.

monge Camal. Histor. lib. II. cap. 3. *y affirma, que se tienen los privilegios originales en el archivio de la gran Camaldula, y que estan con hiles de seda mui curiosamente fexides, de que penden los reales sellos.*

Tambien les concedio el arçobispo Turritano, que enson ces era, y se llamava Azo a instancia de los dichos reges Constantino y Marchusa, el templo y casa de la santissima Trinidad de Sacargia en el obisbado Plovacense, y sa les concedio como metropolitano, parque en a quel tiempo, que fue por los annos mil ciento y diez y sey, no estava unido este obisbado al Turritano, ni se unio hasta el anno mil quinientos y tres, como vimos en esta parte cap. VIII. *n.* 7. *antes firmò esta donacion Pedro obispo Plovacense con los demas, que veremos, que lo confirman al fin de otro privilegio, que el rey y arçobispo Turritano, y obispos suffraganeos concedieron a los dichos padres Camaldulenses mui amplo, y que contenia entre otras cosas: Que nigun rey, prelado, ni otro inferior les quiete cosa alguna de la se les huvieren donado o donaren.* II. *Que la elecion de abad la aya de hazer el prior de la Camaldula.* III. *Que nigun abad, ni monge pueda acceptar obispado sin licencia del dicho prior.* IV. *Que nigun obispo, ni prelado pretenda jurisdicion en los monges, ni la tenga.* V. *Que qualquier clerigo, o otro seglar libremente puede ser recebido en su religion, y dexarle sus bienes.* VI. *Que los servientes y qualesquier otros, aunque sean libres.* VII. *Ses occuparent, y fueren de la abadia, o en sus bienes, sean exemptos de otra jurisdicion ecclesiastica o seglar, excepto la del abad privatamente.* VIII. *Que los monges puedan ser ordenandos, illos templos consegrandos de qualquies obispo.* IX. *Que le monges* possint agere in suis ecclesiis per clericos suos. X. *Que ningun obispo puede excomulgar a los dichos abad monges y sa familia, ni suspenderlos, ni compelerlos a su synodo, sino rogades, si los juzgare necessarios.* XI. *Que gozen los diezmos y primicias de todos sus bienes, que vi tienen y tuvyeren.* XII. *Que puedan acetar el legado de qualesquier fieles, y enterrarlos en sus Iglesias: lo qual mandan con gravissimas maldiciones contra los trasgressores, y benediciones a los que lo cumplieren.*

Las firmas son d'esta manera. Primero la del notario, que dize antecediendo una cruz. † Scriptum per manus Odonis Romane ecclesie notarii. *Y luego.* † Ego Azo Dei gratia archiepiscopus Turritanus. *Y pone esta sennal* ss. *la qual media entre firma, y firma detta manera.* † Ego Petrus Plovacensis episcopus ss. † Ego Petrus Guisarchensis episcopus ss. † Ego Nicolaus episcopus Ampuriensis ss. † Ego Marinus episcopus Bosane ecclesie ss. † Ego Vitalis archipresbyter Turritanus ss. *Luego se signe la firma de rey sin cruz y dize:* Ego Constantinus rex ss. † Ego Jacobus Soranus episcopus ss. † Ego Johannes episcopus Otanensis ss. Date die XVI. mensis decembris anno Dominice incarnationis M. C. XVI. in loco, qui vocatur Sacargia.

XXII. De variis Constantinis regibus Sardis.

Constantinus Turritanus in Sardinia rex, cujus donationes Camaldulensi eremo factas monasteriorum sancti Petri de Scanno & sanctissimæ Trinitatis de Sacargia hic referimus, distinguendus est a pluribus aliis Constantinis judicibus & regibus, qui circa hæc tempora jus dicebant in Sardinia. Scilicet in quatuor dynastias, quæ etiam judicatus appellabantur, tributa erat his seculis Sardinia; & dynastæ, qui idem regnum gubernabant, vocabantur judex vel rex Calaritanus, judex vel rex Gallurensis, judex vel rex Arborensis, & judex vel rex Turritanus, quem postremum ceteris potentia, opibus & ditione præpolluisse certum est. Quandoque judices ii potestatum titulum dumtaxat usurpabant. Non pigebit heic loci aliqua

Ann. Chr. 1112.

aliqua de variis Constantinis Sardis dicere, eosque ab invicem distinguere, tum quia sæpius de iis sermo erit in nostris Annalibus, tum etiam quia confusos ipsos a plerisque novimus. Plures bullæ Sardæ referuntur ab Erasmo Gattola in historia Casinensis cœnobii; alias producit Muratorius in suis Antiquitatibus medii ævi; nonnullæ leguntur in amplissima collectione veterum scriptorum & monumentorum Martene, & etiam in Annalibus Mabillonii. Edidit Gattola [a] donationem sex ecclesiarum factam monasterio Casinensi anno M. LXVI. a Torchitorio rege Sardiniæ *de loco Call.* scilicet Gallurensi, ut ex mox dicendis interpretamur. In uxorem habebat Torchitorius rex Gallurensis Veram, filium autem Constantinum. Ad annum [b] circiter 1070. alia Torchitorii judicis uxor occurrit nominata Pretiosa de Laccon, & ejus filius Constantinus *Fucte potestas de terra Calarese*, melius Gallurese; Pretiosa post mortem Veræ facile secunda fuit uxor Torchitorii. Constantinum hunc Torchitorii filium ad ea tempora viventem Gallurensem appellabimus. Alii Torchitorii filii vocantur Tirchi & Marianus; fratres vero Torchitorii Petrus & Comita. Scripta est donationis charta a Gattola edita *octavo anno regni ejus*, III. *nonas madias indictione* IIII. Cur in Gallura dominium tenuisse putemus Torchitorium, filiumque ejus Constantinum, alterum pariter Torchitorium regem post ipsum, paucis accipe. Extat Gregorii VII. Rom. pont. epistola [c] data XI. *idus octobris indictione* XII. hoc est anno 1074. Mariano Turrensi, Orzocco Arborensi, item Orzocco Calaritano, & Constantino Gallurensi judicibus Sardiniæ, qua ipsos hortatur ad obedientiam erga ecclesiam Romanam. Ex hac epistola in cognitionem venimus Constantinum filium Torchitorii in judicatu Gallurensi successisse patri, qui hoc anno jam defunctus erat; Marianum pariter suffectum in judicatu Turritano Barasoni, qui fuit ipsius pater, ut inferius ostendemus; Orzoccum Calaritanum insuper eumdem esse, qui Arzo dicitur in diplomatibus apud Martene & Mabillonium, cuique alias epistolas scripsit [d] eodem & anno 1080. idem Gregorius. Post Constantinum Gallurensem alius admittendus est in eodem judicatu Torchitorius vel Torquitorius; Johannes enim monachus Victorinus in quodam Gallurensi cœnobio commorans scribit [e] Richardo cardinali & abbati sancti Victoris Massiliensis, *domnum papam anathematizasse judicem Torquitorem & cunctam regionem suam*, ipsum autem *superbum in errore suo perseverare*; venisse propterea archiepiscopum Pisanum in Sardiniam, & coacto concilio iterum ipsum damnasse; ancipitem se proinde esse, quid agere debeat, an insulam & locum relinquere, an in terra Gallurensi moras adhuc trahere? Colligitur ex hac Johannis monachi epistola Torchitorium II. vixisse post annum 1091. quo in archiepiscopalem evecta fuit ab Urbano II. Rom. pont. ecclesia Pisana.

Alter Constantinus, in regno Calaritano paulo post ea tempora vivebat, filius Orzocci seu Arzonis regis & Veræ reginæ, quem superius diximus una cum matre Vera, *sanctimoniale* etiam appellata, munificum anno 1089. in monasterium Massiliense sancti Victoris. Uxor Constantino Calaritano Jorgia regina, filius Marianus seu Marinus rex, fratres Zerebis vel Zerchis, & Comita, & facile etiam Artonus, nisi hic filius sit Constantini, fraterque Mariani. Mariani judicis & regis Calaritani, qui uxorem habebat ipse quoque Pretiosam nominatam, atque ex ea filium susceperat Constantinum similiter Calaritanum, diploma legitur [f] apud Martene pro prædicto monasterio sancti Victoris, exaratum Karalis anno 1112. Constantinus Mariani pater, quique etiam dicebatur *Salusius de Laccon*, ut ipse se nominat, idem videtur, quem Saltarum appellat Laurentius Vernen-

a P. I. p. 154.

b Murat. T. II. c. 1053.

c Concil. T. XII. col. 258.

d Ibid. col. 268. 488.

e Apud Mart. veter. Script. T. I. col. 522.

f Ibid. col. 628.

ANN. CHR. 1112.

Vernensis [a], diaconus Petri archiepiscopi Pisani, cum narrat per hæc tempora Pisanorum maritimam classem ad expugnandas Balearicas insulas proficiscentem Sardiniam applicuisse, ubi a fœderatis regibus ejus insulæ suppetias obtinuit copiarum; nam dicit:

a Ap. Ughell. T. X. in Append.

Istic Dubitinus Pisanis associatur,
Qui quondam regnum censebat Calaritanum,
Et Constantino Saltarus judice natus.

Constantino itaque Calaritano regi Saltaro cognominato alius tribuendus præter dictos filius Dubitinus nomine. Fallimur, si Dubitinus idem non est, qui Turbinus judex Calaritanus, & donator Telonei populo Pisano anno 1103. cujus chartam affert [b] Muratorius, vel Dorbinus apud Martene. Porro Dubitinum hunc Calaritanum filium Constantini Saltari, ipsiusque patrem Constantinum apertissime distinguit ab alio Constantino Turritano rege tunc vivente idem Laurentius diaconus, dum canit eosdem Pisanos, antequam Calarim pervenirent, penetrasse *Turrentes aditus*, melius forte:

b Antiq. T. II. col. 156.

Turrenses aditus, ubi Constantinus habebat
Sedes, rex clarus multum celebratus ab omni
Sardorum populo.

Quos etiam manifestius distinguit Laurentius, dum de utroque rem diversam subdit, nimirum:

Prævalet hic jaculo, præclaris sensibus ille.

Prævalebat enim jaculo Dubitinus Constantini Saltari & regis Calaritani filius, præclaris autem sensibus Constantinus Turritanus prævalebat.

Beneficus ergo in eremum Camaldulensem hoc & sequentibus annis Constantinus fuit Constantinus Turritanus rex, & ipse de Laccon vocatus, qui vir prius Marcusæ reginæ, inde Mariæ de Arrubu-calido, erat nepos Barasonis regis, filius Mariani regis, pater Gunnarii regis, qui omnes successive in Turritana provincia dominium obtinuere, ut liquido demonstratur hæc genealogica series ex charta [c] confirmationis omnium bonorum, quæ contulerant majores sui monasterio Casinensi, factæ in gratiam Rainaldi cardinalis & abbatis Casinensis ab eodem Gunnario rege anno 1147. in qua habentur hæc verba: *Confirmamus, quicquid preterea gloriose memorie atavus meus Baraso rex, & Marianus avus noster, Constantinus etiam genitor noster & Marchusa regina uxor ejus, & consanguinei nostri cum filiis & filiabus, & Comita cum Muscundula, & Marianus cum uxore sua Justa, Pera filia Gonnarii, Constantinus de Carvia cum uxore sua Jorgia, Foratus de Gentili cum uxore sua Susanna* &c. *in eodem Casinensi cenobio dederunt* &c. Liquet ex his verbis Constantinum Turritanum regem, ejusque genitorem Marianum confundendos non esse cum alio Constantino & alio Mariano ejus patre regibus Calaritanis. Vidimus superius ex epistola Gregorii VII. Marianum Barasonis filium & Constantini Turritani patrem regnasse in Turritana provincia jam ab anno 1074. Aliquas ex ipsis donationibus a Gunnario indicatis affert Gattola, ut Constantini de Carvia, Furati de Gentili & ipsius Constantini de Laccon Turritani regis.

c Murat. Antiq. T. II. col. 1061.

d P. I. coll. 155. & 344.

Non imus tamen inficias inter judices & reges Sardos ex variis dynastiis, eorumque familias cognationis vinculum intercessisse, quod alibi videbi-

ANN. CHR. 1112.

debimus; sicut de ipsis regibus Sardis, aliisque Constantinis hoc seculo in Sardinia jus dicentibus aliqua iterum subjungemus anno sequenti. Hic tantum addimus Constantinum Turritanum regnasse usque ad annum 1127. nam Gunnarius ejus filius annum 1147. appellat vicesimum sui regni annum. Ad eumdem Constantinum Turritanum spectant insuper ea, quæ leguntur capite XXIV. lib. III. *Exordii Cistercienſis*, in quo post relatam visionem habitam a quodam presbytero de Balduino archiepiscopo Pisano piacularibus pœnis addicto, quique obiit anno 1147. hæc de Constantino rege subduntur: [a] *Post hæc apparuit eidem presbytero columna quædam jubaris immensi, cujus claritas ultra continuam solis valentiam coruscare videbatur, de cœlo ad terram usque porrecta, per quam anima quodam angelico ductu ad sidera contendebat. Sciscitante vero presbytero, quidnam hoc esset, respondit alter, ipsa est anima Constantini quondam judicis & domini Turritani. Hæc autem per novem annos ventis & pluviis & algoribus semper exposita a die exitus sui usque nunc in stillicidio domus suæ constitit, ibique suorum excessuum pœnas luit. Sed quoniam misericors & liberalis in pauperes extitit, & judicium injuriam patientibus fecit, insuper etiam de malis, quæ commisit, confessus est, & pœnitens a corpore exivit, idcirco misericordiam a Domino consecuta hodierna die meretur a malis omnibus liberari, & bonis omnibus socianda ad æternam beatitudinem introduci.* De suprarelato Gunnario autem sunt explicanda ea, quæ habet Bernardus epist. 244. ad Eugenium papam, scilicet: *Porro Turritanus judex, quia bonus dicitur esse princeps, sit vobis commendatus, & a vobis manu teneatur*; ubi etiam narrat, quod sanctæ memoriæ Balduinus archiepiscopus Pisanus excommunicavit Arborensem judicem, & quia nonnisi juste virum bonum id fecisse existimat, Eugenium precatur, ut auctoritate sua ratum & inconcussum maneat, quod factum fuerat a Balduino.

[a] *Exord. Cistercien. apud Ughellium T. III. 394.*

Quoad benedictiones & anathemata, quæ leguntur in Constantini Turritani regis donationibus ad favorem eremi Camaldulensis, similia, immo eadem fere verba occurrunt in aliis diplomatibus Sardorum judicum, quæ edita sunt a Mabillonio, Martene, Gattola & Muratorio, ac edentur a nobis hoc & sequenti seculo. Consueverant præterea Sardi reges Lunæ figuram exprimere in suis bullis plumbatis. Duas ex ipsis profert in sua historia Casinensi Gattola, quarum plumbum Lunam plenam exhibet & literas CONSTANTINE. REGE. GVNNARIO. REGE. Muratorius pariter affert ex pergamenis Casinensis tabularii duo sigilla spectantia ad Barasonem Sardiniæ regem, in quorum altero ad annum 1182. visitur crux cum duabus stellis, & cum duobus quadrantibus Lunæ una cum epigraphe BARASONVS. REX. In alio conspicitur integrum astrum Lunare, & in parte opposita leguntur literæ BARVSONE. REX.

Suprarelatam a Constantino Turritano rege eremo Camaldulensi donationem factam monasterii sanctissimæ Trinitatis de Sacargia & sancti Petri de Scanno Mabillonius refert ad annum sequentem 1113. Sed ex tabularii Camaldulensis Fontis-boni pluribus exemplis, quæ nos vidimus, assignatur a nostris anno præsenti, cui assignat etiam Fortunius, & præterea in bulla Paschalis II. emanata anno sequenti mense novembri, inter ceteras ecclesias & loca, quæ tunc constituebant congregationem Camaldulensem, utraque hæc ecclesia recensetur. Quare si donatio sancti Petri de Scanno facta mense majo non pertinet ad hunc annum, sed ad annum sequentem, saltem donatio monasterii & ecclesiæ de Sacargia pertinet ad præsentem, cum hæc facta fuerit mense decembri. Ceteræ Sardæ ecclesiæ sancti Petri de Cotroniano, sanctæ Eugeniæ in Simanar, sanctorum Mi-

chaelis

ANN. CHR. 1112.

chaelis & Laurentii in Vanari, sanctæ Mariæ & sancti Johannis in Altasar, sanctæ Mariæ in Contra & sanctorum Johannis & Simeonis in Salvenero, quæ circa hæc tempora donatæ fuere Camaldulensibus, non enumerantur in præfato Paschalis privilegio, primumque recensentur in altero Honorii II. Rom. pont. qui die VII. martii anni 1125. eas confirmavit Johanni priori Camaldulensi. Quare ad sequentes annos earum donationes referri debent.

Quoad episcopos Sardos, qui anno 1116. donationem Constantini ratam habuere, Azonis Turritani archiepiscopi nomen legitur [a] per hæc tempora etiam in donatione Furati de Gentili cum uxore sua Susanna facta monasterio Montis-casini, in alia quoque, qua jussu Calixti II. Rom. pont. oblatæ eidem cœnobio fuere plures ecclesiæ anno M. C. XX. a Gunnario nobilissimo Sardo, cujus uxor vocabatur Helena de Torri, filiæ vero appellabantur Vera & Susanna, altero proinde a Gunnario rege filio Constantini regis, cujus uxores fuere Maria & Pretiosa. Primus Gunnarius videtur ante annum 1113. concessisse aliquas ex iisdem ecclesiis cœnobio Casinensi, ut colligitur ex privilegio Paschalis papæ II. qui eodem anno ipsius largitionem confirmat. In qua Gunnarii nobilissimi Sardi donatione Azo Turritanus archiepiscopus *Athus* nominatur. Petri Guisarchensis episcopi subscripti in nostræ donationis pagina nomen occurrit [b] in privilegio concesso anno M. C. XVIIII. a Willelmo archiepiscopo Calaritano monasterio sancti Saturnini. Nicolaus quoque Ampuriensis alter episcopus subscriptus, & Furatus presbyter, qui fuit notarius, leguntur in supradicta Gunnarii donatione ad annum M. C. XX.

a Gattol. P. I. pagg. 344. 424. 427.

b Marten. veter. script. T. I. col. 658.

XXIII. Donationes in agro Arretino factæ Camaldulensibus. Parergon de variis ecclesiis Arretinis.

EODEM *anno millesimo centesimo tertio-decimo* stilo Pisano, hoc est præsenti anno 1112. communi more, VIII. kalendas decembris indictione VI. quæ mutata fuerat mense septembri, Andreas quondam Lamberti, & Ghisla quondam Leonis ejus uxor offerunt & tradunt terras hospitio pauperum peregrinorum, quod exsurgebat juxta monasterium sancti Frigdiani de urbe Pisarum. *Actum Casa-invidia*.

Reginerius filius quondam Ardingi, qui præterito anno Guidoni priori Camaldulensi donaverat castrum & curtem Tegiani, præsenti anno una cum Gasdia uxore sua filia Landolfi iterato offert & tradit ecclesiæ eremi Camaldulensis tertiam partem ejusdem castelli & curtis de Giano, sive de Tegiano, quod Monte-cuplo etiam vocabatur, simulque ambo largitionem faciunt earum rerum, quæ ad ipsos pertinebant in Cinina, in territorio plebium sanctæ Mariæ in Bujano & sancti Martini in Caliano. *Actum prope ecclesiam sancti Justini in Carra*. Addi poterit notitia hujus ecclesiæ sancti Justini territorii Arretini, in confirmationem cultus, quem penes Arretinos obtinebat idem sanctus Martyr vel initio hujus XII. seculi, quo monumento locupletari poterunt vindiciæ sanctorum Martyrum Arretinorum recens elaboratæ a pereruditο viro Angelo-laurentio Grazini sacerdote Arretino, occasione qua veteres quasdam litanias Arretinas illustrandas suscepit. Carra locus est in agro Arretino inter Belfortium & Bibianum. Ad annum quoque 1340. in quadam appellatione Basilii abbatis sanctæ Mariæ de Agnano nominatur inter testes *Naldus presbyter ecclesie sancti Justini in Carra*, ut addiscimus ex autographa pagina [c] ejus appellationis existente in tabulario nostro sancti Romualdi de Urbe.

c Mazzo 1. n. 5.

Rem gratam quinimmo facturos arbitramur eidem Grazino, si data hac opportunitate, ex chartis dumtaxat nostris editis, vel edendis in his nostris Annalibus aliqua hic superaddamus perfunctorie de aliquibus Sanctis, qui vel monasteria, vel ecclesias, vel cultum peculiarem Arretii & in ejus

ter-

territorio obtinebant, quorum nimirum Sanctorum nomina invocantur in dictis veteribus litaniis, quas publici juris fecit. Sanctæ Felicitatis martyris, cujus mentio fit in ipsis, sed de qua tamen verbum non facit Grazinus, ecclesia alia erat in casali Rode, altera in casali Fregina ad annum 1035. [a] ex tabulario Fontis-boni. Tertiam reperimus sanctæ Felicitati dicatam ecclesiam in monte Popani territorii Arretini in chartis abbatiæ sancti Johannis-decollati de Saxo, quas perhumaniter nobis obtulit Cl. V. D. Petrus-aloysius Galletus monachus Casinensis. Mirum vero quam frequentes forent in comitatu Arretino ecclesiæ in honorem sancti Martini erecte! Præter celebrem sanctorum Laurentii & Martini de Pino ecclesiam, cui adjunctum erat ordinis sancti Benedicti monasterium, & præter altera cœnobia sanctorum Bartholomæi & Martini de Tiphio, ac sanctorum Ægydii & Martini de Campriano, nominatur ad hunc annum 1112. in mox recensita Reginerii donatione ecclesia sancti Martini in Galiano; ad annum 1117. [b] ecclesia sancti Martini a Scisiano in charta Rainerii filii Rainerii marchionis; in villa de Monte ecclesia sancti Martini [c] concessa anno 1124. a Guidone episcopo Arretino Johanni priori Camaldulensi; in casali Marcina plebs sancti Martini, ubi fuere aliquot bona donata monasterio Prataliensi ex archivo [d] sanctæ Mariæ in Gradibus; ex illo Fontis-boni ad annum 1074. [e] ecclesia sancti Martini in Fojano; anno 1133. ecclesia sancti Martini in Letarcle [f] tradita fuit eremo Camaldulensi. Reperimus ad annum 1081. ecclesiam sancti Martini in Vado ex donatione [g] Constantini episcopi; anno 1070. [h] pleberium sancti Martini de Sala in podio sanctæ Christinæ, & [i] in villa curtis veteris de Fojano; ad annum autem 1089. [k] plebatum sancti Martini de Socana in loco Arcena; ecclesia sancti Martini in Fabriche in loco Quarantula erat subjecta anno 1194. monasterio Agnani ex tabulario [l] sanctæ Mariæ in Gradibus; alia sancti Martini de Cornaro adnexa erat Silvæ-mundano cœnobio. Sancti Martini de Galognano plebs, ubi erat ecclesia sanctæ Christinæ ad Clanas, & ecclesia sancti Martini de Loreto in plebatu de Toppo memorantur in chartario [m] sancti Romualdi de Urbe. Accursius rector sancti Martini de Arretio legitur ad annum 1271. [n] in chartis Fontis-boni. Cultum obtinebat sancta Lucia in villa Sparenæ. Altera ecclesia sanctorum Luciæ & Bartholomæi de Camprena juris erat Camaldulensis eremi, a cujus dominio postea subtracta plebaniæ Partinæ fuit unita. In ecclesiam pariter sanctæ Luciæ de Aquina patronatum obtinebat eadem eremus [o] anno 1221. Ex privilegio anno 1151. concesso ab Eugenio III. monasterio sancti Quirici in Rosis de Arretio cœnobium hoc plura bona possidebat in villa sanctæ Luciæ. Sanctorum martyrum Proti & Hiacynthi reliquias ex Silvæmundano monasterio ad illud sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia translatas scimus ab Ambrosio præside generali nostro. Sanctæ Christinæ ad Clanas ecclesia subjiciebatur cœnobio Agnaniensi; ad annum 1076. in charta Fontis-boni [p] mentio fit plebatus sanctæ Christinæ; plebis autem sanctæ Mustiolæ [q] ad annum 1083. Sancti Vincentii plebs prope montem Luci in comitatu Arretino memoratur in chartulario abbatiæ Berardingorum sub numero 1096. In summariis Raineri & Simonis monachorum Fontis-boni [r] legitur plebs sancti Cassiani sita Cornito ad annum 1068. & ad annum 1115. pleberium sancti Cassiani in Capavano. Sancti Laurentii ecclesia in territorio sancti Eleutherii [s] ad annum 1027. alia ejusdem sancti martyris intra civitatem [t] ad annum 1072. ecclesia autem sanctæ Agnetis [u] ad annos 1074. & 1078. leguntur in chartis Fontis-boni. Attulimus ad annum 1085. chartam ex tabulario cœnobii sanctarum Floræ & Lucillæ

Ann. Chr. 1112.

a §. Donatio A. 1. 36. 39.
b §. Recordationes n. 18.
c §. Donatio A. 1. 275.
d Num. 11.
e §. Donatio n. 149.
f §. Amissæ n. 145.
g Ibid. n. 32.
h §. Donatio n. 138.
i §. Emphyteusis n. 108.
k §. Donatio n. 343.
l Num. 20.
m Mazz. 1. n. 4. & 5.
n §. Invalidæ n. 32.
o §. Donatio n. 391.
p Ibidem num. 155.
q Ibidem num. 175.
r Pag. VIII.
s §. Donatio num. 38.
t Ibid. n. 145.
u Ibid. num. 153. 164.

Ann. Chr. 1112.

læ pro monasterio Silvæ-mundano, in qua dicitur: *Actum infra domo sancti Donati Arretini episcopi in ecclesia sancti protomartyris Stephani*. Collis etiam sancti Stephani erat prope ecclesiam & bona monasterii nostri sancti Savini de Chio ex pagina Camaldulensi relata a nobis [a] tomo præcedenti. Alia ad annum 1283. sancti Stephani de Tega ecclesia nominatur, quæ etiam subjecta erat anno 1244. cœnobio Silvæ-mundano. Ecclesia sancti Blasii in urbe Arretii erat sub jure monasterii Agnaniensis; alia sancti Blasii de Pratali unita prius cœnobio Prataliensi, inde eremo Camaldulensi. Ad annum 1199. [b] legitur ecclesia sancti Gregorii intra civitatem. Ad annum 1313. [c] ecclesia sanctarum Floræ & Lucillæ de Sparena. Præter monasterium nostrum sancti Savini in Chio, aliam ecclesiam sancti Savini anno 1203. [d] obtinebat cœnobium Campriani. Anno 1173. duodecim canonici Arretini una cum priore sancti Ansani subscripsere permutationi castri Mojonæ factæ [e] eremo Camaldulensi ab Adanulpho præposito Arretino. Anno 1198 Matthæus presbyter procurator monasterii de Pratalia coram consulibus Arretinæ civitatis petens quamdam hæreditatem inter cetera postulat, ut Rainaldus [f] *moretur in resedio de Sanct' Antimo*, & ut Calvus *moretur a sanct' Antimum*. Sancti Thomæ apostoli ecclesia [g] nominatur ad annum 1094. moniales vero sancti Thomæ de Arretio [h] ad annum 1360. & illæ sanctæ Margaritæ de Arretio [i] ad annum 1341. Emptiones terrarum in plano Arretii loco dicto *le Murate*, & in curia villæ sanctæ Fermenæ leguntur ad annum 1362. [k] factæ a Johanne priore Camaldulensi. Anne vox corrupta sancti Firminei vel Fermenei martyris, cujus cultum apud Arretinos demonstrat idem Grazinus? Demum sancti Laurentini ecclesiæ ad annum 1160. fit mentio. Rainerius capellanus ejusdem loci memoratur ad annum 1191. & receptio ejusdem ecclesiæ sub protectione Communis Arretini ad annum 1199. legitur in tabulario Fontis-boni [l]. Omittimus nomen sancti Benedicti, quod, præter sanctimonialium asceterium in urbe Arretina, gerebat etiam monasterium Pratalienſe. Hæc summatim, tamquam parergon, de aliquibus ecclesiis Arretini territorii vel urbis, quæ ex paginis nostris innotescunt; silentio libenter prætereuntes modo sexcentas alias notiores ecclesias, quæ frequentissimæ occurrunt in his nostris Annalibus.

[a] App. col. 260.
[b] §. Sententia n. 8.
[c] §. Permutatio P. II. n. 1.
[d] Ibid. n. 17.
[e] Ibid. n. 24.
[f] §. Libellus n. 1. A. 2. 46.
[g] §. Mutilæ n. 5.
[h] §. Statuta n. 7.
[i] §. Emptio n. 81.
[k] Ibid. n. 3. A. 4. 20.
[l] §. Amissæ n. 203. 244. 265.

Ann. Chr. 1113.

XXIV. Ecc. S. Nicolai de Trulla in Sardinia donata Camaldulensibus.

Constantini regis & Marcusæ reginæ exemplo, qui benefici se ostenderant anno elapso erga monachos Camaldulenses advocatos ab ipsis in suum Sardiniæ regnum, hoc *anno* M. C. XIII. *mense octobri die* XXVIII. *lune* XVII. *quarta feria*, juxta excerpta tabularii Fontis-boni, „ Petrus de Athen cum uxore sua Padulosa, & Ithocor de Athen cum „ conjuge Helena de Torre, & Marianus de Athen, Nistoli de Carbia „ cum uxore Helena de Torri, Comita de Thorri, & uxor ejus Vera de „ Athen, & Constantinus de Athen, & Itocor & Petrus fratres cum Jorgia ejus sorore, consensu habito judicis Constantini de Laccon, & Marcusæ de Gunale, & domni episcopi de Cannetu, & Johannis presbyteri rectoris sancti Petri de Sora, assentiente etiam domno Elia presbytero, *qui modo est rectore de archiepiscopato sancto Gavinio*, pro remedio „ animarum suarum & parentum suorum donaverunt & obtulerunt domno Guidoni priori Camaldulensi & successoribus ejus pro eremo Camaldulensi ecclesiam sancti Nicolai de Trulla cum omnibus suis bonis „ & pertinentiis, ad hoc ut præfatus prior dictam ecclesiam in monasterium convertat, & ibidem monachos constituat secundum regulam, & „ consuetudinem Camaldulensem, ipsorum priorum ordinationi sponden-

tes se

„ tes se usque in sempiternum morem gessuros, nec quid contra umquam acturos. Quam donationem confirmavit, nomen & signum suum apponens, Albertus episcopus Soranæ ecclesiæ. “ Sed ipsam integram donationem ex tabulario Fontis-boni publici juris facimus in Appendice.

ANN. CHR. 1113.

PARITER in iisdem excerptis sub titulo *Recordationes* [a] legimus: „ Johannem Sargio episcopum sancti Petri de Sorra cum consensu domni „ Ithocor de Monte & prioris monasterii sancti Petri & sancti Stephani „ & suorum clericorum, atque domini Varasonis de Laccon judicis, uxorisque ejus Pretiosæ reginæ, necnon domini Constantini regis ejus filii, „ ac domini Petri archiepiscopi, per se suosque hæredes in perpetuum „ donasse & obtulisse eremo Camaldulensi ecclesiam sancti Nicolai de Trulla, & ecclesiam sancti Petri de Arkenor, & sancti Petri de Montieleta, & sanctæ Mariæ de Sagansa cum omnibus pertinentiis suis in plurimorum præsentia testium. “ Hanc tamen donationem Baroncinius refert ad annum 1134. sed sub hoc anno 1113. consignatur in libro, cui titulus: *Bona Sardiniæ* existente in tabulario monasterii sancti Michaelis in Burgo Pisarum, quod ea jura in insula Corsicæ & Sardiniæ obtinuit.

XXV. Iterum de pluribus regibus Sardis Constantinis.

a *A. II. c. 1. 4.*

Alterum hic habemus Constantinum Sardiniæ regem, qui neque cum Constantino Turritano, neque cum Constantino Calaritano, quos illustravimus anno antecedenti, est confundendus. Constantini enim nominati in excerptis chartæ hujus anni pater erat Baraso, & mater Pretiosa, Constantini autem Turritani genitorem vidimus anno antecedenti fuisse Marianum, Constantini vero Calaritani patrem Arzonem, matrem autem Veram. Ne quid dissimulemus, Constantinum Barasonis filium longe post hæc tempora vixisse arbitramur, filiumque fuisse ejus Barasonis regis, cujus donationes factæ monasterio Casinensi leguntur ad annum 1182. Gunnarius scilicet filius Constantini Turritani regis, rex & ipse Turritanus, ut diximus anno superiori, anno 1147. [b] vigesimum regni sui annum numerabat, immo floruit usque ad annum 1153. ejus enim donatio eo anno facta Rainaldo abbati Casinensi edita fuit [c] a Gattola, & a [d] Muratorio. Gunnarii uxor [e] fuit Pretiosa de Florubu regina, quam secundis nuptiis sibi copulavit post Mariam reginam ejus primam uxorem [f], quæ vivebat anno 1136. Vel ex Maria, vel ex Pretiosa Gunnarius filium suscepit Barasonem nomine, cui in conjugium tradita est altera [g] Pretiosa de Orruvu regina. Barasonis & Pretiosæ de Orruvu filius fuit Constantinus. Quare supra relata donatio Johannis episcopi neque ad annum 1113. neque ad annum 1134. pertinere videtur, sed est retrahenda post medietatem hujus seculi, & post mortem Gunnarii, quo defuncto jus dixit in Turritana provincia Baraso ejus filius una cum Constantino rege ex Barasone nato. Accedit, quod nomen Johannis de Sargio episcopi Sorrensis, quamquam legatur in charta anni 1139. quam ad eum annum afferemus, & in qua nomen etiam Petri archiepiscopi Turritani prostat, cujus consensu donationem fecit idem Johannes de Sargio, legitur etiam ad annum 1170. in charta Alberti archiepiscopi Turritani apud eumdem [h] Muratorium. Johannem hunc episcopum facile eumdem etiam credimus, qui sub nomine Johannis Surrentini episcopi subscripsit donationi Gunnarii regis ad annum 1153. Quod autem idem Johannes Sorrensis episcopus dicatur eremo Camaldulensi donasse ecclesiam sancti Nicolai de Trulla, id intelligendum est de confirmatione ejusdem ecclesiæ & monasterii; constat enim ex pontificiis privilegiis, & ex illo præsertim Honorii papæ II. jam ab anno 1125. eam ecclesiam inter ceteras Sardiniæ eremo Camaldulensi confirmantis, ex præ-

b *Murat. Antiq. med. ævi T. II. col.* 1061.

c *Par. I. pag.* 428.

d *T. II. col.* 1053.

e *Ibid. col.* 1051.

f *Gattola P. I. pag.* 156.

g *Murat. T. II. coll.* 1051. & 1053.

h *T. II. col.* 1051.

Ann. Chr. 1113.

prævia facta largitione hoc anno 1113. a nobilibus Sardis, & ex subsequenti concessione Azonis Turritani archiepiscopi, in jus Camaldulensium transiisse eodem ferme tempore, quo transieret monasterium sanctissimæ Trinitatis de Sacargia & alterum sancti Petri de Iscanu. Quare Johannes Sorrensis episcopus non primum donavit, sed ratam habuit calculoque suo adprobavit donationem ecclesiæ sancti Nicolai de Trulla jampridem factam Camaldulensibus. Forte huic confirmationi addidit de novo post medietatem hujus seculi traditionem aliarum ecclesiarum sancti Petri de Arckenor & sancti Petri de Montieleta, & sanctæ Mariæ de Saganza, quæ nominatæ non reperiuntur in suprarelato Honorii privilegio. Hæc ad distinctionem alterius Constantini regis Turritani, & ad componenda tempora Johannis de Sargio Sorrensis episcopi cum temporibus Barasonis regis Turritani ac Constantini ejus filii, qui Baraso ex rege Gunnario natus, Constantini regis, de quo multa diximus anno antecedenti, nepos fuit.

Nec subticenda ratio, cur in his donationibus Sardis præter regum seu judicum, & episcoporum consensum, requireretur etiam beneplacitum clericorum; id nimirum præstabatur, ne quando ob defectum consensus canonicorum vel clericorum irritæ vel nullæ declararentur donationes. Re enim vera tempore Uberti archiepiscopi Pisani ad annum 1135. indictione VI. cum Petrus archiepiscopus Turritanus, judex quoque seu rex Sardus facile Gunnarius, ecclesias quasdam tradidissent monasterio sancti Benedicti Montis-casini absque consilio episcoporum, & sine assensu clericorum sancti Gavini, clerici ii suas querelas detulerunt ad archiepiscopum Pisanum, qui ut litem monachos inter & clericos componeret, concordiæ cujusdam remedio statuit, ut monachi sancti Benedicti ecclesias sibi traditas quidem tenerent, salva tamen sancti Gavini reverentia, & censum persolverent, ac servitium quotannis præstarent, ut videre est in sententia ejusdem Uberti archiepiscopi [a] apud Gattolam & ex ipso apud Mansium in Supplementis Conciliorum.

[a] *Hist. Montis-casini T. I. p. 353.*

XXVI. Donationes eremo Camald.

Anno *millesimo centesimo tertiodecimo*, *imperante Henrico Romanorum imperatore augusto*, *octavo kalendas genuarii*; anno scilicet præterito incœpto a die nativitatis Dominicæ, *indictione quinta*, quæ per octo adhuc dies perseverabat sub finem anni præcedentis, Gerardus filius quondam Guinildi lege Langobardorum vivens, ad consortium fratrum monachorum Camaldulensium cum rebus suis & una cum filio suo se conferens, per chartulam oblationis omnes res suas & Ramundinum genitum suum tradidit ecclesiæ & eremo Camaldulensi, sed non statim conversionem vel monasticum habitum suscepit, quia adhuc penes se retinuit portionem castelli de Laurentiano *ab ecclesia*, *que est in ipso castello in sursum*, reservans sibi summitatem & pinnam ipsius castelli; pactum enim inierat cum nepotibus suis, filiis nimirum fratrum suorum, quod fas sibi non esset alienare præfatam portionem suam, nisi prius ipsos requisisset per tres vices, & interpositis aliquot diebus, ad hoc, ut si ipsi assentirentur, eam justo pretio emerent; si vero nollent, tunc liceret sibi eam tradere, quibus pro suo libitu vellet. Actum *Fonte-boni* nempe in Camalduli-majoris monasterio, ex quo loco chartam exscripsimus.

XXVII. Aliæ monasterio S. Petri minoris Arretii. De Funtiani monasterio.

Ipso *anno millesimo centesimo tertio decimo*, *regnante Henrico rege mense julio indictione sexta* Rolandus filius Pagani obtulit Martino abbati monasterii sancti Petri-minoris siti in suburbio Arretinæ civitatis recipienti vice ejusdem ecclesiæ ad usum & sumptum monachorum ibidem Deo famulantium terras positas in plebe sanctæ Mariæ in Gradibus in loco dicto *Tassi*. Donationis chartam edimus ex tabulario cœnobii sanctarum Floræ & Lu-

& Lucillæ de Arretio, ex qua in cognitionem venimus monasterium sancti Petri, quod hucusque prioratus fuerat, & subjectum monasterio Silvæ-mundano, erectum tunc temporis fuisse in abbatiam, cum eremi Camaldulensis disciplinam suscepit una cum eodem Silvæ-mundano, quandoquidem cœnobium sancti Petri ante annum præsentem, & proxime ad hæc tempora Silvæ-mundanum inter Camaldulensia monasteria recensentur. Post hunc annum Petrus dispensator hospitalis, quod est sub regimine sancti Petri minoris, legitur ad annum 1124. in eodem tabulario [a]. Rainerius abbas dicti monasterii [b] ad annum 1132. cui Bujanus episcopus Arretinus & comes in beneficium concedit aliquot sistaria silvæ Piscajolæ, & ad [c] annum 1144. quo idem Rainerius permutat quædam bona cum Isembardo. Ad annum 1156. [d] Rolandus prior sancti Petri-minoris ad libellum tradit quamdam domum juxta murum civitatis.

ANN. CHR. 1113.

a Cap. Q. n. 32.
b Ibid. n. 34.
c Ibid. n. 108.
d Ibid. n. 40.

In excerptis ejusdem tabularii sanctarum Floræ & Lucillæ legitur sub hoc anno 1113. [e] castrum Funtiani donatum fuisse præfato Arretino monasterio; immo Innocentius papa II. dum privilegio suo dato huic cœnobio anno 1135. recenset ejusdem jura, confirmat monasterio sanctarum Floræ & Lucillæ inter cetera *castrum de Funtiano cum ecclesia sancti Petri*. Hanc tamen ecclesiam diversam esse habendam a monasterio nostro sancti Petri in Funtiano liquet ex altero privilegio ejusdem Innocentii, quod anno 1136. dilargitus fuit Azoni priori Camaldulensi, in quo inter alia loca, quæ tunc obtinebat eremus Camaldulensis, memoratur *monasterium sancti Petri in Funtiano*, quod successive in aliis posteriorum pontificum bullis semper juris Camaldulensis congregationis asseritur; immo in privilegio præsentis anni concesso eremo Camaldulensi, ut mox dicimus, a Paschale II. expresse nominatur: *In episcopatu Wlterano monasterium sancti Petri in Fontiano*.

e Capf. G. n. 20.

XXVIII. Insigne privilegium Paschalis II. pro Camaldulensibus.

CONSIGNATUR sub sequenti anno, sed melius revocandum est ad finem præsentis anni, Paschalis papæ II. laudatum privilegium insigne concessum Guidoni priori Camaldulensi ejusque successoribus; datum est enim Anagniæ per manum Johannis sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi & cardinalis II. *nonas novembris indictione* VII. *incarnationis Dominice anno* M.C.XIIII. *pontificatus domni Paschalis II. pape anno* XV. Pridie nonas novembris anni 1113. jam incœperat ab aliquot mensibus Paschalis annum XV. a die scilicet XIV. augusti, qua anno M.XCIX. ordinatus fuerat Romanus pontifex in locum Urbani II. Consequenter quarta die novembris anni M.C.XIV. sextum-decimum numerasset pontificatus sui annum; quare usurpatus fuit in hoc privilegio annus Pisanus, mutata tamen indictione VI. in VII. mense septembri, atque proinde ipsum spectat ad mensem novembris anni M.C.XIII. more Romano. Considerans porro idem Romanus pontifex hac tempestate Camaldulensis eremi seu cœnobii religionem adeo auctam esse & abundare, ut congregationes diversæ in unam congregationem Dei gratia convenissent, & loca plurima eamdem disciplinam, ordinem unum, & unum regimen tamquam corde uno & anima una retinerent, conservari cupiens hanc unitatem, præsentis decreti auctoritate præcepit, ut nemini fas esset imposterum congregationes illas, & loca, quæ jam Camaldulensis eremi disciplinam & ordinem receperant, quæque temporibus suis sub illius regimine continebantur, ab ejus subjectione & unitate dividere, sed tamquam corpus unum sub uno capite, idest sub uno priore Camaldulensis eremi & cœnobii, in perpetuum permanerent, & in illius consuetudinum observatione persisterent; sub illo nimirum priore, qui ab ipsis congregationibus, & ab earum abbatibus sive prioribus, sive etiam eremi-

Ann. Chr. 1113.

eremitis regulariter & unanimiter electus fuisset. Scilicet ante ea tempora plura monasteria, quæ congregationes appellat Paschalis, Camaldulensis eremi consuetudinibus & institutis se subdiderant; ad hunc vero annum tot monasteria convenerant sub eodem regimine, ut corpus congregationemque amplam conficerent; quare constituendus erat huic corpori unus præses, qui esset tamquam rector generalis abbatum & priorum, cœnobiorum & eremorum, quæ eamdem legum disciplinam amplexata fuerant, idque privilegio pontificio roborandum erat. A potiori itaque & florentiori loco, nempe Camaldulensi eremo, appellata fuit Congregatio Camaldulensis, & prior ejus loci constitutus est generalis prior totius congregationis.

Non tamen omnia enumerantur a Paschali monasteria, quæ tunc parebant eremo vel cœnobio Camaldulensi, sed plura tantum, quorum catalogum hic exhibemus. In episcopatu Arretino monasteria sancti Salvatoris Berardingorum, sancti Petri in Rota, sanctæ Mariæ in Agnano, sancti Quirici in Rosa, eremus Fleri, monasterium sancti Viriani, alterum sancti Bartholomæi in Anglare. Juxta Balneum monasterium sanctæ Mariæ in Trivio. In Galeata monasterium sanctæ Mariæ in Insula, eremus Fajoli. In episcopatu Bononiensi monasterium sancti Archangeli juxta castrum Britti, & sancti Felicis. In episcopatu Florentino monasterium sancti Petri in Luco, aliud sancti Salvatoris juxta civitatem. In episcopatu Fesulano monasterium sanctæ Mariæ in Poplena. In episcopatu Volaterrano monasteria sancti Petri in Fontiano, sanctæ Mariæ in Puliciano, sancti Petri in Cerreto, sancti Justi prope civitatem, sanctæ Mariæ in Morrona. In episcopatu Pisano monasteria sancti Stephani in Cintoria, sancti Savini in Cerasolo; in ipsa civitate monasteria sancti Michaelis & sancti Frigdiani. In episcopatu Lucano monasteria sancti Salvatoris in Cantiniano, sancti Petri in Puteolis. In Sardinia in archiepiscopatu Turritano monasterium sanctæ Trinitatis de Sacargia, & ecclesia sancti Petri in Scano. In Thuscia in episcopatu Clusino eremus Vivi in monte Amiato. Prætermittuntur autem monasteria sancti Nicolai, & sancti Angeli de Curte-luponis, ecclesia & canonica sancti Michaelis in suburbio Arretii, & cœnobium sancti Savini in Chio, quæ erant in comitatu Arretino; monasterium de Carifio in agro Volaterranno, parthenon sanctæ Christinæ in Bononiensi territorio, sancti Nicolai in Trulla monasterium in Sardinia, alterum sancti Georgii de Murro in Æsino comitatu, & alia, quæ exploratissimum est tunc temporis paruisse disciplinæ Camaldulensi. Privilegium scriptum per manum Chrysogoni notarii sacri Palatii edimus integrum in Appendice ex autographo tabularii Fontis-boni.

XXIX. Aliqua de monasteriis, quæ congregationi accesserant de novo.

Aliqua interim hic loci delibamus de iis monasteriis, quæ de novo accesserant, præter ea, quæ alibi diximus. Cœnobio Berardingorum praeerat hoc tempore Guido, Rotensi autem facile Rainerius, qui eam abbatiam regebat anno 1119. Raginaldus vero abbas erat sanctæ Mariæ de Agnano, de quo monasterio primum egimus ad annum 1083. Monasterium sancti Quirici in Rosa vel de Rosis aliud a loco nomen obtinebat de Fojano; primus, qui ex chartis Fontis-boni innotescit, prior hujus cœnobii Donatus annis 1111. & 1115. De cœnobio sancti Viriani antiquiora spectant ad annum 1095. Eremus de Fleri seu abbatia sita erat in comitatu Cortonensi. In privilegio Eugenii papæ III. anno 1151. eremus nominatur sub titulo sancti Johannis de Vallemagna, cujus jura extendebantur in abbatiam de Fleri, & in ecclesias de Marignano, de Plazano, de Margnano, de Gabiano, de Canapino, de Collesicco, & de Valle,

Subin-

Subinde ædificata fuit altera ecclesia sub invocatione sancti Basilii. De Insulano cœnobio ad annum 1092. egimus; præfecturam loci anno 1104. obtinebat post Rembaldum primum abbatem, quem novimus, Guido; ipsius monasterii plures ecclesias in medium afferemus ad annum 1179. Multa proloquuti sumus de cœnobio sancti Michaelis ad castrum Brittorum in agro Bononiensi ad annum 1074. Illud unum addimus præceptum vetus Caroli regis pro monasterio sancti Michaelis, quod inibi produximus, quodque verisimiliter Conrado filio Henrici IV. imperatoris tribuimus, tribui etiam posse Henrico regi ejus fratri, filio similiter Henrici IV. & dicto V. quandoquidem ex Orderico Vitale [a] intelligimus Henricum V. aliud Caroli nomen obtinuisse. Referens enim Ordericus acta concilii Remensis anni 1119. sub Calixto II. Romano pontifice, & narrans condemnationem in eo factam ejusdem Henrici V. imperatoris, hæc habet: *Tunc papa Carolum Henricum imperatorem Theomachum, & Burdinum pseudo-papam & fautores eorum mœrens excommunicavit*. Ad annum etiam 1109. donationem attulimus factam monasterio San-victoriano eo anno *rennante Carilo res*, *temporibus domnus Paschasius papa* &c. Quare quin confugium habeamus ad errorem exscriptoris, qui literam initialem C. pro Conrado tribuerit Carolo, Carolum etiam habemus regem eodem tempore viventem, & alio nomine appellatum Henricum V. cui proinde tribui poterit præceptum pro monasterio sancti Michaelis de castro Brittorum, quod Tomo II. Annalium nostrorum inter supposititia, vel saltem dubia atque extreme vitiata ultimo loco rejecimus ad Appendicem. Ipsius monasterii abbas erat hoc tempore Rainerius. Alterum Bononiense sancti Felicis monasterium legitur primum in hoc Paschali privilegio; subinde in aliis Eugenii III. Alexandri III. Lucii III. Urbani III. & Clementis III. Romanorum pontificum toto præsenti seculo. Ædificationem monasterii sanctorum Justi & Clementis in urbe Volaterrana attulimus ad annos 1030. & 1034. sub Gunfredo & Guidone episcopis. „ Defuncto Raimberto primo abbati subrogatur, inquit Fortunius, Andreas anno 1058. qui „ obtinuit ab episcopo jugera quatuordecim terrarum in monte Nibio, & „ comparavit prædia in Ruciano. Post Andream præfuit Stephanus, cui „ Rogerius episcopus exemptionem fodri concessit in toto monte, pago- „ que sancti Justi, & Podii ad Antiqua anno 1106. Post Guilielmus, sub „ quo cœnobium sacræ eremo copulatum est. Instituta autem inibi Ca- „ maldulensi colonia, administravit cœnobium Boninus, deinde Guido „ &c. " Anno præterito Ugo comes Uguccionis comitis filius in eadem sancti Justi ecclesia, [b] nomine Volaterranæ civitatis, salvo dominio comitissæ Mathildæ, legem & amicitiam firmaverat cum civitate Pisana. In excerptis nostris reperimus eidem monasterio anno 1099. Petrum episcopum Volaterranum concessisse quasdam terras prope ecclesiam sancti Cypriani. Petrus episcopus est ignotus Ughellio, qui eo anno episcopum Volaterranum Rogerium facit. Ecclesia sancti Cypriani subjecta monasterio sanctorum Justi & Clementis erat parœcialis, unoque milliario distabat ab abbatia. Monasterium sancti Clementis situm erat, ubi modo jacet ipsa abbatia. Subjiciebantur quoque eidem cœnobio ecclesia sancti Quirici in plano fluminis Heræ, altera cognominata Fasano, medietas quoque ecclesiæ sancti Michaelis archangeli in Curbano, & altera ecclesia in castro Sancti-geminiani sub invocatione sancti Frigdiani. Demum abbatia sanctæ Mariæ in Aschis in plano Castaneti. In ecclesia sancti Quirici episcopus Volaterranus electus solebat, quando possessionem inibat episcopatus, morari, ubi excipiebatur ab abbate & a monachis sanctorum Justi

& Cle-

ANN. CHR. 1113.

a *Hist. eccl. lib. XII.*

b *Troncia Storia di Pisa pag.* 42.

Ann. Chr. 1113.

& Clementis, ac pallium relinquebat in manibus abbatis, & vespere apud dictæ ecclesiæ domum pernoctabat. Guilielmus abbas, sub quo prædictum monasterium reformationem Camaldulensem suscepit, adnotatur in antiquo necrologio Lucensi edito cum antiquis diptychis a Sebastiano Donati ad diem III. nonas novembris his verbis: [a] *Obiit Guilielmus abbas de monasterio Justi & Clementis*. Hæc de Volaterrano cœnobio. De monasterio sancti Salvatoris in Cantiniano comitatus Lucensis aliqua primum diximus ad annum 1064. De ceteris vero nominatis in Paschalis privilegio consulantur, quæ diximus occasione alterius privilegii ejusdem Romani pontificis anno 1105. & quæ protulimus suis locis in his Annalibus.

a Pag. 239.

Ann. Chr. 1114.

XXX. Largitiones factæ Guidoni priori Camald. a Gregorio Arretino, & a Gotifredo Florentino epp.

GREGORIUS episcopus Arretinus *per se suosque heredes in perpetuum dedit domno Guidoni priori Camaldulensi pro Camalduli eremo omne jus & actionem, quod & quam habebat quocumque jure vel titulo in possessionibus acquisitis a filiis Raynaldi & ejus nepotibus, & a Raynerio filio Corbizi vicedomino, & a Guidone Nirututi, & ab uxore ejus & filiis, & Corbolino filio Guidonis & a Pagano primicerio & ejus fratre, positis in curte de Cagiolo, & in curte de Cesa, & in la Rosa sub pena librarum* XXX. *argenti, sub anno Domini* M. C. XIIII. *mense junii* &c. Hæc donatio episcopi Gregorii recensetur [b] in summariis instrumentorum Simonis & Raynerii monachorum Fontis-boni, in quibus [c] etiam habetur, quod *Gothifredus episcopus Florentinus, & Benedictus abbas monasterii sancti Miniatis in Monte-regis, nomine permutationis perpetue dederunt domno Guidoni priori Camaldulensi, recipienti vice dicte domus, omnes terras & vineas, res & alpes, boscheta, villas & aquas, que monasterium sancti Miniatis habuit ab ecclesia sancti Johannis, & totum illud, quod predictum monasterium habuit ab ecclesia sancti Johannis, & totum illud, quod predictum monasterium habuit a jugo alpis Citice, & a jugo alpis Prugnane, usque ad jugum alpis, que est inter Romaniolam & Thusciam, cum ecclesiis infra hos fines positis, cum omni suo jure & actione, pro qua commutatione predicta episcopus & abbas receperunt predicto modo a predicto priore ecclesiam sancti Savini de Chio cum terris & vineis ad eam pertinentibus in toto comitatu Arretino & Castellano, cum omnibus edificiis, juribus & actionibus suis, sub anno Domini* M. C. XIIII. X. *kalendas octobris. Carta manu Ildebrandi notarii*. „ Eodem tamen anno & mense, ut legimus in excerptis [d] Eduardi Baroncinii, præfati episcopus & abbas locationis nomine, & ad meliorandum, libellum confecerunt in perpetuum prædicto Guidoni priori, quo dilargiti fuere eamdem ecclesiam sancti Savini, & quæcumque ad ipsam pertinebant tam in comitatu Arretino, quam in Castellano, adjuncto quoque suo domnicato posito in loco dicto Brolio juxta domnicatum præfatæ ecclesiæ, pro qua locatione idem Guido prior spopondit annuatim in die festo sancti Johannis de mense augusto denarios tres se ostensurum, eos tamen realiter non dando, apud curtem & ecclesiam sancti Miniatis. Insuper idem prior dictis episcopo & abbati libras quinquaginta numeravit, quibus Benedictus abbas San-miniatensis emit terram in loco Campi a Gothifredo Florentino episcopo; manu ejusdem Ildebrandi notarii. “ De bonis & ecclesiis monasterii sancti Miniatis valde celebris seculo antecedenti ob incolatum sancti Johannis-gualberti, legi poterunt privilegia Florentinorum episcoporum concessa ipsi monasterio, & illa præcipue Ildebrandi & Lamberti annorum 1013. 1024. & 1028. apud Secundum Lancellotum [e], & Ughellium,

b Pag. 153.
c Pag. 9.
d §. Locatio. 50. A. 2. 36.
e Lib. II. pag. 122.

lium. Quibus ex tabulario sanctorum Bartholomæi & Pontiani de Luca editum aliud tantum ex parte ab eodem Lancelloto, & integrum apud nos, suo tempore in Appendice sequentis tomi addemus Lucii papæ III. confirmantis anno 1184. omnia bona & jura ejusdem cœnobii, quæ sic recensentur. Locus ipse, in quo memorata ecclesia sita est cum omnibus adjacentiis & pertinentiis suis; ecclesia sancti Nicolai cum adjacente parochia a Rivo-corbuli usque .... super Arnum; ecclesia sancti Petri juxta Imam cum curte *&c.* ecclesia sancti Pauli de Musciano; decimatio de Intinula; alia in plebe sancti Petri, alia in territorio plebis sanctæ Mariæ de Pineta; ecclesia sanctæ Mariæ de Quinto cum curte; decimatio in plebe sancti Martini de Sexto; ecclesia sanctæ Mariæ de Novule cum curte *&c.*, decimatio in plebatu sancti Johannis in Fugana; ecclesia sancti Martini de Corella cum curte *&c.*, ecclesia sanctæ Mariæ de Albuino; ecclesia sancti Donati in Plano-majore; castrum Montis-acuti cum ecclesia *&c.* castrum Montis-alti cum ecclesia, curte *&c.* patronatus ecclesiæ sancti Andreæ juxta Arcum; patronatus ecclesiæ sancti Andreæ de Doccia; possessio de Campi; decima in plebatu sancti Stephani de Campi; decimatio in plebe de Empuli; decima de Monte-crucis & de Monte-fesuli; ecclesia sancti Petri de Camilia *&c.* decimatio in podio sancti Miniatis, & in plebe sanctæ Reparatæ. Benedictus abbas sancti Miniatis successerat Uberto, cujus mentionem fecimus ad annum 1077. Gothifredo autem episcopo Florentino locum fecerat anno antecedenti Rainerius.

ANN. CHR. 1114.

XXXI. Aliæ a viris piis.

HÆC pariter sub hoc anno leguntur in iisdem veteribus compendiis instrumentorum Fontis-boni [a]: *Domnus Bonizo abbas sancte Marie de Pratalia dedit, vendidit & tradidit in perpetuum domno Guidoni priori Camalduli, & ecclesie & heremo sancti Salvatoris totam terram & res, que habebant positas in Sparena & Pratali, in territorio sancte Marie in Partina, & ecclesiam dedicatam in honorem sancti Blasii cum omnibus terris suis & vineis, casis & hortis per pretia, que predictus abbas recepit a predicto priore, sub anno Domini M. C. XIIII. mense aprilis. Manu Ildebrandi notarii.*

Similiter [b] *Griffus olim Raynerii, & Raynerius & Griffonus ejus filii cum aliis per se suosque heredes in perpetuum donaverunt & resignaverunt pro remedio animarum suarum domno Guidoni priori Camalduli recipienti pro Camalduli heremo ecclesiam sancti Vitalis positam infra pertinentia castri de Lorenzano cum tenimento ejusdem juxta Arnum, & ipsam ecclesiam, que est in castro de Lorenzano, cum tenimento ipsius, sub anno Domini* M. C. XIIII. *Charta manu Armanni notarii.*

Pariter [c] *Guelfus olim Raynerii de Banzena per se suosque heredes in perpetuum pro anime sue suorumque parentum dedit & obtulit domno Guidoni priori Camalduli pro Camalduli heremo omnia infrascripta posita in comitatu Arretino in territorio sancti Hyppoliti & in Biblenensi, in territorio sancte Marie in Partina, videlicet castellum & curtem de Banzena, castellum & curtem de Serra, castellum & curtem de Gello cum terris & vineis suis, ecclesiis, casis, turribus, casinis, hortis, donicatis, molendinis, agris, rivis & pascuis, cum omni suo jure & actione, & quidquid in predictis locis existit de insuprascriptis bonis inventum, sub anno Domini* M. C. XIIII. IX. *kalendas aprilis; charta manu Ildebrandi notarii.* Guelfus suprascripta bona sua tradidit cum libro & stola super sanctum altare in Camaldulensi eremo situm, in præsentia Guidonis prioris ejusdem eremi, & monachorum atque eremitarum, clericorum ac laicorum. *Actum in loco Munte*, ut ex charta donationis, quam integram exscripsimus ex tabulario

a Pag. 28.

b Pag. 86.

c Pag. 45.

bulario

Ann. Chr. 1114.

bulario Fontis-boni, & ad Appendicem amandamus. In archivo autem sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia alia exstat autographa pagina, qua Griffo filius Griffonis superius memoratus hoc eodem anno mense martio vendit eidem Guidoni priori molendina *cum accessione*, *clusa & cursibus aquarum in* casale Lorenzano plebatus sancti Eleutherii comitatus Arretii in vocabulo Remuli. Donatio ecclesiæ sancti Vitalis in castro Laurentiano facta eremo Camaldulensi legitur etiam in exemplo [a] tabularii sanctæ Mariæ in Gradibus confecto anno 1243. auctoritate Gualcerii de Calcinaria potestatis Arretinorum, ubi nomina quoque compatronorum recensentur.

Præfatus Bonizo, quem superius nominavimus, quique ab anno saltem 1099. Prataliensis abbas erat, hoc eodem *anno millesimo centesimo quartodecimo mense aprilis indictione* VII. dat Rolando filio quondam Tegizii in feudum integram portionem, quæ ad jus sui monasterii pertinebat, de castro Soci, aliasque terras, annua pensione constituta. Subscribunt post Bonizonem Bernardus presbyter & monachus, ac Gu..... presbyter & monachus.

XXXII. Gerardi abb. Morronensis libellus emphyteusis Petro ep. Pisano.

Gerardus abbas ecclesiæ & monasterii sanctæ Mariæ de Morrona, præhabito consilio, & auctoritate sibi facta a Guidone venerabili priore Camaldulensi, sententia quoque Athonis ejusdem Camaldulensis congregationis monachi & vicarii, Johannis pariter abbatis sancti Michaelis in Burgo Pisarum, Lodoici prioris monasterii sancti Frigdiani Pisarum, & Gerardi S. R. E. ac Pisanæ ecclesiæ camerarii, libellum emphyteusis inscribit Petro episcopo Pisano de tribus integris partibus castelli de Vivario, & curtis de Aquisiana, annui census obligatione Pisano episcopatui imposita. Excipit tamen id, quod pertinebat ad monasterium suum, quodque possidebat ante pignus & oblationem, quam olim Ugo comes fecit, anno scilicet 1109. Diximus alibi Ugonem comitem vitam cum morte commutasse anno 1113. post cujus obitum ad æs alienum ab ipso conflatum exsolvendum divendita fuere plura ejusdem bona, exceptis iis, quæ vivens ecclesiis dono dederat, vel refutaverat. Subscribunt libello Gerardi abbatis, ut rogati testes, Petrus & Gerardus consules & vicecomites Pisani. Libellus confectus fuit *anno* M. C. XV. *quinto idus septembris indictione* VII. more Pisano, hoc est anno M. C. XIV. stilo Romano.

XXXIII. Ejusdem Petri expeditio navalis in insulas Baleares.

Gloriosissimus fuit præsens annus eidem nostro Petro episcopo Pisano. Summus pontifex Paschalis II. Pisas miserat anno præterito, vel ante biennium legatum apostolicum, qui animos adderet nobilibus civibus Pisanis ad classem instruendam adversus Baleares insulas, in quibus duram tyrannidem exercebant Saraceni, qui Christianos sub jugo captivitatis tenebant, fædisque injuriis divexabant. Libenter occasionem captarunt Pisani sibi oblatam declarandi zelum, quo pro ecclesia Dei erant inflammati, & Petrus episcopus in generali consilio habito apud majorem basilicam non verbis tantum, sed factis etiam ardentiorem se declaravit, primus crucem sumens, ceterosque exemplo suo invitans. Id testatur Laurentius Veronensis, melius Vernensis, diaconus sancti antistitis in eo poemate, quod octo libris de Balearica expeditione contexuit, edito ab Ughellio [b] in Appendice ad Italiam sacram, & postea emendatius a Muratorio inter rerum Italicarum scriptores. [c]

Moxque pius præsul Petrus virtute coruscus
Civibus hæc memorando suis Crucis inclyta signa
Sumpsit, & alterna motæ pietate catervæ,
Sic ad signa Crucis capienda fuere frequentes.

Romam inde profecti Cruce-signati cum Petro eorum præsule benedictionem

a Num. 36.

b Tom. X. col. 127.

c Tom. VI.

nem impetrarunt ab eodem Romano pontifice, qui vexillum tradidit episcopo, potestatemque fecit relaxandi culpas iis, qui sacræ militiæ nomen darent. Tum tercentis navibus armatis, die sancti Sixti e Pisarum portu solventes ad Baleares insulas expugnandas se contulere, & auxilio Sardorum principum, Raimundi quoque Gerundensis comitis, aliorumque Catalanorum & Gallorum, post varios navigationis & belli eventus, insulas & urbes illas vi armorum cepere, tyrannum regem occiderunt, & ingenti victoria ad propria remearunt. Refertur hæc nobilis Pisanorum expeditio ad annum 1114. sed facile usurpatur annus Pisanus; verique speciem habet ipsos annis vel 1112. vel 1113. e Pisarum portu egressos, indeque in Catalaunia hiemantes, anno sequenti 1113. vel 1114. die sancti Bartholomæi Majoricam, alteram ex ipsis insulis, vi cepisse, bellumque continuasse in obsidione & expugnatione ceterarum urbium usque ad tertium nonas aprilis anni 1114. vel 1115. *quo*, ut ait vetus auctor chronici Pisani apud eumdem Ughellium [a], *tanti laboris & certaminis consummatio peracta est*. Laurentius diaconus victoriam hanc assignat ad annum 1115. forte Pisanum, hoc disticho:

ANN. CHR. 1114.

Tunc fuit a Christo tecto velamine carnis
Centenus quintus decimus millesimus annus.

Capta filia regis una cum filio suo Pisas deducta fuit, & sollemniter aqua baptismatis regenerata a Petro episcopo, filio vero impositum nomen Lamberti, qui primo canonicus factus, inde cum regia potestate ad easdem Baleares insulas regendas destinatus & dimissus fuit; regina vero in basilica majori Pisana, cujus erat *devota*, ad mortem veniens tumulata. Fallimur, si Lambertus canonicus ecclesiæ Pisanæ is non est, qui adnotatus legitur in charta Pisani archiepiscopatus *anni millesimi centesimi sexagesimi sexti indictione* XIV. *decimo octavo kalendas februarii*, qua presbyter Comes canonicus & vicedominus Pisani archiepiscopatus, consensu archiepiscopi domini Villani, consilio & providentia Ugonis comitis, & Rainerii, Galgani & *Lamberti Reginæ* canonicorum majoris ecclesiæ sanctæ Mariæ libellario nomine dat Gratiano abbati monasterii sancti Pauli de ripa Arni terras, quæ pagina reperitur sub numero 425. ejusdem tabularii.

Quidam Mainfredus filius Guilielmi pœnitens, quod inter plurima mala, quæ perpetraverat, domum quamdam positam prope monasterium sancti Michaelis in Burgo Pisarum per vim contra fas multo tempore detinuisset, omnia sua, donationis charta facta, tradit eidem cœnobio *per consilium sacerdotum, quibus sceleratissimam vitam suam in confessione aperuerat*. Ex archivo sui monasterii paginam edidit Grandius [b] in Appendice ad suam epistolam de Pandectis, & ex ipso nos in nostram transferimus.

Cum his temporibus [c] cives Fanenses, ad vitandas exactiones & vectigalia, quæ solvere debuissent, plura sua bona donassent ecclesiis, monasterio imprimis Avellanensi & cœnobiis insuper Ravennatibus sancti Vitalis, sancti Apollinaris in Classe & Portuensi, consules ejusdem urbis legatos suos Ravennam miserunt, qui archiepiscopo Ravennati notum facerent, cur Fanensis civitas in deliberationem venisset præceptis suis impediendi, ne post hac cives Fanenses prædia & bona sua eo prætextu dilargirentur ecclesiis. Querelæ legatorum auditæ non fuere, & ad annum 1139. videbimus monasterium Avellanense quatuor ecclesias cum pertinentiis & possessionibus suis obtinuisse in Fanensi territorio, & latifundia insuper possedisse in curte Montis-majoris. Cœnobio pariter Classis per hæc tempora qua-

a *Tom. III. col.* 375. & *Tom. X. col.* 94.

b *Pag.* 173.

c *Amiani Mem. di Fano P. I. pag.* 135.

Ann. Chr. 1115.

quatuor ecclesiæ seu monasteria Fani subjecta erant, quæ tamen ex antiquo jure ad eamdem abbatiam jam pertinebant.

XXXIV. Obitus B. Guidi comitis Donoraticensis.

a T. III. col. 378.

Beatus Guidus comes olim Donoratici, inde ob Christi amorem Castanetensis solitarius hoc anno millesimo centesimo quinto-decimo juxta Grandium & Soldanium ad superos evolavit. Ughellius [a] refert ejus obitum ad annum 1110. alii ejus decessum præveniunt, Papebrochius ex familiæ Gherardeschæ monumentis quadragesimo ætatis anno Guidum eremiticam vitam arripuisse docet, & quadragesimo hujus vitæ anno decessisse, adeoque natum anno 1060. obiisse existimat anno dumtaxat 1140. In exitu ipsius beatæ animæ e corpore ærea signa totius Donoraticensis comitatus sua sponte sonitum edidere; quare Nicolaus Brautius Sarsinas episcopus in martyrologio poetico Sanctorum, quod seculo præterito confecit tempore, quo ob calumnias sibi impactas inclusus tenebatur in arce sancti Angeli Romanæ urbis, de Guido cecinit:

Vasta virum clarum vivum celavit eremus.
Defunctum Sanctum cymbala sacra sonant.

Beati Guidi corpus depositum primitus fuit in ecclesia sanctæ Mariæ de Gloria, in cujus loci tumulo jacuit usque ad annum 1212. quo ad commodiores frequentium populorum undique confluentium visitationes translatum fuit ad præpositurae Donoraticensis majorem ecclesiam. Percrebrescente insuper ejus miraculorum fama ædificata fuit super viam, quæ ex Pisana urbe ad Liburni portum ducit, ecclesia in ipsius honorem una cum cœnobio, quod a monachis, & ut aliqui etiam perhibent, a monialibus deinde fuit habitatum, quas eas ajunt esse, quæ in urbem Pisanam postea introductæ monasterium sancti Benedicti modo incolunt. Sed ii falluntur, ut animadvertit Grandius in ms. vita sancti Guidi, quia moniales sancti Benedicti degebant prius in quibusdam privatis domibus, sine reclusionis lege, sub directione monachorum Vallumbrosanorum cœnobii sancti Pauli ad ripam Arni; anno vero 1493. facultatem obtinuere ædificandi ecclesiam sancti Benedicti, & transeundi ex domibus illis in novum a se erectum monasterium, pergentes vivere sub eorumdem monachorum institutis usque ad annum 1565 quo demum vestem albam & crucem rubeam religionis equitum sancti Stephani suscepere. Donoraticense castrum temporis progressu, & bellorum ac incursionum præcipue impetu totum funditus eversum, ecclesia quoque, ubi tumulus erat sancti viri Guidi, solo prostrata; quare omnino ex hominum animis exciderat memoria ecclesiæ & loci, ubi jacebant ejus sacræ exuviæ. Prodigio itaque divino sic revelatus fuit ipsius sepulcri situs. Die epiphaniæ Domini sacro aliquando decidit tanta nivium copia, ut omnia penitus loca contegerentur; super macerias tamen ejus loci, ubi olim exurgebat ecclesia, in qua conditus Sanctus jacebat, inter densas nives visus fuit prominere ramus viridis scopæ, ex qua suavissimus insuper odor effluebat. Acciti prodigioso ostento populi catervatim accurrere cœpere ex proximis villis, & rei novæ causam addiscere cupientes, terram effodientes, inter macerias reperere arcam lapideam, qua includebatur corpus sancti viri, situ non amplius horizontali, sed verticali jacentem, & ex altero latere arcæ angulorum prominentium prodire cognovere arbusculum mirabile, atque in capsam introspicientes viderunt ex osse humeri oriri ramum, qui perforata arca sese extulerat super omnem maceriarum massam, & super nivium globos. Honore, qui tunc potuit, majore elata fuit lapidea capsa, & sacro ritu translata in ecclesiam parœcialem

Casta-

Castaneti, quæ duobus milliaribus distabat a veteri Donoratico castro, eratque & ipsa sub jure comitum de Gherardescha, ut ibidem sacræ reliquiæ decenter conderentur & colerentur. Folia pariter scopæ prodigiosæ certatim a populis rapta fuere, multaque patrata miracula ad eorum contactum, & ad sancti Guidi invocationem. Major pars tamen scopæ asservata fuit, hodieque religiose custoditur in præfata Castaneti ecclesia, & publicæ venerationi exponitur die sancto epiphaniæ, in perenne hujus prodigii testimonium. Quæ translatio ulterius tempore insequenti secuta fuerit corporis sancti Guidi, commodius ad annum 1458. referemus.

ANN. CHR. 1115.

Addit Soldanius partem prædictæ arcæ lapideæ, in qua condebatur corpus sancti Guidi, casu repertam fuisse anno 1636. a quodam presbytero Campiliæ inter rudera ejusdem oppidi, & in ea arcæ portione lecta fuisse hæc verba ex pluribus reliqua. TUMULUM. SANCTI. GUIDI. ANNO. DOMINI. M. CC. XII. Subjungit insuper Julianum Mediceum archiepiscopum Pisanum concessisse fratribus Minoribus Reformatis ordinis sancti Francisci anno 1630. ecclesiam sancti Petri ad Gradum extra urbem Pisanam, facultatemque ipsis fecisse transferendi ad constructionem eorum habitationis lapides ex abbatia olim sancti Guidi, quæ paucis milliaribus distabat ab ipsorum novo cœnobio.

XXXV. Rogerius ep. Volaterranus electionem abbatis Carisiani confirmat.

ROGERIUS episcopus Volaterranus visa electione, quam fratres *reclusi* monasterii sanctorum Hippolyti & Cassiani villæ de Carisio ordinis sancti Benedicti & territorii Volaterrani fecerant fratris Leonardi de Luca, atque recepta petitione a monachis ejusdem loci, ut præfatum Leonardum præponeret in præsulem dicti monasterii, cum baculo pastorali ipsum instituit prædicti cœnobii abbatem. Monasterium de Carisio jam ab anno 1102. a patronis ejusdem cœnobii commissum fuerat ordinationi & disciplinæ eremi Camaldulensis. Animadversione dignum est, nominari in hac electionis pagina fratres *reclusos*, ex quo dignoscimus reclusionem, quæ servabatur in eremo Camaldulensi, introductam quoque fuisse in Carisianum cœnobium, & monachos dicti loci omnes hanc reclusionis legem recepisse, cum fratres tantum *reclusi* in supradicti Rogerii approbationis charta nominentur. Ipsam edimus in Appendice ex tabulario monasterii sanctorum Bartholomæi & Pontiani de Luca, signatam *anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo quinto decimo* III. *nonas madii indictione octava*. Ad hæc proinde usque tempora vixit Rogerius Volaterranus episcopus, distinguendus ab altero Rogerio similiter Volaterrano episcopo, & archiepiscopo simul Pisano, qui paulopost utramque sedem tenuit.

XXXVI. Promissio facta eremo Camald.

GUIDO filius quondam Rainerii, & Bernardus Guidonis filius promittunt hoc *anno millesimo centesimo quinto decimo mense julio indictione octava* ecclesiæ & eremo sancti Salvatoris de Campo-amabili & Johanni priori ejusdem eremi nullam molestiam se illaturos in curtem & castellum de Partina, quod Ormannus germanus Guidonis anno M. C. VIII. donaverat eremo Camaldulensi, & confirmaverat anno M. C. X. Ugo alter ejus germanus. Ulterius decimo kalendas aprilis hujusce anni M. C. XV. reperimus [a] in summariis instrumentorum Simonis & Rainerii monachorum Fontis-boni Guelfum olim Rainerii de Banzena pro remedio animæ suæ obtulisse se pro converso Guidoni Camaldulensi priori cum omnibus suis castellis & terris, & recepisse a præfato priore habitum Camaldulensem. Insuper in excerptis Baroncinii [b] legimus Albertum filium Ildebrandi de Monte-majo mense aprili hujus anni pro anima sua donasse Gregorio monacho & Azoni vice-priori Camaldulensis eremi res omnes, quas habebat in comitatu Arretino & in Romaniæ partibus, videlicet in castello & in

a *Pag.* 45.

b §. *Donatio.* 262. *A.* 2. 45.

Ann. Chr. 1115.

curte de Leuna, in castello & curte de Monte-majo, & in castellis & curtibus de Fariolo, de Asinina, de Partina, & de Lerna, quæ castella & curtes erant in territoriis sancti Petri de Groppana, & Prisciani, & sanctæ Mariæ ante Serram, sancti Cassiani in Capavano, sanctæ Mariæ in Bujano & sanctæ Mariæ in Partina, exceptis Rota, Palazolo & Plano Arretii, pro quibus pensionem candelæ prædictæ eremo pro se suisque hæredibus annuatim se præstiturum spopondit; addito quod uxor ejus possit facere, quicquid *usualiter convenit*, si filium genuerit, & præfata omnia in suo robore permaneant. Actum Fonte-bono manu Ildebrandi notarii.

Ex iis documentis in cognitionem venimus a die vigesima-tertia martii vel saltem a mense aprili, quo inducitur Azo vice-prior, ad mensem julium obitum Guidonis prioris Camaldulensis & successionem Johannis esse statuenda. Impegit in plures errores Fortunius, qui Guidonis mortem distulit ad annum 1125. cui etiam tribuit unius dumtaxat anni præfecturam post Martinum, quem defunctum arbitratus est anno 1124. Sed jam ex chartis allatis inferiusque producendis liquet Guidonem postremum diem obiisse hoc anno, ipsique subrogatum fuisse Johannem; Martinum vero priorem utriusque prædecessorem longe ante hæc tempora, nimirum ante Guidonis præfecturam, ad superos evolasse; Guidonem præterea & Johannem non fuisse Martini vicarios, ut existimavit idem Fortunius, sed priores, alterumque alteri suffectum fuisse post Martini regimen.

Ceterum Guidonem priorem Camaldulensem Beatorum fastis accensent catalogi vetustiores breviariorum Camaldulensium, Fortunius insuper, Minius, Buccellinus & Grandius. Aliqui ad primam martii diem ejus festum assignant, sed errore, cum ex superius allata pagina in vivis esset die vigesima-tertia ejus mensis. Gregorium vero & Azonem monachos Camaldulenses, nominatos in alia Baroncinii pagina, memoratos vidimus pariter sub anno 1104. in testamentariis tabulis Bernardini filii Sidoniæ. Quare etiam emendandum est aliud Fontis-boni excerptum, quod refert donationem superiorem Alberti filii Ildebrandi de Monte-majo ad annum 1155. §. *Amissæ num.* 204.

XXXVII. Guido monachus fit ep. Arretinus.

Neque etiam credimus Guidonem monachum, qui hoc anno electus fuit episcopus Arretinus post Gregorium, fuisse Guidonem priorem eremi Camaldulensis, qui proinde hoc anno non obierit, sed prioratum deposuerit, ut episcopalem sarcinam susciperet; nam in pluribus donationum & privilegiorum paginis, quas scripsit Guido episcopus in favorem eremi Camaldulensis sequentibus annis, monachi quidem nomen usurpat, talibus verbis autem non utitur, quibus se fateatur peculiari titulo addictum eremo Camaldulensi, quomodo uti debuisset, si reapse ex prioratu Camaldulensi assumptus fuisset ad episcopatum Arretinum. Guido itaque Arretinus episcopus, cognomento Buccatorta, & ex nobilissima, ut ajunt, Guidiorum familia progenitus, quemque tum scriptores Arretini, tum Fortunius, Minius & Ughellius constanter monachum Camaldulensem faciunt, alter fuit a Guidone priore Camaldulensi, & monachus alicujus Arretini cœnobii, quorum bene multum numerum obtinebant tunc in Arretii urbe ejusque territorio Camaldulenses. Camaldulensem eremitam & cognomento Boccatortam facit etiam Grazinus in Vindiciis Sanctorum Mm. Arretinorum [a]. Videantur plura anecdota de ipso episcopo apud eumdem ex examine testium circa annum 1176. causa controversiarum inter episcopum Arretinum Heliottum, & episcopum Senensem Gunteramum. Guido electus fuit episcopus in locum Gregorii hoc certe anno, vel ad summum

anno

[a] Pag. 72.

anno elapso ad finem vergente, quandoquidem in charta anni 1117. tertium se dicat numerare sui præsulatus annum.

ANN. CHR. 1115.

XXXVIII. Obitus Guidonis prioris Camald. Electio Johannis.

JOHANNES propterea, qui in locum demortui Guidonis declaratus fuit hoc anno prior eremi, & Camaldulensis congregationis præses, ex nobilissima Jeremeorum Bononiensi familia dicitur prognatus, & vir erat seculi sui eruditissimus, qua laude decoratur in quodam Fontis-boni instrumento ipso vivente confecto. Hunc etiam in sacrum Romanæ ecclesiæ cardinalium collegium ab Honorio II. Romano pontifice cooptatum videbimus, atque pro aris & focis partes sustinuisse Innocentii papæ II. contra Anacletum pseudo-pontificem post Honorii II. obitum. Initiis ejus regiminis Paschalis II. itidem Romanus pontifex regendum & disponendum concessit eidem Johanni & ejus successoribus monasterium Sextense, quod per hæc tempora cum in spiritualibus & temporalibus esset admodum collapsum, Sextense ejus ævi abbate & Rodulpho Lucense episcopo orantibus apud apostolicam sedem, reformatione indigebat, de qua re fidem faciunt Calixtus II. alter Romanus pontifex & Henricus V. imperator in diplomatibus, quibus confirmant ipsi Johanni reparationem ejusdem monasterii. Sed quod ex Jeremeorum gente prodiisse asseritur Johannes noster, veremur, ne Bononienses ipsum confuderint cum Hugone diacono cardinale sancti Theodori & archipresbytero sancti Petri ad eam dignitatem evecto ab eodem Honorio, quem Sigonius ex familia Jeremea natum testatur, atque ita illustriori Bononiensi cardinali Johanni ejus gentis nobilitatem tribuerint. Sed sive ex illa, vel ex alia gente ortus fuerit Johannes noster, ipse sanctitate sua, prudentia & religionis zelo clarum sibi nomen fecit, ut annis sequentibus ostendemus.

XXXIX. Donationes monasteriis S. Quirici, & Camalduli de Florentia.

SUB hoc eodem anno in veteribus suprarelatis summariis hæc quoque leguntur: [a] *Ugo filius Rainerii Ildoli per se suosque heredes in perpetuum donavit & obtulit pro remedio anime sue suorumque parentum Camalduli eremo & domno Donato priori sancti Quirici recipienti pro ipso monasterio omnia bona sua posita in villa Alba, & suam portionem ecclesie sancte Marie cum cemeterio & tenimentis ipsius ecclesie cum omnibus suis terris, vineis, campis, silvis, cum omni suo jure & actione, sub anno Domini* M. C. XV. *mense martio, manu Salomonis notarii.*

a *Pag.* 172.

Rodulphus *plebitaneus*, seu plebanus ecclesiæ & rector plebis sancti Alexandri in loco Jugulo extra urbem Florentiam, & Rainerius ac Aldibrandus germani filii Adamuli una cum aliis secundum legem Romanam, juxta quam vivere profitebantur, monasterio sancti Salvatoris in Pedemonte prope eamdem urbem terras tradunt. *Actum sancto Christophano judicaria Florentina.*

XL. Monasterium Plajani datur monachis S. Zenonis Pisarum.

MONASTERIUM erat in Turritana provincia insulæ Sardiniæ sub invocatione sancti Michaelis de Plajano, quod spectabat ad jus canonicorum cathedralis Pisanæ ecclesiæ. In hujus monasterii possessionem immittunt hoc anno præfati canonici Petrum abbatem sancti Zenonis, quod cœnobium erat ejusdem Pisanæ urbis, integram ipsi facultatem concedentes regendi, & in meliorem statum redigendi prædictum sancti Michaelis monasterium, eligendi insuper & deponendi abbates, ipsis tamen canonicis scientibus & consentientibus. Subscribunt Ugo archipresbyter & alii presbyteri diaconi & subdiaconi cathedralis basilicæ, ac Petrus abbas sancti Zenonis cum decem & octo ejusdem cœnobii monachis ex presbyteris, diaconis, subdiaconis, clericis & conversis. Carolus autem presbyter & canonicus, canonicorum & monachorum precibus, duas conventionis chartulas confecit. Acta sunt hæc *Dominice incarnationis anno* M. C. XVI. *octavo*

ANN. CHR. 1115.

vo idus novembris indictione VIII. *in predicte canonice claustro*, nempe anno præsenti 1115. more Romano. Monasterii sancti Michaelis de Plajano cum ecclesiis, curtibus & aliis pertinentiis suis confirmationem Leoni archipresbytero ceterisque Pisanis canonicis privilegiis suis faciunt Anastasius IV. & Adrianus IV. Romani pontifices apud Ughellium [a] annis 1153. & 1156. Aliquanto tempore cœnobium hocce obtinuerunt monachi sancti Zenonis. Eudoxius Locatellus [b] in vitis sanctorum Vallis-umbrosæ scribit monasterium istud sub Gualdo generali, qui obiit anno 1153. Vallumbrosanæ congregationi accessisse, una cum monasterio sancti Michaelis de Salvenero Turritanæ similiter provinciæ; extatque Innocentii II. Romani pontificis bulla anni 1139. confirmantis hæc duo monasteria Mauro & Ugoni abbatibus Vallumbrosanis eorum cœnobiorum apud Fulgentium Nardium [c]. Anno 1293. monasterii hujus investitura nomine capituli Pisani facta fuit in favorem Angeli monachi sancti Michaelis Discalceatorum, congregationis Pulsanensis prope Pisas, ut legitur in actis capituli Pisani spectantibus ad Ugonem archiepiscopum Nicosiensem ab anno 1265. ad annum 1292. ubi etiam reperiuntur forma juramenti præstanda ab abbate de Plajano canonicis Pisanis, & conventiones additæ juramento; quas conventiones & juramenti formulam una cum collatione ejus cœnobii facta præsenti anno 1115. a præfatis canonicis monasterio sancti Zenonis edimus in Appendice ex archivo ejusdem capituli Pisani.

a T. III. col. 396.

b Pag. 215.

c Tabul. Chronol. pag. 16.

XLI. De Vangaticiensibus donationibus.

LEGITUR in brevi chronico Petri Zagatæ, quod desinit ad annum 1375. sed auctor vixit seculo XV. quodque edidit Blancolinius [d] ex autographo nostro in illustratione ecclesiarum Veronensium, Mathildam magnam comitissam hoc anno ædificasse & dotasse abbatiam Vangaticiensem cum onere apposito sacerdotibus loci celebrandi quotidie triginta-tres Missas. Sed insignibus erroribus, qui neque referendi sunt, neque confutandi, totum respersum est primis præsertim temporibus chronicon Zagatæ, & hic annus potissimum, quo brevi licet sermone enarrantur Mathildæ donationes & historia. Initio sequentis anni die X. januarii post Pulveramum Vangaticiensis abbas erat Johannes Blancus, ut ex documento, quod vidit, docet nos [e] idem Blancolinius. Ipsa vero comitissa Mathilda supremum diem obiit hoc eodem anno XXV. die julii in festo sancti Jacobi apostoli, humata in ecclesia monasterii sancti Benedicti Padolironis.

d T. I. p. 14.

e T. III. p. 279.

XLII. Charta S. Savini de Pisis.

ANNO millesimo centesimo quinto-decimo pridie idus martii indictione VIII. Guido abbas ecclesiæ & monasterii sancti Savini ad tertium lapidem extra urbem Pisanam libellum emphyteusis inscribit Johanni filio Widi, & Bastarno filio Guidonis, & Guilielmo filio quondam Gerardi de terris juris monasterii sui positis prope castellum Pugnani. Charta olim exscripta e tabulario archiepiscopatus Pisani a canonico Abrahamio locum habet in Appendice nostra.

XLIII. Querela Anastasii abb. S. Gregorii de Urbe ad Paschalem II.

PARITER in codice Gregoriano reperimus hoc anno Anastasium abbatem monasterii sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe conquerentem contra scholam piscatorum stagni, qui ministris abbatis piscationem in præfato stagno interdicebant, favorabilem pro monasterio suo sententiam reportasse a Romano pontifice Paschale II. Collegit ea occasione Anastasius abbas vetera sui monasterii monumenta, & transcribi a notariis fecit, ut observavimus ad annum 945. Chartam hujus sententiæ, quia tota historica est, & insuper memorat donationem veterem factam eidem monasterio a sancta Silvia divi Gregorii M. matre, hic loci ex eodem codice subjicimus.

In nomine Domini. Anno Dominice incarnationis millesimo centesimo quintode-

todecimo, *& anno vero pontificatus domni Paschalis secundi pape septimodecimo indictione nona* (mutata mense septembri) *mensis novembris die vicesimo quarto. Quoniam vita hominis ...... brevis & labilis est, iccirco ea, que in hoc seculo geruntur, ad perpetuitatem duci non possunt, sed tamen ut ad longam futuram memoriam perducantur, adjumentum est literarum remedium, ut per id........... Certum est igitur, quia domnus Anastasius religiosus abbas venerabilis monasterii sanctorum Andree & Gregorii, quod positum est in clivo Scauri, conquestus est adversus scolam piscatorum stagni, de qua erat prior Albericus filius Fusconis, quia scolenses predictarum scolarum vetabant ministris abbatis piscari in predicto stagno, in quo predictum monasterium habebat partem concessam ei a beata Sylvia, & confirmatam a pluribus pontificibus. Querela vero hec fuit proposita coram domino Petro episcopo Portuensi. Prior vero cum sco'ensibus suis vocavit auctorem dominum papam, dicentes se scolam stagni per curiam retinere. Dominus episcopus hec au iens, noluit imponere finem rei, sed protelavit causam usque ad adventum domni Paschalis pontificis, qui tunc temporis Beneventi erat. Reverso domno Paschale pontifice post aliquot dies domnus abbas protulit instrumentum, quod sancta Sylvia mater beati Gregorii fecit predicto monasterio, in quo significabatur obtulisse ibi partem stagni, que pars affinibus marmoreis & Tiburtinis adhuc apparentibus ostendebatur. Prior autem cum scolensibus responderunt, scolam totius stagni per curtem habemus, ideo eam autricem vocamus, quia nimirum non est .... nec quod nostre proprietatis non est. Ad hec dominus pontifex ait: Nos seriatim videbimus rationem, & quod est sancti Gregorii, nolumus ei auferre, & concedere beato Petro. Item quod sancti Petri est, nolumus auferre, & concedere beato Gregorio. Sic jussit eos abscedere. Altera vero die iterum predictus abbas cum instrumento domine Sylvie, & confirmatione pontificum representatus est ante prelibatum dominum pontificem, qui legens & relegens instrumenta cognovit designatam partem predicti monasterii esse. Post quatuor autem dies misit ad jam dictum stagnum Jacintum subdiaconum sancte Romane ecclesie, & alios prudentes viros de optimatibus suis, scilicet dominum Jacintum de Bobone, & Petrum de Franco, & Romanum de Scotia, & Johannem de Benedicto, Theobaldum de Theobaldo, Centium fratrem ejus, Johannem de Azzo, Astoldum de Colosseo, & jussit, ut diligenter perscrutarentur fines stagni secundum narrationem instrumentorum, quibus perscrutatis, ad honorem Dei & sanctorum Andree & Gregorii in possessionem mitterent predictum abbatem. Qui abeuntes diligenter fines investigaverunt, & secundum quod instrumenta significabant, invenerunt: & sic jussu & auctoritate sanctissimi predicti domni Paschalis pape domnum Anastasium abbatem ad jus & proprietatem monasterii in possessionem miserunt, & corporaliter investiverunt. De qua re dominus pontifex precepit mihi Falconio scriniario sancte Romane ecclesie, ut hec acta pro futura memoria componerem in mense & indictione suprascripta nona. Centius Centii de Gui one Francolino, Francus de Marulinu, Statius Johannis de Centio, Petrus Bobonius de Bobonis, Octavianus de Liculfo, Gregorius Stephani Romani Quatrali, Nicolaus Gregorii Centii de Baruntio, Nicolaus Johannis de Ancilla Dei, Grisoc us Johannis de Sicco, Alexius Centii de Gregorio.*

Ego Falconius scriniarius sancte Romane ecclesie complevi & absolvi.

Anastasius abbas sanctorum Gregorii & Andreæ ad clivum Scauri locum impleverat Petri abbatis, cujus monumentum ex eodem codice Gregoriano attulimus ad annum 1096. Nescimus [a], an Petrus vel Anastasius fuerit abbas ille sancti Andreæ, qui anno 1112. damnavit cum ceteris car-

ANN. CHR. 1115.

a *Apud Mansium Supplem. concil. T. II. col.* 274.

Ann. Chr. 1115.

cardinalibus & abbatibus in concilio Lateranensi II. sub eodem Paschale II. Rom. pont. privilegium, quod anno præcedenti M. C. XI. pro liberatione ecclesiæ & captivorum concesserat ipse Paschalis Henrico V. imperatori quoad investituras. Ceterum idem Romanus pontifex die XXIIII. hujus anni in urbe Trojæ concilium episcoporum celebraverat, postea Beneventum se conferens ecclesiam sancti Vincentii ad Vulturnum consecraverat; die vero XXX. septembris iterum se receperat in Romanam urbem, in qua etiam erat mense novembri ex suprarelatæ sententiæ pagina.

XLIV. De Transmundo ep. Senogalliense.

QUIDAM monachus cœnobii Fontis-avellanæ electus fuit circa hæc tempora episcopus Senogalliensis, ut ex collegii Germanico-hungarici tabularii monumentis monuit olim per epistolam præsulem nostrum Cannetum Joseph Tiraboscus Senogalliensis patriæ suæ historiæ non indiligens scriptor. Is fuisse creditur Transmundus I. quem successisse Willelmo episcopo, de quo egimus ad annum 1062. asserit [a] Ughellius. Sed veri speciem non habet aut Willelmum ab eo anno ad præsentem quinquaginta & plurium annorum spatio Senogalliensem ecclesiam rexisse, vel Transmundum suffectum in locum Willelmi interfuisse pariter post triginta & amplius annos synodo Fulginati celebratæ anno 1145. sub Julio cardinale legato. Quare inter Willelmum & Transmundum alter episcopus Senogalliensis facile est locandus. In historia Senogalliense a Ludovico Siena contexta legitur post Willelmum Acto II. hujus nominis, id comprobante documento hujus anni ad monasterium sanctæ Crucis de Fonte-avellana spectante. Quare is, non quidem hoc anno, sed ante aliquot annos Willelmo successerit, & successorem habuerit Transmundum I. hujus nominis, monachum Font-avellanensem. Alter Trasmundus ex eodem cœnobio ad præfatam cathedram evectus fuit initio seculi sequentis. In veteri necrologio Font-avellanensi obitus Transmundi adnotatur ad diem XXIII. septembris, quæ dies an ad primum, vel ad secundum Transmundum spectet, ignoramus.

a *T. II. col.* 868.

Ann. Chr. 1116.

XLV. Guidonis ep. Arretini privilegium pro Camaldulensibus.

CUM Johannes prior eremi Camaldulensis obtulisset Guidoni episcopo Arretinæ ecclesiæ privilegia, quibus eamdem eremum & monasterium subjectum Fontis-boni locupletaverant antecessores ejus sedis episcopi, ipse Guido, qui se in charta monachum vocat, prædecessorum suorum privilegia confirmat hoc *anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo sextodecimo*, *sub Henrico rege*, *mense octobri indictione decima*, quæ mutata fuerat mense septembri. Ratas insuper calculo suo habet donationes omnes, quæ in gratiam ejusdem loci factæ fuerant post privilegium, quod anno 1106. dilargitus erat Gregorius episcopus. Subscribit ipse Guido, tum Panzus archidiaconus & præpositus, Thebaldus presbyter canonicus, Henricus canonicus, alter Henricus & Rusticus presbyteri canonici, Ildebrandus diaconus canonicus, chartam roborante Servodei *sacri scrinii* notario.

XLVI. Venditiones factæ eremo Camald. a Guidone comite.

EIDEM Johanni priori eodemque anno & mense octobri comes Guido filius olim Guidonis comitis & Imilia comitissa ipsius uxor vendunt jus suum, actionem & proprietatem, quam habebant in aliquot prædia cum domibus, terris, vineis &c. posita in territorio sanctæ Mariæ in Partina, in casale de Soci, in Piscaja & in Camprena. Mense autem majo [b] Ugolinus Palmole vice ejusdem comitis Guidonis, & ejusdem comitissæ Imiliæ, eorumque rogatu promiserat Petro monacho & cellerario monasterii sancti Salvatoris de Camaldulo, quod præfatus comes neque per se, neque per heredes suos erit imposterum requisiturus usum & red-

b *Arch. Fontis-boni §. Recordationes* 19. *A.* 2. 50.

ditum

ditum solitum percipi in curia de Lonnano, quam *abbas Camaldulensis* (sic in charta) emit ab abbate sancti Miniatis, neque molestias ullas afferet, sed tacitus & contentus erit, salvo tamen antiquo usu ejusdem comitis, pro qua sponsione idem Ugolinus fidem suam & domini sui obligavit sub pœna librarum triginta Lucensium. Actum in monasterio sancti Angeli in suburbio civitatis Pistorii manu Gualberti notarii. De bonorum permutatione secuta inter Benedictum abbatem sancti Miniatis extra urbem Florentinam, & inter Guidonem priorem Camaldulensis eremi egimus ad annum 1114. Sed ecclesia sancti Miniatis de Lonnano jamdudum pervenerat in jus Camaldulensis eremi. In curia de Lonnano capella, quæ nominabatur sancti Miniatis, recensetur etiam in Ildebrandi Florentini episcopi privilegiis annorum 1013. & 1024. Hujus ecclesiæ prior Guilielmus anno 1106. legitur in chartulis Fontis-boni.

ANN. CHR. 1116.

XLVII. Beneficus idem Guido in monast. Bifurcense.

BENEFICUM sese ostendit hoc ipso anno idem Guido cum conjuge sua erga monasterium sancti Benedicti in Bifurco, cui & Tederico monacho presbytero & cœnobii abbati donat & offert omnia, quæ ad se pertinebant quoad monasterium sancti Andreæ in duo Vadora, itaut abbas sancti Benedicti ibidem abbates, priores, & monachos aliosque homines statuere & abjicere pro libitu queat, committens Ugoni monacho & presbytero, ut Bifurcensem abbatem in possessionem præfati cœnobii sancti Andreæ immitteret. *Actum in loco prope plebem sancti Dietali sita Musee. Anno millesimo centesimo sextodecimo, tempore Paschalis pape & Erici imperatoris, mense februario indictione decima.* Nona tamen hoc anno decurrebat indictio, sed probabiliter usurpatur annus Florentinus productus ad mensem martium anni sequentis, quo indictio decima decurrebat. Chartam autographam exscripsimus ex tabulario canonicorum sancti Laurentii de Florentia, duas autem superiores ex archivo Fontis-boni. Monasterium sancti Andreæ in duo Vadora idem nobis videtur ac monasterium sancti Andreæ in Dovadula, qui locus est satis cultus in diœcesi Faventina, cujus proinde antiquiores origines ex charta allata innotescunt. Etiam Rubeus [a] Dovadulam antiquitus Duovadora dictam affirmat, scribens: „ Oppi- „ dum Duovadora Dovadulam nunc corrupta voce dicimus; " & in pagina donationis facta anno 1158. Anselmo archiepiscopo Ravennati a Bonifacio Lamberti comitis filio & a Corbolo ejus fratre apud Ughellium [b] inter cetera legitur *castrum Duovadra*. Tedoricus Ildebrandi cessione abbas Bifurcensis electus fuerat. Ipsius nomen in chartis ejusdem monasterii existentibus in tabulario imperialis ecclesiæ sancti Laurentii de Florentia legitur usque ad annum 1142.

a *Lib. VI. pag.* 338.

b *T. II. col.* 369.

XLVIII. Donationes factæ monasterio S. Petri in Campo.

MANENS comes filius emancipatus comitis Peponis hoc eodem *anno millesimo centesimo decimo sexto mense martii indictione* X. anno similiter Florentino, qui protendebatur usque ad 25. diem martii anni sequentis, ut cohærere possit cum indictione decima, donat pro remedio suorum peccatorum & parentum medietatem Castellionis, castri nimirum Castilionis-Latronum, monasterio sancti Petri in Campo, præsentibus Petro Clusino episcopo, & Guidone præposito ejusdem ecclesiæ, tradens possessionem præfati Castellionis Guidoni abbati ipsius cœnobii, & Peponi priori. Hanc quoque donationem ad Appendicem remittimus ex membrana, quam olim exscripsit Ubertus Benvoglientius ex codice *le Coppe* cancellariæ Montis-politiani, & ad Grandium transmisit. Extat etiam exemplum hujus donationis in tabulario monasterii Rosæ Senarum in pagina signata numero 63. Petrus in Clusina ecclesia successerat Guidoni episcopo, quem ex charta nostra eripuimus e tenebris ad annum 1104. Quare Petrus saltem

Ann. Chr. 1116.

ab hoc anno, & ante annum 1126. quo statuitur ab Ughellio, agnoscendus est episcopus Clusinus. Manens vero ex comitibus erat Sarthiani, quod castrum est ejusdem comitatus Clusini.

XLIX. Constructio ecclesiæ S. Cæciliæ in urbe Pisana.

Suffectus fuerat per hæc tempora in locum Johannis abbatis sancti Michaelis in Burgo Pisarum Ludovicus, idem facile, quem priorem vidimus monasterii sancti Frigdiani ejusdem urbis in chartis ad annos 1099. & 1114. Ipsi Ludovico hoc *anno ab incarnatione millesimo centesimo sexto decimo*, *nonas januarii indictione nona* Petrus Pisanus episcopus, qui jam in patriam ex sua Balearica expeditione fuerat reversus, libellario nomine tradit terram positam in loco dicto *Tumulo* prope ecclesiam sancti Petri ad Gradum, cum censu denariorum sexaginta monetæ Lucensis. Subscribunt post Petrum Ugo archipresbyter, & plures alii presbyteri, diaconi & subdiaconi ecclesiæ Pisanæ. Ad hos pariter annos referenda est ædificatio ecclesiæ sanctæ Cæciliæ pietate Sicherii vicecomitis, Bulgarelli & Ildebrandi, qui fundum cœnobio sancti Michaelis dilargiti fuere, quam ædificationem Fortunius [a] refert ad annum 1103. quo anno putat Ludovicum successisse in monasterii regimen Petro abbati facto episcopo Pisano. Sed cum post Petrum electus fuerit abbas Johannes, cujus monumenta supersunt usque ad annum 1114. etiam constructio ecclesiæ sanctæ Cæciliæ tributa Ludovico est differenda. „ Absoluto ædificio præfatus ab„ bas Ludoicus, ait idem Fortunius, duas campanas, calicem argenteum, „ vestesque sacras dotales, & omnia ad rem Divinam persolvendam il„ luc deferri fecit per monachos, dedicavitque ecclesiam Petrus episco„ pus, qui prædia insuper sacro loco concessit. “

a P. II. lib. II. pag. 66.

Eodem *anno millesimo centesimo septimo-decimo*, more Pisano, *nonas decembris indictione decima*, quæ inceperat mense septembri, Maurus subdiaconus filius quondam Eritii vendit Uberto priori & custodi ecclesiæ & monasterii sancti Frigdiani ejusdem urbis Pisarum, qui post præfatum Ludovicum electus fuerat, alias terras in loco & finibus Carrariæ prope ecclesiam sancti Salvatoris, pro quibus *meritum* recepit *annulum aureum*. Hujusmodi chartæ Pisanæ reperiuntur in nostra Appendice, illa ex tabulario monasterii sancti Michaelis, hæc ex collectionibus canonici Abrahamii.

L. Petri ep. Pisani varia monumenta.

Ejusdem Petri Pisani episcopi sequens habetur memoria sub hoc anno in chartulario archiepiscopatus Pisani [b]. *Quoniam placuit sanctis Patribus, & sacri canones sanciverunt, ut ad similitudinem temporalium nuptiarum & matrimonii, ecclesie in ipsa sui consecratione dotarentur, ideo ego Petrus gratia Dei Pisane matris ecclesie humilis episcopus ecclesie sancti protomartyris Stephani de Carraria sita juxta mare, in ipsa ejusdem ecclesie consecratione a me celebrata, in dotem atque donationem firmiter & irrevocabiliter dono, trado atque concedo unum petium terre cum vinea & terra laboratoria posita juxta prenominatam ecclesiam. Anno Dominice incarnationis* M. C. XVI. *nonas februarii indictione* IX. *Actum apud matrem ecclesiam sancte Marie. Ego Petrus Pisane ecclesie peccator episcopus in hac chartula a me facta subscripsi. Ego Manfridus Turritanus archiepiscopus & hujus sancte ecclesie canonicus subscripsi. Ego Ugo archipresbyter subscripsi. Et ego Radulphus notarius sacri Lateranensis palatii* &c. Manfridus antecessor videtur in archiepiscopatu Turritano Azonis, de quo egimus ad annum 1112. & ei ecclesiæ nuncium remisisse, vel locum fecisse præsenti anno Azoni, cujus nomen ut archiepiscopi Turritani legitur sub eodem anno. Alia chartula ejusdem Pisani archiepiscopii, & hujus anni [c] signatur: *Data* XIV. *kalendas martii in propria domo episcopi noviter edificata*

b Num. 247.

c Num. 251.

post

post novam sancte Marie domum , anno Dominice incarnationis M. C. XVI. *indictione nona* ; ex qua colligitur Petrum episcopum novam cathedralem basilicam extruxisse , & novam episcopi habitationem , atque propterea , ultra expeditionem bellicam causa religionis susceptam , optime meritum fuisse de sua ecclesia & patria. Anno antecedenti fidelitatis ipse Petrus [a] exceperat sacramentum ab habitatoribus castri Vivarii, *excepta* tamen *in hac causa justitia comitisse Cecilie ab Ugone comite filiatro suo sibi concessa* , *&* *justitia Morronensis ecclesie*, quibus præjudicium inferre Vivarienses nolunt. De Morronensi monasterio & de Vivarii castro ab Ugone donato egimus ad annum 1109.

ANN. CHR. 1116.

a *Apud Murat. Antiq. med. Ævi* T. III. *col.* 1117.


LI. Refutatio facta eremo Camald. a Panzo archidiacono Arretino.

PANZUS archidiaconus & præpositus Arretinus, habita licentia Guidonis ejusdem urbis episcopi, consilio quoque fratrum suorum canonicorum, per librum, quem posuit super altare, refutavit eremo Camaldulensi omnem decimationem, quam habebat super vineam sancti Salvatoris in territorio Partinæ , & super totum mansum appellatum Calvoli ejusdem sancti Salvatoris ecclesiæ, de quibus in possessionem immisit præfatam eremum, ad usum & sumptum eremitarum Camaldulensium , pro remedio animæ suæ, & episcopi Constantini, ac Jocundi præpositi, qui vivebat sub Constantino episcopo Arretino elapso seculo . Actum in ecclesia Fontis-boni *anno millesimo centesimo sextodecimo indictione nona*. Hæc leguntur ad calcem membranæ Gregorii episcopi Arretini , qua anno 1110. remittit eidem eremo Camaldulensi quasdam albergarias .

Adnotat ad hunc annum Tonduccius [b] Henricum imperatorem in castello Quarnenti commorantem , quod est in territorio Faventino , jussisse, ut restitueretur monasterio sanctæ Mariæ foris portam urbis Faventiæ vinea posita in villa Melaritolo, quam occupaverat Thomas de Caminitia, quæque olim donata fuerat præfato cœnobio a duce Agnello.

b *Storia di Faenza pag.* 176.





ANNALES CAMALDULENSES

LIBER VIGESIMUS-SEXTUS.

Ab anno CHRISTI M. C. XVII. *ad annum* M. C. XXVI.

ANN. CHR. 1117.

I. S. Gualfardus se confert ad cœnobium SS. Salvatoris Veronæ.



POSTQUAM viginti annis in nemore Veronensis territorii solitarius vixerat Gualfardus, a nautis juxta silvam navigantibus detectus & cognitus, Veronam deductus fuit, ubi primum apud ecclesiam sancti Petri vulgo appellatam *in Monasterio*, inde apud sanctæ Trinitatis ecclesiam, demum a monachis nostris sancti Salvatoris in Curte-regia exceptus fuit, penes quos cellam sibi construens decennio supervixit in piis meditationibus & sanctis operibus. Ecclesia sancti Petri in Monasterio jam ab anno 780. parthenon erat, juxta Canobium, sanctimonialium ordinis divi Benedicti, & vocabatur *sanctus Petrus ad puellas*. Loco monialium introducti fuere monachi sancti Zenonis, quorum prior Absalon nominatur in chartulis autographis anni 1147. ut notat [a] Johannes-baptista Blancolinius in ecclesiis Veronensibus; inde ad commendatarios transiit. Ecclesiæ vero sanctæ Trinitatis origo ducitur ab anno 1083. Apud Muratorium [b] conjux Fulconis marchionis Estensis dicitur *supradictum locum venerabilem & Deo dicatum primitus predestinasse fieri*. Prope ecclesiam monasterium extruxisse Vivianum quemdam monachum eruitur ex documento apud eumdem Blancolinium, in quo legitur: *Anno* 1137. IV. *idus novembris obiit Vivianus noster, qui hoc monasterium cepit & ad finem perduxit*. Is facile idem est ac *Vitalis prior Valle umbrose congregatione*, cui donationis chartam anno 1115. conscripsit pro dicto sanctæ Trinitatis monasterio, cui Vitalis præsidebat, præfatus Fulco marchio apud eumdem Muratorium. Hoc anno 1117. die XII. januarii prædicta ecclesia consecrata fuit, & saltem a die IX. septembris 1113. monachi Vallis-umbrosæ ipsam obtinebant, & obtinuerunt, usquequo tandem ad commendatariorum manus etiam ipsa devenit. Brevissimo temporis spatio penes has ecclesias moras traxit Gualfardus, & apud monachos sancti Salvatoris, ut mox dicebamus, longiorem mansionem ad mortem usque elegit. *Quibusdam nautis*, inquit scriptor vitæ ipsius, *juxta silvam navigantibus sanctissimum Gualfar-*

a *Lib. I. p.* 375.

b *Antich. Est. P. I. pag.* 318.

dum ad Athesis ripam morantem demonstravit, qui vero feram aut silvestrem hominem fore cogitantes cum navi ad ripam devenere. Exeuntes ergo de navicula, & per eumdem tramitem incedentes, domumcula parva hortulum habente illum invenerunt, quo invito apprehenso ad eamdem civitatem Veronam adduxere. Quem sui compatriotæ agnoscentes locum sibi habilem apud sancti Petri ecclesiam in Monasterio invenerunt, & eidem indumenta & alia sibi necessaria tribuerunt, a quibus tamen se quotidie abstinebat, & indigentibus quammaxime subveniebat, ibique per brevissimum temporis spatium bonis operibus vacando permansit. Deinde tempore, quo Athesis fluvius admodum crevit, ita quod totius civitatis plateas superabat, præ timore autem cunctis fere hominibus fugientibus, beatissimus vir Dei etiam Gualfardus extra civitatem Veronam perrexit. Deinde sanctæ Trinitatis ecclesiam non procul a prædicta civitate distantem petivit. In eodem vero loco brevi tempore demoratus, Deo serviendo, obediendo, nihil denegando, mundum cum suis pompis abnuendo, a quibusdam viris religiosissimis de sancti Salvatoris ecclesia piæ dilectionis affectu, & summæ devotionis clementia interveniente acceptus est. Cum igitur sanctissimus Dei Gualfardus in eodem loco permaneret, statim sibi arcellam fieri ordinavit, in qua ad sui libitum apud ecclesiam constitutam intravit. Ibi vero fere per decem annos die noctuque in vigiliis permanendo, in orationibus frequentissimis persistendo, & in jejuniis perseverando, & a cibis & potibus semper abstinendo, & indigentibus quotidie erogare non desinebat, infirmos a febribus & a multis aliis languoribus liberavit, cæcos Dei virtute illuminavit, dæmones effugavit, claudos domum rectos dimisit: etenim erat homo, qui pietate, qui justitia, qui modestia, qui fortitudine, qui prudentia, qui denique virtutum omnium splendore sola Dei bonitate fulgebat. Erat homo, cui sapientia soror, amica prudentia, mater modestia, fortitudo obstetrix, justitia educatrix. Igitur beatissimus vir Dei Gualfardus taliter bonis operibus vacando, ira & odio semper caruit, & de gradu in gradum semper ascendit.

ANN. CHR. 1117.

II. Chartæ monasteriorum Arretinorum.

RAINERIUS filius Rainerii marchionis una cum Uguiccione filio suo donat Bellino priori monasterii sancti Savini de Chio, pro redemptione animæ suæ & parentum suorum, *albergariam de manso Ronbiale*, *excepto*, inquit, *quando studiose sumus vvarniti, & ibi custodiamus, secundum possumus*; temporibus nimirum, quibus defensionis majoris obligatio adesset. Hæc donatio facta fuit juxta ecclesiam sancti Martini a Scisciano, *anno Dominice incarnationis millesimo centesimo decimo septimo indictione decima*. Ad calcem chartæ legitur *Gratia Domini nostri Jesu Christi sit semper cum omnibus vobis amen*. Rainerius III. hujus nominis, cujus uxor erat Catharina, dicta etiam Trota, de quibus aliqua diximus ad annum 1011. adhuc præsenti anno supererat, habebatque ex avi nomine filium dictum Uguiccionem. Trota appellatur filia cujusdam Tassonis comitis apud Gamurrinium [a].

In [b] summariis instrumentorum Simonis & Rainerii monachorum Fontis-boni exaratum reperimus sub hoc eodem anno, quod Rainerius de Dorna, olim Bernardini judicavit pro anima sua portionem suam de Fracta cum curte, castello, hominibus, domibus, campis, silvis, vineis, pratis, hortis, pascuis, paludibus & piscariis monasterio sancti Quirici de Rosis, in manu Rainerii monachi, & plebani de Toppo, & presbyteri de Pilli; cetera autem desunt.

a *Lib. I. pag.* 165.

b *Pag.* 172.

III. Privilegium Henrici V. imp. pro monast. S. Severi Ravennæ.

EXISTIMANT Rubeus [c] ad hæc tempora, & Ughellius [d] ad tempus Hieremiæ archiepiscopi Ravennatis circa annum 1112. monasterium sancti

c *Lib. V. pag.* 320.

d *T. II. col.* 364.

Ann. Chr. 1117.

Severi in Classe Ravennæ urbis Cistercienſium reformationem ſub ſancto Bernardo Claræ-vallenſe abbate ſuſcepiſſe; verum differenda videtur ad aliquot annos introductio Ciſtercienſis familiæ in monaſteria Italiæ, cum Bernardus his temporibus adhuc moraretur in Galliis, & vix inſtitutum ſuum ibidem propagare cœpiſſet, in Italiam autem primum venerit anno 1132. multoque magis incogitantiæ Rubei [a] tribuendum, quod Ciſtercienſes in eo monaſterio degiſſe ſcripſerit ſub Henrico imperatore, & Bonifacio Thuſciæ marchione, ante dimidium ſcilicet ſeculi elapſi, dum narrat prodigium quoddam, quo ultus fuit ſanctus archiepiſcopus injurias illatas ſuo monaſterio a militibus ejuſdem marchionis. Facile differenda Ciſtercienſium reformatio ad ſeculum ſequens & etiam adultum. Petrus vero erat hoc anno ejuſdem ſancti Severi cœnobii abbas, in cujus gratiam Henricus V. imperator, cum Gortinæ in Ravennate territorio conſiſteret, præceptum edidit, quo ſub ſua imperiali protectione recepit idem monaſterium, confirmans præcepta & privilegia anteceſſorum imperatorum. Subſcripſere præcepto Hieremias electus archiepiſcopus Ravennas, Petrus epiſcopus Foro-livienſis, Turibius Vicetinus, Sigefridus Vercellenſis, Arpo Feltrenſis, Vel... Tridentinus, Oldericus Conſtantienſis .... Warnerius marchio, Anſelmus marchio, Albertus comes de Martilingo, Malavicinus comes, aliique. Idem Rubeus aſſerit poſtremas tabulas prædicti Hieremiæ Ravennatis archiepiſcopi confectas fuiſſe anno antecedenti menſe junio; ex hoc præcepto conſtat ipſum eam ſedem tenuiſſe etiam ad initium hujus anni. Suffectus is fuerat Ravennas archiepiſcopus in locum Ottonis, qui ſucceſſerat Wiberto antipapæ & Ravennati ſimul archiepiſcopo, electuſque etiam hoc anno Hieremias idcirco appellatur, quia partes ſchiſmaticorum & imperatoris ſequebatur, neque propterea cum prædeceſſoribus ſuis pontificiam conſecrationem adipiſci unquam meruerat. Anno tamen ſequenti Philippus archiepiſcopus in Ravennate ſede reperitur Hieremiæ ſucceſſor, de quo dicemus in charta anni ſequentis, in qua memorabitur etiam præfatus Petrus Foro-livienſis epiſcopus. Turibius, vel Turigius, aut Torengus epiſcopus Vicetinus legitur apud Ughellium, verum non ſolum annis 1113. & 1116. ſed etiam præſenti eccleſiam Vicetinam adminiſtrabat. Sigefridum Vercellenſem epiſcopum agnovit idem Ughellius ad annos pariter 1113. & 1116. Arponis vel Arbonis Feltrenſis epiſcopi monumenta extant apud eumdem ab anno 1096. uſque ad annum 1113. Lucentius addit, quod vivebat etiam deſinente anno 1115. quo interfuit præcepto imperatoris Henrici pro monaſterio ſancti Vitalis Ravennæ apud Margarinium in bullario Caſinenſi [b]. Arponis ſedes protrahenda ergo eſt uſque ad annum præſentem. Gebardus ab Ughellio & a Muratorio nominatur epiſcopus Tridentinus ad annos 1110. & 1116. Gerardus & Garanthus a Gentilotto. Warnerius marchio erat in marchia Camerini, appellata etiam marchia Anconitana, quæ inſuper ab ejus ſucceſſorumque ſuorum nomine dicta deinceps fuit marchia Guarnerii. Anſelmus marchio nominatur de Buſco in ſupradicto præcepto Henrici imperatoris anni 1115. pro monaſterio ſancti Vitalis de Ravenna; Almericus de Buſco, forte ejus pater, teſtis ſubſcriptus reperitur in privilegio Henrici IV. imperatoris, quo anno 1093. concedit Udalrico patriarchæ Aquilejenſi marchiam Carniolæ apud Ughellium [c]; Malavicini comites erant de Balneo-caballo, ſeu de Bagnacavallo. Burchardus epiſcopus Monaſterienſis, qui erat cancellarius, chartam recognovit, datam III. *nonas januarii indictione decima anno Dominice incarnationis* .....XII. (ſupple M. C. XVII. Henrici autem regis anno XII.) *regnante Henrico quarto Rege Romanorum anno imperii* VI. *Actum*

Corti-

[a] Lib. II. pag. 52.

[b] T. II. conſt. 143.

[c] T. V. col. 59.

ANN. CHR. 1117.

Cortine in archiepiscopatu Ravennate. Cortina castrum erat territorii Ravennatis, quod incendio consumptum fuit anno 1181. a Faventinis prælio dimicantibus contra Petrum Traversarium Ravennatem ducem. Privilegium Henrici V. pro monasterio sancti Severi, quod autographum servatur in archivo Classensi, damus in Appendice.

IV. Charta monasterii S. Petri de Luco. De beato Azone.

PARTHENONI sancti Petri de Luco in agro Mucellano & ipsius abbatissæ Beatrici, quæ successerat Cunizæ, cujus una cum Matilda sorore sua erat filia, antequam sacrum velamen in eodem asceterio Cuniza assumeret, & insuper Azoni monacho Camaldulensi promittit die XVI. februarii hujus anni Amicus abbas sancti Petri de Muscito vel de Muscheto soluturum se annuatim in festo sancti Johannis-baptistæ duas libras ceræ manu Rodulphi notarii [a], ut legimus in excerptis tabularii Fontis-boni confectis ab Eduardo Baroncinio. Amicus abbas Muschetanus congregationis Vallis-umbrosæ successerat Petro, quem memoravimus ad annum 1085. qui suffectus fuerat in locum Rodulphi primi abbatis de Muscheto & discipuli sancti Johannis-gualberti. De Muschetano cœnobio, ejusque descriptione, necnon de incendio ac inundatione fluminis divinitus imploratis ab Johanne-gualberto, ne monasterium in ædificiis & possessionibus ditesceret, neve moderationis religiosæ limites superexcederet, legantur scriptores Vallumbrosani & præsertim [b] Eudoxius Locatellius in vita ejusdem sancti institutoris Johannis-gualberti. Azo vero monachus Camaldulensis ex nobilissima Ubaldinia gente asseritur a Josepho-maria Brocchio [c] in descriptione provinciæ Mucellanæ, quem insuper Beatis accenset, ubi describit sanctos viros, qui ex ea familia prodiere.

In iisdem Baroncinianis summariis [d] reperimus etiam Guidonem episcopum Arretinum præsenti anno, qui dicitur tertius sui præsulatus, pro remedio animæ suæ & parentum suorum dilargitum fuisse, & confirmasse hospitali de Montione sito juxta pontem Arcenæ libertatem; ut nullus ministrorum episcopalium præsumeret ibidem oblata tollere vel alienare; personasque ibidem servientium a præfatorum ministrorum inquietudine liberasse; concessisse insuper omnibus sui episcopii fidelibus, ut feuda & allodia ipsi loco erogare possent usque ad quatuor sistaria; locum præfatum immunem fecisse, & nominatim domum ipsam & circuitum a via publica usque ad pontem & usque ad Arnum, ad quod si quis, nisi sit latro vel traditor, aut armata manu ad nocendum venerit, confugerit, ibidemque steterit, ab omnibus possit defendi, & a nemine abstrahi, vel tolli; quæ omnia idem Guido episcopus subscriptione sua firmat. Hospitale de Montione juxta Arcenam subjectum erat jampridem eremo Camaldulensi.

V. Alia ad Carcerum cœnobium spectans.

HOC *anno millesimo centesimo septimo decimo, quarta die intrante octubris indictione decima* placitum habuit Henricus niger Bavariæ dux in comitatu Patavienſi, *in villa, que vocatur Este*, nimirum Atheste, juxta ecclesiam sanctæ Theclæ ejusdem loci, ubi cum permaneret, assidentibus cum eo pluribus judicibus, comparuere presbyter Andreas, rector scilicet & custos loci & ecclesiæ sanctæ Mariæ de Carceribus, quem nominavimus ad annum 1107. presbyter quoque Petrus, & archipresbyter Tribani, expostulantes, ut ipse dux *bannum* mitteret super rebus ejusdem ecclesiæ sanctæ Mariæ. Qui dux *bannum* misit *de duobus millibus mancuseis aureis*, medietatem persolvendam indicens suprascriptæ ecclesiæ, & medietatem cameræ suæ ducali. Chartam olim exscripsit Johannes-baptista Recanatus patritius Venetus ex autographo, & ad Muratorium misit, ex quo [e] nos ipsam ad illustrationem hujus monasterii recudimus in nostra Appendice.

a §. *Amissa*. 108. *A.* 180.

b *Pagg.* 50. 70. 73. 93.

c *Pag.* 67.

d §. *Donatio*. 263. *A.* 2. 54.

e *P. I. Antich. Est. pag.* 284.

DIE

Ann. Chr. 1118.

VI. Gelasii II. privilegium pro monast. Montis-christi.

a *Vit. vir. illust. Foro-liv. pag. 66.*

Die vigesima-prima januarii hujus anni obiit optimus Romanus pontifex Paschalis II. monachus olim, & erga monachos optime affectus. De ipsius monachatu in patria, quæ fuit Bleda antiquum castrum prope Galiatæ oppidum, consulatur Cl. V. Georgius-vivianus Marchesius [a] eques ordinis sancti Stephani, protonotarius apostolicus, & prælatus domesticus pontificius, qui eum etiam adjudicat patriæ suæ Foro-liviensi, quæ dominium exercebat eo tempore super Bledanum castrum. Vigere asserit inter habitatores loci famam paternæ Paschalis ædis, & in cœnobio Flumanæ, quod ille in primordiis religiosæ vitæ incoluit, regularis domicilii. Jacere affirmat vestigia hujus castri prope Rondinariam montem, quod a meridie torrente Valbonæ, ab occasu Bedeso fluvio alluebatur, unde Bledæ vel Bedæ dominationem sumpsit, ejusque loci existentiam demonstrat ex obsignatis tabulis archivi eremi Camaldulensis. An vero prima monachatus tirocinia posuerit in monasterio Flumanæ, an vero in aliis Bledano castro proximioribus, exploratum non est. Prope Bledam Galeatensis abbatia, alia Pratalienšis, Insulanum quoque monasterium exsurgebant. Ex Alexandri III. privilegio concesso anno 1179. Viviano abbati ejusdem Insulani cœnobii novimus monachos hujus loci ecclesiam sub titulo *sancti Petri in Bleda* possedisse, plura quoque bona obtinuisse in eo castro, quæ *Ugo de Bleda bone memorie* eidem monasterio contulerat.

Communibus suffragiis electus fuit in Paschalis locum Johannes Cajetanus, alter ex principe cœnobio Casinensi monachus, & cardinalis, ac cancellarius S. R. E. ut vidimus in pluribus bullis, quas produximus, qui nomen assumpsit Gelasii II.

Is ad fugiendos Henrici imperatoris incursus, Roma relicta, Cajetam primum, inde Capuam, Pisas demum se contulerat, & in hanc postremam urbem pervenerat die secunda septembris. Ibidem cum esset *anno Dominice incarnationis* M. C. XIX. stilo Pisano, hoc est anno præsenti M.C.XVIII. *kalendis octobris indictione duodecima*, mutata mense septembri, quæ indictio XII. *proxima* appellatur in textu privilegii, *pontificatus autem sui anno primo*, diploma concessit Henrico abbati monasterii sancti Mamiliani insulæ Montis-Christi, quo monasterium ipsum, omniaque ejus bona sub apostolicæ sedis protectione suscepit. Decrevit etiam, ut nullus *insulam Montis Christi, infestet cum bestiis vel cum aliquo machinamento*. Inter monasteria & ecclesias, quæ a monasterio sancti Mamiliani possidebantur, in Gelasiano privilegio nominatim recensentur in Sardinia ecclesiæ sanctæ Mariæ de Scala, sancti Heliæ & sancti Gregorii, ac sancti Mamiliani de Samassi; in Corsica vero monasterium sancti Stephani de Venaco, monasterium sanctæ Mariæ de Canovaria, ecclesia sancti Peregrini & ecclesia sancti Pauli de Conca. De cœnobiis sancti Stephani de Venaco, & sanctæ Mariæ de Canovaria narrationem instituimus, & origines etiam aperuimus ad annos 927. & 969. Subscribit autem ipse Gelasius verba usurpans: *Deus in loco sancto suo*. Datum est privilegium *Pisis per manum Grisogoni S. R. E. diaconi cardinalis*. Ughellius hoc diploma edidit tomo [b] III. Italiæ sacræ, sed nos ipsum emendatum recudimus in Appendice ex autographo Camaldulensi Fontis-boni, & ex altero exemplo sancti Michaelis in Burgo Pisarum.

b *Col. 379.*

VII. Petrus archiep. Pisanus in Corsica synodum celebrat.

c *Lib. IV. cap. 64.*

Commorans in eadem urbe Pisana præfatus Romanus pontifex ecclesiam primatialem consecravit; immo quia episcopi Corsicæ detrectabant agnoscere episcopum Pisanum tamquam ipsorum metropolitanum, licet Urbanus II. Daimbertum Petri nostri antecessorem anno 1091. illustri privilegio in archiepiscopum elegisset, præsenti anno, teste [c] Petro diacono

in

in chronico Casinensi, ut Pisanorum obsequia sibi præstita remuneraretur, *primus in eadem urbe archiepiscopatum instituit*. Annalistæ Pisani [a] apud Ughellium utuntur his verbis: *Gelasius concessit archiepiscopatum ecclesiæ Pisanæ, & dedit, quia usque tunc tantum episcopus erat*. Alii apud eumdem: *Gelasius Pisanam ecclesiam consecravit, & eam metropolitanam constituens, Corsicanos episcopos archiepiscopo consecrandos remisit*. Codex Pisanus [b] apud Cajetanum in vita Gelasii II. *Pisanam ecclesiam tam privilegio, quam ore proprio, coram innumerabilibus turbis Tusciæ in metropolitanam confirmavit sublimitatem*. Alii annales [c] a Muratorio publici juris facti habent: *Et dedit archiepiscopum Pisanæ civitati, quia usque tunc tantum episcopus erat, excepto Daiberto, qui quamvis declaratus, non potuit residere, quia eodem tempore fuit creatus patriarcha civitatis sanctæ Jerusalem*. Hinc in omnibus chartulis, privilegiis & monumentis archivi Pisani archiepiscopatus, Petrus noster eatenus semper se episcopum Pisanum nominaverat, numquam archiepiscopum, nisi ab hoc anno; ipseque primus fuit, qui metropolitico jure usus est in episcopos Corsicæ. Trajecit enim hoc eodem anno, post Gelasii discessum, in Corsicam, ubi ad ecclesiasticæ disciplinæ reparationem, residente etiam Petro cardinale sanctæ Susannæ legato pontificio pro Gelasio, concilium episcoporum celebravit in Maranensi sanctæ Mariæ cathedrali, in quo concilio pariter confirmatæ fuere donationes factæ monasterio insulæ Gorgonæ, & agnita demum ab omnibus episcopis jurisdictio archiepiscopi Pisani in insulam Corsicæ. Subscripsit actis concilii primus post præfatum legatum Petrus archiepiscopus Pisanus, & post Petrum Baro subdiaconus S. R. E. tum Landulphus episcopus Aleriensis, inde Theobaldus episcopus Maranensis, uterque Ughellio incognitus, atque Guilielmus episcopus Nebbiensis æque ignotus ipsi, saltem quoad tempus, cujus memoria usque ad annum 1124. perdurat in monumentis archivi Cartusiæ Pisanæ, ubi & monumenta occurrunt supradicti Landulphi Aleriensis ab anno 1095. Quod attinet ad Theobaldum episcopum Maranensem, is paulo ante successerat Ildebrando, cujus nomen ut Maranensis episcopi reperitur in eodem archivo sub annis 1113. & 1116. quare Theobaldi brevissimus fuit pontificatus; siquidem hoc eodem anno a Petro archiepiscopo Pisano in ejus locum Maranensis episcopus consecratus fuit Otto Columna Judicelli filius, ut in sua nova Italiæ sacræ editione notat etiam [d] Nicolaus Coletus. Hæc omnia breviter referuntur in chronicis Pisanis apud eumdem Ughellium: *Post discessum*, inquiunt horum scriptores, *venerabilis papæ Gelasii Petrus Pisanorum archiepiscopus cum Petro cardinale ecclesiæ Romanæ legato, & cum ecclesiæ Pisanæ canonicis, atque cum Ildebrando judice & Pisanorum tunc consule, aliisque Pisanis civibus in Corsicam ivit, ibique honorifice receptus in conspectu cleri & populi Corsicani Maranensem electum & ipsius ecclesiam consecravit, aliorumque Corsicæ pontificum obedientiam & fidelitatem recepit*.

ANN. CHR. 1118.

a T. X. coll. 95. 101.

b Pag. 110.

c Rer. Ital. script. T. V.

d Tom. IV. in Maranen.

Antequam mare trajiceret Corsicam versus navigaturus Petrus archiepiscopus, III. cal. octobris, consilio & assensu fratrum suorum canonicorum majoris ecclesiæ, concesserat & tradiderat monasterio sancti Benedicti Montis-caßini ecclesiam sancti Silvestri positam in Soaritia prope civitatem Pisanam, præsentibus & collaudantibus fundatoribus ipsius ecclesiæ Odimundo & filiis ejus, & insuper præsentibus Gelasio papa, Lamberto Ostiensi episcopo, Petro cardinale sanctæ Susannæ, Guidone cardinale sanctæ Balbinæ, Grisogono & Petro-leonis diaconis cardinalibus, Ildebrando quoque, Gerardo, Henrico & Lamberto consulibus Pisanæ civitatis. Hæc autem largitio Petri nostri, qui, ut paucis ab hinc annis aliam tradiderat eccle-

ANN. CHR. 1118.

a P. I. col. 423.
b T. III. col. 1127.
c Num. 258.

siam monasterio sancti Victoris Massiliensis, ita hoc anno benemereri voluit de cœnobio Casinensi, extat apud Gattolam [a] in historia ejusdem monasterii, & apud Muratorium [b]; nos quoque autographam vidimus in tabulario archiepiscopali Pisarum [c]. Ecclesia sancti Silvestri seculo XIII. regebatur a priore ex charta a nobis referenda anno 1210. Anno 1332. stilo Pisano, ut ex instrumento Cavalcantis Mariani notarii de sancto Miniate colligitur, a Simone de Saltarellis Florentino priore fortasse commendatario concessa fuit monialibus ordinis sancti Dominici, quæ extra urbem in loco nuncupato *Santa Croce in Fossa-banda* prius extabant, ubi modo cœnobium fratrum observantium sancti Francisci conditum est, & Martinus V. anno 1428. ipsam concessionem apostolica auctoritate firmavit, ut nos docet Paulus Troncia in memoriis mss. ecclesiarum Pisanarum.

VIII. Donationes factæ oratorio S. Mariæ in Monte, & parthenoni S. Christinæ Bononiæ.

d Anni 1741.

IN territorio Arretino oratorium exsurgebat appellatum sanctæ Mariæ in loco dicto *Monte*, cui Martinus presbyter præsidebat. Huic ecclesiæ, quæ in jus post breve tempus transiit eremi Camaldulensis, Guilielmus tradit hoc anno terras sitas Partinæ in casalibus *Petrito & in la Casella & in Orzale*. Distinguenda est hæc ecclesia a plebe sanctæ Mariæ de Monte, de qua fusissime agit Lamius [d] in deliciis eruditorum, cujus plebanus erat ad annum 1100. alius presbyter similiter Martinus; hæc enim in diœcesi Lucana vel Pisana, nostra vero ecclesia in Arretino comitatu sita erat, & ex alia hoc anno referenda pagina, locus hujus postremæ ecclesiæ mons-Tosanus appellabatur.

Eodem *anno millesimo centesimo decimo octavo regnante domino Henrico filius quondam Henrici imperatoris anno vigesimo-quarto, die octavo decimo mensis ...., indictione undecima* Imigla filia Petri Baldoini tradit monasterio sanctæ Christinæ *de loco, qui vocatur Pasteno, ubi erat ecclesia ordinata in honorem Dei & monasterio sancti Salvator mundi Camaldulensis, & Imelghine recipienti vice domne Mathilde monache & abbatisse*, omnia, quæ ad se pertinebant. *Actum in vico Roncagle indictione undecima*. Annus vigesimus-quartus Henrici nova epocha est regni Henrici V. auspicanda ab anno 1095. A vero non abludit Henricum IV. ejus patrem eo anno *pene omni dignitate privatum* curasse, ut a principibus, qui ejus partes sectabantur, contra Conradum primogenitum suum, quem exosum habebat, quia a se deficiens arma contra ipsum rapuerat, & regem Italiæ se coronari fecerat, alter Henricus filius suus secundogenitus in regem Germaniæ salutaretur. Mathildam autem vidimus ex parthenone sancti Petri de Luco assumptam & ordinatam fuisse abbatissam novi monasterii ædificati in territorio Bononiense.

IX. Placitum pro monasterio S. Mariæ foris portam Faventiæ.

WITTO monachus & diaconus monasterii sanctæ Mariæ foris portam Faventiæ, consensu & jussu Johannis abbatis ejusdem cœnobii, accessit hoc anno coram Mathilda regina, quæ uxor erat Henrici imperatoris, & conquestus fuit, quod Petrus electus episcopus Liviensis quartam partem ecclesiæ sanctæ Reparatæ de Castro-caro, quam ex concessione & ex chartulis antecessorum episcoporum Liviensium diu ecclesia & monasterium sanctæ Mariæ foris portam obtinuerat & possederat, a biennio invasisset, fraudulenterque subripuisset. Tunc domina Mathilda regina, præsentibus Philippo electo archiepiscopo Ravennate, & cancellario imperatoris, aliisque illustribus viris, pœnam imposuit omnibus, qui molestiam deinceps afferrent eidem monasterio quoad præfatam sanctæ Reparatæ ecclesiam, præcepitque comiti Bonifacio cum ceteris de Castro-caro, ut concordiam inter episcopum Foro-liviensem & monasterium præfatum curaret. Actum apud plebem sanctæ Reparatæ de Castro-caro, *anno ab incarnatione filii Dei*

M. C. XVIII.

Ann. Chr. 1118.

M. C. XVIII. *tempore Henrici serenissimi imperatoris*, *quarta mensis novembris indictione duodecima*, incœpta mense septembri. Petrus Foro-liviensis episcopus, qui ad finem hujus anni adhuc electus appellatur, ex iis episcopis erat, qui Henrici imperatoris partes sectabantur, atque ab apostolica sede minime agnoscebantur. Ita ex schismaticorum numero fuit etiam Philippus electus archiepiscopus Ravennas, contra quem tamen hoc eodem anno ad cathedram ejus ecclesiæ evectus fuit legitimus archiepiscopus Gualterius, assumptus ex ordine canonicorum sanctæ Mariæ Portuensis, & multis nominibus etiam de congregatione nostra Camaldulensi optime meritus, qui præfatum Philippum tyrannum, invasorem ecclesiæ Ravennatis, & infestatorem appellat in bulla absolutionis Faventinorum ab excommunicatione apud Tonduccium [a]. Gualterio præsenti anno, Romano more, licet signatum fit privilegium *anno incarnationis Dominice* M. C. XIX. Pisano stilo, VII. *idus augusti*, vel *kalendis septembris indictione undecima* Gelasius Romanus pontifex restituit ecclesias Placentiæ, Parmæ, Rhegii, Mutinæ ac Bononiæ, jampridem ab schismaticorum Ravennatum archiepiscoporum jure ablatas jussu Paschalis II. Anno enim M. C. XIX. Romano more mense augusto in vivis esse desierat Gelasius, & bene e contra componitur cum anno M. C. XVIII. indictio undecima. Nomen cujusdam Bonifacii comitis, qui plura possidebat bona in comitatu Liviensi, legitur in donatione ab ipso facta anno 1158. Anselmo archiepiscopo Ravennati relata in Italia sacra Ughellii [b]. Witto demum vel Guitto monachus prior appellatur monasterii sanctæ Mariæ foris portam ad annos 1141. 1142. 1146. 1150. & 1151., ad annos autem 1155. & 1157. nominatur abbas in chartulis tabularii ejusdem cœnobii. Placitum produxit idem Ughellius [c] ex archivo præfati monasterii, nos ex ipso iterum recudimus ad illustrationem dicti loci, qui, nisi temporibus hisce & anteactis, saltem post paucos annos reformandus datus fuit eremo sanctæ Crucis Fontis-avellanæ peculiari Faventinorum civium traditione.

a Pag. 178.

b T. II. col. 368.

c T. II. col. 364.

X. Donatio monasterio Poplenæ.

In summariis Eduardi Baroncinii reperimus [d] sub hoc anno „ mense „ februario Aldibrandum & Raynerium fratres filios Rayne ii donasse pro „ remedio animarum suarum suorumque parentum monasterio sanctæ Mariæ „ de Poplena, & Teuzoni priori pro eo recipienti terras positas in Gaviser- „ re vocabulo Cavazola, manu Johannis notarii; & mense martio [e] Guil- „ lelmum filium quondam Petroni obtulisse ecclesiæ sanctæ Mariæ, seu „ oratorio sito in loco Monte-tosano alias portiones terrarum & vinea- „ rum in casali Petrito, manu Ildebrandi notarii. “ In archivo autem monasterii sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia legimus Rainerium fi- „ lium Griffonis vendidisse mense martio Johanni priori Camaldulensi mo- „ lendinum in flumine Arni juxta castrum Laurentiani “ Frater in chartula dicitur Rainerius Griffonis, & uterque filius alterius Griffonis. De Griffone filio legitur in alia pagina autographa ejusdem monasterii ipsum mense februario sequentis anni indictione XII. vendidisse Ubertino filio Uberti omnia bona & jura sua, quæ tenebat in casali & in curte de Subiano, castellum quoque & ecclesiam, cujus venditionis paginæ adsuta erat altera parvula charta membranacea, in qua hæc habebantur: *Cresolo fuit archidiacono sancti Donati, & sic fuit diacono. De Cresolo fuit natus Feralmus, de Feralmo fuit Fuscheri, de Fuscheri fuit natus Ragneri, & Richilda, & Guttanella, & Susia sorore de Ragneri. Iste Ragnerius sine dubio occisus fuit, & moritur sine lingua.*

d §. Donatio 264. A. 2. 57.

e Ibid. 267. 268. A. 2. 54.

Ann. Chr. 1119.

XI. Guidonis ep. Arretini largitio eremo Camald.

GUIDO Arretinæ sedis antistes donat hoc *anno millesimo centesimo decimo nono, regnante Henrico rege, mense novembris indictione tertia decima*, incœpta mense septembri, Johanni priori & venerabili patri atque rectori sanctæ eremi Camaldulensis integram *usuariam, & telloneum, quas nos*, inquit, *aut ministri nostri soliti sumus sive juste, sive injuste, auferre de toto & integro tenimento in curte de Biblena, in vocabulo Camprena. Actum in domo sancti Donati.* Subscripsit post Guidonem episcopum Panzus archidiaconus.

XII. Ecc. S. Georgii de Apibus traditur monasterio Rotensi.

EODEM *anno mense aprili indictione duodecima* Ranuccius filius quondam Guidonis de monte Liscario aliique consortes tradunt Rainerio abbati monasterii sancti Petri de Rota, ad honorem Dei & monasterii sancti Salvatoris de Camaldulo, ordinationem, regimen & gubernationem ecclesiæ sancti Georgii *de le Aipi*, sive de Apibus, cum omnibus bonis ad præfatam ecclesiam pertinentibus, sub pœna quinquaginta librarum argenti optimi, si de cetero ipsi consortes molestiam, damnum vel injuriam aliquam sacro loco & personis intulerint, additis etiam terribilibus anathematismis contra exteros aliquid temere audentes in dictam ecclesiam. *Acta hec in comitatu Senensi prope castellum de Monte-liscario.* Utramque chartam ex tabulario Fontis-boni edimus in Appendice. Prope ecclesiam sancti Georgii ædificatum subinde fuit sanctimonialium monasterium, de quo, aliisque ipsi adjunctis erit dicendi locus seculis præsertim sequentibus.

Ex archivo autem cancellariæ Montis-politiani tertiam exhibemus, qua Gottolus de Largnano cum uxore sua tradit res sui juris positas in curte de Pancole, non longe a Caspreno, monasterio sancti Salvatoris Berardingorum, & eidem eremo sancti Salvatoris de Camaldulo, in manibus Petri presbyteri & monachi, *anno millesimo centesimo nonodecimo mense decembri indictione* XIII. inchoata mense septembri. Abbas monasterii Berardingorum erat Guido, qui ab anno 1001. successerat Ursoni vel Hugoni abbati.

XIII. Silvæ-mundæ monast. datum Camaldulensibus.

ALTERUM monasterium eremo Camaldulensi reformandum traditum fuit hoc anno mense majo, ut legimus [a] in excerptis tabularii Camaldulensis ab Eduardo Baroncinio elaboratis. " Rolandinus scilicet, Guilielmus, & Monaldus fratres filii Ildebrandini, & Friscia eorum mater cum Sibilla & Gualdrada uxoribus supradictorum per se suosque heredes in perpetuum promiserunt & se obligarunt Johanni priori Camaldulensi non contradicere, refutare vel agere adversus omnem ordinationem, & quidquid per ejus successores factum & provisum fuerit, ratum & firmum semper habere, quodcumque de ecclesia sancti Salvatoris sita in Silva-munda statutum fuerit, necnon de rebus monasterii prædicti, sub pœna librarum centum argenti. Actum in castro Clusæ, manu Ugani notarii. Quod instrumentum exemplarunt Bonus, & Omnebonus ac Rolandus notarii anno 1193. mense julio in Burgo sanctæ Mariæ Arretinæ civitatis. " Testimonio Stephani abbatis sancti Justi Volaterrarum in processu anni 1216. [b] *Antecessores Guillelmini de Rotis cum consortibus suis concesserunt monasterium Silvæ-mundæ ecclesiæ Camaldulensi.* Silvæ-mundani monasterii, cui subjecta erat altera abbatia seu prioratus sancti Petri-minoris de Arretio, primas origines tradidimus ad annum 999.

a §. *Promissio. n. 64. A. 2. 60.*

b *Arch. Fontis-boni §. Testificatio n. 5.*

XIV. Chartæ variorum monasteriorum.

LUDOVICUS abbas sancti Michaelis de Burgo Pisarum hoc *anno millesimo centesimo vigesimo*, stilo Pisano, *pridie kalendas julii indictione duodecima*, permutat quasdam terras cum Guidone clerico filio Gerardi. Nominantur inter confines terra sancti Stephani, ecclesia sanctæ Mariæ, flumen

men Oforis, *ubi dicitur burgo fancti Petri*, & terra fancti Alexandri. Interfuit & fubfcripfit huic commutationis paginæ *Ildebrandus judex facri palatii Lateranenfis*, & *nunc per Dei gratiam Pifanæ civitatis conful*. Ildebrandum Pifanorum confulem & judicem memoravimus ad annum antecedente etiam ex chronicis Pifanis.

Ann. Chr. 1119.

Hoc eodem *anno millefimo centefimo nono decimo*, & *regnante manno Rigo noftro imperator*, & *die menfe aprilis indictione duodecima*, Albertus & Acto filii Donadei, fecundum legem fuam Langobardorum, tradunt & concedunt terras fuas monafterio fancti Victoris de Clufis & Albrico ejus loci abbati, cum promiffione etiam, qnod ad obitum fuum fuorumque hæredum, quale teftamentum facere, qualefque res pro anima fua dare poterunt, devenire debeant omnia ad ipfum monafterium & ad ecclefias ejufdem cœnobii. Nominatur in hac donatione, quam ex autographo fancti Blafii de Fabriano edimus, Ugolinus comes. Albricus autem abbas fucceflerat Petro.

In excerptis Baroncinii legimus hoc anno menfe februario [a] Panzum archidiaconum Arretinum, Panzolinum filium Gerardini, & Rofembergam ejus uxorem, Gislam quoque viduam matrem ejus, & Adalafiam relictam Raynerii vendidiffe Johanni priori Camaldulenfi medietatem manfi pofiti in plebe fancti Petri de Ficareto in loco Cagiolo; cui paginæ fubfcripfit Guido Arretinus epifcopus.

Rainerio abbati monafterii fancti Adalberti in infula Perei fucceflerat Johannes poft annum 1113. Ipfi duas falinas hoc anno per pactum dedit Guifredus abbas fanctæ Mariæ de Palatiolo, ut difcimus ex tabulario [b] fancti Vitalis Ravennæ. Anno 1121. Calixtus II. Romanus pontifex Gualterio archiepifcopo Ravennati præfatum fancti Adalberti cœnobium confirmavit, ficut ante annum ipfum & aliud fancti Hilari de Galeata nominatim, & una cum ceteris monafteriis confirmaverat eidem archiepifcopo alter Romanus pontifex Gelafius II.

XV. Miracula ad tumulum SS. Jufti & Clementis Volaterrarum.

Pluribus miraculis ad hæc tempora manifeftabat Deus gloriam fanctorum confefforum Jufti & Clementis, quorum corpora condita erant in noftra abbatia Volaterrana in eorumdem Sanctorum honorem dicata. Collegit ea una cum ipforum Sanctorum vita Auguftinus nofter Fortunius anno 1567. eo tempore ejufdem monafterii accola, tum ex annalibus & monimentis civitatis Volaterranæ, tum ex libris vetuftiffimis & picturis antiquiffimis præfati cœnobii, ex aliis etiam codicibus eremi Camaldulenfis, & monafterii fanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, ex hiftoriis demum Raphaelis Maphæji patricii Volaterrani, eaque nuncupavit fupremo magiftratui civitatis Volaterrarum; fcriptaque ea miracula arbitratur circa annum 1140. Veri fpeciem habet plures monachos ejufdem cœnobii ea literis exaraffe eodem tempore, quo patrabantur, aliquem vero ipfius loci cœnobitam eadem, ne ipforum memoria periret, poftea in unum volumen collegiffe, & quidem ante medietatem hujus feculi, cum in ipfis hiftoriæ narrentur ad tempora Conradi marchionis Thufciæ, & Crefcentii epifcopi Volaterrani fpectantes, quæ *nuper* contigiffe affirmantur. Ipfa ergo miracula ex Fortunii editione hoc & fequentibus annis hiftoriæ noftræ inferimus [c]. *Nocte quapiam, cum ipfius monafterii fratres fefe dormitum contuliffent, fures facrilegi bafilicam Jufti & Clementis clanculum irrumpentes calicem & evangeliorum tabulas argento auroque contextas cum fericis palliis inde furripuere; qui longius fugere cupientes quibufdam Pifanis nautis fociati Sanctorum potentiam tranfretando vitare conabantur.*

[a] §. Emptio 152. A. 2168.

[b] A. 134.

[c] Fag. 71.

Ann. Chr. 1119.

Nec mora continuo tolluntur fluctibus undæ.

Res mira plenaque prodigii. Æquor paulo ante quietissimum fit statim tumidissimum. Minatur naufragium, & de Sanctorum indignatur injuria. Flent miseri nautæ, & reliquorum facta requirunt dicentes: Misericordissime Deus, salus in summas angustias adductorum, protector omnium in te sperantium, qui neminem vis perire, succurre miseris & infelicibus, neque nos submergi permittas. Heu, quid peccavimus! Quare tam terribili, tamque gravi mortis discrimine cruciamur? Hæc & his similia cum lacrymis replicantes viritim singulos perscrutati direptores comperiunt. Erat in calice sic scriptum, HIC. EST. CALIX. SANCTORVM. JVSTI. ET. CLEMENTIS. *Statimque mari quiescente ad litus prope revertentes sacrilegos illos cum sacrilegio ad Confessorum sanctuaria remittunt, ac Dominum in suis Sanctis laudantes Dei magnalia passim enarrabant. Raptorum quoque barbæ abrasæ ante Sanctorum limina quasi memoria quædam tanti miraculi super ramum diu pendentes arboreum jam vetustate defecerunt.* Anno 1317. die XXVIII. aprilis [a], cum Bonaventuras generalis prior Camaldulensium Bartholo abbati sanctorum Justi & Clementis Volaterrarum mandasset, ut juxta sancita Camaldulensia syllabum conficeret bonorum mobilium & immobilium præfati monasterii, adnotavit inter alia idem Bartholus *unum tetraevangelium cum tabulis argenteis ponderis decem & novem librarum, & unciarum octo*; idipsum credimus, quod a furibus subreptum & restitutum in hac narratione legimus. Adnotanda etiam abrasio vel spontanea vel coacta barbarum sacrilegorum furum, quæ appensæ fuere prope sepulcrum sanctorum Christi confessorum.

a Archiv. Fontis-boni §. Inventarium 1. P. II.

Per idem tempus, prosequitur miraculorum collector [b], *quidam Pisanorum remigantes casu in Saracenorum devenere insidias. Cumque vi magna obsessi, & mortis metu tenerentur, ac lethale periculum instare conspicerent, Justi & Clementis memores has humillime fundunt preces. Confessores almi Juste & Clemens subvenite nobis oppressis, succurrite naufragantibus. Respice Domine de sede sancta tua, cogita de nobis, & eripe nos ad te unicum remedium confugientes. Exaudivit autem Dominus voces eorum. Jamque tribus diebus & noctibus totidem in hac afflictione constiterant. Cum subito intempesta nocte Justus gloriosus Dei confessor gubernatori navis, Rainerio nomine, ter apparuit dicens: Expergiscere fili, convoca sodales, in Dei nomine arma capite; Dominus enim pugnabit pro vobis, viriliter agite, & roboretur cor vestrum, qui speratis in Domino. Tunc navarchus ceteris excitatis & corroboratis manu armata pugnam persuadebat incipiendam, sic inquiens: Nolite, nolite, inquam, timere, misit enim Dominus patronum Justum confessorem, ut sit noster propugnator ac defensor. Animi igitur afflictorum nec mediocriter recreati in potentia virtutis Dei arma capiunt. Præcedebat autem inclytus Christi confessor quasi primipilus a Christicolis visus. Confestim vero tanta mentis alienatio Saracenos invasit, ut nec etiam sese tueri præsumerent. Denique barbaris omnino victis duo hostium vexilla adepti excalciati ad Sanctorum templa venientes hæc & alia ibidem donaria obtulere, gratias quammaximas regi seculorum agentes.*

b Pag. 72.

Nec multo post haud dissimile per Confessores suos Deus operatus est miraculum. Nam cum quidam Christicolæ per pelagus ab Africa regrederentur Hierosolymitanorum peregrinorum reductores, perfida barbarorum turba æquore fervente eos adoriri, ac vehementer persequi cepit. Demum cum aliquandiu tot angustiis affligerentur, clamaverunt ad Dominum, & exauditi fuerunt; nam diebus quinque noctibusque totidem magno procellarum turbine

atque

atque hostili impetu fatigati jam fere ad Parthicos ducebantur portus. Tunc mulier quædam inter ipsos assistens eos corroborans ait: Fratres invocemus Justi & Clementis patrocinium; ipsi enim coram omnipotente Domino magnorum sunt meritorum, nec confundemur, si ex animo ipsis confidamus. Illico autem flexis genibus, & multis cum lacrymis flagitabant Sanctorum intercessionem. Enimvero electi Confessores subveniunt, vento prosperante nautas illuc a mane usque ad meridiem perducentes, unde diebus quinque propulsi fuerant. Fugatis itaque hostibus ad sancta Confessorum sepulcra veniunt, laudes Deo agentes, qui nunquam in se sperantes destituere consuevit. Obtulerunt quoque pallia pretiosa, seipsos & sua Justo & Clementi committentes, & majorem in modum commendantes. His igitur rite patratis utriusque substantiæ incolumitate potiti cum gaudio ad propria remearunt.

ANN. CHR. 1119.

Eodem ferme tempore quidam Pisanus nomine Alcherius nimiæ velocitatis navim impense rogatus construxit, quam Confessoribus commendatam Vernacio cuidam sedulo Confessorum cultori ad eundum Messinam concessit, indubitanter dicens, huic rati non deerit divina misericordia, quia sanctissimos ac præcipuos apud Deum obtinet defensores. Ecce autem cum Vernacius navigare cepisset, sex illi Pisanorum naves factæ sunt obviam. Quibuscum vicissim fide data acceptaque, in homines a Christi fide abhorrentes impressionem facere decreverunt. Sed dæmonis astu atque suasu Pisani pejerantes, quod promiserant, non observarunt. Propterea pessumdedit eos Dominus fluctuante voragine. Ceterum navis beato Justo commendata nulla prorsus coinquinata fallacia, multis barbaricis ratibus submersis, & non paucis infidelibus trucidatis, Evisam applicuit. Exinde velifero malo dirupto ad portum Deniæ veniens Vernacius, decem sibi naves insidiari cognovit. Confessoribus tamen illum tuentibus nationi illi barbaræ insultans sospes ad suos rediit. Quamobrem ad Sanctorum rediens limina, illis ipsis gratias egit immortales cum omnibus, quotquot navi illuc vecti fuerant, atque etiam pallium non parvi pretii in ornamentum majoris aræ porrexit.

Olim non longe a nostra memoria mulier quædam in Volaterrana civitate tanta contractorum pedum vexabatur ariditate, ut nisi manibus scabellula tenentibus niteretur, nequaquam posset incedere. Hæc audiens tot Sanctorum mirabilia, ac videns reverendos canonicos die quadam debitum lustrationis honorem Confessoribus exhibentes, citatis, ut poterat, gradibus anteire conabatur. Cujus pedes licet longo tempore obtorpuissent, interna tamen cordis probitas beatos quam ocissime habuit sibi omnino propitios. Siquidem in conspectu omnium pedibus statim confirmata recto tramite iter arripuit. Videntes autem hoc turbæ factum plane mirificum, toto mentis affectu, magnaque corporis demissione supplicantes omnipotenti Deo benedicebant, in cujus nomine Confessores huic mulieri gressum restituerant. Die quoque eodem sacerdotibus Missam sollemniter celebrare volentibus chiragrica quædam non brevi tempore contracta manibus deprecatione assidua Justi & Clementis implorabat auxilium. Cumque indesinenter gemebunda ab oratione non cessaret, audivit Dominus, & misertus est ejus. Prorsus etenim restitutam manuum promeruit sanitatem. Quo viso populus laudes ingeminat, hymni undique resonant, & jubilantes chori Confessoribus almis gloriam tripudiando decantant. Quorum gloriosa merita diem præsentem duobus summis miraculis decoraverant. Cetera sequentibus annis.

ANN. CHR. 1120.

XVI. Calixtus II. pp. confirmat Camaldulensibus monaster. Sextense.

DEFUNCTO Gelasio II. Romano pontifice in monasterio Cluniacensi die XXIX. januarii anni antecedentis, electus fuerat in ejus locum die prima februarii ejusdem anni Guido archiepiscopus Viennensis a sex car-

Ann. Chr. 1120.

cardinalibus, qui Gelasium Cluniacum comitati fuerant, nomenque assumpserat Calixti II. Toto eo anno in Galliis commoratus fuit novus pontifex, anno vero præsenti per Lombardiam iter faciens, & Placentiæ sanctum Pascha celebrans, in Thusciam inde fuit profectus, & Pisis ecclesiam majorem in honorem sanctæ Mariæ sollemniter dedicavit, juxta Pandulphum scriptorem ejus vitæ, quam tamen consecrationem Petrus diaconus aliique, ut vidimus anno 1118. tribuunt ejus prædecessori Gelasio. Die XXI. maji hujus anni, antequam Romam peteret, erat in urbe Volaterrarum, ex quo loco legimus data ab ipso fuisse ea die duo privilegia, pro eremo Camaldulensi unum, alterum pro abbatia sanctæ Mariæ de Morrona. Die demum III. aut IX. junii Romam accedens receptus fuit in palatium Lateranense. In supradictis privilegiis usurpatur annus Pisanus, nam legitur in utroque: *Datum Vulterris per manum Grisogoni S. R. E. diaconi cardinalis ac bibliothecarii* XII. *kl. junii indictione* XIII. *incarnationis Dominice anno* M. C. XXI. *pontificatus autem domni Calixti* II. *pape anno* II. Porro annus secundus Calixti mense majo, & indictio XIII. recte componuntur cum communi anno 1120. Primo privilegio Calixtus Johanni Camaldulensium fratrum priori confirmat monasterium Sextense, quod beati Petri juris erat, & quod prædecessor suus Paschalis II. regendum disponendumque eidem Johanni & ejus successoribus commiserat, ut ibidem, per curam eorum & studium, monastici ordinis disciplina cooperante Domino servaretur, cum locus in spiritualibus & temporalibus admodum diminutus, in religionis statum reformari per Camaldulenses posse potissimum videretur, ut ait ipse Calixtus. Quare liberam concedit eidem Johanni & ejus successoribus facultatem, secundum Camaldulensis congregationis consuetudinem, abbatem in loco ipso statuendi, & monasterium disponendi, salvis in omnibus apostolicæ sedis jure & reverentia. Subscribit ipse Romanus pontifex, deinde Lambertus Ostiensis episcopus, futurus deinde Romanus pontifex sub nomine Honorii II. Deusdedit cardinalis presbyter tituli sancti Laurentii in Damaso, qui a Paschale II. creatus fuerat. Petrus cardinalis presbyter sanctæ Susannæ, is qui ex comitibus Donoratici electus a Paschale II. S. R. E. cardinalis, legatus apostolicus ante biennium fuerat in Corsica; adhæsit postea schismati Anacleti, de quo Sarisberiensis scribit *nullum aut vix similem fuisse in Curia*; Johannes presbyter cardinalis sancti Chrysogoni, nempe Cremensis, apostolicis multis legationibus clarus; Petrus diaconus cardinalis sanctorum Cosmæ & Damiani; Petrus-leonis, qui fuit postea pseudo-pontifex Anacletus II. Gregorius diaconus cardinalis sancti Angeli ab Urbano II. in cardinalium collegium cooptatus, inde Innocentius II. Romanus pontifex; Petrus diaconus cardinalis sancti Adriani Casinensis monachus, quem Paschalis II. vitæ scriptorem affirmat Baronius. Chrysogonus autem ex Pisana Malcondinorum gente, & ex scriptore ac notario sacri palatii diaconus cardinalis sancti Nicolai in carcere Tulliano, cancellarius & bibliothecarius ab eodem Paschale II. creatus fuerat.

XVII. Pro monast. Morronensi aliud ejusdem pontificis privilegium.

Altero vero privilegio, quod ex archivo Pisani archiepiscopatus ad se transmissum edidit [a] Muratorius, Gerardum abbatem monasterii nostri sanctæ Mariæ de Morrona, ejusque cœnobium recipit Calixtus sub patrocinio sedis apostolicæ, confirmans quæcumque Uguiccio comes, ejusque filii Ugolinus, Rainerius, Lotherius & Bulgarinus, vel alii fideles legitime eidem loco concesserant, nempe castellum de Vivario, possessiones de Morrona, de Castello, de Sojana, de Negotiana, de Massa, de Monte-gemulle *&c.* Post ipsum subscribunt tres tantum cardinales, idem Lambertus episco-

[a] *Antiq. med. ev.* T. *III. col.* 1131.

episcopus Ostiensis, Petrus & Johannes presbyteri sanctæ Susannæ & sancti Chrysogoni, eodem cancellario roborante.

Ann. Chr. 1120.

XVIII. Donationes Bifurcenses.

Hoc ipso *anno millesimo centesimo vigesimo*, *tempore Calixti pape & Henrici imperatoris quondam secundi Henrici filii*, *die quinta mensis julii indictione quintadecima* Ildebrandus prior & monachus monasterii sancti Benedicti de Bifurco cedit & tradit Teuderico abbati ejusdem monasterii & præfato cœnobio totum id, quod sibi obvenerat ex successione patris & matris suæ in plebe sanctæ Mariæ de Ceperano sive in Paterno, insuper quæ ad se pertinebant in plebe sancti Martini in Golfare, in Azello & in Maurano, in Cesauro, in Cavalioni, in Vissano, in Montauri, in Cella, in Nigoladi, & in Lisino, quod est in plebe sancti Savini. Hæc cessio confecta fuit in monasterio sanctorum Laurentii & Hippolyti de Faventia, ex quo desumi potest etiam communicatio monachorum cœnobii Faventini cum Bifurcensibus monachis. Emendanda tamen est indictio XV. in XIII. quæ decurrebat hoc anno, sicut Henricus imperator filius erat non II. sed IV. vel ad summum III. Henrici imperatoris; quare notarius ignorabat alios hujus nominis imperatores præcessisse, vel cum in primigenia pagina forte scriptum extaret, *& Henrici imperatoris quondam tertii Henrici filii*, *quondam secundi Henrici filii*, omisit exscriptor unum ex ipsis imperatoribus. Ildebrandus, qui prior appellatur in hac pagina, *olim abbas* & Teuderici prædecessor vocatur in alia charta hujusce anni. Ipso anno signatur hæc donatio in indice tabularii canonicorum sancti Laurentii de Florentia; sed probabilius ad annum 1123. spectat alia donatio facta *anno millesimo centesimo .... tempore Calixti pape & Enrici imperatoris* XIII. *kalendas junii indictione prima*, quæ optime componitur cum eodem anno 1123. a Rolando filio Gerardi & ab Indiola ejus conjuge pro *illuminatione* & remuneratione animarum suarum, suorumque parentum, qui Johanni presbytero ecclesiæ sanctæ Marinæ, quæ in loco dicto Vatho subjecta erat monasterio Bifurcensi, offerunt aliquot sua bona, servumque appellatum Vivianum addicunt dictæ ecclesiæ servitio.

XIX. Obitus B. Eginonis abbatis S. Udalrici in monast. S. Michaelis Pisarum.

Contigit hoc anno in monasterio sancti Michaelis de Burgo Pisarum felix ad Deum transitus beati Eginonis abbatis sancti Udalrici Augustæ-Windelicorum, qui in ecclesia ejusdem Pisani monasterii fuit tumulatus. Decimo anno sui regiminis ab Herimanno pseudo-episcopo Augustano & schismatico exulare una cum monachis suis coactus Egino, confugium habuit ad sedem apostolicam, cui semper addictissimus fuerat. Comitante igitur Udascalco monacho & scriptore vitæ ipsius, ad Calixtum II. Romanum pontificem se contulerat anno præterito idem abbas, ipsum sequens etiam hoc anno, dum ex Galliis Romam versus properabat. Per Thusciam prius mense majo, inde junio Romam papam comitatus, in Urbe substitit usque ad kalendas julii. Postmodum pontificis dextera Dominici sacramenti communione, & inter crebra oscula largissima benedictione donatus, reditum in patriam maturavit. Hinc apud Ostia navim ingressus, tempestate per quatuordecim dies jactatus, divisusque a socio Udascalco, vix tandem Pisas deportatus est, ubi infirmari cœpit de amisso socio admodum mœrens. Verum præter expectationem adfuit Udascalcus, & patrem Eginonem in extremis agentem dolens invenit. Sanctus abbas per eumdem suum socium fratribus & amicis valedicens, quos in ecclesiæ obedientia usque ad mortem perseverare hortabatur, præsentia fastidiens, nil nisi cœlestia cogitans, usque ad ultimum spiritum psalmis recitandis vacavit. *Itaque adstante religiosissima Camaldulensis ordinis congregatione*, *ubi tunc hospitabatur*, *post intimam peccatorum*

Ann. Chr. 1120.

suorum confessionem, post olei sacrosancti unctionem, Dominicis munitus sacramentis, idibus julii vita æterna mortem seculi commutavit præsentis. Depositus est autem in beati Michaelis monasterio juxta incomparabiles Pisanorum divitias, optimo archiepiscoporum mausoleo, ubi nesciuntur tenebræ, exclusæ jugiter sole vel oleo. Sic narrationem suam absolvit de Eginonis morte & sepultura Udascalcus, qui eam monachis sancti Udalrici & sanctæ Afræ dedicavit; ubi innuere videtur Pisanorum episcoporum & archiepiscoporum tumulum fuisse in ecclesia nostra sancti Michaelis, ad quem semper ceræ vel lumina arderent, aut saltem corpus ipsius humatum fuisse in quodam sarcophago, qui usui fuerit alicujus prædefuncti episcopi, quodque extaret in basilica sancti Michaelis. Quid autem insuper sibi velit Udascalcus, cum scribit abbatem Eginonem depositum fuisse in sancti Michaelis monasterio *juxta incomparabiles Pisanorum divitias*, non intelligimus, nisi dicamus Pisanos nobiles & divites viros, tunc temporis totos navalibus expeditionibus intentos, & a patria propterea remotos, contra Januenses pariter quotannis propemodum dimicantes, thesauros suos condidisse contutatosque esse in monasterio sancti Michaelis. Temporibus nostris repertum fuit Eginonis abbatis sepulcrum, errore creditus ab aliquibus tumulus beati Boni abbatis & monasterii sancti Michaelis fundatoris. Eginonis labores, toleratas persecutiones, constantiam & fortitudinem, prodigia nonnulla, vitam demum in exilio completam commendant collectores Actuum Sanctorum; ipsum tamen inter prætermissos locant ad diem quintam-decimam julii, quem affirmant a solis Menardo & Bucellino beatum appellari, nunquam autem vel Sanctum vel Beatum nominari a scriptore ipsius vitæ Udascalco.

XX. Et Petri archiep. Pisani.

Eodem anno obiit in ipsa Pisana urbe pietate, dignitate, rebusque gestis celeberrimus Petrus, ex monacho & abbate sancti Michaelis archiepiscopus ejusdem urbis, cujus facta annis antecedentibus delibavimus. Hunc ejus decessus annum adnotat auctor, cujus fragmentum habetur in codice Pisano. *Anno* M. C. XX. *Petrus venerabilis Pisarum archiepiscopus obiit*; ad eumdem annum refertur ejus mors in alio brevis chronici Pisani incerti auctoris codice, quem edidit utrumque Ughellius in appendice ad tomum X. suæ Italiæ sacræ. In breviario autem Pisanæ historiæ auctiore & emendatiore, quod lucem aspicere jussit Muratorius [a] inter scriptores rerum Italicarum, hæc leguntur: *Anno* M. C. XX. *die sancti Sixti in portu Veneris Pisani Genuenses vicerunt. Eodem anno Petrus archiepiscopus Pisanus & Daiberti successor, qui dux fuit supradictæ Pisanæ classis una cum multis ex canonicis suis, diem clausit extremum cum magno totius civitatis mœrore.* Ex qua narratione colligitur Petrum episcopum, qui dux fuerat belli sacri in Saracenos insularum Balearium, contra religionem non duxisse dimicare pro patriæ gloria etiam contra hostes christianos. Nimirum hæc erat seculi indoles, ut episcopi in castris militarent, arma deferrent, & contra inimicos pugnarent, nec characteris sacerdotalis indecorum esse putarent Crucem & arma conjungere; licet illud etiam dici possit plures episcopos militiam secutos fuisse, ut animos adderent pugnatoribus, ac ut precibus apud Deum victoriam exorarent civibus contra hostes patriæ suæ.

a T. VI. 169.

XXI. Ecc. S. Laurentii *de le Ruose* tradita Camaldulensibus.

In tabulario Fontis-boni juxta excerpta Baroncinii §. *Recordationes*. n. XX. legitur sub præsenti anno III. idus februarii sequens memoria: „ Ugetus de Castilione cum cognato suo Belliotto & nepote suo Sentore „ pro Dei timore & remedio animarum suarum suorumque parentum, „ quidquid juris & actionis pro patronatu in ecclesia sancti Laurentii *de*

„ *le*

„ *le Ruose* habebant, in ecclesia monasterii sancti Salvatoris in altari re-
„ futaverunt, prædictæque ecclesiæ in oblationem dederunt per librum &
„ stolam. Hujus rei testes isti fuerunt. Adimari filius Piscis, Aliottus
„ Malabranca, & Tecius Capannella, Karlus filius Signorelli, Guische,
„ Rodulphinus filius Bonci, Guisché, Deotajuti filius Johannis, Jolitte,
„ Mincuculus, filius Osannæ & Albertinus de Quinto, & alii quamplu-
„ res. "

ANN. CHR. 1120.

XXII. Prosecutio narrationis miraculorum SS. Justi & Clementis.

PROSEQUIMUR miracula, quæ his temporibus ad tumulum sanctorum Christi confessorum Justi & Clementis in ipsorum basilica ostendere dignabatur Deus [a]. *Alio itidem tempore muliercula quædam in villa, quæ Quintum dicitur, omnibus corporis membris male affecta, nullo modo suo conamine a grabato quibat exsurgere. Continuis itaque fatigata doloribus, Confessorum postulabat suffragia, quos miris operibus splendere fama nuntiante didicerat. Creberrimis autem perculsa singultibus voce querula in hæc verba prorumperet. Ut quid misera non morior omni corporis parte præmortua? Cur infelix non recedit anima? Heu mihi, quæ mori cupiens, in cruciatu vivere compellor. Viri sancti Justus & Clemens quæso intercedite pro me, saltem ut obire liceat, cum superesse nequeam. Hæc & his similia sæpissime ingeminans, tandem ex animi sententia Justum & Clementem apud Deum interpellatores habere meruit. Namque Sanctis propitiantibus Dei misericordia penitus fugit infirmitas, integra prorsus redditur incolumitas, nec ulla superfuere præteriti languoris indicia. Et sicut afflicta nimis diu fuerat, & gravibus affecta doloribus, ita recuperatæ sanitatis beneficio immortaliter gaudere, summaque gestire lætitia non desiit.*

a Pag. 77.

Invalescente quotidie magis beatissimorum Confessorum nominis claritate, vir quidam ab extremis oris adveniens, manu utraque aridus, nihil prorsus facere, nec etiam cibum sine graphio vel alio quolibet instrumento capere, nedum manus ori admovere poterat. Hic crebro Sanctorum deposcens adminiculum, vesperi sub arboris umbra recubans, Confessoribus apud Deum intercedentibus, utriusque manus integram recepit valetudinem.

Erat præterea vir quidam in castello Montis-gabri, qui jamdudum mutus nihil quicquam effari poterat. Hunc consanguinei cum in sanctorum Confessorum natalitiis ad sacerrimos ipsorum sarcophagos adduxissent, multoque rogatu ad affinis loquelam obtinendam illos exorassent; atque etiam mutus ipse magno mentis affectu Deum, qui corda hominum intuetur, rogasset, illico apertum est os ejus, & loquebatur recte, Jesu Christi nomen vehementer extollens. Hujus autem beneficii memor, olei, quoad vixit, urceum ad ecclesiam Sanctorum illuminandam quotannis obtulit. Ad hæc parvula virgo linguæ officio penitus destituta, cum in Confessorum sollemnitate ante sacra staret altaria, catervas hominum pro ipsa deprecantes exaudivit Dominus. Hora siquidem vespertina expedite fando, ob tantum in se collatum beneficium Sanctis laudes rependebat. Quocirca ab universis nomen Domini benedicitur per omnia regnantis secula.

Multimoda diversorum curatione explicata, cæcos quoque Confessorum meritis illuminatos esse, silentio præterire, incongruum fore putavimus. Horum igitur quidam de Valle Arni oriundus annis compluribus utroque orbatus oculo, auditis Justi & Clementis miraculis, sanctissimas eorum reliquias, munuscula ferens, corde contrito, sui fratris ducatu, deposcebat. Interea loci itinere pene confecto, amisit, quam deferebat, oblationem. Cumque id, quod amiserat, invenire non posset, humiliter ac demisse auxilium sic implorabat. Juste & Clemens confessores piissimi, quorum meritis & intercessione Deus opt. max. omnem protinus depellit infirmitatem, & corde & labiis utrum-

Ann. Chr. 1120.

que precor, ut meos illustretis oculos, quatenus mihi illuminato extrinsecus nulla prorsus mentis caligo relinquatur intrinsecus. Mirabile dictu! subito visum recuperans, inventoque munere, ad Confessorum sacraria properavit, ibique donis, quæ detulerat, oblatis, Deo gratias agens lætissimus ad propria remeavit.

Item quæpiam externa mater natam unicam luminibus captam ad alia sanctorum martyrum confessorumque templa aliis in provinciis etiam duxerat, nec tamen lumen perditum filia recuperarat. Aliquandiu vero Antoniæ commorata, modo huc, modo illuc pergens, ad alia loca frustra tamen transierat. Divino igitur instinctu admonita, ut ad sanctissima Justi & Clementis corpora sese conferret, simul ac primum templi valvas ingreditur, utraque supplicante visus natæ confestim restituitur. Ferunt Volaterranæ urbi reædificatæ nomen inditum Antoniæ vel Ottoniæ.

Iisdem fere temporibus faber quidam ferrarius a castro sanctæ Mariæ in Monte, dum ferrum cuderet, favilla ignea oculum lædens, caput totum tumefecit. Qui cum nulla medicorum arte curari posset, demum conjuge comitatus, Confessorum requirit merita. Cujus post preces diutinas obdormiscentis, capite sub uxoris genua inclinato, Justus inclytus exauditor assistens, oculumque penitus clarificans omnem capitis tumorem squamosa putredine ab oculo profluente statim amovit. Tunc astantium frequentia Domino, in cujus nomine tot fierent mirabilia, multas ex animo laudes decantabat.

Hisce interea mirabilibus Justi & Clementis operibus divulgatis, Dæmoniaci ad Confessorum aras adducti protinus liberantur. Quorum unus in loco, qui dicitur Vallis, ortus nomine Martinus Corbolini filius, sine intermissione a spiritu vexabatur immundo. Hunc enim tanta dæmonis infesti nequitia conflictabat, ut dentibus frendens ipsa corroderet vincula. Quid quæris? Justi & Clementis exauditis precibus post non parvum dæmonis conflictum, arreptitius ipse diabolicis omnibus exolvitur laqueis. Post paucos vero dies angelus invidiæ de tali ejectione dolens ejus filium Petrum nomine vehementer arripuit. Huic quoque Sanctorum corporibus oblato haudquaquam defuit Dei clementia, nempe dæmone effugato incredibili gaudio exiliens ad suos rediit.

Item Angelsina virgo Politiana, cum a spiritu nequissimo modis omnibus torqueretur, cumque coram sanctorum Confessorum reliquiis aliquandiu cum matre & propinquis aliquot stetisset, & omnes pro virginis hujus liberatione Deum valde precarentur, in die pentecostes sumpta eucharistia, spiritus nequam ab ea statim discessit. Quam ob rem astantes omnes Deo, qui mirifice quotidie per Sanctos suos operatur, gratias egerunt singulares. Ad hæc clericus quidam e Geminianensi agro oriundus incredibili percitus insania, quasi dæmonis immanitate exagitatus, omnia sibi vestimenta discerperet. Hic cum ad sacram beatorum Confessorum aram sisteretur, confestim resipuit, summaque deinceps & corporis, & animi tranquillitate vitam omnem traduxit. At longum nimis sane esset, singula id genus recensere miracula. Siquidem nonnulli dæmonum vexatione furentes, ut Albertus ab Urceatico, ut homo alter a Monte-zani, ut vir & uxor a Sancto-cassiano, ut alii demum complures, qui de sanitate ac mente deturbati sanctorum Confessorum interventu convaluere.

Temporibus Saracenicæ persecutionis cum barbara atque immanis illa natio a sacrosancto sepulcro, in quo Servator noster positus fuit, Christi-fideles expulit, quidam peregrinus in vallis Elsæ finibus ortus ab infidelibus illis ac barbaris hominibus, dum pugnacissime dimicaret, captus fuit. Hic in catenis habitus, cum summis & diris cruciatibus afficeretur, & noctes & dies

Justum

Justum & Clementem his precibus & obsecrationibus utens expetit adjutores: Subvenite & opitulamini Sancti Dei mihi præ doloribus ac suppliciis innumerabilibus tabescenti, & immaturo interitu jamjam pereunti præsto adesse festinate. Libera me Domine Jesu Christe, qui liberasti Petrum apostolum tuum a teterrimi Herodis carcere. Audite maxime pii Christi Confessores preces meas, & pro me in hac dura captivitate posito apud omnipotentem Dominum intervenite. Attende quæso, & vide meas angustias benignissime Deus, qui per prophetam dixisti: Invoca me in die tribulationis, & eruam te. Ad hanc lacrymarum vim ex imo pectore profusam, Justus & Clemens vectes effringunt ferreos, ac duras statim dissolvunt & labefactant compedes, misellumque hominem ex illa prægravi servitute ereptum ad loca tuta perducunt. Qui Byzantio pertransiens tabellam graphice satis depictam, suique gravissimi casus declarationem continentem ibidem coemit, & ad Sanctos Dei munere sui liberatores illam attulit, ac pro tanti beneficii memoria appendit.

ANN. CHR. 1120.

Fuit iisdem ferme temporibus homo quidam Pisanus in Majoricæ partibus a barbaris captus, cui catenas cum injecissent, & ipse Justi & Clementis auxilium implorasset, libertatem facile consecutus permultis muneribus Sanctorum templum adornavit, & pro tanti miraculi indicio ponderosas compedes ibidem dimisit. Pisanus item alter nomine Trambus, cum a Gualfredo de Picbena captus esset, atque in illum omne crudelitatis genus singulis horis adhiberetur, miser ille captivus cum sese commendans in Sanctorum clientelam contulisset, ex hujusmodi tortoris atrocissimi sævitia tandem evasit.

Ad hæc Guilielmo presbytero de Serena ab Ugone Guidonis filio in vincula conjecto tantumdem ex animi sententia, implorato sanctorum Confessorum auxilio, contigisse proditum est memoriæ.

ANN. CHR. 1121.

XXIII. Peregrinationes B. Alberti Senensis.

CUM beatus Albertus Senensis *in adolescentia provectus* cœperit sacris peregrinationibus vacare, ad hunc circiter annum, quo vigesimum ætatis suæ superabat, referenda sunt suscepta ad varia sacra loca ipsius itinera. Sed monachum Berardingum anonymum & supparem in ejus vita audiamus. *Postmodum vero in adolescentia provectus, cepit esse virtute provectior, & ad majorem laborem animum præparare, sciens bonum esse viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua. Exiens itaque de cognatione sua, & de domo patris sui, iter peregrinationis arripuit, ut inter advenas & peregrinos abstineret a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. Et nunc Apostolorum limina, nunc archangeli Michaelis in Montegargano basilicam, aut apud Veneciam beati Marci ecclesiam piæ devotionis intuitu visitabat. Veneranda deinde Jerosolymis loca, & sepulcrum Salvatoris adiens in loco, ubi steterunt pedes ejus, humiliter adoravit. Postremo templa sanctorum in Galliarum partibus, precipue beati Jacobi ecclesiam religioso visitavit affectu. In quo itinere magnum prodigium omnibus pene seculis inauditum, divinæ esse eum clementiæ placuit demonstrare. Nam per plurimos dies columba quædam super humerum dextrum ejus plerisque videntibus insidens ejus auriculæ rostrum imprimebat. Et cum magnæ sanctitatis inditium sit, si quis antiquitus ad horam vel momentum columbina notaretur præsentia, liquido patet, quatenus vir iste fuerit, cujus simplicitas, pietas & innocentia per triduum tali declarabatur inditio. Nimirum licet & ceteris polleret virtutibus, his tamen tribus singulariter eminebat insignis. Et dignum fuerat, ut qui tripartita virtute taliter perfulgebat, triduo certe per hujus significationis avem a Spiritu sancto notaretur. Erat enim miræ simplicitatis, singularis innocentiæ, pietatis egregiæ. Quoniam ab infantia creverat secum miseratio, usque adeo scilicet, ut ipsum non solum homines,*

ANN. CHR. 1121.

nes, sed etiam bestiæ, sicut in sequentibus apparebit, venerabilem declararent. Justum ergo fuit, ut in specie columbæ Spiritus sanctus beatum Albertum comitari & alloqui dignaretur, quia cum simplicibus sermocinatio est Dei, & innocentes ejus gratia comitatur.

XXIV. Chartæ aliquot monasteriorum.

REFERTUR a Puccinellio in historia abbatiæ Florentinæ excerptum donationis factæ [a] hoc *anno ab incarnatione* M. C. XXI. *pridie kalendas januarii indictione* XIV. ab Hugone & Pagano filiis Berardi & Jolittæ eorum genitricis filiæ Federigi, lege viventibus Salica, qui per chartulam venditionis tradunt res suas Guidoni abbati sancti Salvatoris de Fonte-bona *per cultellum, festucum nodatum, guantonem, & guasonem terre atque ramum arboris, Tezzone notario*. Integra pagina extat sub num. 26. in codice membranaceo, qui olim spectabat ad prædictam abbatiam Berardingorum, & chartularium hujus loci continebat.

a Pag. 204.

Similiter in excerptis veterum instrumentorum tabularii Fontis-boni concinnatis a Baroncinio reperitur „ hoc anno mense januario [b] Ildebrandum „ olim Rolandi Vicedomini obtulisse domno Johanni Camaldulensi plura „ bona in variis locis sita, ea conditione, quod si ipse Ildebrandus voluerit commorari in ecclesia sancti Michaelis de Arretio, in ipsa recipiatur; sin autem stare renuerit, teneantur rectores ejusdem ecclesiæ quotidie subministrare ipsi panem & vinum, manu Servidei notarii: mense „ vero aprili [c] Johannem olim Gerardi judicasse & tradidisse domno Ugoni custodi hospitalis Fontis-boni medietatem omnium terrarum, vinearum & rerum, quæ habebat in casalibus Bucena & Vallesambula, Ildebrando notario. “

b §. Donatio. 270. A. 2. 6.

c Ibidem. 269. A. 2. 3.

Azo marchio Estensis filius ejus Hugonis marchionis, qui agnomen obtinuerat *del Manso*, vel Genomanensis, de quo alibi egimus, obtulit ecclesiæ beatæ Mariæ ædificatæ *in finibus Este in loco, ubi dicitur Carcere* terras prope Palsum. Subscribunt Fulco marchio, ejus nimirum patruus & frater Hugonis, & Azo filius ejusdem Fulconis, ac Robertus marchio, quem postremum Azonis donatoris fratrem judicat Muratorius [d] in antiquitatibus Estensibus. Chartam donationis confectam *anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo vigesimo primo, quarto die exeunte mense junii indictione* XIIII. exscriptam olim a Canneto edidit in iisdem antiquitatibus Muratorius. Azonis donatoris uxor facile fuit Sophia, de qua refertur obitus in parvo necrologio abbatiæ Carcerum his verbis: *Anno* M. C. II. *die* III. *decembris obiit Sophia comitissa uxor Azonis marchionis*, nisi spectet ad alterum Azonem filium Fulconis & consobrinum ejus Azonis, cujus donationis chartam afferimus.

d Par. I. p. 328.

Decessit hoc anno Albertus tertius abbas monasterii sanctæ Crucis Saxivivi. Ejus obitus a Jacobillio [e] in chronico ejusdem cœnobii refertur ad diem XIV. februarii; verum in necrologio veteri Fontis-avellanæ signatur ad diem XVIII. maji, sub qua habetur: *Obiit domnus Albertus abbas Saxivivi commissus noster*. Vir *maximæ sanctitatis* appellatur in charta donationis ipsi ejusque monasterio factæ anno M. C. XIX. a Guilielmo episcopo Urbe-vetano. Obtinuit a Paschale II. anno 1116. die XXIV. maji anno ejus pontificatus XVI. ecclesiam sanctorum quatuor Coronatorum de Urbe, ut ibidem monachos Saxi-vivenses constitueret, qui ecclesiæ præfatæ inservirent, & ipsius bona possiderent. Ecclesiam sanctorum quatuor Coronatorum ad aliquod tempus his postremis seculis obtinuerunt etiam Camaldulenses.

e Pag. 34.

VI.

Ann. Chr. 1122.

XXV. Miracula S. Gualfardi, dum viveret.

VIVEBAT in sua sancti Salvatoris cella Gualfardus, & miraculis coruscus omnibus ad se adeuntibus sanitatis & curationum gratias impertiebatur. *De multiplicibus*, ait scriptor ipsius vitæ, *& innumerabilibus miraculis, quæ sanctissimus vir Dei auxilio & virtute demonstravit*, (additur in actis apud Papebrochium *post mortem suam*, quæ verba tamen desunt in exemplari Senesii nostri) *sicut ex præsentibus testibus religiosissimis personis, adhuc viventibus, quos in subsequenti enumerabimus, hoc verum esse invenimus, vobisque aperire aliquot ipsius miraculorum bona fide laborabimus. Sed primo quæ signa, quæ miracula in sua sacerrima vita ipse fecit, summæ dilectionis inquisitione declarare conabimur. Multoties enim sanctissimus hic vir Dei Gualfardus ad fluminis Athesis ripam descendens, ut suas manus ablueret, & aliquantulum aquæ in scypho suo acciperet, pisces sua sponte veniebant, & certatim in scypho saliebant, necnon etiam sanctissimi viri manus lambebant, quosdam tamen illorum sublevabat, postea vero eosdem deponens, nolentes recedere præcipiendo reverti faciebat. O quanta est humilitas, quanta est ejus sapientia, & quam magna manet fortitudo, & quam magnificata sunt prodigia, quæ Deus demonstravit per tam religiosissimum virum pro toto populo Veronensi Deum orantem in illa cellula! Equidem pueri & puellæ de longe venientes suorum majorum præcepto sanctissimo viro Gualfardo victum in paropsidibus deferentes sæpissime propter viam turpissimam cadebant, tamen nihil de illo, quod erat in vasis, amittebant, quod fere totum pauperibus illic præsentibus distribuebat. Eodem vero tempore quidam civis Veronensis, Mugetus nomine, gravi oculorum detinebatur infirmitate, adeout videndi officium penitus amissum ulterius sibi restituendum minime crederet, cumque tali labore diu fatigaretur, ad venerabilem virum nuntium misit rogans, & multa prece deposcens, ut ad se tamquam visitandi causa venire dignaretur, qui cum favorem hominum devitans ire recusaret, sacerdotis illius ecclesiæ, apud quam morabatur, verbis admonitus, tandem nocte prædicti viri domum petiit, manibus itaque super ipsius ægroti lumina violenter deductis, altera die visus est ei restitutus, & ad pristinam incolumitatem reductus, immensas pro collato beneficio grates reddidit Dei viro. Alius quoque Veronensis civis Albericus nomine simili laborans infirmitate ad Dei virum venit, ejusque pedibus provolutus, & manus ipsius super propria lumina ducens, qui dolens venerat, medela accepta cum gaudio visus est discessisse. Præterea de eadem civitate Verona vir quidam, qui Gisalbertus vocabatur, visus omnino cæcitatem incurrerat, cui per visum revelatum fuit, ut hominem Dei Gualfardum peteret, per cujus interventum congruam se medelam non dubitaret recepturum. Baculo itaque se sustentans ad locum, ubi vir Dei morabatur, accessit, quem ut sui misereretur, instantissime exoravit, & sic de percepta pristina salute lætus discessit. Cujusdam etiam Rodulfi sellarii conjugi febrium æstu laboranti noctu per visum indicatum fuit, ut si ex aqua, qua prædicti viri Dei manus abluerentur, biberet, sine ulla dilatione ex illo febrium languore evaderet. Quo facto mulier illa convaluit, & de prædicto remedio non paucas viro Dei gratias exhibuit. Tantis igitur & aliis innumeris miraculis, & bonis operibus sacerrimus Dei cultor fretus humilitate, expositus patientia, & discretione compositus, numquam arrogans factus, numquam exaltatus, numquam iratus, numquam superbire videri potuit.*

XXVI. Regula Portuensium introducta in cœnobium S. Mariæ ad Carceres.

AUCTORITATE sedis apostolicæ confirmaverat anno M. C. XVII. XII. kalendas januarii indictione X. bulla sua ex insula Transtiberina data Paschalis II. Rom. pont. regulam seu institutionem canonicam Petri de Honestis civis & clerici Ravennatis, qui in patrio solo, & in loco dicto Portus Raven-

ANN. CHR. 1122.

Ravennas, cœtum collegerat clericorum canonica lege, seu juxta regulam sanctorum patrum, mores suos componentium. Brevi tractu temporis in aliis regionibus ad normam Portuensium excitatæ fuere aliæ canonicæ domus, inter quas unum ex primis locis obtinet monasterium sanctæ Mariæ ad Carceres, de quo aliqua prolocuti sumus in his Annalibus; in eo enim cœnobio, cui præerat Fabianus presbyter anno præsenti, instituta jam erat regula canonica Portuensis. Ipsi Fabiano hoc *anno millesimo centesimo vigesimo secundo* XV. *kalendas augusti indictione* XV. Sinibaldus episcopus Patavinus privilegium dilargitur, quo ejus ecclesiam a quacumque subjectione, præter quam debitam episcopo Patavino, liberat, qui tamen episcopus *nullam violentiam inferat, nullamque a clericis ejus temporalem exactionem perquirat, nec per quatuor anni tempora solitas presentias exigat, nec albergarias apud ipsam ecclesiam faciat*. Subscribunt post Sinibaldum Bellinus archipresbyter, futurus anno sequenti ejus in episcopatu Patavino successor, Obertus & Ubertus presbyteri, Nicolaus diaconus & Torengus subdiaconus. Ipsum privilegium denuo producimus [a] ex Muratorio, qui optime animadvertit vix cognitum Ughellio Sinibaldum. Ejusdem tamen Sinibaldi memoria habetur saltem ab anno 1112. quo XV. die intrante mense martii indictione XV. idem episcopus abbati sancti Benedicti de Padolirone, sub cujus subjectione persistebat cœnobium sancti Cypriani Muriani, indulsit, ut in villa Conchæ ecclesiam construere posset, ac baptismatis fontem erigere, ut monumento allato nos docet [b] in ecclesiis Torcellanis præstantissimus senator Flaminius Cornelius, usque ad diem vigesimam-octavam novembris hujus anni, qua ipso consentiente canonici Patavini decimas aliquot agrorum concessere monialibus sancti Petri; quod documentum edidit Ursatus [c] in historia Patavina. Et in necrologio pervetusto ejusdem monasterii Carcerum Sinibaldi obitus signatur ad diem XVII. octobris, absque tamen nota anni; quare ex documento apud Ursatum nonnisi post eam diem XVII. octobris anni sequentis auspicandus est episcopatus ejus successoris Bellini. Cum in privilegio nostro Sinibaldus Fabianum priorem monasterii Carcerum dilectissimum filium suum appellet, haud inverisimile est etiam Sinibaldum ex canonicorum Portuensium cœtu assumptum fuisse ad episcopatum Patavinum. Ceterum canonici sanctæ Mariæ ad Carceres nomenclaturam instituti sancti Augustini post breve tempus hoc eodem seculo amplexi sunt, ut alio in loco videbimus, ad instar ceterorum canonicorum Portuensium, qui ex ordine sancti Augustini nomen accipere maluerunt, canonicorum quoque sancti Secundi urbis Eugubinæ, quos ad rectius vivendi genus pellexerat his temporibus sanctus Ubaldus, non ideo tamen ulli canonicorum congregationi se addixere, vel ulli Augustiniano cœtui, sed liberi suique juris permanserunt, peculiarem Portuensem congregationem statuentes.

a *Antiq. med. ævi T. V. col.* 262.

b *P. III. p.* 197.

c *Pag.* 291.

XXVII. Donatio facta eremo de Fagiolo.

REPERIMUS [d] in excerptis Baroncinii sub hoc anno „ Tancredum „ cum uxore Gualdrada, & Alexium cum Berta conjuge sua locasse & „ concessisse Teuzoni priori & majori cellarum loci, qui vocabatur *Plano* „ *de Fazolo*, ejusque successoribus in perpetuum, quidquid aquisierat ipse „ prior a Petro de Bonusa, *sive totum ipsorum donnicatum, positum in plano de flume usque ad viam majorem, & in rio secco a flumine usque ad viam majorem, & in rio de Ulmo a flumine usque ad viam majorem, cum radio de le rondini a flumine usque ad viam majorem, cum aquis, aquimolis, ripis, rupinis ceterisque pertinentiis*, pro quibus omnibus omni anno dare debeant

d §. *Locatio. n.* 52. *A.* 2. 7.

debeant denarios tres Veneticos, nemine scarsio, exindeque receperunt bovem appretiatum solidis XVIII. *Actum in territorio Galeate plebatu sancti Petri, manu Laurentii notarii.*

Ann. Chr. 1123.

XXVIII. Calixti II. pp. privilegium pro Vangaticia.

JOHANNI Blanco abbati sanctæ Mariæ de Vangaticia ad Athesim fluvium, de quo mentionem fecimus ad annum 1115. successerat in regimine ejusdem monasterii Litaldus. Ipsi Litaldo abbati Vangaticiensis monasterii sanctæ Mariæ, *quod in comitatu Montis Silicani super Athicem veterem situm est*, ejusque successoribus privilegium hoc anno concedit Calixtus II. Romanus pontifex in confirmationem omnium bonorum præfati monasterii, *quod a nobilis memorie Hugone marchione constructum* dicitur, *& ab ipsa sui fundatione per predecessorem sancte recordationis papam Silvestrum libertate donatum*. Subjicimus hic ecclesias & bona, quæ in Calixti privilegio recensentur, quæque sunt hujusmodi: Villa abbatiæ, in qua monasterium fundatum erat, cum plebe sancti Johannis, villa Vangaticia cum ecclesia sancti Michaelis, villa Salvaterra cum ecclesia sancti Antonini, villa Cavazzana cum ecclesia sancti Laurentii. In episcopatu Veronensi ecclesia sancti Salvatoris in civitate; hæc eadem erat, quæ appellabatur de Curte-regia, apud quam sanctus Gualfardus his annis, ut vidimus, commorabatur; in eodem episcopatu & in Vicetino terræ præterea multæ. In episcopatu Pataviensi ecclesia sancti Petri sita in Monte-silice, curtis vallis Almerici cum ecclesia sancti Andreæ. In Athestino oppido ecclesia sanctorum Firmi & Petri; in Palso ecclesia sancti Michaelis. In episcopatu Adriensi ecclesiæ sancti Petri in villa Comeda, sancti Bartholomæi in Gorgnano, sancti Zenonis in Borseto, sancti Sisti in Contina, & in Venece ecclesia sancti Martini. In episcopatu Ferrariensi plures terras possidebat monasterium Vangaticiense, & demum in Bononiense ecclesiam sanctorum Simonis & Judæ de Urbizano. Innovat præterea Calixtus antecessoris sui Silvestri II. privilegium, quo decernitur, ut monasterium Vangaticiense permaneat sub apostolicæ sedis patrocinio, sitque liberum a dominio episcoporum, una cum omnibus ecclesiis, quas obtinet, atque a synodalibus exactionibus sit absolutum. Promotiones vero clericorum, basilicarum consecrationes, atque consignationes infantium vult, ut peragantur ab episcopis, quos abbates invitare maluerint. Indulget insuper, ut sacerdotes in parœcialibus ecclesiis monasterii degentes tam publicas, quam privatas parochianis suis pœnitentias imponant; illorum etiam studio quæstiones, quæ apud ipsos exortæ fuerint de conjugiis, ad abbates Vangaticienses referantur. Sacrum chrisma a quocumque episcopo abbas recipere queat, distribuatque in suas ecclesias. Demum curtis Vangaticiæ, Salvaterræ & Cavazzanæ decimationes Vangaticiensi monasterio impartitur. Addit, quod abbate loci obeunte, is pro successore habeatur, quem communis monachorum congregatio sibi elegerit. Datum est privilegium *Laterani per manum Ugonis sancte Romane ecclesie subdiaconi, secundo nonas martii indictione prima incarnationis Dominice anno* M. C. XXIII. *pontificatus autem domni Calixti pape* II. *anno* V. *scriptum per manum Gervaxii scriniarii regionarii & notarii sacri palatii*. Ipsum jam editum a Silvestrio in Paludibus Adrianis recudimus in Appendice ex apographo ejusdem monasterii anni 1308. quod exscripsimus.

XXIX. Aliæ chartæ Vangaticienses & Camaldulenses.

SUBJUNGIMUS ex eodem archivo autographum placitum habitum hoc eodem anno in ipso monasterio in gratiam præfati abbatis Litaldi. *Die veneris* VII. *intrante mense decembri in Abbatia in claustra monasterii fuit placitum Bulsi & Caulati in presentia fidelium ecclesie, quorum nomi-*

Ann. Chr. 1123.

na sunt hec. Albericus & Albertus ejus propinquus de Lendenaria, Senicus de Ramodepalo, Petrus Taurellus & Azo legisperitus de Ferraria, Bernardus de Ylase, Dominicus judex, Henricus & Ubertus filius ejus, Ugo de Porcile, Johannes grammaticus, Hermenardus judex atque alii plures. Ibique in eorum presentia lis fuit inter domnum abbatem Litaldum, & Bulsum atque Caulatum fratres de illo feudo, quod olim fuit Guilielmi filii Geraldi. Tunc omnes fideles audita utriusque ratione, cum consilio domni Guilielmi Marchiselle filii de Ferraria, & domni Girardi de Nogarole & Maliadobati, qui ibi aderant presentes, rogaverunt domnum Fulconem marchionem, ut per amorem Dei & ecclesie proferret veritatem de feudo illo, quod ipsi dicebant suum patrem habere & tenere. Tunc Fulco Dei gratia marchio erexit, & preparavit se jurare super sacrosancta evangelia, istud feudum sine voluntate & consilio abbatis, qui eo tempore aderat, ei dedisse, propter quod tradidit ei castrum Este. Quod cum audissent & vidissent suprascripti fideles, cum consilio suprascriptorum hominum, in presentia Uberti de Venti, & Ottonis de Roca, & Bernardi de Ylase & Conradi filii Girardi judicaverunt, & firmiter preceperunt abbati Litaldo, ut teneret atque possideret, sicuti tunc tenebat & possidebat.

Actum hoc in monasterio sancte Marie Vangaticiensis ecclesie anni Domini M. C. XXIII. *indictione* I.

Hoc ipso *anno Dominice incarnationis millesimo centesimo vigesimo tertio regnante Henrico rege mense februario* Cunizina filia Uberti & relicta Bernardini, quæ anno 1108. Martino priori Camaldulensi totum castrum de Soci obtulerat, cum transiisset ad alteras nuptias, consensu habito secundi viri sui, & filiorum suorum, terras, integraque bona ejusdem castri cum tota curte tradit, offert, & quodammodo confirmat Johanni priori itidem Camaldulensi.

XXX. De marchionibus Guarneriis excursus.

Musco quondam Carbonis & Sibilla ejus conjux tradunt monasterio sancti Victoris de Clusis & Alberico ejus loci abbati, qui suffectus fuerat in locum Petri, omnia sua cum terris, vineis, castellis, ecclesiis, commendationibus &c. & *qualecumque*, subdunt, *patrocinia nobis pertinent de jura parentibus nostris de predicto monasterio*. Inter fines horum bonorum nominantur Serra-sancti-Verecundi, & ecclesia sancti Apollinaris. *Anno* M. C. XXIII. *mense junius indictione prima regnante Henrico imperatore, & Guarnerius marchione*. Chartam hanc exscripsimus ex tabulario sancti Blasii de Fabriano, superiorem autem ex archivo Fontis-boni, & utramque integram amandamus ad Appendicem. Guarnerius hoc anno marchiam Camerinensem & Spoletanum ducatum regebat. Ipsa marchia Camerinensis seu Anconitana ab ipso vel ab ejus descendentibus dicta deinceps fuit marchia Guarnerii. Vidimus Guarnerium anno 1111. interfuisse ut testem privilegii Henrici V. imperatoris ad favorem Camaldulensium. In conjugem habebat Aldrudam, cui & ejus viro terras & silvas tradidit Berardus filius Massarii anno 1117. in charta apud Muratorium [a]. Filium Guarnerium pariter dictum suscepit, nominatum cum patre & matre apud eumdem [b] Muratorium in charta Laurentii episcopi Camerinensis, qui emphyteusis titulo ipsis concedit anno 1119. castellum Sancti-Severini. Idem Guarnerius filius Guarnerii anno 1142. Ugolino abbati sub ordine Claræ-vallensium donavit monasterium sanctæ Mariæ in comitatu Camerini juxta flumen Clentis, & anno 1145. monasterium Claræ-vallis de Flastra cœpit construere, donationibusque ditavit, & supposuit cœnobio Claræ-vallis prope Mediolanum, ut ex chartis [c] ab Ughellio, [d] a Compagnonio & [e] a Mabillonio relatis, & ex confirmatione facta anno 1191. a Gosebaldo Anco-

a Antiq. med. ævi T. I. col. 173.

b Ibid. col. 324.

c T. I. col. 552.

d Regia Picen. p. 70.

e Annal. T. VI. p. 365.

næ

næ marchione & Guarnerii nepote liquet. Præfatus Guarnerius filius anno 1140. Gualfrido episcopo Foro-sempronienſi & eccleſiæ ſanctæ Mariæ quatuor caſtella dono dedit, [a] teſte eodem Ughellio. Reperitur & ad annum 1148. W... dux & marchio [b] apud præfatum Compagnonium. Rurſus anno 1152. idem Guarnerius una cum Teodino Camerinenſi præſule *ecclesie glorioſiſſimi ſancti Salvatoris, ſanctique Laurentii edificate in monaſterio juxta caſtrum ſancti Severini in loco, qui dicitur Planus Camerini*, *& domno Actoni abbati* donavit *eccleſiam ſancti Michaelis, que eſt edificata in loco, qui dicitur Domora, in valle Gabiana*, ut legitur [c] apud Mabillonium. Inter Guarnerium I. & II. reperitur dux & marchio Fridericus ad annum 1135. *in Præſidibus marchiæ* [d] Compagnonii, & in memoriis hiſtoricis urbis Fani collectis [e] a Petro-maria Amiano patritio Fanenſi. Guarnerius II. obiit anno 1159. in obſidione Cremenſi, ad quam venerat vocatus cum gentibus ſuis ab imperatore Friderico I. teſte Ottone [f] de ſancto Blaſio: *Occiderunt* Cremonenſes, *Wernherum Italicum marchionem, de cujus nomine dicitur adhuc Wernheri marchia*. Quare Guarnerius, qui cauſam habuit anno 1164. circa caſtrum de Murro cum Baligniano ſeu Buligamo epiſcopo Firmano, cujus cauſæ chartam in medium affert [g] Muratorius, nepos eſt, non filius Guarnerii I. Male Guarnerium hunc, quem III. nominabimus, [h] Ughellius referens eamdem controverſiam appellat marchionem Murri-vallium, cum marchio eſſet Camerinenſis vel Anconitanus, & controverſia inter epiſcopum & marchionem caderet dumtaxat ſuper locum appellatum Murrus-vallium. Hic Guarnerius legitur etiam ad annum 1165. in charta emphyteutica abbatis Claræ-vallenſis facta comiti Caſſiano [i] apud Compagnonium. Guarnerium dictum in pagina Gualterium marchionem ad hæc tempora affert etiam [k] Amianus in memoriis Fanenſibus, chartamque producit: *Anno Domini ab incarnatione* M. C. LX. *exeunte januario indictione* III. *regnante imperatore Friderico & marchione Gualterio*. Sed eo anno indictio erat VIII. & anno ſolummodo 1169. more Florentino, hoc eſt initiis anni 1170. indictio III. decurrebat; quare ad eum annum facile ſpectat charta ab ipſo laudata. Sed redeundo ad Guarnerium I. videtur is fuiſſe marchio ille hujus nominis, cujus interventu Henricus IV. imperator anno 1095. [l] monaſterium Pompoſianum, & aliud ſanctæ Juſtinæ Patavinum ſub ſua imperiali protectione ſuſcepit. Charta anni antecedentis 1094. affertur a Lilio in hiſtoria Camerini [m], a Compagnonio & [n] ab Amiano, ſignata *temporibus Guarnerii dux & marchio ſede anno ejus primo indictione ſecunda Camerini*. Reperitur & ſub anno 1093. ſubſcriptus teſtis in privilegio Henrici IV. quo reſtituit ipſe imperator marchiam Carniolæ Udalrico patriarchæ Aquilejenſi apud Ughellium [o]. Is appellatur etiam ad annum 1100. *princeps Anconæ* a Sigeberto in chronico; *dux & marchio* ad annum 1106. in chronico Farfenſi; *præſes Anconæ* ab abbate Urſpergenſe, & *Wernerus regni Te tonici famulus* a Paſchale II. Rom. pont. in epiſtola ad omnes Chriſti-fideles inter epiſtolas Udalrici Bambergenſis editas [p] ab Eccardo. Extant apud Muratorium [q] inter ſcriptores rerum Italicarum Beraldi Farfenſis abbatis ſupplex libellus ad Guarnerium ducem & marchionem Anconitanum circa annum 1106. de injuriis ſuo monaſterio illatis a Morico & a Carbone, & ejuſdem Guarnerii contra præfatos invaſores monaſterii literæ, quibus in protectionem recipit Farfenſem abbatiam. Urſpergenſis autem ſcribit *Wernherum quemdam ex ordine miniſterialium regis, qui marchæ in partibus Anconæ præerat, collectis undique per Italiam copiis, dum domnus Apoſtolicus*, Paſchalis ſcilicet II. anno 1106. *Beneventanis immorabatur finibus*,

a T. II. col. 827.
b. *Pag.* 70.
c T. VI. p. 381.
d *Pag.* 70.
e *Par.* I. p. 137.
f. *In chronico cap.* XI.
g *Antiq.* T. I. col. 325.
h T. II. col. 693.
i *Pag.* 71.
k *Par.* I. p. 137.
l *Antiq. med. ævi* T. II. col. 1045.
m *Pag.* 211.
n *Part.* I. p. 131.
o T. V. col. 59.
p T. II. p. 258.
q T. II. P. II. p. 662.

Ann. Chr. 1123.

bus, quemdam pseudo-abbatem de Farfa cathedræ sancti Petri imposuisse, & ipsum papam Cæsaris sub vocabulo Silvestri appellari voluisse. Nomen ei anti-papæ Maginolphus vel Adinulphus, ut eum vocat auctor chronici Fossæ-novæ, quem etiam Sigeberto teste ex quadam arce extractum idem Wernerus Anconæ princeps in Tiburtinam urbem adductum anti-papam creandum curavit. Affert quoque Sigebertus fragmentum epistolæ Henrici imperatoris ad præfatum Guarnerium. Demum nomen ejus legitur sub anno IIII. inter subscribentes pro imperatore Henrico V. concordiæ investiturarum. Nemo non videt distinguendum esse Guarnerium hunc primum hujus nominis & ducem Spoletanum ac marchionem Camerinensem ab alio marchione Guarnerio, qui in obsidione urbis Antiochenæ circa annum 1097. primo congressu interiit, cujus Guarnerii defuncti memoriam ingerit in gestis Tancredi Radulphus Cadomensis apud Martene [a]; qui, an pertinuerit ad familiam Guarneriorum marchionum Camerinensium, incertum. Nobiles viros Fanenses pro recuperatione Terræ-sanctæ in Palestinam transfretasse, & sub Tancredo meruisse asserit suprarelatus Amianus [b]. Fanensis itaque facile marchio is Guarnerius. Probabilius est Guarnerios marchiones Camerinenses & duces Spoletanos originem suam duxisse ab eo Guarnerio, qui contra Nortmannos pro Leone IX. Rom. pont. decertavit anno 1053. Muratorius [c], & ante ipsum [d] Compagnonius conjiciunt eum Guarnerium, qui pro Leone pontifice dimicavit, fuisse primum marchiæ Anconitanæ marchionem; verum seculo præcedenti Gothifredus uterque Lotharingus, tum Rainerius, marchiones Camerinenses & duces Spoletani leguntur in chartis nostris, quas publici juris fecimus; primus autem pacificus & legitimus marchiæ Anconitanæ marchio Guarnerius non legitur, nisi seculo præcedenti desinente & seculo præsenti. Hæc occasione Guarnerii marchionis nominati in charta nostra Fabrianensi.

a T. III. Anecdot. col. 145.

b Par. I. pag. 129.

c Annal.

d Pag. 69.

Ann. Chr. 1124.

XXXI. Solitariam vitam concupiscit Albertus Senensis.

VIGINTI-QUATTUOR circiter annos numerabat vitæ suæ Albertus Senensis, qui post susceptas in adolescentia sua pro Christi amore, & pœnitentiæ ac pietatis causa plures per quadriennium peregrinationes, in patriam revertens & in propria domo acriorem & austeriorem vitam ducens, totum se afflictationibus carnisque macerationibus addixerat, cum factum est, ut majori sancti Spiritus desiderio inflammatus solitariam vitam, quam inter amicorum & propinquorum tumultus ægre complere poterat, concupierit. *Reversus itaque de peregrinatione*, inquit monachus ejus vitæ scriptor, *acriorem cœpit vitam subire, & se in anteriora semper extendere, tendens ad palmam supernæ vocationis. Studuit itaque non solum ab omni esu carnium abstinere, sed etiam ab omnimoda suavitate ciborum, carnisque consolatione penitus animum subtrahere. Nolebat enim recipere bona in vita sua, nec in terra suaviter viventium habitare. Dicens cum propheta: Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus & exercitatus sum, & defecit spiritus meus. Iisdem temporibus vir piæ recordationis, beatus scilicet Anselmus, prædictum virum visitare curavit. Veniens itaque ad partes ipsius, domum ejus sine ullo indice agnovit, & intravit dicens: Hæc domus Dei est, in qua me hospitari oportet. Ajebat etiam a quodam heremiticæ conversationis viro sanctissimo, cum reverteretur a basilica beati Jacobi, didicisse, cujus sanctitatis & meriti beatus esset Albertus. Quid plura? Cum dulcia inter se habuissent colloquia, & pie sibi invicem vivendi exempla demonstrarent, alter ab altero mirabiliter est hedificatus. Sicque factum est, ut ex collectione utriusque mira quædam processerit æmulatio, incitatio sanctitatis, provocatio religionis augendæ. Quasi ex* colli-

collisione duorum pretiosissimi generis lapidum candens scintilla prosiliverit. Deferebat secum vir prædictus Anselmus quoddam de nervis pecorum contortis flagellum, quo se durissime nocturnis temporibus verberabat. Ad cujus æmulationem beatus quoque Albertus tam duris ictibus corpus suum flagellare curabat, ut omnes, qui audierant & viderant, obstupescerent. Ex eo tempore ad frugalitatis & austerissimæ parsimoniæ studium amplius insudabat. Vestitus itaque cilicio super nudam humum aut durissimam tabulam, brevem & rarum somnum capiebat. Ecclesiam mox, ut pulsaretur signum, Divina cupiens audire officia frequentabat. Pane dumtaxat ordaceo in cibis utebatur. Vinum tantummodo dominicis diebus sumere acquiescebat. Quadam die dum graviter fatigatus a labore agrorum reverteretur, poculum sitiens poposcit; qui astabat accedens ad urceum, aquæ scyphum ex ipsa repletum sibi propinavit. Quo tenuiter prægustato, cum vinum, quod insolitum habebat, experiretur, ait propinanti: Cur me decipere voluisti? Quare mihi non aquam, sicut poposceram, sed vinum porrexisti? Mirantibus ergo super hoc verbo, qui viderant aquam hauriri, experiendi causa idipsum gustantes, quod in scypho remansit, vinum optimum esse sine ulla dubitatione noverunt, & ultra quam dici potest admirantes, beatum virum magis deinceps veneratione cœperunt honorare, qui prius eumdem quasi deridere solebant. Quotiens in domo sua splendida convivia fiebant, erat enim satis copiosa opibus & alimentis, pernax carnium & alia genera ciborum, quæ suo subtrahebat corpori, egenorum ministrabat refectioni. Interea cœpit solitariæ vitæ desiderio vehementer accendi, cupiens solitarie sedere & tacere, atque cum silentio præstolari salutare Dei.

ANN. CHR. 1124.

XXXII. De Anselmo & Guilielmo eremitis.

ANSELMUS, qui beatus & piæ recordationis vir in prædicta narratione a monacho Berardingo vocatur, sanctus Camaldulensis eremita eremi ad Vivum appellatur a Fortunio nostro, qui insuper subdit, quod sanctus Anselmus tradidit Alberto sacrum religionis habitum, ex eoque die domus beati Alberti in sacrum contubernium versa fuit. Quem tamen Anselmum nominant iidem anonymus & Fortunius, Guilielmum vocat Ractius, & eremitam pariter facit eremi ad Vivum, qui præterea sacro Camaldulensi schemate induerit Albertum. Fortunius vero postquam Anselmi discipulum Albertum nobis exhibuit, „ factum ipsum, nempe Albertum, itidem „ narrat discipulum sancti Guilielmi monachi, qui fuerat comes Pictaviæ „ & Aquitaniæ dux, qui anno circiter 1154. floruit, & apud Castilionem„ piscariæ nunc veneratur, ubi sacratissimum habetur corpus. “ Ita uterque historicus noster adoptat historiam Guilielmi olim comitis Pictaviensis & ducis Aquitaniæ, inde solitarii & eremitæ apud Stabulum-rhodis prope urbem Rossellensem vel Grossetanam. Sed jam constat fabulis accensenda esse, quæcumque de solitario recessu Guilielmi comitis Pictaviensis & ducis Aquitaniæ venditantur. Ordericus Vitalis scribit eumdem Guilielmum *feria sexta Parasceves quinto idus aprilis anno 1137. sacra communione munitum, & ante aram beati apostoli Jacobi in Gallæcia venerabiliter defunctum. Pariter in via seu in itinere*, idest ante reditum, ipsum obiisse narrat Sugerius abbas San-dionysianus, qui tunc vivebat. Teulfus monachus monasterii Mauriniacensis in chronico ejusdem monasterii [a], *Ipse vero Guilielmus*, inquit, *rebus humanis exemptus in eadem ecclesia sancti Jacobi est tumulatus*. Robertus Montis-sancti-Michaelis abbas in supplemento ad chronicon Sigeberti ait: *Comes Pictaviensis Guilielmus ad sanctum Jacobum in Gallæcia orationis causa proficiscitur, & feria VI. in Parasceve in ecclesia beati Jacobi moritur, & ante altare sepelitur*. Immo auctores omnes & eo temporis, & paulo post viventes simili modo exponunt obitum Guilielmi

a *Lib. III.*

Ann. Chr. 1124.

mi comitis Pictavienfis, qui legi poffunt commode apud Henfchenium ipforum auctoritates colligentem ad diem XI. februarii [a]. Quare omnino commentitius eft receffus ipfius in Etruriam poft peregrinationem fufceptam ad fanctum Jacobum. Liber vulgatus de vita Guilielmi feu Willelmi comitis, auctore, ut præfertur, Theobaldo incertæ fedis epifcopo, mera fabella eft, ut obfervant Mabillonius & continuatores Annalium Benedictinorum, qui lectores remittunt ad ea, quæ congeffit idem Henfchenius. Potuerit tamen Guilielmus, de quo Fortunius & Ractius loquuntur, alius effe eremita magnæ æftimationis, qui folitudinem incoleret eremi ad Vivum, ut erat Anfelmus, cujus propterea directioni fe commiferit Albertus. An vero Guilielmus Alberti magifter fuerit Guilielmus celebris alter, qui hoc eodem feculo ex divite & potenti domino poft plures fimiliter peregrinationes, prius in Pifana filva folitarius, inde poftremis vitæ fuæ annis eremiticam vitam elegit apud Stabulum-rhodis, five ad Malam-vallem, non longe a Roffellenfi urbe; quique communiter dicitur Guilielmitarum monachorum pater, definire non audemus. Anfelmus fervi Dei Alberti merita cognovit ex affertione cujufdam fancti anachoritæ, cum reverteretur a bafilica divi Jacobi. Potuit ergo Guilielmo huic poftremo Alberti fanctitas innotefcere, cum fimul ambo peregrinationibus darent operam. Verum fi Albertus nofter fuit difcipulus, vel potius amicus Guilielmi folitarii, nullo tamen modo ipfi tribui debent, quæ a Theobaldo epifcopo tribuuntur alteri Alberto, qui fuit *bonæ indolis adolefcens*, *Guilielmi minifter*, *ejufque difciplina perfufus*, *ambulans cum eo*, *intrans & exiens*, *& convefcens familiariter*, quem Guilielmus *prævidit in fpiritu virum fpiritus & virtutibus futurum*, *quem die fancto Epiphaniæ anni* 1156. *in difcipulum & fratrem recepit fecum Domino militaturum*; Albertus hic poftremo memoratus fcripfit gefta Guilielmi, & etiam Guilielmo morienti adftitit, cum quo propterea confundendus non eft Albertus nofter Senenfis, cui nulla ratione adaptari poffunt ea, quæ de altero Alberto proferuntur. Senenfis enim in juventute & poft adolefcentiam folitudinem elegit, alter Albertus adolefcens erat, cum fe fubdidit Guilielmo; hic *multorum pater* factus *filiorum*: *In tantum fiquidem magiftri difcipulus factus eft in melius æmulator*, *ut fignorum & prodigiorum fuerit operator mirabilis*, multumque propagavit Guilielmitarum ordinem; Senenfis autem numquam Thufciam, immo numquam fuam folitudinem Turricellanam dereliquit. Noftra itaque fententia Albertus Senenfis vel folitarius fuit eremi ad Vivum, vel folitarius monafterii Berardingorum, & fubjectus abbati ejufdem loci, degens in Turricellano receffu, juxta morem fancti patris Romualdi, qui folitudines prope monafteria erigebat, ut monachi eremiticæ vitæ generi addicti fub obedientia degerent prælati cœnobiorum. Denique familiaris fuit Albertus Senenfis & amicus eorum folitariorum, qui tunc temporis in eadem Thufciæ regione vivebant, inter quos vivebat etiam Guilielmus Guilielmitarum pater, quem pariter fcimus ex fcriptoribus ejus geftorum luftraffe prius eremos & folitaria loca Thufciæ, & facile etiam folitudinem Turricellanam, antequam in fuum feceffum Stabuli-rhodis fe reciperet. Poftremo animadvertimus nullo fundamento Johannem-Paulum Portefanum civem Cremonenfem [b], & Johannem Crefcentium in *Præfidio Romano* [c] ejus fuiffe fententiæ beatum Albertum Senenfem habitum monafticum recepiffe ab altero fancto Guilielmo, Vercellenfi nimirum & inftitutore congregationis Montis-virginis, qui per hæc tempora vivebat; immo afferere Guilielmum primo eremitam Camaldulenfem fuiffe, deinde novæ congregationis fundatorem fimul cum fanctis Amato & Donato, prius & ipfis, ut Crefcen-

a T. II. p. 442.

b Catal. SS. Cam.

c Lib. I. Narr. 2.

ANN. CHR. 1124.

ſcentius ſcribit, eremitis Camaldulenſibus. Hinc etiam veteribus monimentis deſtituti affirmant congregationem ipſam eremitarum Montis-virginis eſſe ordinis Camaldulenſis ſurculum. Fides ſit apud hos auctores, qui ex habitu candido, & Camaldulenſi fere ſimili forte opinionem ſuam confirmari ſibi blandiuntur. Ab iis quæſtionibus ſuperſedendum arbitramur, neque futilibus argumentis fidendum, veris tantum, vel ad ſummum a vero non alienis, & veriſimilibus convenientiis contenti.

XXXIII. Turricellanum receſſum petit Albertus Senenſis.

SED monachi Berardingi ſcriptoris vitæ Alberti textum proſequamur. *Adſumpto igitur ſibi quodam ſocio, Griffolo videlicet nepote ſuo, per avia nemorum, per abrupta montium, per vallium receſſus, aptum ſuo deſiderio locum cœpit diligenter inquirere Anſelmus. Et cum diu fatigatus opportunum ſibi locum non inveniſſet, ad montem ſatis excelſum, qui dicitur Turricella, tandem reverſus eſt. Qui locus tanta ventorum moleſtia pulſari ſolebat, ut ibidem manere omnes pene abborreſcerent. Unde præfatus Griffolus loci illius habitationem famulo Dei plurimum diſſuadebat. Cui nullatenus adquieſcens, quia non loci, ſed animæ quærebat opportunitatem, in tam ventoſo loco cellam fabricare conſtituit. Factum eſt autem per miſericordiam Dei, & merito beatiſſimi viri, ut præfatus locus ex eo tempore tam placidus, tamque quietus haberetur, ut mitius ceteris ventorum moleſtia & turbinis impetu fatigaretur, illo videlicet, cui mare & venti obediunt, imperante. In exordio autem hujus cellæ conſtructionis miraculum contigit, quod non eſt prætereundum ſilentio.*

Inter oppidanos de Aſciano & caſtellanos Montis-alceti dura concertatio & diſcordia pene inexorabilis emerſerat. Contigit autem, ut vir Dei cum nepote ſuo circa crepuſculum ad præfatum locum pro cauſa conſtruendi cellam procedere voluiſſet, quibuſdam prædonibus de Aſciano circa eumdem locum ſtudio deprædandi latentibus, qui de inſidiis prorumpentes, ſanctum quidem Albertum tangere non præſumpſerunt, ſed nepotem ipſius capientes ad propria perduxerunt loca, æſtimantes non modicam ab ipſo extorquendam eſſe pecuniam. Quo cognito pater capti juvenis contra virum Dei interim cœpit iraſci, ut non ſolum contumelia verborum, ſed etiam injuria verberum ipſum furore compellente graviter vexaret. Quæ cuncta vir patientiſſimus, placido vultu, & imperturbato toleravit affectu. Sequenti autem die cum vehementer pro juvene vexaretur, mox de manibus prædonum virtute divina elapſus ad propria remeavit. Quo viſo parentes & amici ineffabili gaudio exultantes, qualiter evaſiſſet, inquirebant. Ita, inquit, obſtupuerunt prædones & hebetes facti ſunt, ut nemo mihi violentas manus injicere, vel me in vincula conjicere præſumpſiſſet. Unde videntibus cunctis per medium illorum exiens ſecure ad vos repedavi. Prædonibus autem illis hoc videntibus, alter ad alterum cœpit improperare dicens: Numquid nepos viri Dei conjectandus erat in vinculis? ergo-ne putabamus ſanctum Albertum impune lædendum? Non eſt conſilium, non eſt violentia, non eſt potentia contra Dominum. Inanis eſt potentia creaturæ contra diſpoſitionem creatoris. Poſtmodum vero cum in ejuſdem cellæ fabrica plures operarii ad effodiendos congregandoſque lapides deſudarent, labore pariter & calore fatigati, graviter ſitire cœperunt. Æſtus quippe graviſſimus erat. Quo beatus Albertus cognito, fleſconem plenum vino a quodam viro fideli ſibi tranſmiſſum fecit afferri, qui tam parvæ capacitatis erat, ut vix unius obbæ menſuram excederet, nec pluſquam uni ſitienti ſufficere videretur. Operarii vero pluſquam duodecim erant. Hunc cum vidiſſent, cœperunt quaſi deridere dicentes, quod tanto poculo ſitis operantium magis accendi, quam extingui valeret. Sumite fratres, ſumite, ait vir Dei, iſtud modicum vini, quod præ manibus habetis. Potens enim eſt Deus vel iſtud ad omnem augere ſubſtantiam & ſufficientiam, vel aliud vobis

unum-

ANN. CHR. 1124.

unumcumque voluerit ministrare. Biberunt itaque omnes, & de tam modico vino universi sufficienter refecti sunt. Et ut amplius miremur, per totum diem ex eodem bibentes, vix illud consumere potuerunt. Quod illis constat contigisse virtute Dei & beati Alberti meritis, de cujus munere factum est, ut apud viduam Sareptanam Helya propheta permanente, ydria farinæ non defecerit, nec lecitus olei usque ad constitutum terminum sit imminutus. Constructa itaque cella tantæ parvitatis & despectionis, ut sepulcrum potius quam habitaculum videatur, eamdem vir sanctus intravit, & usque vicesimum-septimum annum abstinentia & sobrietate pene incredibili non cessavit incolere. Cetera de Alberto, ejusque insignes curationes & miracula temporibus suæ solitudinis ad alios annos reservamus.

XXXIV. Privilegium Calixti II. pp. pro Bifurcensi monast.

CALIXTUS Romanus pontifex Theoderico abbati monasterii sancti Benedicti in Bifurco confirmat præsenti anno bona sui cœnobii, quod in beati Petri jus & protectionem suscipit. Nomina ecclesiarum, quæ dictum monasterium possidebat, hæc sunt: plebs sancti Martini in Alpe cum duabus capellis, una in castro Plano Mercurii, alteram in monte Alto; ecclesia sanctæ Mariæ in Granario; plebs sancti Cassiani in Apennino, ejusdemque ecclesiæ capella sancti Savini; plebs sancti Petri in Octantula; ecclesia sanctæ Mariæ in Fluminicello cum capella sanctæ Helenæ; capella sanctæ Mariæ de Sirena; capella castri de Mesaurisi; ecclesia sancti Petri in Castagneto; ecclesia sancti Clementis; capella in Galiano; ecclesia sancti Petri in Rivo; altera sancti Andreæ in Piseto; ecclesia sancti Valeriani; alia sancti Jacobi in Mincajello cum domo hospitali. Extra muros vero Florentinæ civitatis juxta ecclesiam sancti Laurentii hospitale, & ecclesia sanctæ Mariæ de Astole. Theodericum abbatem ejusque successores obligat Calixtus ad persolutionem duorum aureorum quotannis Lateranensi palatio. *Datum* est Bifurcense privilegium Laterani *per manum Aimerici S. R. E. cardinalis diaconi cancellarii* III. *idus aprilis anno ab incarnatione* M. C. XXIV. *indictione secunda pontificatus autem domini Calixti* II. *papæ anno* VI. quod edimus in Appendice ex authentico tabularii collegiatæ & imperialis ecclesiæ sancti Laurentii de Florentia, confecto initio seculi XIII. sub Ottone IV. imperatore. Theodericus suffectus fuerat in locum Ildebrandi abbatis, qui monasterii regimen cesserat Theoderico, ut liquet [a] ex charta allata anno 1120. qua Ildebrandus olim abbas plura donavit Theoderico abbati. Aimericus, quem primum hujus paginæ occasione nominamus, Gallus natione, ex canonicorum ordine diaconus cardinalis sanctæ Mariæ-novæ creatus fuerat ab eodem Romano pontifice Calixto, & cancellarii officio auctus, quod munus strenue & cum magno zelo gessit sub pluribus pontificibus. Amicissimus fuit sancti Claræ-vallensis abbatis Bernardi, qui multas ad illum literas dedit, & cujus meminit in prologo tractatus, quem ei dicavit, *de diligendo Deo*.

a *Archiv. S. Laurnc. Florentiæ II. 35.*

Idem Romanus pontifex Calixtus II. *idus martii* Perusii existens hoc anno M.. hoc est Manfredo Mantuano episcopo, & B.. scilicet Bernardo Veronensi itidem episcopo, *& omnibus Venetianis dilectis filiis tam clericis, quam monachis per Ferrariensem parochiam constitutis* mandavit, ut nullum de Ferrariensibus hominibus in ecclesiis suis reciperent, vel eis chrismatis gratiam conferrent, nullusque etiam clericus vel monachus in civitate Ferrariensi habitans Divinum officium populo celebrare præsumeret, neque sacramenta conferre, præter baptisma infantium & pœnitentiam in ultimis positorum. Siquidem præterita quadragesima in Lateranensi generali concilio Gualterium Ravennatem archiepiscopum *de Ferrariensis episcopi obedientia revestiverat*, & Ferrariensem episcopum Landulphum, quia obedire contempserat, ab officio episco-

episcopali suspenderat, & populum cum eo in sua perdurantem contumacia ab introitu ecclesiæ sequestraverat, ut legitur in ejusdem Romani pontificis bulla, quam in tabulario marchionis Rangonii reperimus. Porro Ferrariæ & in ejus territorio Vangaticienses, Classenses & Adalbertini monachi ecclesias obtinebant, commoniti proinde & ipsi hujusmodi apostolicis literis parere.

Ann. Chr. 1124.

XXXV. Sextense monasterium confirmatur Camaldulensibus.

HENRICUS imperator petitione carissimi patris sui Calixti papæ II. & interventu Willielmi cardinalis Prænestini episcopi, necnon & precibus Johannis *viri reverentissimi* prioris Camaldulensis eremum & monasterium Camaldulense cum omnibus ecclesiis, cœnobiis, hospitalibus, locis & congregationibus eidem monasterio vel eremo commissis, omnibusque personis & rebus, castellis, curtibus & villis &c. recipit sub suæ imperialis tutelæ patrocinio. Inter cetera Sextensis monasterii curam & ordinationem a beatæ memoriæ Paschale papa præfatis Camaldulensi monasterio & eremo, precibus Sextensis tunc abbatis, & Rodulphi Lucensis episcopi tributam, manere in suo robore præcipit, sicut a Paschale pontifice fuit olim decretum. Philippus cancellarius vice archicancellarii Moguntini archiepiscopi recognovit imperiale præceptum, quod *datum* est *Wormatie anno Dominice incarnationis millesimo vigesimo quarto* VIII. *kalendas augusti indictione secunda*. Abbas Sextensis monasterii ad hæc tempora erat facile Rodulphus, cujus nomen legitur ad annum 1131. VI. nonas julii indictione VIII. [a] in pagina donationis terrarum positarum in comitatu Volaterrano in loco Agnano prope ecclesiam sanctæ Mariæ de Monasterio, quam ipsi Rodulpho fecit Rainulfus quondam Ubaldi, Ugone notario apostolicæ sedis chartam rogante. Willielmus, cujus interventu præceptum Henrici imperatoris prodiit, & ipse natione Gallus, cardinalis & episcopus Prænestinus creatus fuerat a Calisto II. Is supervixit ad tempora Innocentii II. Inter testes vero legitur etiam Pontius Cluniacensis abbas, qui cardinalitia quoque præfulgebat dignitate; narrat enim monachus Hugo auctor Cluniacensis chronici Calixtum II. hospitatum multo tempore in monasterio Cluniaci statuisse, *ut Cluniacensis abbas semper & ubique fungeretur officio cardinalis*; scribit pariter *ipsum manu propria annulo suo Pontium abbatem decorasse*. Authenticum exemplar Henriciani præcepti, quod in Appendice edimus, ad nos humaniter transmisit Martius Michaelius canonicus Lucensis ex tabulario capitulari ejusdem ecclesiæ.

a *Archiv. S. Pontiani Lucæ.*

XXXVI. Guido ep. Arretinus confirmat privilegia Camaldulensibus.

GUIDO Arretinus episcopus, qui se peccatorem monachum nominat, concedit hoc anno eidem Johanni Camaldulensi priori partem ecclesiæ sancti Martini positam in villa de Monte, & id quod in eadem villa tenebat presbyter Guido; confirmat pariter quidquid ad jus spectabat ejusdem eremi Camaldulensis in Partina & in rebus Ormanni vel Ugizzonis, quæ erant episcopii sancti Donati; hæc nimirum cedere vult in usum & sumptum monachorum Camaldulensium. Idem episcopus alteri Johanni abbati monasterii sanctæ Mariæ de Pratalia (is reperitur abbas ejusdem cœnobii post Bonizonem, cujus postrema memoria superest ad annum 1114.) donat integram ecclesiam dedicatam in honorem sancti Donati, & constructam in castro Marciani cum omnibus ædificiis, possessionibus, oblationibus & usibus præfatæ ecclesiæ. Aliam præterea tradit ecclesiam ædificatam in honorem sancti Georgii de Contra in eodem castro una cum domo, quam ibidem episcopus obtinebat, nullum aliud sibi jus reservans, nisi illud hospitandi. *Actum in domo sancti Donati ante altare sancte Marie virginis Domine nostre*. Subscribit ipse Guido episcopus & comes, deinde Ingo vicedominus, Guilielmus advocatus, Ildebrandus archidiaconus, & Ugo ca-

Ann. Chr. 1124.

merarius episcopi. Has duas paginas damus in Appendice ex tabulario Fontis-boni, ad quam etiam remittimus ex Pisani canonici Abrahamii schedis chartam venditionis terrarum positarum in finibus *Limite* prope ecclesiam sancti Johannis factæ Andreæ filio quondam Johannis a Dominico abbate sancti Zenonis de urbe Pisarum. Successor datus fuerat Petro abbati Dominicus, qui præfatæ paginæ subscripsit una cum Ubaldo presbytero & monacho, & Glandolfo subdiacono & monacho.

a Capf. Q. n. 32.

In excerptis tabularii monasterii sanctarum Floræ & Lucillæ de Arretio nominatur sub hoc anno [a] hospitale, quod est sub regimine sancti Petri minoris. Nullum fere his temporibus cœnobium adjuncto hospitali carebat, pro recipiendis pauperibus & peregrinis undique adventantibus.

XXXVII. Charta Pisana.
b Pag. 175.

Affert Grandius [b] in appendice monumentorum ad suam epistolam de Pandectis sub hoc anno communi, Pisano autem M. C. XXV. testamentum Pandulphi filii quondam Ildebrandi, qui omnes terras suas & bona pro remissione peccatorum donat & tradit Ugoni archipresbytero ecclesiæ majoris Pisanæ, Ludovico abbati monasterii sancti Michaelis, & Johanni presbytero ecclesiæ sancti Clementis, ea tamen conditione, ut si filii sui vel eorum hæredes intra biennium numeraverint octingentos solidos Lucenses, chartula sit inanis, quorum quadringenti exolvantur monasterio sancti Michaelis, centum canonicis & operæ sanctæ Mariæ, hoc est cathedrali ecclesiæ, quæ recens ædificata fuerat a Petro archiepiscopo Pisano, viginti Johanni presbytero sancti Clementis, viginti ad Pontem Arni, alii vero distribuantur pauperibus & sacris locis; sin autem intra condictum terminum præfatam pecuniam non enumeraverint, charta a se facta plenam vim obtineat.

Ann. Chr. 1125.

XXXVIII. De Petro Ariminensi priore Avellanæ & de Ubaldo canonico Eugubino.

Post Johannem Laudensem priorem Avellanensis eremi, vel officium dimiserit anno 1101. post quem non amplius ipsius Johannis nomen apparet in tabulis ejusdem loci, vel prioratum retinuerit usque ad annum 1105. quo ad Eugubinam ecclesiam regendam fuit tractus, præfatæ eremi prior legitur ad annum 1105. ut alibi diximus, Baruntius, post Baruntium autem Rainerius, cujus nomine signatæ habentur veteres membranæ ab eodem anno 1105. ad annum 1123. Rainerii diaconi & prioris eremi nomen apponitur sub die quinta septembris in necrologio Avellanensi his verbis: *Obiit Rainerius diaconus & prior heremi*; quem non dubitamus, quin fuerit Rainerius ille, qui ad hunc annum vel defunctus sit, vel regimen cesserit prioratus Avellanensis, cum in præfato necrologio nomina omnium priorum Avellanensium adnotentur; neque sub aliis diebus nomen appareat alterius Rainerii prioris. Præ humilitate renuerit provehi ad sacerdotium. De alio Rainerio Avellanensi prius monacho, inde episcopo Calliensi, denique archiepiscopo Spalatensi hoc eodem seculo fusior alibi se exhibebit dicendi copia. Hoc primum anno 1125. reperitur in eodem tabulario Avellanensi nomen Petri Ariminensis prioris dicti loci, viri sanctissimi, & maximo necessitudinis glutine conjuncti cum Ubaldo tunc canonico, mox futuro episcopo Eugubino. Quare corrigendus, ut in suis episcopis Eugubinis animadvertit Sartius noster, Jacobillius, qui Petrum Ariminensem priorem Fontis-avellanæ ad annum 1108. statuit, quem bona nimium fide secuti fuere tum socii Bollandiani, tum Grandius. De sanctitate Petri Ariminensis testimonium habemus omni exceptione majus Theobaldi, qui etiam ipse prior Avellanensis, inde ex eremo postulatus & electus fuit ad episcopatum Eugubinum post Ubaldum, in vita, quam scripsit ejusdem sancti Ubaldi,

Hæc

Ann. Chr. 1125.

Hæc porro de Petro Ariminensi tradit Theobaldus: *Civitas Eugubina ex maxima parte comburitur, & terribile Dei judicio venerabilis Ubaldi canonica funditus concrematur. Cujus damni dolore acriter mœstificatus priorem eremi Fontis-avellanæ Petrum Ariminensem adiit, cujus vita in Dei servitio admodum habebatur mirifica, & præconium sanctitatis longe lateque clarius coruscabat. Huic ergo simpliciter innotuit, quia & prioratum deserere, & locum mutare vellet. A quo benigna increpatione correptus, & rationabili increpatione commonitus, didicit virum Dei, sicut aurum in fornace, in tentationibus probari, & coronam nonnisi legitime certantibus posse largiri, graveque nimis se peccatum perpetrare, si creditos sibi fratres in tali adversitate relinqueret. Credidit homo Dei Ubaldus tanti viri exhortationibus, & festina cum alacritate rediens, cœpit & combustam ecclesiam, Deo se in omnibus adjuvante, reficere, & amissarum rerum damnum solatiantibus amicis & vicinis viriliter reparare. Atque in brevi tempore divinitus adjutus, non solum omne damnum ecclesiæ combustæ restituit; sed etiam in prædiis & possessionibus, ceterisque humanæ vitæ necessariis, eam tantum augmentavit, ut incendium illud non detrimentum intulisse, sed æmolumentum potius, & religionis, & substantiæ probatum sit præstitisse.* Verisimiliter non solum consilio, sed etiam pecunia Petrus Ariminensis Ubaldum juvit in resarcienda canonica vel cathedrali, vel sancti Secundi basilica combusta.

XXXIX. Amplum privilegium Honorii II. pp. datum Camaldulensibus.

Calixto Romano pontifici suffectus fuerat sub finem anni præteriti Lambertus episcopus Ostiensis, qui nomen assumens Honorii II. primo sui pontificatus anno martio mense privilegium concessit Johanni priori Camaldulensi, quo eremum cum omnibus ad eam pertinentibus in beati Petri tutelam & protectionem suscepit, & apostolicæ sedis patrocinio donavit. Statuit, ut nulli fratrum Camaldulensis congregationis post monasticam professionem fas esset, absque prioris generalis & fratrum licentia, egredi; quod si exire præsumpserit, & secundo ac tertio commonitus redire contempserit, excommunicationis sententiæ submitteretur. Voluit etiam, ut ecclesiis a fratribus ejusdem congregationis rectis nullus episcopus divinum vetaret officium, quinimmo in communi urbis interdicto liceret ipsis sacra mysteria celebrare. Tum enumeravit loca subjecta regimini eremi & prioris Camaldulensis, inter quæ hæc de novo nominantur, quæ non recensentur in privilegiis antecessorum Romanorum pontificum; videlicet monasterium Montis-muri sub titulo sancti Petri in diœcesi Fesulana, & sub plebanatu sanctæ Mariæ-novellæ. Subjecta erat monasterio sancti Petri Montis-muri ecclesia sancti Michaelis, quæ titulus erat abbatiæ veteris. Pariter monasterium sive eremus sanctæ Mariæ in Lacu in eadem diœcesi Fesulana prope Poplenam. Monasterium sancti Vigilii in burgo Senensi, & cœnobium sancti Martini in Accole cum ecclesia sanctorum Jacobi & Christophori, appellata etiam Eremitæ, sive de Mandriolis. Altera haud longe ab oppido Massaccii ecclesia erat Camaldulensi sancto Johanni dicata. De his monasteriis aliqua occurrent annis posterioribus dicenda. Subscribunt post Honorium Romanum pontificem Guido Arretinus episcopus, Ægydius episcopus Tusculanus; is ex monacho Cluniacensi cardinalis episcopus Tusculanæ ecclesiæ creatus fuerat, Guido Tiburtinus episcopus, & Vitalis cardinalis, qui fuit Albanensis episcopus ante Matthæum, Petrus cardinalis presbyter sanctæ Susannæ, Anastasius sancti Clementis; is dictus ejus nominis junior; & Desiderius sanctæ Praxedis, ambo a Paschale II. creati cardinales; Sigizo sancti Xysti, ipse quoque secundus hujus nominis; Hugo diaconus sancti Theodori; uterque

Ann. Chr. 1125.

ab Honorio II. ad cardinalitiam dignitatem assumpti, Johannes demum sanctæ basilicæ subdiaconus, & Rodulphus diaconus sacræ basilicæ. *Datum Laterani per manum Aimerici S. R. E. diaconi cardinalis & cancellarii nonis martii indictione* III. *anno dominice incarnationis* M. C. XXV. *pontificatus autem domni Honorii* II. *pape anno* I. quod integrum habetur in Appendice ex tabulario Fontis-boni.

XL. Alia pro Sardis monasteriis, aliisque cœnobiis.

Eadem die ex summariis Baroncinii præfatus Romanus pontifex ipsi Johanni priori & eremitis eorumque successoribus alterum privilegium dilargitus est, quo rata habuit & sub apostolicæ sedis protectione recepit omnia, quæ possidebant Camaldulenses in Sardinia, videlicet monasterium sanctæ Trinitatis in Sacargia, quod donaverat Constantinus judex Turritanus, adsentiente Azone ejusdem loci archiepiscopo; ecclesiam sanctæ Eugeniæ in Simanar cum ejus curte; ecclesias sancti Michaelis & sancti Laurentii in Vanari, sanctæ Mariæ & sancti Johannis in Altasar, sanctæ Mariæ in Contra, sancti Johannis & sancti Simeonis in Salvenero, sancti Nicolai de Trulla, sancti Petri de Scanno, & sancti Pauli de Contrajano cum earum juribus & pertinentiis. Aliquot ex iis ecclesiis monasteria etiam adjuncta habebant, ut certum est de ecclesiis sancti Nicolai de Trulla & sancti Petri de Scanno. Monasterium de Salvenero in Sardinia distinguendum est ab alio, quod ibidem obtinebant per hæc tempora monachi Vallumbrosani, quodque anno 1139. Ugoni abbati dicti loci confirmavit Innocentius papa II. apud Fulgentium Nardium in tabulis suis chronologicis [a].

a *Pag.* 16.

Præcepit insuper Honorius, ut nullus ex monachis Sardiniæ monasteria incolentibus post professionem emissam ex congregatione Camaldulensi exire posset; exeuntem autem & tertio commonitum subjecit excommunicationi. Item ut nullus episcoporum valeret sine canonico judicio divina officia in præfatis locis interdicere. Cui privilegio subscribunt post Honorium & plures cardinales etiam Guido Arretinus episcopus. *Datum* est ipsum *Laterani* manu ejusdem Aimerici cardinalis cancellarii.

Prædictum Honorium II. tempore sui pontificatus alio privilegio suo communiisse monasterium sancti Salvatoris Montis-acuti in territorio Perusino testis est alter Romanus pontifex Eugenius III. in diplomate concesso dicto cœnobio anno 1145.

XLI. Petrus ep. Feretranus beneficus in monast. S. Joh. inter Ambas-paras.

Publici juris etiam facimus ex Camaldulensi tabulario chartam donationis scriptam hoc ipso anno a Petro Feretrano antistite pro eremo sancti Johannis-baptistæ inter ambas Paras, & datam Laurentio ejus priori, qui in locum suffectus fuerat episcopi & rectoris Gebizonis. Ratum habet imprimis Petrus episcopus privilegium, quod eidem Gebizoni concesserat olim Gregorius VII. Romanus pontifex. Tradit subinde eidem eremo quartam partem plebis sancti Martini, quæ vocabatur *in Veclo*, cum suis decimis & primitiis, omnibusque juribus ad eam spectantibus tam vivorum, quam mortuorum. Facultatem quoque facit eremo præfatæ acquirendi & tenendi bona *de corpore ejusdem plebis*. Tradit insuper, & concedit capellam sanctæ Mariæ de Saxeto cum omnibus ad eam pertinentibus, etiam cum redditu sanctæ synodi, & duos mansos cum dimidio in loco Pozolo, aliosque alibi mansos, sub pensione psalmi: *Levavi oculos meos in montes*, in perpetuum pro ejus anima quotidie recitandi, ac offerendi omni anno in festivitate sancti Leonis, a quo nomenclaturam accepit urbs, & ea provinciæ Feretranæ pars, cereos duos. Subscribit ipse Petrus Dei nutu Feretranæ ecclesiæ episcopus, Johannes archipresbyter, Benedictus, Petrus, & Dominicus sacerdotes, Unganus &

An-

Ann. Chr. 1125.

Andreas diacones, Episcopeus & Johannes acolyti. Ughellius affert Honorii II. privilegium concessum hoc eodem anno ipsi Petro Feretrano episcopo, laudatque ipsum V. Cl. Johannes-baptista Contarenus O. P. in sua dissertatione de episcopatu Feretrano; ex nostra autem donationis charta lux aliqua addi poterit historiæ ejusdem ecclesiæ per hæc tempora.

XLII. De abbatibus S. Gregorii de Urbe.

Robertus abbas monasterii sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe recipit hoc anno a Roberto filio quondam Rainucci de Roberto, quidquid avus suus olim a præfato monasterio acceperat circa jus castri, quod vocabatur de Guido, ut intelligimus ex codice Gregoriano, ex quo chartam proferimus. Successerat Robertus abbas Anastasio, de quo verba fecimus ad annum 1115. & ante annum 1119. prædictum monasterium regebat, cum ejus nomen legatur inter subscribentes confirmationi electionis Calixti papæ II. in epistola, quam venerabilibus episcopis, cardinalibus, clericis ac laicis, qui cum Gelasio fuerant, scribunt episcopi, cardinales, clerici & laici fideles beati Petri, qui Romæ erant, quæque edita fuit tum a Martene tomo I. Veterum Scriptorum [a], tum a Mansio in supplemento conciliorum Labbei [b]. Subscribit autem Robertus his verbis: *Ego Robertus abbas sancti Andreæ de Clivo-scauri cum omni congregatione nostra laudo & confirmo.* Quare nescimus, quibus monumentis Ciacconius [c] ejusque illustratores ad hæc tempora comminiscantur Gregorium quemdam monachum & abbatem sanctorum Andreæ & Gregorii in Clivo-scauri, creatum cardinalem diaconum sancti Eustachii a Romano pontifice Paschale II. quem scribunt interfuisse concilio Vastall nsi, & Romanis comitiis habitis pro electione Gelasii II. & Honorii II. in schismate autem Anacleti contra Innocentium II. pseudo-pontificis Petri-leonis partes secutum fuisse, & legatione functum pro eodem ad Cluniacenses; alii vero a Calixto II. creatum cardinalem affirmant. Nisi Gregorium abbatem statuamus ante Anastasium, de quo mentio fit in codice Gregoriano ad annum 1115. vel post Robertum, qui nominatur ad hunc annum, & ad annum 1119. vel demum post Laurentium, qui cœnobium illud rexit annis 1128. & 1131. vix reperitur tempus, quo potuerit abbas esse ejus monasterii, sed ipsi ea non convenient, quæ de illo proferuntur, quod nimirum anno 1106. concilio Vastallensi interfuerit, & quod partes post annum 1130. insuper sectatus fuerit Anacleti II. dum erat S. R. E. cardinalis.

a Col. 648.

b T. II. col. 335.

c T. I. col. 922.

XLIII. Pontius abb. Cluniacensis in eadem Gregoriana eccl. sepultus.

Sepultus fuit hoc anno in eadem basilica nostra sancti Gregorii papæ ad Clivum Scauri Romæ Pontius abbas Cluniacensis, ut auctor est in chronico Cluniacensis monachus Ricardus [d]. Notæ sunt turbæ, quas Pontius post dimissionem abbatiæ excitavit in cœnobio Cluniacensi, direptiones quoque vasorum sacrorum, & invasio monasterii, ob quæ crimina Romam vocatus ab Honorio II. & anathemate irretitus, vix elapso mense, interiit. Sepeliendum curavit Pontium ipse Romanus pontifex, ea de re scribens Petro Cluniacensi abbati ejus successori in hæc verba: [e] *Præterito mense decembri*, hujus scilicet desinentis anni, *Pontius viam universæ carnis ingressus est, qui quamvis de malis Cluniaco illatis sæpe commonitus pœnitentiam agere noluerit, nos tamen pro reverentia ejusdem monasterii, cujus monachus fuerat, eum honeste sepeliri fecimus.*

d *Apud Murat. T. V. col.* 1111. *Antiq. med. ævi.*

e *Apud Mabil. Ann. T. VI. pag.* 128.

XLIV. De Guidone episcopo Arretino, & de Laurentio Nucerino.

Victoriam obtinuit circa hunc annum Guido episcopus Arretinus litis, quam habebat cum Gaufredo episcopo Senensi quoad limites & jura suæ diœcesis, bulla favorabili donatus ab Honorio II. Romano pontifice tertio nonas martii indictione tertia per manum Aimerici diaconi cardina-

Ann. Chr. 1125.

dinalis & cancellarii. Hæc de Guidone referuntur in examine testium productorum circa annum 1170. coram Laborante S. R. E. cardinale in iterata controversia Heliotti episcopi Arretini cum Gunteramo episcopo Senense, quæ libenter afferimus ex Grazino in vindiciis sanctorum martyrum Arretinorum, quandoquidem de episcopo Camaldulensi agitur: *Quadam die* Guido antequam *Romæ causam vicisset, in pede scalæ Lateranensis palatii accessit ad eum quidam pulcher clericus toto capite respersus albicantibus canis, & ait: Episcope Aretine quid fecisti de causa tua? Tum vero episcopus: Quid facere possum? injuriose tractor in hac curia; & totum meum jam expendi, quid faciam, nescio. Tum senex respondit: Mitte ad montem Syratti pro registro papæ Alexandri, in quo est definitiva sententia super controversia* &c. *Abeunte autem tum sene, misit pro eo Aretinus episcopus, ut melius interrogaretur, cumque inventus non fuerit, creditus est fuisse sanctus Donatus. Episcopus Guido rogavit tunc Gualfredum del Papa habitantem in Caprallica prope Sutrium, ut registrum præfatum sibi mitteret, quo misso & aperto, statim occurrit præfata sententia, secundum quam Aretinus episcopus victoriam retulit*. Alter testis retulit *se decennis cum esset audisse a patre suo Civitellæ indigena, quando Guido reversus fuerat Roma cum victoria hæc narrantem; nimirum se cum Romæ esset, Senensi episcopo, dum lis penderet, dixisse: Apprehendamus nos manu ad manum ego & tu, & præcipitemus nos ambo in Tiberim, & illa ecclesia sive Arretina sive Senensis, cujus episcopus fuerit in Tiberi enecatus, causam amittat. Cui Senensis episcopus respondit: Nolo sic mori. Rursus ad eum Guido: Celebremus ambo jejunium in cilicio, sicut decet, & deinde eamus ambo ad ecclesiam sancti Salvatoris Lateranensis, ubi clausæ sint portæ, & cui nostrum petenti & oranti deinde apertæ fuerint, ille sit victor in causa. Et hoc autem episcopus Senensis facere recusavit*. Ex his narrationibus fides colligitur episcopi Guidonis, qui dignus insuper fuit visionis sancti episcopi Donati. Sanctissimum ipsum appellat idem Grazinus; abstinent ab eo titulo Burallius & Ughellius. Anno sequenti Pisis erat, & subscripsit Honorii bullæ pro ecclesia Pisana.

Lotharium factum episcopum Nucerinum ex monacho Font-avellanensi præsenti anno scribit Hiacynthus Vinciolus [a] in libro Sanctorum & clarorum virorum suæ familiæ. Sed dum asserit confirmationis munus obtinuisse a Calixto II. vel antevertendus est annus ipsius electionis, vel mutandum nomen Romani pontificis, qui ipsum confirmaverit, itaut Honorius tam electionis, quam consecrationis gratiam contulerit. Ipse Lotharius sub hoc anno privilegio suo munivit monasterium sancti Petri de Andolina.

[a] Pag. 80.

Ex codice Strozziano in cognitionem venimus Gentium & Ugolinum Orlandi Guidi a Suvera dono dedisse his diebus monasterio sancti Petri de Rotis in agro Arretino omnia sua jura, quæ obtinebant in castrum Montis-liscarii, excepta turre & domibus eorum habitationis, ut refertur in adnotationibus [b] ad chronicon Bonaccursii Pitti, quod edidit Mannius.

[b] Pag. 87.

In quadam controversia testamenti hujus anni, quæ vertebat inter præpositum ecclesiæ Castellanæ & inter abbatem monasterii sancti Salvatoris de Monte-acuto diœcesis Perusinæ nominatur Bonifacius cardinalis, presbyter nimirum tituli sancti Marci, cardinalis creatus ab Urbano II. ex codice pecudineo tabularii ejusdem Castellani episcopatus.

Ann. Chr. 1126.

XLV. Johannes prior Camald. fit cardinalis & ep. Ostiensis.

Coactus hoc anno Johannes prior Camaldulensis relinquere suam solitudinem & ad Romanam urbem evocatus, electus fuit ab Honorio II. Romano pontifice S. R. E. cardinalis & episcopus Ostiensis. Fallun-

Ann. Chr. 1126.

luntur ii, qui ejus promotionem ad eam dignitatem assignant antecedenti anno 1125. Fortunius in primis, Ughellius & Ciacconius; neque enim statim ab electione Honorii, qui ante pontificatum fuerat episcopus Ostiensis, Johannes noster ad eam cathedram replendam fuit assumptus una cum cardinalitia dignitate, cum mense julio hujus anni 1126. prioratum Camaldulensem adhuc obtineret, ut constat ex charta tabularii Fontis-boni, quam publici juris facimus in Appendice: *Anno* enim *ab incarnatione millesimo centesimo vigesimo sexto, mense julii indictione quarta*, Ardingus filius Ardingi & Adalia ejus conjux, Reinerius eorum filius & Sidinia uxor, ac Bernardus, qui Pillo vocabatur, germanus prædicti Rainerii refutaverunt Johanni priori Camaldulensi & ejus ecclesiæ totam partem illam castelli, curtis & ecclesiarum, quæ Rainerius eorum germanus & paterterus una cum Gasdia uxore sua obtulerant jampridem eremo Camaldulensi. Actum Talla judicaria Arretina. Pariter die XXI. ejusdem mensis purpuratorum patrum numero nondum fuerat sociatus, cum ea die post episcopos, ut *prior Camaldulensis*, subscripserit Honorii II. privilegio concesso Rogerio archiepiscopo Pisano, quo idem Romanus pontifex metropoliticam dignitatem Pisanæ ecclesiæ ratam habuit, ut videre est apud Troncium [a] in Annalibus Pisanis, & apud Ughellium. Sed neque mense septembri eam dignitatem assecutus fuerat Johannes; ipso etenim mense Tebaldus olim Raymundini vendidit, & loco pignoris dedit Petro monacho vice Johannis prioris Camaldulensis & ipsius eremi recipienti aliquot sistaria terræ in territorio sanctæ Mariæ de Bujano in casali Agna; manu Alberti notarii, ut liquet ex summariis Baroncinii [b]. Quare vergente dumtaxat ad finem præsenti anno eo honore fuit insignitus.

a *Pag.* 61.

b §. *Emptio* 165. *A.* 2. 36.

Demandata statim fuit a Romano pontifice Johanni cardinali legatio apostolica in insulam Sardiniæ. De ipso enim, & non de alio Johanne cardinali per hæc tempora intelligenda censemus verba Dimæ Serpi, qui postquam testimonio Ludovici Civitatensis seu Terræ-novæ episcopi narrationem instituit de quodam templo beatæ Mariæ virgini olim dicato a sanctis eremitis Nicolao & Trano Sardis in loco subinde appellato sanctæ Mariæ de Loco-sancto, in quo etiam iidem eremitæ sepulcri loculum habuere, addit, quod propter miracula magna, quæ Deus operabatur ibidem meritis Reginæ cœlorum, & sanctorum eremitarum, Honorius papa II. *misit legatum suum cardinalem Accimonensem nomine Johannem, qui prædictam ecclesiam consecravit, atque apostolica auctoritate constituit indulgentias multas ipsam visitaturis, sicut & ego*, subdit idem Dima, *ipsam visitavi, censuique habendam unam ex venerabilioribus hujus regni*. Porro Papebrochius [c], qui hæc refert ex Dima ad tomum IV. junii in vita eorumdem sanctorum eremitarum, verisimile judicat „ Johannem Ostiensem cardinalem, cujus dexteritate & prudentia semper ad Romanæ curiæ officia peragenda usus est Honorius, libenter suscepisse onus legationis apostolicæ in Sardiniam, ut eadem opera suos ibi olim filios visitaret. “ Quis enim tempore Honorii II. papæ, & temporibus etiam posterioribus ignotus ubivis gentium episcopus aut cardinalis Accimonensis nomine Johannes? De monasteriis Sardis Camaldulensibus donatis sub Guidone, & sub eodem Johanne prioribus Camaldulensibus abunde egimus annis 1112. 1113. & 1125.

c *Pag.* 84.

Johanni cardinalitia dignitate aucto suffectus fuit in regimen Camaldulensis eremi, & congregationis declaratus generalis prior Azo, cujus primum monumentum habetur sub anno sequenti ad mensem martium in charta Gothifredi episcopi Florentini, quam afferemus, pro parthenone

mi

Ann. Chr. 1126.

sancti Petri de Luco; subsequenter perdurat ejus nomen usque ad annum 1151. Quare ceteris Fortunii hallucinationibus chronologicis est accensendum, quod scribit, „ anno salutis M. C. XXX. Johannem adversa valetu-„ dine laborantem magistratum sponte repudiasse, & posthæc ad immor-„ talem transiisse gloriam; habitis autem comitiis eremitas Azonem suffe-„ cisse magna prudentia ac religione virum, qui rem Camaldulensem duos „ & viginti annos administravit. “ Ignoravit siquidem Fortunius dignitatem cardinalatus collatam Johanni priori, neque recte scivit tempus assumpti regiminis Azonis, cui etiam non viginti-duo, sed viginti-quatuor saltem anni prioratus ex chartis Fontis-boni sunt tribuendi.

XLVI. Ubaldus canonicus Eugubinus secedit in eremum S. Joh. inter Ambas-paras.

Ubaldus e contra canonicus Eugubinus postulatus & electus a Perusinis in ipsorum episcopum hoc anno post mortem Januarii, qui sexto sui regiminis anno defunctus fuerat, ut dignitatem sibi exhibitam fugeret, recessit in eremum sancti Johannis inter ambas Paras (ita enim corrigendus est textus Theobaldi, qui habet *inter ambas Partes*) inde Romam se conferens absolvi petiit a Romano pontifice Honorio II. ab honore episcopatus suscipiendo. Rem narrat idem Theobaldus immediatus ejus successor in cathedra Eugubina, & ipsius vitæ scriptor: *Interea beatæ memoriæ*, inquit, *Perusinus episcopus humanum debitum solvit, & vir Dei Ubaldus eligitur ad episcopatum a Perusinis. Sed cujus erat propositum cœlestem in omnibus sequi magistrum, sicut ille terrenum vitaverat in terris accipere regnum, ita iste Perusinum suscipere devitavit episcopatum. Nam sicut beatus Evangelista dicit: Postquam de quinque panibus & duobus piscibus satiavit Dominus quinquemillia hominum, cum cognovisset, quia venturi erant, ut raperent eum, & facerent regem, iterum solus aufugit in montem. Hoc itaque fugiendi honoris exemplum bonus discipulus imitatus, cum cognovisset, quod Perusini de se disposuerant, occulte aufugit, & in eremo, quæ inter-ambas-partes dicitur, per aliquantulum temporis se occultavit. Postea inde recedens clam Eugubium rediit, & inde, quatuor clericis assumptis, pedester cum ipsis sine alicujus vecturæ adminiculo, ad Romanum pontificem ivit. Cui cum se humiliter repræsentasset, votum animi sui simpliciter innotuit, & quantum potuit per se & per suos amicos cardinales eum suppliciter oravit, ut eum ad episcopatum benignus papa non cogeret, immo potius ab electione facta de ipso apostolica auctoritate absolveret. Annuit itaque sanctæ memoriæ Honorius papa tam devotis petitionibus ejus, & nolens contristare secundum Apostolum, quem in ipso videbat habitare, Spiritum-sanctum, suscepit preces, exaudivit votum, & complevit desiderium.* Electus reapse fuit episcopus Perusinus Rodulphus, cujus donationum [a] & confirmationum hujus temporis paginas vidimus in volumine viridi archivi canonicorum cathedralis ejus ecclesiæ. Eremo autem sancti Johannis inter Ambas-paras præerat Laurentius, ut docuimus anno antecedenti, sub quo aliquantulum temporis exceptus fuit Ubaldus.

[a] Pagg. 6. 8.

XLVII. Eccl. S. Clementis confirmata Bifurcencensibus a Gualterio archiep. Ravennate.

Donatam legimus in chartophylacio archiepiscopatus Ravennatis hoc anno a Gualterio antistite Ravennate Theoderico abbati sancti Benedicti de Bifurco ecclesiam sancti Clementis cum suo cœmeterio positam in territorio Liviensi plebe sancti Cassiani in Casatico. Hæc potius est confirmatio quam nova donatio ejusdem ecclesiæ facta monasterio Bifurcensi, cum ipsam præfato cœnobio prius anno 1073. concesserit Wibertus archiepiscopus similiter Ravennas.

ANNA-



ANNALES CAMALDULENSES

LIBER VIGESIMUS-SEPTIMUS.

Ab anno CHRISTI M. C. XXVII. *ad annum* M. C. XXXV.



ELIX hic annus millesimus centesimus vigesimus-septimus fuit ob gloriosum obitum sancti Gualfardi, qui teste anonymo vitæ ejus scriptore, *cum vitæ suæ finem intelligeret, sibi capsam ligneam construi præcepit, quam in communi via circiter ecclesiam poni rogavit, super quam capsam ipso viro Dei intus posito homines euntes & redeuntes voluit calcare. Dicebat se non dignum in cœmeterio morari, appellabat se admodum peccatorem, & in plurimis Deo offensum se dicebat. Non multum temporis post ipsum ægrotantem quidam honestissimi viri ejusdem sancti Salvatoris ecclesiæ cum quibusdam suis concivibus duo plaustra invenerunt, & pro arca lapidea, quæ in valle Paltenæ fore ferebatur, apud Cozanum ire complacuerunt, quæ a nullo tempore ante in nullo etiam serenissimo tempore & firmissimo aere ab aliquibus hominibus illam sæpissime arcam deportare volentibus inde auferri potuit, quin statim illis temptantibus arcam prædictam moveri, totius ora loci a magna tempestate devastaretur. Sed cum supradicti viri divina providentia ad arcam devenerunt, cuncti illius vallis homines solitam tempestatem timentes ipsos flexis genibus, ne moverent arcam, obnixe rogaverunt. Verumtamen sicut erat Dei voluntas, non idcirco arcam dimittentes, capsam in uno plaustro, & coopertorium in alio vehiculo Dei auxilio cum magno gaudio imposuerunt sine aliqua temporis adversitate. Venientes igitur cum magno tripudio, magnaque lætitia, arcam ad Domini nostri Salvatoris ecclesiam absque ullo impedimento adduxerunt. Eadem vero hora sacerrimus Dei servus Gualfardus emisit spiritum, qua ipsi cum arca venientes juxta prædictam ecclesiam cum magna jubilatione accesserunt .... Migravit autem beatus Gualfardus ad Dominum anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo vigesimo-septimo pridie kalendas maji.*

ANN. CHR. 1127. I. Obitus S. Gualfardi solitarii Veronensis.

DEPOSITUM in eadem arca requievit in ipsa corpus sancti Gualfardi usque ad annum 1507. quo Marcus S. R. E. cardinalis Cornelius episcopus Veronensis transtulit corpus ejusdem Sancti ex veteri in novam capsam

II. Plura de ipso, ejusque reliquiis.

Ann. Chr. 1127.

ipsam ad altare, quod in ipsa ecclesia sancti Salvatoris sub ejus appellatione in honorem habetur. Hujus translationis memoria continetur in tabella plumbea intra arcam posita, & his literis inscripta: *Hoc jacet in tumulo beatissimus Gualfardus de civitate Augusta, qui migravit Veronæ anno ab incarnatione Domini* M. C. XXVII. *pridie kalendas maji, & ejus translatio fuit* VII. *kalendas decembris* M. D. VII. *præsente Johanne de Abbatia canonico Veronæ*. Sub arca prædicta legitur titulus sculptus: SANCTI. GVALFARDI. OSSA. & ante altare in tabula transversa alius spectatur in hæc verba: OSSA. SANCTI. GVALFARDI. DE. CÆSAREA. AVGVSTANA. CIVITATE. HIC. REQVIESCUNT. Ubi frustra Augustinus Valerius episcopus Veronensis, & post eum Ferrarius, ut adnotat Papebrochius, mendum suspicati, monent delendam vocem Cæsarea, eo quod sanctus Gualfardus Germanus fuerit, non Hispanus. „ Nec enim verisimile est tituli istius auctoribus de Cæsaraugustana Hispaniæ civitate „ quidquam venisse in mentem, sed cum in Subalpinis alia esset notissimi „ nominis Augusta, ab antiquis Augusta-Prætoria dicta, Salassiorum me„ tropolis, & Italiæ limes a Solino nuncupata, ducatus a se dicti caput „ in Pedemontio, ne nominis ambiguitate erraret aliquis, Cæsaream idest „ Imperialem civitatem intelligendam indicarunt. “ Super idem altare visitur etiam ejusdem sancti Gualfardi effigies lignea, sculptaque, cilicio ex catenis induta, elaborata anno 1517. quam æque ac altare ipsum locata credit idem Papebrochius ab opificibus sellariis, qui sanctum Gualfardum ut suum patronum venerantur Veronæ.

Capitium seu pileolum, quem vidisse & tetigisse diximus Ambrosium nostrum præsidem generalem anno 1432. & Franciscus Corna anno 1477. testatus est asservari in pariete ad latus altaris una cum ossibus & cilicio ferreo ejusdem sancti viri; addit idem Augustinus Valerius episcopus abbatissam monialium dictæ ecclesiæ sancti Salvatoris die XVI. februarii 1574. asseruisse sibi vidisse se ac contigisse; & quidem *cilicium, quod erat ex catenis ferreis compactum, capitium autem holoserico seu velluto coopertum, & tam magnum, quod etiam humeros cooperire poterat, eaque inde ablata fuisse sub Johanne Matthæo Giberto episcopo Veronensi, seque nescire, quid de his postea factum sit*. Eadem abbatissa *dixit etiam intra monasterium esse pallam antiquam, ubi est imago sancti Gualfardi cilicio induti ad modum vestis ex catenis compactæ*. Porro Johannes-Matthæus Gibertus sedit in Veronensi cathedra ab anno 1525. usque ad exitum anni 1543. Anno 1602. nobilis pars reliquiarum sancti Gualfardi desumpta ab Alberto Valerio episcopo Famaugustano & episcopatus Veronensis perpetuo coadjutore, precibus Marci Velseri civitatis Augustanæ præfecti, translata fuit Verona Augustam-Windelicorum in ecclesiam patrum Capuccinorum, cujus translationis authentica instrumenta leguntur [a] apud eumdem Papebrochium.

a T. III. April. p. 831.

Festum sancti Gualfardi pro majori Sellariorum commoditate Veronæ agebatur die prima maji, licet objerit die antecedenti, ultima nimirum aprilis. Ita in missali ecclesiæ sanctæ Mariæ ad Fractam membranaceo sub die I. maji scriptum invenitur: *Gualfardi confessoris, requiescit in sancto Salvatore*. Et in martyrologio apud moniales sancti Dominici: *kalendis maji Veronæ sancti Gualfardi confessoris; requiescit in sancto Salvario*. Translationis autem Augustanæ dies festus fit XXVII. octobris. Ipsius meminere martyrologia monastica Wionis, Bucellini, & illud Ferrarii, præter omnes catalogos & scriptores nostros.

III. Hospitium ad Sanctum-genesium donatum Camaldulensibus.

In summariis veteribus instrumentorum Fontis-boni hæc leguntur sub hoc

hoc anno: [a] *Beltramus filius olim Ruberti, & Scherius olim Gutherozi per se suosque heredes in perpetuum pro remedio animarum suarum suorumque parentum donaverunt & obtulerunt Camaldulensi heremo unum hospitium positum ad sanctum Genesium in capite burgi de subtus cum omnibus suis rebus mobilibus & immobilibus habitis & habendis, hoc videlicet tenore, ut predicta alienari non possint, nisi ad utilitatem hospitii predicti & pauperum. Sub annis Domini* M. C. XXVII. *mense octobris, manu Tebaldi notarii.* Burgus sancti-genesii eo in loco exsurgebat, qui modo appellatur *alla Catena* subtus urbem Sancti-miniatis, medio ferme itinere adeuntibus ex Florentia Pisas, ubi monasterium deinde Camaldulenses non ignobile obtinuerunt sub titulo sancti Bartholomæi, appellatum etiam sanctæ Jucundæ a castro ejusdem nominis ibidem existente.

ANN. CHR. 1127.

a Pag. 180.

IV. Charta Faventina.

EODEM anno Nicola Alberici & Guilla ejus uxor donaverunt monasterio sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia & Johanni ejus abbati portionem suam de insula, quæ erat posita prope molendinum ejusdem monasterii juxta fiumen Alimonis, ad restauranda damna rerum, quas violenter & injuste abstulerant ab eodem cœnobio, humiliter postulantes, ut abbas cum collegio suo oraret & deprecaretur Deum, quatenus ignosceret ipsis eorum peccata & sacrilegia, ac committentes Farulfo diacono Faventinæ ecclesiæ, ut ipsum abbatem in possessionem induceret rerum donatarum. Charta hujus donationis, seu restitutionis confecta fuit in ecclesia sancti Petri, quæ cathedralis erat urbis Faventinæ, *anno millesimo centesimo vigesimo septimo tempore Honorii pape & post mortem Henrici imperatoris, die nono mensis martii indictione* v. Lotharius Italiæ rex, qui successerat Henrico V. defuncto die XXII. maji anni M. C. XXV. nondum agnitus erat in urbe Faventina, quia nondum imperii coronam a Romano pontifice receperat. Inter testes hujus donationis nominantur Albericus, & Petrus Dux. Ipsam autem edimus ex tabulario ejusdem cœnobii.

V. Gotifredus ep. Florentinus confirmat bona monast. S. Petri de Luco.

GOTIFREDUS Florentinæ ecclesiæ episcopus, Azone Camaldulense priore postulante, chartam confecit, qua sub sua protectione recepit ecclesiam sancti Petri de Luco cum universis terris, quas ibidem & in loco Larciano monasterium sanctimonialium ejusdem ecclesiæ possidebat, condonans omnes usus, universasque decimas, quas ipse vel ejus antecessores soliti fuerant exigere ad suum vel ad ministrorum suorum opus, permittens quoque dictarum terrarum possessionem, cum obligatione sex ceræ librarum mense junio persolvendarum in festo sancti Johannis-baptistæ. *Actum in loco Mucello infra ecclesiam sancti Laurentii siti Burgo comitatus Florentini anno Dominice incarnationis millesimo centesimo vigesimo septimo mense martio indictione quinta.* Subscribit ipse Gotifredus, deinde Petrus Florentinæ ecclesiæ archidiaconus, & Petrus canonicus. Inter testes autem se signant Geringhus, Olivarius, Ubertinus & Ildebrandus, qui appellantur vicedomini ejusdem ecclesiæ.

ANN. CHR. 1128.

VI. Miraculum SS. Justi & Clementis.

HIS temporibus, post Robodum marchionem Thusciæ, quem ad annum 1117. stilo Pisano indictione IX. anno imperii Henrici sexto reperimus in chartula sub numero 255. in tabulario archiepiscopatus Pisani, ejusdem marchiæ præses & marchio erat Conradus testimonio Florentinii ad hunc annum, & Muratorii, [a] qui postremus chartas affert ejusdem Conradi ad annos 1120. 1121. & 1129. spectantes. Ipsius Conradi tempore, intercessione sanctorum Christi Confessorum Justi & Clementis miraculum contigit, quod ex collectione Fortunii hic edi-

a *Antiq. medii ævi T. I. coll. 959. 961. 315.*

ANN. CHR. 1128.

edimus. *Nuper quoque Conradus marchio castellum Bulgari ad deditionem cogens nonnullos inde suscepit obsides, quos in oppido, quod Silviculæ dicitur prope Senas, turris ingenti atri carceris fundo sub arctissima custodia mancipaverat. Ecce autem nullam prorsus in domesticis suis habentes fiduciam, Justo & Clementi multo cum gemitu sese ita commendabant. O Confessores magni totius orbis moderatoris amicissimi. O intercessores pietate præstantissimi. O exauditores dicto citius facillimi, quæsumus nostri misereamini. Ostende nobis clementissime Deus tuam misericordiam, & salutare tuum da nobis in hoc tetro carcere omni prorsus spe destitutis. Cumque fatigati jam obdormissent, beatus Justus illis apparere visus est dicens: Exsurgite, nec trepidetis; ego enim sum Justus, quem tantopere rogabatis. Nolite, nolite, inquam, timere; Dominus enim solvit compeditos. Hoc viso excitati confugiunt a nemine impediti, & in suam relati patriam Deo mirificas & agere, & habere gratias numquam desiere.* Bulgari oppidum est in ditione Pisana haud procul a mari juxta topographicum indicem Cl. V. Lamii ad Hodeporicon Charitonis & Hippophili; in ea scilicet maritima regione ad Gherardescam familiam pertinente inter Castagnetum & Bibbonam. Dempsterus apud Grandium in epistola de Pandectis, „ Bulgarium, inquit, oppidum, an a Bulgaris conditum, aut Bulgarorum „ ad fidem conversorum per Formosum Portuensem episcopum monumen„ tum? " Aliud Bulgari oppidum, teste eodem Grandio, in Cremonensi territorio, & aliud in Vercellensi comitatu. Sed de his non est intelligendus hujus narrationis auctor. Bulgari curtis etiam recensetur inter bona monasterii sanctarum Floræ & Lucillæ de Arretio in omnibus privilegiis pontificiis & imperialibus eidem monasterio hoc seculo concessis.

VII. Ubaldus ep. Eugubinus solitus sæpius secedere Avellanam.

UBALDUS, qui ne episcopus Perusinus fieret, solitudinem sancti Johannis inter Ambas-paras petierat, Romanumque pontificem deprecatus fuerat ante biennium, ne ad tantum onus subeundum cogeretur, electus fuit hoc anno patriæ episcopus Honorii II. Romani pontificis jussu in locum demortui Eugubini antistitis Stephani, ejusque ecclesiæ regimen tenuit usque ad tempora Alexandri papæ III. per triginta & unum annos, nimirum usque ad annum 1160. Ad levandas episcopatus curas, & quietis gratia, frequenter ad Avellanensem eremum se conferebat sanctus vir, ubi cum aliquando esset, prodigiosam sanitatem restituit, ædituo ejusdem monasterii, ut enarrat Theobaldus episcopus in ipsius vita. *Hic*, ait, *cum apud Fontem-avellanæ causa quietis frequenter secederet, & ex consuetudine quotidie Missam cantaret, & loci sacristam ex eo quod sibi ad id valde habilis esset, multum diligeret, contigit semel dum ivisset, fratrem illum infirmari usque ad mortem. Cui cum alii dicerent: Domine, ecce quem amas, infirmatur, ait ad illos: Ubi jacet? ut illi dixerunt ei: Domine, veni, vide. Cumque ad eum venisset, & salutasset ex more, ait ad eum vir beatus: Licet, frater carissime, nimium infirmaris, tamen si tibi placet, facito nobis dari librum & vestes, & cetera, quæ habemus ad Missam necesse. Cumque postulata percepisset, & inter sacra pro ægroto Dominum postulasset, eadem hora monachus, qui moriebatur, factus est sanissimus, nec expectavit episcopum in lectulo.*

VIII. Gualterii archiep. Ravennatis privilegium pro monast. S. Severi.

PRÆSENTI *anno millesimo centesimo vigesimo octavo, tempore domni Honorii pape die octavo mensis junii indictione* VI. Gualterius Ravennas archiepiscopus ex palatio suæ ecclesiæ Divizoni abbati sancti Severi in Classe confirmavit omnia monasteria, ecclesias & loca, quæ præfatum cœnobium obtinebat, & quæ omnia nominantur juxta eam recensionem, quam attulimus in præcepto Conradi imperatoris ad annum 1029. Animadvertimus

timus dumtaxat, præter ea, quæ sub eo anno diximus, ecclesiæ sanctæ Sophiæ in loco Canaro & in comitatu Ferrariensi, quam obtinebat monasterium sancti Severi, mentionem fieri etiam in libello emphyteutico confecto a Gratiano episcopo Ferrariensi anno 1082. pro Gerardo filio Adami, quem in suis Antiquitatibus Estensibus edidit Muratorius [a]. Verum præter numerata in eodem imperiali Conradi præcepto, confirmatæ insuper fuere a Gualterio archiepiscopo præfato monasterio duæ integræ mansiones in Ariminensi urbe prope posterulam *da Mare*, & altera pariter mansio in civitate Ravenna *in regione Erculana in curte Berengarii, quam detinet Johannes de Ota*; concessit insuper fundum appellatum Massenzanum constitutum in territorio Cæsenate in plebe sancti Stephani in Piliniano, ea adjecta obligatione, ut quotannis die sui anniversarii monachi presbyteri cantare deberent Missas pro anima ipsius, ceteri vero cujuscumque ordinis recitarent psalmos quinquaginta. Post Gualterium subscribunt Petrus Ficoclensis & Gregorius Adriensis episcopi. Paginam autographam damus in Appendice ex tabulario sancti Apollinaris in Classe, in quo extat etiam transumptum anni 1286. VI. januarii indictione XIV. confectum tempore nobilis viri Guidonis quondam Lamberti de Polenta potestatis Ravennæ a Bellino quondam Loteringi notario Ravennate ad petitionem domni Gerardi abbatis sancti Severi. Subjungimus in eadem Appendice veterem notulam omnium monasteriorum & bonorum, quæ tunc possidebat cœnobium sancti Severi, ex perantiquo exemplo membranaceo, carente tamen chronicis notis, & existente in eodem tabulario sancti Apollinaris. Petrum Ficoclensem episcopum ad annum dumtaxat 1151. agnovit Ughellius, Gregorium autem Adriensem episcopum ab anno 1125. ad annum 1134. statuit.

Ann. Chr. 1128.

[a] P. I. pag. 49.

IX. Chartæ Pisanæ & Romanæ.

PETRUS abbas sancti Zenonis de urbe Pisarum vendit & tradit hoc *anno millesimo centesimo vigesimo octavo* III. *idus martii indictione* VI. ex autographo existente olim apud canonicum Abrahamium, Andreæ filio Johannis terras, quæ ad jus pertinebant sui monasterii, pro pretio solidorum quingentorum-viginti, *de quibus denariis*, inquit, *dedimus propter debitum, quod nos fecimus in commune civitatis*. Subscribunt post Petrum abbatem, qui electus fuerat in locum Dominici, Ambrosius monachus & camerarius, inde Bernardus prior ejusdem cœnobii, Andreas monachus, & Ragnerius diaconus & monachus.

Anno Dominice incarnationis millesimo centesimo vigesimo octavo, anno vero quarto pontificatus domni Honorii II. *pape indictione* VI. *mensis februarii die vicesimo primo*, Laurentius abbas monasterii sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe, qui in regimine cœnobii successerat Roberto, consensu habito monachorum suorum, locat & concedit Stephano de Micino ejusque filiis locum illum, qui vocabatur *Sanctus-Gregorius*, in quo olim ecclesia in honorem sancti Gregorii constructa & dedicata exsurgebat, tunc autem erat ad solum redacta. Inter confines nominatur monasterium sancti Pancratii. Eodem anno mensis junii die tertia idem abbas locat castrum de Guido cum omnibus cryptis, terris, silvis &c. positis extra portam sancti Petri Apostoli Johanni & Stephano filiis Stephani, Leoni & filiis Alberti. Chartæ habentur in Appendice ex codice Gregoriano.

X. Vinum permissum Camaldulensibus ab Honorio II.

REFERT Fortunius „ hac tempestate eremitis Camaldulensibus beati „ legislatoris Rodulphi scita in nullo temerare more majorum audentibus, „ sicuti tempora variis incommodis quam sæpissime variis de causis sunt „ obnoxia, contigisse in sacra eremo varios graves morbos subrepere. „ Ejus rei causam cum a nimis ardua abstinentia vini quadragesimali tem-

„ pore

Ann. Chr. 1128.

„ pore & ab aquæ frigiditate proficisci medicorum sententia judicatum es-
„ set, priorem ac patres ad summum ecclesiæ pastorem ea de re suppli-
„ ces libellos exhibuisse, qui apostolica dispensatione eisdem indulserit, ut
„ omnibus diebus dominicis vino impune imposterum uti possent, non
„ obstantibus primæva sacri loci consuetudine, & beati Rodulphi decre-
„ tis. Datum Laterani anno pontificatus Honorii papæ II. quinto ", præ-
senti scilicet anno desinente, vel novo ineunte. Campius in historia Pla-
centina [a] tribuit indultum hocce Gregorio X. asserens ad annum 1272.
ipsum Romanum pontificem rogatum a priore Camaldulensi suo brevi da-
to die 24. maji facultatem fecisse eidem priori, ut diebus jejuniorum ede-
rent eremitæ panem cum herbis crudis & pomis; dominicis vero diebus
vinum biberent. Confirmavit facile Gregorius X. Jacobo priori Camaldu-
lensi anno 1272. indultum Honorii II. factum hoc anno Azoni itidem
priori Camaldulensi.

[a] T. II. pag 248.

Ann. Chr. 1129.

XI. Miracula S. Gualfardi post obitum.

Referimus sub hoc anno varia miracula, quæ Deus per intercessionem servi sui Gualfardi operari dignatus est post ejus sanctissimam mortem, verbis ipsis scriptoris ejus vitæ. *Post sanctissimi obitum viri*, inquit, *mulier quædam nomine Tulcelda paralysis peste pergravata, ac propterea unius brachii & humeri officio destituta ad illius feretrum vix vadens accessit, ibique per ipsius interventionem plenariam sanitatem recepit. Sed cum quædam mulier ejusdem oræ sancti Salvatoris, quæ vocabatur Otta, cujus filius, Henricus nomine, gravi unius oculi detinebatur infirmitate, audisset, quod talia prodigia fierent per sanctissimi viri Dei Gualfardi merita, ad ejusdem feretrum puerum deduxit, & oculo sui nati cum sanctissimi viri manu tacto, postea cum pede & taliter cum Dei misericordia meritis sancti viri liberatus discessit.*

Plures quoque ibidem tam viros, quam mulieres a diversis ægritudinibus curatos, cæcos illuminatos, contractos extensos, febribus æstuantes liberatos deprehendimus. De quibus, ne vobis prolixitas gravi tædio sit, mentionem non faciemus. At vero post ipsius sanctissimi viri tumulationem Tridentinus quidam Johannes nomine ad ejus arcam delatus est, qui taliter ab umbilico deorsum contractus fuerat, ut vix se moveret, nec nisi clunibus terræ accumbentibus posset incedere. Cumque in oratione ibi persistens moraretur, plebe quæ tunc astabat intuente, membra ejus paullatim extendi cœperunt, sicque demum erectus ad tintinnabula gaudens cuccurrit, omnesque astantes de sua liberatione certos pariter & lætos effecit. Scilicet, quando miracula aliqua patrabantur in ecclesiis, solebant populi ærea signa pulsare, ut ad eorum sonitum fideles grates agerent Deo miraculorum operatori. Alia hujus moris exempla vidimus in hac nostra historia.

Præterea a quadam villa, quæ Agna vocatur, de Paduano episcopatu, quædam mulier deveniens, oculorum prorsus lumine privata, ante viri Dei arcam adducta, lux, qua diu caruerat, statim fuit ei reddita. Ancilla quoque Theobaldi Musii tam acriter a dæmone vexabatur, ut vix a tribus viris teneri & coerceri valeret, quæ cum per aliquot dies ante tumulum beatissimi viri fuisset detenta, die dominico dum Missa celebraretur, spiritus ille nequam egressus puellam infestare cessavit, sicque liberata cum ingenti lætitia ad propria remeavit.

Alia vero mulier de Terratio, qui locus est in finibus episcopatus Veronensis positus, tali capta extitit infortunio, ut genis cadentibus & fauces obstruentibus vix respirandi facultas concederetur, gustare vero, nonnisi cultello os reserante, potuit. Huic in somnis facta est revelatio in hunc modum;

dum; visum namque est ei, ut vir Dei Gualfardus ad eam veniret, & eo super genas manus trahente languor abscederet. Insuper hortabatur, ut sui corporis præsentiam adiret. Ad ejus itaque tumulum veniens medelam adepta est. Tanta vero hujus habetur certitudo miraculi, quod post hæc mulier omnium bonorum suorum decimas ecclesiæ, apud quam venerabile corpus quiescit, obtulerit, & sic ex more in unoquoque anno facere consuevit.

Veronensis quidam Andreas nomine paralysis fuerat dissolutus infirmitate, ita quod cunctis ex uno latere membris attractis solummodo jacere cogebatur. Allatus vero ad viri Dei præsentiam integram recepit curationem, & sine ullius adminiculo ad propriam remeavit mansionem. Fuit etiam quidam civis Veronensis, Vivianus nomine, qui ante clericatum ea detinebatur infirmitate, quæ vulgari locutione cadiva dicitur, quapropter in die cadere compellebatur. Hic itaque cum ad Dei viri sepulcrum pervenisset, eadem, qua cadere consueverat, hora liberatus est, & diu superstes de hac re certum perhibuit testimonium.

Alius vir de quodam castello, quod Marzana vocatur, tam intolerabili passione affligebatur, ut per tres annos die noctuque ab immoderato garritu minime cessaret, quod plerique maligni spiritus infestatione fieri arbitrabantur; hic ad ipsius tumulum deductus pristinæ quieti restitutus est, & garritu sedato lætus, & cum ingenti parentum gaudio reversus est. Pro quo utique beneficio sibi præstito, dum in hac vita superfuit, in unoquoque anno quamdam olei mensuram ecclesiæ dare consuevit.

Præterea domina quædam, quæ Redalda nominatur, per annos fere sexdecim tam immensum dolorem iliorum passa fuerat, ut nulla evadendi spes existeret. Quadam itaque die dum solito more torqueretur, ad arcam veniens orationi cœpit insistere, ac lacrymas fundere, ibique per viri Dei interventum illius languoris plenum accepit remedium.

In Teutonicorum etiam partibus, dum sanctæ Margaritæ festivitas immineret, ancilla quædam, quæ eamdem voverat observare festivitatem, domina compellente, & minis eam terrente, in pratum, ubi fœnum secabatur, exivit, quæ cum rastrum manu accepisset, & ad fœnum colligendum extendisset, mox manus arida facta, sic circa lignum alligata permansit, ut nullo modo extendi, nec quod tenebat rastrum, ab ea valeret auferri. Unde factum est, ut ex utraque parte rastrum incideretur, pars vero, quam manus claudebat, utpote quæ immobilis permanebat, sic relinqueretur. Hæc viri Dei sanctissimi fama divulgata ejus corporis præsentiam petiit, quo cum pervenisset, paulatim appropinquans aridam manum cum altera super arcam elevavit. Mox divina operante potentia extensa manu lignum cecidit, quod utique pendens extitit, donec civitas ipsa Veronensis combusta fuit, & super hoc facto fidem tribuit.

Fuere etiam puellæ duæ de Tridentino episcopatu, quæ captæ a dæmone extiterant, verumtamen cum venissent ad beati viri arcam, sanguinem & alia fœdissima ex ore quasi per vomitum projecissent, sic liberatæ per Dei & sancti viri merita domum cum ingenti gaudio redierunt.

De Teutonicorum quoque regione quædam comitissa fuit, quæ admodum membrorum impedimento detinebatur, ita quod nullo modo ambulare valebat, sed cum visitaret sanctissimi viri Dei Gualfardi sepulcrum, Divina providentia & beati viri meritis liberata discessit. Fuit etiam vir Contoldinus nomine, qui cum haberet quemdam amicum suum nomine Ursatum, qui per multi temporis spatium claudus extiterat, ad sancti viri limina ipsum supra dorsum adduxit, & statim ante arcam liberatus domum suis pedibus abiit.

Alius quoque vir, Gilbertus nomine, qui quodam festo, sicut ipse profitebatur,

ANN. CHR. 1129.

tebatur, lanificii operis pectines perficiebat idoneos, qua de re unus pectinum tam fortiter ad ejus manum se tenuit, & inde numquam auferri valuit, donec beatissimi viri Dei Gualfardi sepulcrum visitavit; verum illius manu super arcam posita, statim Dei virtute, & præfati viri interventione de manu illius extensa pecten cecidit, & taliter evasus de hoc diu testimonium perhibuit.

In una sola die quinque a dæmonibus capti meritis & intercessione beatissimi Gualfardi insimul liberati fuere, cum ad prædictam arcam multis astantibus, & illos sanguinem ex ore vomentes videntibus accesserunt.

Non multo vero temporis est, quod tres Teutonici, qui a Domini nostri Jesu Christi sepulcro veniebant, quique etiam beatissimi apostolorum principis, necnon & sancti Jacobi ecclesiam visitaverant, ad religiosissimi viri Dei arcam venerunt, & duo ex illis ingentia munera super arcam imposuerunt; tertius vero cum sua munera super arcam vellet offerre, nullo modo accedere ad arcam valuit. Unde illius socii a dæmone fore captum illum putabant, quia nec ipse Domini nostri Jesu Christi sepulcrum tangere, nec arcam beati Petri Romæ osculari, nec etiam ad sancti Jacobi arcam accedere valuit. Sed dum prædictus vir ter ad beatissimi Gualfardi arcam frustra ire conatus esset, divina providentia & beati viri meritis sanguinem violenter dejecit ex ore, & sic a garritu & a diaboli temptatione liberatus, recessit, & illius socii immensas Deo & beatissimo servo ejus Gualfardo gratias tribuerunt, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu-sancto vivit & regnat in secula seculorum, amen.

XII. De scriptore & tempore, quo scripta fuit ejus vita.

QUOD autem superius scribit auctor vitæ ejusdem sancti Gualfardi, rastrum mulieris in festo die opera servilia exercentis pependisse ad sancti viri arcam, *donec civitas ista Veronensis combusta fuit*, occasionem dedit Papebrochio conjiciendi „ ipsum originale Veronense non esse primigenium, sed forte post urbis deflagrationem esse descriptum, deperdito inter flammas autographo, sicut inter eas tunc periere anathemata circa sepulcrum appensa. Etenim, prosequitur idem Papebrochius, incendium istud anno dumtaxat M. CC. XXX. accidit, quantum sciri potest in historia Veronensi per Hieronymum de la Corte. “ Verum de altero incendio Veronensis urbis antiquiore loquitur ibidem scriptor vitæ sancti Gualfardi. Nam in archivo ecclesiæ sancti Salvatoris, teste Blancolinio, [a] asservatur monumentum hujusmodi scriptum, „ quod scilicet monachi Camaldulenses anno 1172. fundi curarunt æs campanum formæ quadrangularis altitudinis & latitudinis duorum pedum cum sequenti inscriptione æri applicita; “ ex qua in cognitionem venimus anno 1172. alterum incendium perpessam fuisse Veronensem urbem ante incendium anni 1230. Hoc autem æs, ut majus funderent, sanctimoniales, quæ postea monachorum locum implevere, colliquefieri imperarunt. Venerandum hujus æris campani monumentum, quod utpote quadrangulare, neque rotundum, ut fere sunt cetera, antiquitatem operis satis declarat, protulit idem Blancolinius in iisdem ecclesiarum Veronensium libris, nos iterum hic recudimus ex ectypo, quem ad nos humaniter ipse transmisit.

[a] Lib. II. pag. 704.

Quare

✠·A·D·I·M̃·C·L·XXII·
CVIVS SV TESTIS ME OLIVERIVS EGIT
IN IVLII NONA QVANDO FVIT ARSA VERONA



Quare, nisi etiam aliud anterius anno 1172. incendium Veronæ contigerit; frequentiores enim erant his temporibus deflagrationes in urbibus, quam modo sint, auctor vitæ sancti Gualfardi post annum 1172. quadraginta & quinque annis ab obitu sancti viri res ipsius gestas & miracula colligere potuit, neque differenda est ea elucubratio post annum 1230. ut vult Papebrochius, quæ nimirum confecta fuerit ex antiquiore vita olim extante, sed incendio ejus anni deperdita. Videtur namque ante finem duodecimi seculi scripta vita, quæ modo exstat. Dum vero idem vitæ scriptor perhibet, quod *de multiplicibus, & innumerabilibus miraculis, quæ sanctissimus vir Dei Gualfardus demonstravit, sicut ex præsentibus testibus religiosissimis personis adhuc viventibus, quos in subsequenti enumerabimus, hoc verum esse invenimus, vobisque aperire aliquot ipsius miraculorum bona fide laborabimus*, testium nomine scriptor intelligit eosdem ipsos, qui variis temporibus post mortem Gualfardi gratias curationum receperunt, quorum aliqui erant religiosissimæ personæ, quæ adhuc vivebant; neque admittenda videtur Papebrochii opinio, „ ex eo quia nullos „ testes uspiam nominet auctor, " ipsum originale Veronense non esse primigenium, in quo conjicit ipse præter sanatos, & præter miracula relata, eumdem scriptorem catalogum texuisse virorum, qui fidem facerent, testesque essent miraculorum, quæ ipse narrabat.

XIII. Rogerii archiep. Pisani chartæ pro monast. Maturiense & Morronense.

ANNO *ab incarnatione millesimo centesimo trigesimo*, stilo Pisano, qui pertinet ad præsentem annum more Romano, *ipso die kalendis septembris indictione septima* Rodulphus abbas ecclesiæ & monasterii sancti Michaelis de Marturio, consilium habens cum fratribus & monachis suis, cum advocato etiam ceterisque fidelibus præfati cœnobii, & pro competenti utilitate ejusdem monasterii vendit & tradit Rogerio archiepiscopo Pisano totum id, quod pertinebat ad monasterium suum in castro de Vico, qui dicitur Auserissula, & in Cisano, & in Camuliano, *sicut Hera mittit in Arno usque ad mare, & ex altera parte fluminis Arni a Monterclo similiter usque ad mare*, receptis a Rogerio archiepiscopo tribus millibus quingentis & quadraginta solidis. *Actum infra ecclesiam sancte Marie positam in castello, qui dicitur Casule*. Subscribunt post Rodulphum abbatem decem monachi ejusdem loci, & Sinibaldus advocatus. Charta jam edita est a Muratorio ex tabulario archiepiscopali Pisarum, ex quo alteram quoque proferimus spectantem ad monasterium sanctæ Mariæ de Morrona, quæ

Ann. Chr. 1129.

tamen signata fuit anno Pisano, & pertinet ad annum antecedentem Romanum; est vero hujusmodi.

In nomine sancte & individue Trinitatis. Dum in Dei nomine Rogerius Dei gratia Wulterrensis episcopus & Pisanorum archiepiscopus resideret juxta ecclesiam sancte Marie de Morrona cum suis jurisperitis & notariis, ac aliis probis atque nobilibus viris ad justitiam cognoscendam & faciendam, ibi in eorum presentia videlicet domini Tebaldi causidici & Guitardi & Guidonis notarii, & Guilielmi comitis, & Ildebrandini de Casanova, & Gualandelli de Pecciore, & Scoti de Sugiana, & Gualandelli de monte Vultrario, & Petri filius Raimundi similiter de monte Vultrario, & Gemmundi de Morrona & filiorum ejus & aliorum plurium, veniens Guido supradicti monasterii prior cum suis instrumentis ostendit suprascriptum venerabilem episcopum quedam injuste detinere de justitia predicti monasterii. Tunc prefatus venerabilis episcopus causa cognita refutavit atque postposuit jamdicto monasterio in vice predicti prioris omnes res, que continebantur in suis instrumentis, quas ipse habebat & possidebat in Aquisiana curte in Vulterrano episcopatu, utpote in Rialto & in Riparossa & in aliis locis. Hoc actum est Dominice incarnationis anno M. C. XXVIIII. *decimo tertio kal. septembris indictione* VI.

† *Ego Rogerius Dei gratia Pisane ecclesie archiepiscopus ss.*

Ego Rusticus archipresbyter interfui & subscripsi.

Ego Guittardus jurisperitus interfui & subscripsi.

Thebaldus causidicus interfui & subscripsi.

Ego Uguccio apostolice sedis notarius interfui & subscripsi.

XIV. Jo. abb. Sestrensis transfertur ad abbatiam S. Stephani.

Teste Benedicto Bobiense monacho Casinensis congregationis in libro ms. *de vitis Sanctorum & Beatorum monastici ordinis*, qui olim spectabat ad abbatem Constantinum Cajetanum, Johannes, antea Camaldulensis monachus, ex abbatia sancti Andreæ de Sestri Januensis territorii translatus fuit anno præsenti ad abbatiam sancti Stephani ejusdem Januensis urbis, cujus regimen tenuit usque ad annum 1166. ut etiam ex hædinis voluminibus instrumentorum emphyteuticorum in præfatæ abbatiæ sancti Stephani archivo existentibus comprobatur, in quibus Johannis nomen ab anno 1129. ad prænotatum annum constanter legitur. Johannis gloriosa gesta, ob quæ sanctitatis nomen & honorem apud posteros promeritus fuit, tenebris sunt omnino obvoluta. Ex eodem Benedicto nil præter obitum & translationem ipsius sacri corporis novimus, de qua re ad annum 1166. agemus. Unum scimus, [a] post mortem Syri celebris antistitis & primi archiepiscopi Januensis, quæ contigit anno 1163. „ clericalem senatum, ut „ scribit Ubertus Folietta, jus eligendi successorem tribuisse sanctorum „ Benedicti, Syri ac Stephani cœnobiorum abbatibus (inter quos adhuc „ vivebat Johannes noster) aliisque præpositis & canonicis, qui summa „ omnium consensione Hugonem archidiaconum in Januensem archipræsu„ lem elegerunt. „ Monasterii sancti Stephani primordia, testimonio Secundi Lancellotti in historia Olivetana, anno a nato Servatore DCCCC. „ LXXII. per [b] Theodulphum Genuæ antistitem, sive ejus saltem memoria „ enarrantur. Clarissimum illud est factam de illo mentionem ejusdem „ seculi anno 82. occurrisse. “ Similia scribit etiam [c] Ughellius. Narrat insuper Lancellottus „ monachos ordinis sancti Benedicti, qui primitus in „ eodem cœnobio vixere, nigras vestes primum induisse, sed post aliquod „ tempus, congregationis (nescit tamen quænam fuerit) candido utentis „ cucullo abbate eidem monasterio præposito, candidas accepisse; anno „ demum 1260. cum permultæ essent apud Januenses religiosorum fami-

„ liæ

a *Ital. sac. T. IV. col.* 869.

b *Pag.* 328.

c *T. IV. col.* 841.

„ liæ albis indumentis amictæ, unde scelera interdum ab aliis perpetrata „ simul malo quidem exemplo sodalibus sancti Stephani tribuebantur, „ abbatem cum monachis, præsulum quoque & præsertim Gualterii ar„ chiepiscopi Januensis consilio, nigras iterum recepisse. " Nemo non videt primam ex atris in albas vestium mutationem tribuendam esse Johanni nostro Camaldulensi, qui facile cum habitu disciplinam etiam & consuetudines Camaldulenses tam in monasterium sancti Andreæ de Sestro, cui eatenus præsederat, quam in abbatiam sancti Stephani invexerit. Nigræ vestes anno 1260. iterato introductæ perseverarunt usque ad annum 1529. quo agente in primis Matthæo Giberto episcopo Veronensi ac datario apostolico, & colonia deducta monachorum congregationis Montisoliveti, qui albo utuntur colore, candidæ vestes restitutæ fuere, ut pluribus enarrat idem ipsorum diligens historicus Lancellottus. Abbates sancti Stephani, qui nobis cogniti sunt ex ipso Lancellotto, ex Ughellio, & potissimum ex Benedicto Bobiensi, fuere Raimundus ad annum 1217. Raynaldus ad annum 1231. Ambrosius ad annum 1252. Fredentius ad annum 1285. Quando inventum & translatum fuit corpus sancti Johannis, alii duo simul cum ipso in tumulo quiescentes ejusdem monasterii abbates reperti fuere, Ansaldus & Guido. Ansaldus quidam abbas monasterii sancti Syri ejusdem Januensis urbis legitur apud Ughellium ad annos 1036. & 1052. qui an idem fuerit cum Ansaldo abbate sancti Stephani incompertum.

ANN. CHR. 1129.

XV. Joh. ep. Ostiensis subscribit privilegio pro Vindocino.

SUBSCRIPSIT hoc anno cum ceteris cardinalibus Johannes episcopus Ostiensis noster privilegio, quo Honorius Rom. pont. decoravit Gaufridum Vindocinensis monasterii abbatem, cujus cœnobium sub apostolica protectione suscepit, numeratis ipsius bonis & juribus. *Datum* est ipsum *Laterani per manum Aimerici S. R. E. diaconi cardinalis & cancellarii* VIIII. *kalendas aprilis indictione* VII. *incarnationis Dominice anno* M. C. XXVIIII. *pontificatus autem domni Honorii* II. *pape anno* V. quod editum fuit in Appendice ad tomum VI. annalium [a] Mabillonii.

a *Pag.* 605.

XVI. Obitus Guidonis abb. S. Savini Pisarum, & Guidonis Arretini episcopi.

EODEM anno obiit Guido abbas monasterii sancti Savini extra urbem Pisanam, ut fidem facit inscriptio, quæ adhuc visitur in pariete laterali & exteriori ecclesiæ hujus abbatiæ versus viridarium, ubi legitur:

G. D. VENERABILIS. ABB. S. SVNI.

O. XV. KL. IVN. AN. D. M. C. XXVIIII. IND. V.

HIC. RQST. CP. E.

Nimirum GUIDO VENERABILIS. ABBas Sancti SaVINI. Obiit XV. KaLendas JVNii ANno Domini M. C. XXVIIII. INDictione. legendum, ut credimus, VII. HIC. REQuiescIT. CorPus Ejus. De Guidone abbate sancti Savini monumenta supersunt jam ab anno 1115. Successisse ipsi videtur Martinus, qui anno 1137. XV. die februarii indictione XV. commutat aliquot terras [b] cum Uberto archiepiscopo Pisano, & anno 1139. XVIIII. kalendas februarii indictione secunda [c] alias vendit Helenæ abbatissæ sancti Matthæi ejusdem urbis. Idem Martinus abbas etiam anno 1142. VIII. idus maji indictione IV. more Pisano nominatur in charta donationis factæ coram Balduino archiepiscopo Pisano, ejusque canonicis. De Martino abbate sancti Savini alia producemus monumenta suis locis.

b *Arch. archiep. Pisan. n.* 326.

c *Ibid. n.* 333.

Obiit alter illustrior Guido episcopus Arretinus, de quo plura protulimus annis antecedentibus. Ignoravit annum ejus obitus Ughellius, sed

ANN. CHR. 1129.

cum mense januario sequentis anni in chartis Camaldulensibus occurrat memoria Bujani, qui electus Arretinus eo mense dicitur, decessus Guidonis ejus prædecessoris statuendus est ad annum præsentem, vel summum ad prima initia anni sequentis. Novimus ex literis nobis datis, instante piissimo & nobilissimo viro Antonio Guidobagni episcopo Mantuano, qui ex ea Guidonis episcopi Arretini, & ex potentissima Guidiorum familia ortum trahere gloriatur, optare ipsum quammaxime, communibusque studiis curandum esse, ut ad majorem cultus extensionem promoveatur titulus Beati, quem per sex & ultra secula apud Arretinos complures, apud prognatos ejusdem stirpis, nec non apud Camaldulenses obtinet celeberrimus horum omnium episcopus, major & monachus Guido. Doctos proinde piosque Arretinos cives invitamus, ut datis simul manibus, & consultis eorum prædivitibus urbis tabulariis ea in medium proferant documenta, quibus Guidonis sanctitas insigniorque gesta magis magisque innotescant.

ANN. CHR. 1130. XVII. Joh. ep. Ostiensis stat pro Innocentio II. pp. Camaldulenses ejus electioni favent.

QUARTA-DECIMA die februarii, VI. feria initii quadragesimæ hujus anni obiit Honorius II. Romanus pontifex in ecclesia nostra sanctorum Gregorii & Andreæ ad clivum Scauri sepultus, ut scribit chronographus Mauriniacensis. Ipsa die obitus, vel post celebrata defuncto pontifici parentalia, ut habet Hubertus episcopus Lucensis in epistola [a] ad Norbertum archiepiscopum Magdeburgensem, pars sanior cardinalium conveniens in eamdem ecclesiam, in qua humatus fuerat Honorius, elegit in successorem Romanæ cathedræ Gregorium natione Romanum, antea cardinalem sancti Angeli, qui nomen assumpsit Innocentii II. ceteris cardinalibus, numero, ut ajunt aliqui, superioribus (quod tamen sanctus Bernardus negat) die altera suffragio suo concurrentibus in Petrum cardinalem sanctæ Mariæ trans Tiberim ex monacho Cluniacensi, filium Petri filii Leonis, qui olim ex Judaica impietate sub Leone IX. Christo nomen dederat, nomenque ab ipso Romano pontifice sacramenti ministro in baptismatis regeneratione susceperat. In numero sanioris partis cardinalium, qui Innocentium ad supremum ecclesiæ regimen evexerunt, fuisse Johannem nostrum Ostiensem episcopum, testis est quacumque exceptione major sanctus Bernardus in epistola C. XXVI. ubi inquirens, *quisnam eorum*, Innocentii scilicet & Anacleti, quod nomen sibi imposuerat Petrus, *rectius videatur papa*, hæc habet: *Quorum primo quidem, si personas compares .... Innocentii nostri vita vel fama nec æmulum timet, cum alterius nec ab amico tuta sit. Deinde si electiones discutias, nostri itidem mox occurrit & promotione purior, ac ratione probabilior, & prior tempore. Porro de tempore constat. Reliqua duo merita probant & dignitas eligentium. Hanc enim, ni fallor, partem saniorem invenies, tam episcopos, quam cardinales diaconos sive presbyteros ..... Quid & in consecratione? Non-ne Ostiensem, ad quem specialiter spectat, habemus?* Pariter: *Merito illum recipit ecclesia*, ait epistola C. XXV. *cujus opinio clarior & electio sanior inventa est, nimirum eligentium numero vincens & merito.* Confirmat idipsum Gualterius Ravennas archiepiscopus in epistola ad eumdem Norbertum, dum hæc scribit: *Decedente sanctæ Romanæ sedis episcopo beatæ memoriæ patre nostro Honorio, sicut audivimus & in veritate comperimus, Innocentius, qui quondam Gregorius dicebatur, sancti Angeli diaconus cardinalis, per electionem venerabilium fratrum & dominorum nostrorum unanimiter in unum convenientium, Guilielmi Prænestini, Matthæi Albanensis, Johannis Ostiensis, Domini Sabiniensis episcoporum, & reliquorum catholicorum cardinalium ad sanctæ Romanæ ecclesiæ regimen assumptus est canonice.*

a T. II. apud Eccardum.

ANN. CHR. 1130.

ce. Immo ipse Johannes Ostiensis statim post electionem Innocentii, XII. calendas martii una cum electo pontifice, & Guilielmo Prænestino, Mathæo Albanense, & Chunone seu Conrado Sabinense, mutuo omnes consensu, Gerardum cardinalem presbyterum legatum in Germaniam ad Lotharium regem miserunt, quatenus proxima ventura hyeme ad sedem apostolicam veniret, suscepturus honoris & dignitatis plenitudinem, quandoquidem felicis memoriæ Honorius cum tota sancta catholica Romana ecclesia Lotharii electionem confirmaverat, & in Conradum regni invasorem excommunicationis sententiam promulgaverat.

Camaldulenses quoque monachos partes secutos fuisse Innocentii eo tempore, quo & ipsi cœnobitæ schismaticorum factionibus trahi se sinebant, testatur idem sanctus Bernardus in præfata epistola C. XXVI. ad episcopos Aquitaniæ dicens: *Non autem debeo prætermittere Sanctos, qui mundo mortui, Deo melius vivunt, quorum vita abscondita est cum Christo in gloria, ubi certe studiose inquirunt, & non dubie inveniunt beneplacitum Dei, qui solliciti sunt, quomodo placeant ei. Itaque* CAMALDULENSES, *Vallumbrosani, Cartusienses, Cluniacenses, & qui de Majori-monasterio sunt, mei quoque Cistellenses, Caduinenses, Tironenses & Saviniacenses, universitas denique & unanimitas fratrum tam clericorum, quam monachorum regularis vitæ probatæque conversationis sequentes episcopos, tamquam greges pastores suos, Innocentio firmiter adhærent*, &c. Quos etiam omnes annis subsequentibus constanter legitimam habuisse Innocentii II. electionem, & Anacleti schisma fuisse insectatos, docet, cum disputans anno 1137. coram Rogerio Siciliæ rege contra Petrum Pisanum cardinalem & pseudo-pontificis fautorem hæc habet, ut refert [a] Ernaldus in vita ejusdem sancti abbatis. *Scio*, inquit, *Petre, te virum sapientem & literatum esse, & utinam sanior pars & honestiora te occupassent negotia .... Arca alia nuper fabricata est, & cum duæ sint, altera necesse est esse adulteram, & in profundum demergi. Arca, quam regit Petrus, si ex Deo est, necesse est, ut arca, quam regit Innocentius, obruatur. Peribit ergo orientalis ecclesia, peribit occidens totus, peribit Francia, peribit Germania, Hiberi & Angli & barbara regna in profundum pelagi demergentur? Religio* CAMALDULENSIS, *& Cartusiensis, & Cluniacensis, & Grandimontensis, & Cistercienfis, & Præmonstratensis aliaque innumerabilia servorum & ancillarum Dei collegia necesse est, ut sub uno turbine corruant in abyssum .... Absit, ut totius mundi religio pereat, & ambitio Petri*, pseudo-pontificis scilicet Anacleti, *cujus vita palam est, qualis exstiterit, regnum cœlorum obtineat.*

[a] *Lib. II. cap* 7.

XVIII. Varia Ostiensis itinera cum eodem Romano pontifice.

SCHISMATE ea propter in ecclesia conflato opera præsertim Petri Portuensis episcopi, qui Anacletum Innocentio prætulerat, cujus etiam Portuensis cardinalis epistola exstat [b] apud Willelmum Malmesburiensem data quatuor præcipuis asseclis episcopis Innocentii, in qua partes Anacleti toto nisu tuetur, adhærentibus etiam pseudo-pontifici Anacleto Rogerio Siciliæ rege & monachis Casinatibus, Laurentio quoque abbate sanctorum Andreæ & Gregorii ad clivum Scauri, qui omnes stabant pro Anacleto, coactus est post brevem moram in Urbe, usque quo Frangipanum auxilio fuit fretus, Innocentius Romam deserere, quia factio Anacleti erat potentior. Pisas primum adiit, inde in Gallias transiit, &, excepto Sabinense episcopo, quem in Romana urbe vicarium suum constituit, comitatus semper *ab omnibus fratribus, qui secum steterant*, ut ait cardinalis Aragoniensis, sive a cardinalibus suæ partis, & propterea etiam a Johanne Ostiense, quem reperimus hoc & sequenti anno nonnulla signasse apostolica privilegia in variis Galliarum urbibus. Secutus proinde fuerit an-

[b] *Hist. nov. lib.* I.

Ann. Chr. 1130.

a *Lib. XIII. p.* 895.

te mensem septembrem hujus anni Johannes Romanum pontificem Arelatem, ubi primo exceptus, & pro legitimo pontifice agnitus fuit, ut testis est Ordericus Vitalis, [a] tum Cluniacum, cujus monasterii basilicam testimonio Petri venerabilis VIII. cal. novembris novam & majorem consecravit ea occasione Innocentius, & ubi etiam Stampensis concilii suffragium & votum pro se recepit, id per Sugerium abbatem San-dionysianum Ludovico Galliarum rege significante eidem pontifici & ejus cardinalibus, *qui tanto exhilarati suffragio, cum gratia & benedictione regi gratias referentes*, Sugerium *ad propria remiserunt*, ut in vita Ludovici scribit idem abbas & legatus. Mensibus deinde novembri & decembri Claramontium, in qua urbe *præsidente Innocentio cum cardinalibus & archiepiscopis & episcopis* &c. *celebrata est synodus*, *in qua obedientia eidem papæ astanti ab universis est gratanter promissa*, ut ait Bernardus Guidonis in libello de conciliis; demum ad Floriacense monasterium, ad quod Innocentium veneraturus se contulit cum regina & filiis idem Ludovicus Galliarum rex. Anno sequenti Innocentii & ejus partis cardinalium itinera prosequemur.

XIX. Compositio Bujani ep. Arretini cum Ramberto abb. Prataliense.

Ante obitum Honorii II. pontificis, hoc *anno millesimo centesimo tricesimo*, *residente Honorio papa secundo*, *mense januario indictione octava* Bujanus, qui se *electum* nominat, episcopus Arretinus, quique antea erat præpositus canonicæ Arretinæ, *nunc autem electus ab ordinariis ecclesie ejusdem & a clero*, *& a populo civitatis* in episcopum, ad sequentem compositionem venit cum Ramberto abbate sanctæ Mariæ de Pratalia. Dum idem Bujanus comitis officio fungeretur, & causas sibi commissas ad examen revocaret, statuerat, consensu Ingonis vicedomini ac aliorum procerum, & Ildebrandi advocati ecclesiæ Arretinæ, audita etiam opinione Ildebrandi archidiaconi & Ugonis primicerii, consilio quoque vavassorum, suorumque fidelium, dare custodiam turris Marciani, ac vicecomitatum & gastaldionatum abbati Prataliensi, ut esset quasi secundus post ipsum comitem in præfatis castro & curte, ita tamen ut abbas medietatem pensionum & reddituum pro suo monasterio retineret, alteram vero medietatem tribueret ipsi Bujano ceterisque comitibus & episcopis successoribus, cum obligatione, ut episcopus turrim defenderet, & monasterium tutaretur contra omnes eamdem turrim invadentes. Id statutum fuerat sub Guidone episcopo Arretino cum Johanne abbate Prataliense, qui moriens locum fecerat Ramberto præsenti anno abbati. Porro contigit, ut *superficiarius* invaderet supradictam turrim, & post invasionem possessionem ejus, quam non legaliter receperat, Bujano, ut suo præsuli & comiti restitueret. Nihil proinde per hanc actionem derogandum esse juri abbatis Prataliensis præsenti compositione decernit idem Arretinus præsul. Subscribit ipse Bujanus episcopus, Ingo vicedominus, & presbyter Johannes. Chartam hanc infeudationis castri Marciani damus in Appendice ex tabulario Fontis-boni, quod usque ad annum 1147. Pratalienses retinuere, secuta eo anno cum Hieronymo episcopo permutatione castri Marciani cum castro Montis-fatucchii.

XX. Commutatio inter canonicam Arretinam & eremum Camaldulensem.

Ex quo etiam chartario producimus conventionem factam inter Azonem monachum Camaldulensem, civem olim Florentinum, & inter Henricum præpositum canonicæ sancti Donati ac gubernatorem quoad curtes Modionam, Corsignanum & Sparenam hoc *anno millesimo centesimo tricesimo residente papa Innocentio & regnante rege Lothario sexto kalendas octobris indictione octava*. Bona plura valdeque utilia suprascriptæ canonicæ fere omnia oppignerata fuerant & quodammodo deperdita, quare cum consensu & voluntate suorum fratrum canonicorum disposuit Henricus præpositus eas curtes

tes tradere & commutare cum aliis bonis ecclesiæ sancti Salvatoris eremi Camaldulensis. Concessit itaque eidem Azoni monacho recipienti vice Azonis prioris Camaldulensis eas curtes, & quidquid canonica Arretina habebat *in sancto Marco*, excepta villa Angaruna, investitore dato Ugone primicerio, & receptis in permutationem prædiis in curte de Piscinale, & quidquid eremus habebat in plebe sancti Stephani in Classe. Actum juxta civitatem Arretinam in ecclesia sancti Michaelis. Subscribit Bujanus episcopus, qui adhuc se appellat electum, quique insuper refutat *scutellas*, & omne jus tam pro se, quam pro successoribus suis; inde paginam signant Ildebrandus archidiaconus & canonicus, Rainerius diaconus & canonicus, Majanus canonicus & presbyter, Homodei canonicus & diaconus, Henricus Arretinorum fratrum minister, Dominicus presbyter & canonicus, Girardi duo presbyteri & canonici, Johannes canonicus & presbyter, Ugo primicerius & canonicus, Pepo canonicus & subdiaconus, Johannes canonicus, Gerardinellus subdiaconus & canonicus, Rodulphus presbyter & canonicus. Ad calcem ejusdem paginæ legitur: *Insuper comitisse dedimus libras quadraginta, Ugolino Palmole unum equum per quatuor libras, Drudolo viginti solidos, Rudolphino de Biblena viginti solidos*. In curte Modionæ ecclesia consurgebat sanctis Jacobo & Christophoro sacra, quæ semper ad jus pertinuit eremi Camaldulensis. Videantur, quæ de castro & de decimatione Modionæ diximus ad annum 1073. quibus in præsentiarum addimus Modionæ curtem & castrum memorari jam ab anno 933. in diplomate confirmationis bonorum ad canonicos Arretinæ ecclesiæ spectantium factæ ab Hugone & a Lothario Italiæ regibus, apud Muratorium [a].

ANN. CHR. 1130.

EODEM anno Enricus filius quondam Bruni cum filiis suis, Gottifridus & Wido germani filii quondam Ughi, & Cunitius clericus filius quondam Terini, & Terinellus filius quondam Domusdei, *per pergamina*, quam præ manibus detinebant, refutaverunt ecclesiæ & monasterio sanctorum Justi & Clementis sito *prope mura de civitate Voloterrense* terras positas in Folliano. Chartam producimus ex autographo olim existente penes Antonium-franciscum Biscionium.

XXI. Chartæ Volaterranæ & Pisanæ.

Ipso *anno millesimo centesimo trigesimo primo*, more Pisano, *tertio nonas augusti indictione octava* Bernardus filius quondam Marignani & Agentina ejus uxor vendiderunt & tradiderunt Ludovico abbati monasterii sancti Michaelis de Burgo Pisarum terram positam in finibus *a la Leona*, recepto *merito anuli unius auri per solidos duo millia denariorum Lucensium in presinito. Actum Kintica infra ecclesia sancte Cristine*. Hanc sanctæ Christinæ parœcialem ecclesiam longe ante seculum XII. constructam fuisse arbitratus est Troncius in suo opusculo ms. de Pisanis ecclesiis, argumentum ducens a structura absidis ecclesiæ, quæ multam redolet antiquitatem. Antiquior ejusdem ecclesiæ notitia habetur etiam ad annum 1028. in voluminibus capitularis archivi, deinde mentio ipsius fit in aliquibus pontificum diplomatibus scilicet Anastasii IV. anno 1153. Adriani IV. anno 1156. & Clementis III. anno 1188. in eodem archivo extantibus, quorum primum ab Ughellio publici juris factum fuit T. III. Italiæ sacræ [b].

EX tabulario Vangaticiensi sequentem exscripsimus memoriam ad præsentem annum spectantem *Anno Domini* M. C. XXX. *octavo mensis junii. Breve recordationis pro futuris temporibus ad memoriam retinendam, Luitaldus abbas de monasterio sancte Marie de Vangaticia cum consensu de fratribus suis omnibus, & in presentia bonorum hominum; ii sunt Sinlapaglia*,

XXII. Alia Vangaticiensis.

[a] T. V. col. 237. Antiq. med. ævi.

[b] Col. 395.

Ann. Chr. 1130.

glia, Albertus maister, Britius, Simon Widi diaconus, pre Stephanus, in presentia istorum investivit abbas Ricolfum de mansio uno in Meliadino, qui mansus vadit de Englezelo, & de la terra de Alimario Vido, que fuit de Johanne notarius, & de la terra sancte Marie, de Scantelaro ad Salgaro pagano, campum unum, vanezas quatuor juxta Cavazocho, Aaca de Viventio, de Johanne de Zauselmo, & Ricolfus dedit pro investitione solidos quadraginta quinque ad abbatem, & annuatim debet dare duas libras cere nove ficti, & debet habere terram istam ipse & heredes suos reddendum fictum istum annualiter in festivitate sancte Marie. Ego in Dei nomine Gumbertus notarius rogatus, qui hoc breve recordationis & ficti scripsi & dedi. Ipsam edidit etiam Muratorius [a]; animadvertendæ in ea aliquæ puræ putæque Italicæ linguæ voces. Aliæ leguntur Litaldi abbatis Vangaticiensis emphyteuticæ paginæ ad annos 1142. & sequentes.

a *Antiq. med. ævi T. III. col.* 172.

XXIII. De eremo Fagioli.

Aliquot extant in archivo Camaldulensi donationes factæ hoc anno monasterio Fagioli in Alpibus, ex quibus intelligimus idem monasterium seu eremum, dictam etiam novam, titulum habuisse sancti Petri, sitamque fuisse in loco appellato Cortina. Mense enim novembri [b] Farolfus filius Ermingardæ dono dedit terras in valle de Lacerro *Viventio priori sancti Petri sito Cortina ordinis Camaldulensis*. Similiter eodem mense [c] Rodulfus filius Johannis de Bergo, & Johannes ac Petrus ejus filii obtulerunt eidem priori alias terras in eadem valle. Actum in territorio Galeatæ curte de Valbona. Idem Viventius prior reperitur etiam ad annum 1137.

b §. *Donatio* 290. *A.* 2. 8.

c §. *Ibid.* 291. *A.* 2. 9.

In summariis pariter Baroncinii legitur mense octobri hujus anni [d] Rainuccinum, Rollandinum, Ugolinellum & Ospinellum fratres, filios Bennonis filii Rainerii Baruncii vendidisse Alberto priori monasterii sancti Bartholomæi de Anglare recipienti pro eremo Camaldulensi omnia bona sua mobilia & immobilia, posita inter Montem-aureum ex inferiori parte, & flumen Soaræ & Tiberim, & ulterius ubicumque de prædictis bonis habebant, videlicet in castro Anglaris & ejus curte, in Viario, in sancta Cruce, & in Valliala cum omnibus ædificiis, terris &c. massaritiis, lectis, animalibus majoribus & minoribus, servis & ancillis, & omni genere vasorum, metallorum, vestium & suppellectilium *pro launechild & merito pretio*; manu Guillelmi notarii.

d *Ibid.* 171. *A.* 2. 7.

XXIV. De monasteriis S. Christinæ, Rosani & S. Andreæ de Candiculis.

Consecratam fuisse hoc anno ecclesiam sanctimonialium nostrarum sanctæ Christinæ in agro Bononiensi scribit Fortunius; [e] idipsum asserit Ughellius; [f] non tamen ad hunc annum referenda sunt initia ejusdem parthenonis, quod confirmatum jam fuerat congregationi Camaldulensi anno 1125. ab Honorio II. Romano pontifice, cujusque origines tradidimus ad annum 1099.

e *P.* I. *lib.* II. *cap.* 6.

f *T.* II. *col.* 18.

Alterius parthenonis sanctæ Mariæ de Rosano abbatissa hoc anno erat Bertha, quæ in charta apud Ferdinandum del Migliore [g] libellum emphyteusis scribit terrarum in *Candicule* Petro abbati sancti Andreæ de Candiculis. De Rosanensi cœnobio, & de Sophia abbatissa ad annum 1054. ac de Johanna altera abbatissa ad annum 1066. iis annis aliqua diximus. Sententiam quoque latam a comite Guidone filio Guidonis comitis anno 1065. pro sanctimonialibus Rosanensibus memorat Gamurrinius [h]. Berthæ tempore vetus Rosanense monasterium solo prostratum fuit, sed supervixit Bertha reædificationi loci, & regimen parthenonis ad plures annos tenuit. Veterem pariter hic loci memoriam habemus monasterii sancti Andreæ de Candiculis prope urbem Florentiam, quod initiis seculi sequentis traditum fuit reformandum Camaldulensibus. De ipso cœnobio

g *Zibald.* 80. *pag.* 91.

h *Vol. IV. pag.* 109.

cœnobio conqueritur Soldanius monumenta vetera non exiſtere in tabulariis congregationis Vallis-umbroſanæ, cui ſeculo XV. poſt Camaldulenſes aſſignatum fuit, antiquioremque memoriam refert ad annum 1177. ſub abbate Johanne. Petrum ergo hic agnoſcimus ad annum 1130. abbatem ejus monaſterii, de quo cœnobio aliqua deinceps dicemus.

ANN. CHR. 1130.

CARNOTENSI in urbe verſabatur initio hujus anni Innocentius II. comitatus a cardinalibus, qui ejus electioni faverant, ipſumque in Gallias ſecuti fuerant; illic commorans Henricum regem Angliæ, qui tunc in Normannia moras trahebat, recepit *devotiſſime pedibus ſuis proſtratum, & votivam ſui, ſuorumque in terra ſua ſuſceptionem, & obedientiæ filialis promiſſionis plenitudinem*, ut ſcribit Sugerius abbas in vita Ludovici Francorum regis. Ex Carnoto ad Mauriniacenſe monaſterium divertit Innocentius, ubi rogante Thoma abbate ejus monaſterii, altare in honorem ſancti Laurentii conſecravit III. cal. februarii, cui dedicationi *interfuere ex primoribus epiſcopi cardinales, Guillielmus Præneſtinus, Matthæus Albanenſis, Johannes Oſtienſis, Guido Tiburtinus* &c. teſte Mauriniacenſe chronographo, qui ad hæc tempora vivebat. Pontifici iter proſequenti obvius factus fuit in urbe Leodienſi XI. kalendas aprilis Lotharius Germaniæ & Italiæ rex, Dominica quoque quarta quadrageſimæ Bernardus Hildesheimenſis epiſcopus ab ipſo Romano antiſtite, *qui in Leodicenſem urbem cum Romana curia convenerat*, flagitavit, ut anteceſſorem ſuum Godehardum Sanctorum canoni adſcriberet; quod obtinuit menſe octobri in concilio Remenſi, ubi *Apoſtolicum Innocentium cum ſuis cardinalibus convenit, & de cauſa patroni ſui Godehardi uſque eo induciata devotiſſime ſubmonuit*, ut legitur in hiſtoria canonizationis ejuſdem ſancti epiſcopi apud Godefridum Henſchenium [a]. Ex Leodio ad Claræ-vallenſe cœnobium ſe contulit Innocentius amore ſancti Claræ-vallenſium abbatis Bernardi, qui in ſuo comitatu erat. Pontifici occurrere ejus monaſterii fratres, *non purpura & biſſo ornati, nec cum deauratis evangeliis, ſed pannoſis agminibus ſcopeloſam ſeu ligneam bajulantes crucem*, ut Ernaldus eſt auctor in vita ſancti Bernardi, ſubdens, *quod flebant epiſcopi, flebat ipſe ſummus pontifex, mirantes congregationis illius gravitatem* &c. Acceſſit inde pontifex ad monaſterium San-dionyſianum, in quo ſanctum paſcha ſollemniter celebravit. Rotomagi erat VII. idus maji, qua die privilegia ejuſdem regii cœnobii rata habuit. Eodem menſe ſubſcripſit Johannes epiſcopus Oſtienſis alteri diplomati Innocentii confirmantis Petro abbati Cluniacenſi, & ejus ſucceſſoribus donationem nuperam factam apud Rotomagum Cluniacenſi cœnobio ab Henrico Angliæ rege, qui centum marcas argenti quolibet anno Cluniaco perſolvendas conſtituerat, ſexaginta quidem in telonio Londinenſi, quadraginta vero in Lincolnienſi. *Datum* [b] eſt Innocentianum privilegium *Bellovaci* XIII. *cal. junii*, *indictione* VIIII. *incarnationis Dominice anno* M. C. XXXI. *Innocentii pape* II. *anno* II. Idibus octobris baſilicam ſancti Medardi Sueſſione dedicatam fuiſſe ab Innocentio legitur in brevi ejus loci chronico apud Dacherium [c]. Quomodo autem eadem die Bruxellis fuerit idem Romanus pontifex, componi nequit. Legitur enim hac ipſa die Innocentium conſecraſſe eccleſiam majoris Xenodochii, quod ſancti Johannis dicitur, in Bruxellenſi urbe, cui dedicationi interfuit præter alios, & privilegio ſubſcripſit Johannes Oſtienſis, quod diploma affertur ab Auberto Miræo [d] in codice donationum piarum. Etiam Molanus in annalibus Belgicis ſcribit hoc anno idibus octobris Innocentium fuiſſe Bruxellis. Quare Mabillonius [e] tom. VI. annalium ordinis ſancti Benedicti falſi convinci

ANN. CHR. 1131.

XXV. Privilegia, quibus ſubſcripſit Joh. card. Oſtienſis.

a T. I. Maji. pag. 522.

b Concil. T. XII. col. 1429.

c Spicil. T. II. pag. 489.

d Capit. lxxxiv.

e Pag. 183.

ANN. CHR. 1131.

vinci asserit, quod Molanus affirmat. Verum & illud non inverisimiliter diceretur auctorem parvi chronici sancti Medardi errasse quoad diem consecrationis ejusdem basilicæ. Etenim Innocentianum diploma pro Xenodochio Bruxellensi anno 1497. se vidisse testatur Henricus Bergius Cameracensis episcopus, immo ipsum diploma hodieque adservari Bruxellis in eodem nosocomio cum pontificio sigillo appenso adnotatur in editione II. operum ejusdem Miræi a Johanne-francisco Foppens Bruxellensi & Burgensi canonico procurata. Remensi concilio demum mense octobri præfuit Innocentius, & in ipso coronavit, & in regem unxit filium Ludovici regis Ludovicum; quo concilio soluto in pluribus Galliarum urbibus moras traxit desinente hoc anno, & sequentis initio, præsertim in urbe Autissiodorensi, semper obedientiæ suæ cardinalibus honorifice stipatus.

XXVI. Charta Sangregoriana.

ANNO *Dominice incarnationis millesimo centesimo trigesimo primo*, *anno vero secundo pontificatus domni .....* scilicet Innocentii II. *indictione decima*, incœpta & mutata septembri, *mensis novembris die primo* Grisottus de Stephano Centii de Baruntio curator in hac re Stephaniæ sororis suæ datus ei a Nicolao arcario judice sacri Lateranensis palatii, una cum præfata Stephania, & cum Astallo viro suo vendunt & tradunt Laurentio abbati monasterii sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe sextam partem turris de Arcionibus cum sexta parte domorum, terrarum, vinearum &c. cum omnibus suis usibus & utilitatibus, & cum suis pertinentiis positis via Albanensi in præfato loco, qui vocabatur *Arciones*. Chartam edimus ex codice Gregoriano.

XXVII. De monasterio S. Donati de Polpiano.

SCRIBIT [a] Jacobillius hoc anno Laurentium episcopum Nucerinum concessisse & confirmasse Bonatto abbati & monachis monasterii sancti Donati de Polpiano sive de Petrorio in diœcesi Eugubina, quod juxta leges vivebat congregationis Fontis-avellanæ, ecclesias sancti Stephani de Parrano, sancti Christophori Collis-taconis, & medietatem plebis sanctæ Mariæ de Compresseto cum omnibus earum pertinentiis, bonis & juribus. Laurentius Nucerinus episcopus ignotus Ughellio, nisi erraverit Jacobillius in nomine episcopi, & loco Lotharii, qui proxime ad hæc tempora vivebat, anno nimirum 1125. quo confirmavit bona monasterii sancti Petri de Andolina, deceptus forte initiali litera L.. Laurentium novum episcopum Nucerinum procuderit. De his ecclesiis sæpius confirmatis & privilegiis apostolicis & imperialibus eidem sancti Donati cœnobio agit ibidem supradictus Jacobillius.

a T. III. p. 312.

In fronte ecclesiæ parœcialis de Ghetiano subjectæ monasterio sancti Michaelis de Burgo Pisarum, & duobus tantum milliaribus ab eadem urbe distantis, prostat in lapide hujusmodi inscriptionis fragmentum.

† ANNI. AB. IN-
CARNATI
ONE. DOMI
NI. CIƆCXXXI
ENRIGVS
DIACON. DE
ISTA. ECLA
I.........
CARISSIMVS.

Dominico presbytero vice Petri abbatis sanctæ Mariæ de Agnano recipienti

pienti Berta filia Guillielmi & Guinildus filius Pagani conjuges [a] vendunt monasterio præfato & ecclesiæ sancti Quirici in Viccione bona posita in comitatu Arretino *in pleberio sancte Marie in Toppo in curtibus de Viccionibus juxta fluvium Vingonis usque ad Torum & usque ad fluvium Clanis usque ad Fossatum*. Actum in castro Marciani; ex autographo archivi sanctæ Mariæ in Gradibus. Petrus, cujus memoria extat etiam ad annum 1125. successerat Rainaldo seu Raginaldo abbati Agnaniensi.

Ann. Chr. 1131.

a Num. 43.

Ann. Chr 1132.

XXVIII. Bujani episcopi privilegia pro Camaldulensibus & Agnaniensibus.

BUJANUS episcopus Arretinus & comes privilegio suo testatus fuit hoc anno Azoni Camaldulensis ecclesiæ archimandritæ eam de cetero ipsi ejusque successoribus exhibiturum se cautelam, quam pater filiis carissimis pietatis impartitur affectu, *ut que*, subdit, *vobis solatiantur*, *vel adversantur*, *mihi quoque credam profutura vel nocitura*, & *ejusdem fortune eventu me quoque sublimari vel deprimi*; ideoque in primis confirmavit omnia privilegia Teodaldi, Constantini, Gualterii ac Guidonis episcoporum antecessorum suorum; præterea concessit, iterumque rata habuit, quæcumque obtinebat eremus Camaldulensis in manso dicto *de Cecini*; item *integras letanias plebis de Micciano*, *que est prope castrum dictum Angulare*, nempe Anglarium. Subscribit ipse cum primicerio, archidiacono, præposito, & aliis canonicis. Data est pagina, cujus autographum eruimus ex archivo Fontis-boni, juxta ecclesiam beati Michaelis in suburbio Arretinæ civitatis, *anno millesimo centesimo trigesimo secundo*, *sedente papa Innocentio*, *mense madio*, *quinto kalendas junii*, *indictione octava*, sed legendum decima, quæ decurrebat hoc anno.

Idem episcopus ex archivo sanctæ Mariæ in Gradibus [a] Petro abbati sanctæ Mariæ de Agnano confirmavit hoc ipso anno ecclesiam sancti Blasii positam in urbe Arretina, salvo honore plebis sanctæ Mariæ, & præpositi Arretinæ civitatis; terram insuper totam concessit, quam Ubertellus Ugoli habebat tempore sui obitus ab episcopio sancti Donati. Demum privilegio suo communivit, quidquid abbatia de Agnano obtinebat in præfata urbe, vel in suburbiis, vel in comitatu & episcopatu, mandans insigniri diploma effigie sancti Donati, & subscribens una cum Rainerio præposito. Actum in ecclesia sancti Donati, mense junio indictione decima, Guillielmo notario. Pariter ex archivo sanctæ Floræ de Arretio [b] Rainerio abbati sancti Petri-minoris portionem silvæ suæ appellatæ de Pescajole concessit.

b Num. 44.

c Caps. Q. num. 34.

Ex summariis Baroncinii demum habetur [c] eumdem Bujanum calculo suo comprobasse hoc anno venditionem factam a Tancredo olim Guidonis Azoni priori Camaldulensi terrarum positarum in curte Cesæ & Marciani. Remisisse pariter eidem priori, & pro salute animæ suæ dilargitum fuisse in beneficium *totam usualiam*, quam de prædictis terris habere soliti erant antistites Arretini, reservando tantummodo sibi *adjutorium ad claudendum claustrum in Cesa*, & spondens manu Servidei notarii sub pœna decem librarum argenti se fidem in omnibus servaturum.

d §. Ratificatio 1. A. 2. 14.

XXIX. Donatio facta a Benedicto priore Avellanæ Bernardo abb. S. Geruntii.

BENEDICTUS prior & rector eremi sanctæ Crucis de Fonte-avellana, qui ejusdem eremi administrationem susceperat post Petrum Ariminensem, de quo verba fecimus ad annum 1125. & cujus mortis annus ignoratur, cum consensu monachorum suæ ecclesiæ, hoc *anno* M. C. XXXII. *die* ..... *mensis julii indictione quartadecima* Bernardo abbati monasterii sancti Geruntii, quod erat in comitatu Eugubino, tradidit aliqua de prædiis sui cœnobii positis in comitatu Calliensi, in loco dicto *sanctus Nicolaus de Busso*, cum aliis ecclesiis, quæ vocabantur sanctus Sebastianus, sanctus

ANN. CHR. 1132.

Leo, sanctus Vitalis, & sanctus Petrus, cum libris, calicibus, & cum vestibus sacris pro ecclesia tantummodo sancti Nicolai, & cum aliis ornamentis dictæ ecclesiæ, ac cum terris, vineis aliisque ad præfatam ecclesiam pertinentibus. Fines ita describuntur in pagina: *A primo latere est flumen Buxi*, nempe Boasi, *pergens usque ad Candilianum*, terram nimirum vel prope ipsam flumen Cantiani; *a secundo ipso Candiliano surgente usque ad summitatem montis*; *a tertio mons Lironis*, nuncupatus etiam Mons-neronis, *ac Pasie*, *ac arcis montis Petrani pergente a primo*. Hæc omnia concessit Benedictus prior *cum usu & decreto*, & cum decimis & primitiis, ac rebus mortuorum & vivorum, aquis, aquimolis &c. Signant se in pagina Benedictus prior, Leo sacrista, & Gerardus monachus dictæ ecclesiæ sanctæ Crucis, Gerardus, Ursus & Fidorius monachi, Quinicus episcopus, cujus loci ignotum, nisi sit nomen vel agnomen, & presbyter Martinus, qui consentiunt & sunt testes. Franciscus Bricchius [a] in Annalibus Calliensibus, & Pamphilius Lutii ajunt sanctum Bernardum ex Clara-valle venisse in Italiam anno 1120. & abbatem fuisse hujus monasterii sancti Geruntii; verum præsens dumtaxat annus 1132. primus fuit adventus Bernardi abbatis Claræ-vallensis in Italiam una cum Innocentio II. Romano pontifice, missusque fuit statim Januam tamquam pacis sequester inter Januensem & Pisanum populum, neque ante hunc annum monasteria Italica recepit ipse novo suo instituto reformanda; primasque monachorum Cistercensium colonias ex Galliis in Insubriam & in Mediolanensem provinciam induxisse probabillimum est. Quapropter Bernardus abbas sancti Geruntii alius fuit a Bernardo sanctissimo Claræ-vallensi abbate, dictus facile etiam Berardus. Berardum priorem monasterii beati Petri in monte Neronis siti reperimus circa hæc tempora, cui anno 1140. Innocentius II. protectionem apostolicam impendit ex archivo cathedralis ecclesiæ Calliensis [b]. Erat monasterium istud antiquissimum juxta fluvium Sergium, cui Innocentius confirmavit omnia bona ad instar prædecessorum suorum felicis memoriæ Benedicti, & Benedicti atque Johannis Romanorum pontificum. Cœnobium vero sancti Geruntii eo in loco exsurgebat, ubi modo extollitur arx civitati Callii imminens ædificata a duce Urbinate Friderico super ejus monasterii fundamenta, cujus bona assignata fuere mensæ ejusdem Calliensis episcopatus. Alloderium abbatem sancti Geruntii in comitatu Calliensi inter duo flumina Buranum & Buxum, inde episcopum Calliensem reperimus in eodem archivo ad annum 1170. cui Alexander papa III. ex Verulana urbe pontificatus sui anno undecimo v. nonas aprilis indictione nona omnia monasterii sui bona recenset protectione pontificia ipsum communiens. Interim ex eodem Brichio Benedicti prioris Avellanensis donationem integram recudimus in Appendice nostra; sed in charta emendanda est indictio decima-quarta, cum præsens annus indictione tantummodo decima signaretur.

a Pag. 20.

b Num. 70.

In tabulario collegiatæ & imperialis ecclesiæ sancti Laurentii de Florentia asservatur bulla Innocentii papæ II. concessa hoc anno [c] hospitali sancti Laurentii ejusdem urbis, quod erat subjectum monasterio sancti Benedicti de Bisurco, & prope prioralem ecclesiam supradictam ejusdem nominis, ut constat ex aliis apostolicis privilegiis, in quibus præfatum hospitale confirmatur eidem monasterio Bisurcensi.

c Mazz. II. num. 40.

XXX. Alia miracula SS. Justi & Clementis.

NARRATIONEM miraculorum, quæ fiebant his temporibus ad intercessionem sanctorum Christi Confessorum Justi & Clementis ad eorum basilicam in urbe Volaterrana, ex collectione Fortunii absolvimus præsenti anno, quo episcopus ejusdem urbis post Rogerium erat Crescentius ab anno

no 1129. ad annum 1139. & nominatus in primo ex his miraculis, quæ subnectimus: *Tempore paulo ante præterito quædam mulier a Puppiano Bellenda nomine lacte carebat, quo suam ipsius nutriret filiolam. Huic persuasit vicina malefica, ut ad cuncta, quæ sibi comedenda essent diei Dominicæ, aquam vivi fontis sibi tantum quæreret necessariam, neque ea die Dominum Deum oraret, aut signo Crucis se muniret, sed ter faciem suam aqua ipsa aspergeret manibus inde lotis. Sine ulla mora mulier nimis credula consilio maleficæ omnino paruit; cumque aqua vultum suum conspersisset, pauxillulumque in os introisset, statim non parvus corvorum crocitantium ibidem affuit numerus, scilicet dæmoniorum præstigiæ, eamque per omnia membra maximus arripuit dolor. Cum igitur sic ægrotaret, domum remeat, & ab universis longe alia putabatur infirmitas. In illa enim latuit diabolus usque ad cœnæ Dominicæ diem. Tunc duo sacerdotes viri sui affines volentes in templum illam introducere, nulla unquam ratione illud efficere potuerunt; nam cum diabolus jam sese patefecisset, vehementer resistebat. Quapropter interrogatus, cur illam arripuisset? ultro respondit se ob nullam dæmoniacam nequitiam hoc factum fuisse, sed tantum propter multa & gravia populorum scelera omnipotentis Dei permissu contigisse. Sunt enim homines permulti hoc in tempore blasphemi, perjuri, adulteri, fornicatores, invidi, litigiosi, detractores, sacrilegi, raptores, homicidæ, fœneratores, deceptores, avari, justitiæ corruptores, & sic genus hominum prope universum in hujusmodi flagitiis quasi jumenta in stercore suo computruit. Quocirca innoxia quoque vasa nobis vexanda destruendaque conceduntur. Talia vociferans hic nequam spiritus modo caninis latrabat rictibus, interdum vero rabidorum more luporum diræ vocis ululatum os diversis distorquens gestibus emittebat. Hæc videntes populi finitimi, territi nimium, triduano indicto jejunio, lites transigunt, ac penitus deponunt, a fornicationibus abstinent, rapinas emendant, blasphemias ac juramenta cavent, avaritiam devitant, justitiam sectantur, mutuam vicissim caritatem amplecti, & omnibus denique peccatorum ac vitiorum generibus in posterum finem statuere, omnes ad unum duce Deo decernunt. Nullaque mora interposita ad beati Zenobii reliquias Florentiam supplicando concurrentes cum intimo cordis affectu, magnaque lacrymarum effusione divinam implorarunt misericordiam.* (Ejus sancti episcopi festiva dies XXV. maji) *Item Justi & Clementis sollemnitate celeberrima appropinquante,* (tertia nimirum die junii) *sacerdotes, quos mulieri affines esse supra diximus, cum aliis ejusdem prosapiæ viris, ad Confessorum basilicam adducunt mulierem ipsam a dæmone obsessam. Ubi dæmon coram maxima populi frequentia longe acrius solito illam divexare cepit, nam crines quasi fugituri supra caput erigebantur, os modis omnibus distorquebatur, cervix quasi confracta hinc inde collabebatur. Cum vero Crescentius antistes, vir omni videlicet virtutum genere præstantissimus, venerabili canonicorum corona illum comitante, juxta veterem sollemnitatis consuetudinem omnia recte atque ordine faceret, spiritus ille nequam vastis clamat vocibus: Ecce venit episcopus. Idque non semel, sed iterum ac sæpius iteravit: Ecce venit episcopus. Itaque quem nondum viderat, mox cognovit episcopum. Astantes autem populi quam diligentissime attendebant dæmonis furorem; nam interdum precantis mores effingebat, quasi Sanctos Dei revereri videretur, interdum conviciis illos consectaretur, & uti irrisor aliquis contemneret; atque id ut fidelium vota omnium impediret. Quid quæris? diebus undecim mulier ibidem perstitit multijugi dolorum cruciatu affecta. Denique monachis illius sacri templi sine ulla intermissione nudis pedibus, nudisque genibus ex animo orantibus, ille demum nequissimus spiritus a Christi Confessoribus depulsus*

ANN. CHR. 1132.

sus fuit; & quæ prius crudeliter admodum exagitata fuerat, facta prorsus incolumis, a suis in patriam demum reducitur; & omnes quotquot ad sacram Confessorum ædem tunc temporis accesserunt, tanti sane miraculi testes fuerunt. Neque de tam firmo & tam præclaro testimonio est quicquam dubitandum, propterea quod ipsa etiam mulier mox donariis quamplurimis Christi Confessorum basilicam exornavit, & quoad mansit in vita, eamdem pie sancteque visitare consuevit.

Eodem ferme tempore per Confessores suos haudquaquam dissimiliter operatus est Dominus. Siquidem in agro Lucensi ad Saviliani plebem, ut ajunt, puella quædam, cui Judithæ nomen inditum erat, juveni cuidam a parentibus desponsata nondum paterna domo recesserat; cui sponsus (quæ est venereæ voluptatis in illa ætate titillatio) ut sui sibi copiam faceret, persuadere conabatur. Id quod pudica & casta virgo non ante decere, quam nuptiæ de more celebrarentur, perinde sapienter ac constanter affirmabat. Cumque acceptis pannis lavatum iret, vir graviore, quam dici possit, iracundia commotus ait: Vade cum Dei maledictione, sitque tecum diabolus. Quibus verbis puella ad fluvium accedens adeo exterrita est, nimirum ut tentator statim affuerit, eamque improbissimus invadendi occasionem nactus sit. Nam sub horrendæ cornicis specie horribiliter cornicantis illam præ pavore magno oscitantem immundus arripuit spiritus. In qua diabolo adhuc latente vir post nuptias eam desipuisse animadvertit; siquidem omnia ab ipso affirmata penitus negabat, e contrario denegata confirmans. Quamobrem conjux eam sibi inutilem semper fore existimans parentibus custodiendam remisit. Ecce autem dæmon certis patefactus indiciis mulierem torquere cepit acerrime; quapropter sui omnes rem ipsam ægerrime ferentes, ad beati Potentis reliquias illam deferunt. Illico autem dæmon ore balbo exclamavit: Potens iste numquam me ejicere poterit; Deus enim omnipotens id uni Justo concessit. Inquisitus vero de nomine officioque suo, seipsum captivum & ranarum custodem appellat. His auditis ad divi Justi & Clementis templa a consanguineis delata die noctuque sacris assistit altaribus; e cujus ore nocte subobscura puer igneus egressus, ara Confessoris circumdata, inde iterum visus est regredi. Porro cœnobitis illis orationi instantibus, denique post tricesimum fere diem mulier ab illa dæmonis obsidione liberata ac pristinæ reddita sanitati domum recessit. Ab ipsa tamen Confessores almi dæmonem nulla vi, nullaque contumacia resistentem facillime propulsarunt. Hoc autem propterea accidisse creditum est, ut ostenderentur merita Justi & Clementis apud Deum tanta esse, ut Satan cum dispellitur in discessu obsessi corporis, affligere minime audeat. Sanctus Potens facile sanctus Pontianus, cujus reliquiæ extabant in abbatia sanctis Bartholomæo & Pontiano dicata in eadem urbe Lucensi. Ecclesia tamen sancti Potentis in villa Creti spectans ad monasterium sanctæ Mariæ de Farneto recensetur inter ceteras a Gregorio IX. in enumeratione bonorum ejus abbatiæ anno 1238. apud Secundum Lancellotum [a] in historia congregationis & monasteriorum Montis-oliveti.

Kalendis februarii hujus anni Innocentius II. Romanus pontifex erat in monasterio Cluniacensi, quo in loco cum fratribus suis episcopis & abbatibus Purificationis beatæ Mariæ festivitatem sollemniter & honorifice celebravit, ut ipse scribit IV. nonas ejusdem mensis Ludovico VI. Francorum regi apud Dacherium in Spicilegio [b]. Lugdunum inde profectus fuit, postea Valentiam, inde *fines Lombardiæ, atque apud Astam sollemnitate Resurrectionis Dominicæ celebrata*, quæ eo anno contigit die decima aprilis, *Placentiam venit*, ubi cum episcopis & Johanne Ostiensi tertiam suam synodum habuit. Idibus julii commorabatur Cremonæ, ibique confirmavit

a Pag. 239.

b T. III. pag. 488.

Ann. Chr. 1132.

vit canonicis sancti Antonini & Azoni præposito ecclesiæ ejusdem sancti martyris Placentinæ urbis bona & jura ipsius loci, subscribente secundo loco inter cardinales Johanne Ostiensi episcopo. Bullam affert Campius [a] in historia ecclesiastica Placentiæ. An ex Placentia Mutinam comitatus fuerit Johannes Romanum pontificem non liquet; in privilegiis enim & bullis apostolicis procedentis hujus anni Johannis nomen non legitur, sicut legitur in bullis anni sequentis ex urbe Pisarum datis, ubi substitit Innocentius post mensem octobrem anni præsentis. Ciacconii tamen testimonio ipsius nomen apparet in diplomate hujus anni concesso ab eodem Romano pontifice Gualterio archiepiscopo Ravennati, quod unde datum fuerit, reperire nequivimus.

[a] Pag. 534.

Ann. Chr. 1133.

XXXI. Privilegium Innocentii II. pp. pro monasterio Morronensi.

Pertinet ad hunc annum privilegium concessum ab Innocentio papa II. monasterio sanctæ Mariæ de Morrona & Gerardo ejus abbati, *Datum* est ipsum *Pisis per manum Aimerici S. R. E. diaconi cardinalis & cancellarii* x. *cal. februarii indictione* xi. *incarnationis Dominice anno* M. C. XXXIIII. *pontificatus vero domini Innocentii pape* II. *anno* III. Cum ad diem XXIII. januarii hujus anni perseveraret adhuc annus III. Innocentii, & cum insuper hoc anno decurreret indictio undecima, juxta indictionem & annum pontificatus Innocentii corrigendus est in diplomate Morronensi annus incarnationis, & reponendus M. C. XXXIII. Facile enim in exemplo hujus privilegii, trium licet notariorum recognitione roborato, quartam incogitanter superaddidit unitatem exscriptor. Ipsum exemplum transmisit ad nos ex archivo episcopali urbis Volaterrarum Cl. V. Aulus-laurentius Cecina JC. & ejusdem urbis patricius, quod rejicimus in Appendicem. Subscriptus reperitur post Innocentium & post Willelmum episcopum Prænestinum, etiam Johannes episcopus Ostiensis, qui Innocentium in Italiam redeuntem, & post varia itinera Pisis commorantem secutus fuerat. Præter Johannem Ostiensem nomen suum apponunt Anselmus presbyter cardinalis tituli sancti Laurentii in Lucina ex abbate sancti Petri in Cœlo-aureo Papiæ creatus ab Honorio II. Lucas sanctorum Johannis & Pauli Gallus, percarus sancto Bernardo, qui eum cum aliis *fratrem uterinum* appellat, Martinus ex monacho Januensi cardinalis presbyter sancti Stephani in Cœlio monte, amicitia pariter conjunctissimus cum eodem Bernardo, qui illum laudat libro IV. de Consideratione ad Eugenium capite VII. Oddo cardinalis diaconus sancti Georgii in Velabro, & Guido de Vico Pisanus cardinalis & diaconus sanctorum Cosmæ & Damiani, cancellarius postea Eugenii III. qui omnes cardinales creati fuerant ab Innocentio II. Aimerico cardinale cancellario privilegium roborante. Gerardum abbatem Morronensem ejusque monasterium sub apostolicæ sedis tutela recipit Romanus pontifex statuens, ut quæcumque prædia & possessiones, seu bona a nobilis memoriæ Wiccione comite, & filiis ejus Uvolino, Rainerio, Lotherio & Bolgarino eidem monasterio fuerant donata, firma & illibata permaneant, quorum etiam bonorum censum agit.

XXXII. Alia privilegia signata a Joh. Ostiense card.

Eodem *anno millesimo centesimo trigesimo tertio pontificatus vero domini Innocentii pape* II. *anno quarto* XIIII. *cal. aprilis indictione* XI. subscripsit idem Johannes Ostiensis episcopus alteri privilegio ejusdem Romani pontificis concesso ex urbe Grossetana Syro Januensi episcopo, quo ipsius ecclesia in metropolim erigitur, primusque Januensis episcopus renuntiatur, attributis eidem archiepiscopo tribus suffraganeis in Corsica, & duobus aliis proximioribus Januensi urbi episcopatibus. Privilegium extat [b] apud Ughellium.

[b] T. IV. col. 859.

Demum

ANN. CHR. 1133.

Demum Innocentium pontificem Romam comitatus Johannes Ostiensis adfuit coronationi Lotharii cæsaris in imperatorem, quæ contigit die quarta junii, qua ipsa die pariter diploma signavit ejusdem Romani præsulis in gratiam Norberti Magdeburgensis archiepiscopi, cui subjecti declarati fuere episcopi Poloniæ, Pomeraniæ aliarumque provinciarum, *Datum Laterani* II. *nonas junii indictione* XI. *incarnationis Dominice anno* M. C. XXXIII. *pontificatus vero domni Innocentii pape* II. *anno* IIII. Editum est privilegium hocce in actis Sanctorum Bollandi ad tomum VI. junii [a], ubi tamen errore datum dicitur uno mense ante coronationem Lotharii, cum eodem die, pridie nimirum nonas junii, tam coronatus fuerit Lotharius, quam etiam signatum privilegium pro archiepiscopo Norberto. Post imperii insignia delata Lothario, videns Innocentius se tuto Romæ habitare nequire, ubi a factione Anacleti anti-papæ divexabatur, mense septembri Pisas rediit, una cum suorum cardinalium parte, ubi anno sequenti mense majo concilium celebravit.

a Pag. 48.

XXXIII. Monasterium Decianense traditum reformandum Camaldulensibus.

MONASTERIUM Decianense ædificatum in comitatu Castellano, de quo primam mentionem fecimus, originesque veteres tradidimus sub anno 1080. reformandum traditum fuit hoc anno Azoni priori eremi Camaldulensis, ut adnotatur in veteribus summariis instrumentorum Fontis-boni adornatis a Simone & Raynerio monachis ejusdem loci, in quibus [b] hæc leguntur: *Bernardinus & Martulus & Raynerius pro se ipsis, & filiis, & matre & heredibus suis, Bernardus filius Gualfredi pro se, & matre, & uxore, & filiis, & fratribus & heredibus suis, Tigrosus & Guastone filii Bernardini pro se & uxore sua & heredibus suis, Quintavallis pro se & uxore, & filiis & heredibus suis, Astaldus pro se, & uxore, & filiis & heredibus suis donaverunt domno Azoni priori Camaldulensi & successoribus ejus in perpetuum jus & ordinationem Decianensis monasterii, & pertinentia ipsius consecrati in honorem sancte Marie, consentientibus monachis & laicis, ut idem prior & ejus successores constituant & ordinent in eodem monasterio abbates, & monachos, & clericos suos & famulos secundum preceptum beati Benedicti. Et promiserunt predicti donatores predictum monasterium, & ejus bona defendere sub annis Domini* M. C. XXXIII. *sine manu notarii.*

b Pag. 203.

Decianensis monasterii abbates post Petrum, cujus superest memoria ad annum 1085. recensentur in excerptis Baroncinii Rusticus ad annos 1096. 1108. 1110. & 1111. Raimundinus ad annum 1116. appellatus etiam Raimundus ad annum 1120. Anno præsenti, quo Deciani abbatia tradita fuit reformanda Camaldulensibus, ipsam regebat vel idem Raimundus, vel Placidus in chartis existentibus in tabulario Fontis-boni memoratus ad annum 1135. Post Placidum occurrit Tedericus ad annos 1140. & 1146. Albertus autem ad annum 1147. & rursus vel idem, vel alter Tedericus ad annos 1148. 1154. 1155. 1160. 1162. Johannes ad annos 1183. & 1184. Ad annos 1189. & 1193. Bonus. Ecclesiæ, hospitalia ceteraque bona complura, quæ erant Decianensi monasterio subjecta, amplissime recensentur ad annum 1198. in privilegio Innocentii papæ III. concesso Nicolao abbati de Deciano, & Boni successori, de quo dicemus ad eumdem annum.

In præfatis monachorum Fontis-boni summariis hæc pariter leguntur [c] sub hoc anno: *Isimbardus olim Rolandi vicedomini, & Natholia ejus uxor per se suosque heredes in perpetuum donaverunt pure & irrevocabiliter inter vivos presbytero Johanni sancti Michaelis de Arretio accipienti vice domni Azonis prioris Camalduli omne suum jus & proprietatem, que habebant*

c Pag. 99.

in ecclesia sancti Martini in Letarcle cum integro manso ejusdem loci, cum casis, terris, vineis, silvis, stirpetis, pascuis, aquis, fontanis & eorum edificiis sub annis D mini M.C.XXXIII. *mense junii, manu Viviani notarii.*

ANN. CHR. 1133.

Scribit Fortunius [a] hoc anno Johannem episcopum Sorrensem in Sardinia dilargitum fuisse eremo Camaldulensi cœnobium sancti Nicolai in Trulla, & ecclesias sanctæ Mariæ in Segantia, sancti Petri Archennorum, & sancti Petri in Monticleta. De his donationibus videantur, quæ diximus sub anno 1113., quo tempora donationum earum ecclesiarum conciliavimus.

a P. I. lib. II. cap. 10.

COMITISSA Imilia uxor olim & nunc vidua relicta Guidonis comitis, ac Guido comes ejus filius rogaverunt hoc anno Azonem Camaldulensem priorem, ut constitueret & ordinaret monasterium sanctimonialium Camaldulensium in ecclesia sanctæ Mariæ de Poplena. Annuit Azo, deducta ibidem, verisimiliter ex parthenone sancti Petri de Luco, sacrarum virginum colonia, legibusque iisdem latis, quæ statutæ olim fuerant anno 1085. a Rodulpho priore pro monasterio Lucensi, ut nimirum in præfata ecclesia nulla unquam eligeretur abbatissa absque suo suorumque sibi succedentium priorum consensu, nullaque pariter monialis in eo loco reciperetur, non admonito priore Camaldulensi, neque ulla abbatissa bona alienaret prædictæ ecclesiæ, atque omnes in eo monasterio commorantes sanctimoniales sacramentum obedientiæ præstarent Camaldulensis eremi prioribus. De his omnibus convenerunt Imilia, & ipsius filius Guido sub pœna librarum centum optimi argenti. *Actum in millesimo centesimo trigesimo quarto* IV. *calendas madii indictione* XII. *regnante Lothario, & residente Innocentio papa, in loco, qui dicitur Poplena, juxta ecclesiam sancte Marie.* Atque hæc primordia fuerunt parthenonis monialium Prati-veteris, ex quarum tabulario chartam producimus in Appendice.

ANN. CHR. 1134.

XXXIV. Guido comes & Imilia tradunt ordinandum Azoni priori Camald. monasterium sanctimonialium.

Monasterium hocce primo appellatum fuit sancti Salvatoris, atque eo in loco erat constructum, qui appellabatur *Capo Arno*, ut manifestum fit ex veteribus paginis annorum 1137. & 1138. in quibus leguntur donationes terrarum [b] factæ *monasterio sancti Salvatoris ab Imilia comitissa incepto in loco dicto Capo Arno, ubi Sophia est abbatissa.* Sophia prima ejusdem loci abbatissa vocatur *filia Imilie comitisse* [c] in donatione Donusdei quondam Albertini conscripta pro eodem monasterio sancti Salvatoris anno 1138. Insequenti tempore parthenon & moniales ad alium locum translata fuere, & refert [d] Fortunius, „ post mortem Imiliæ comitissæ, grassante bello in agro Casentinate, factum fuisse, ut sacræ virgines, quæ „ ad basilicam sanctæ Mariæ de Poplena institutæ fuerant, Generalis vo„ luntate loco cesserint, & intra oppidum Prati-veteris habitationem sibi „ elegerint, eo videlicet in loco, ubi nunc prætorium extat, usquequo „ demum ad regiam comitum ipsis a comitibus Guidiis donatam sese re„ cepere. " Titulus deinde secundo parthenoni & ecclesiæ inditus sancti Johannis-evangelistæ de Prato-veteri. Præfatæ Sophiæ abbatissæ filiæ suæ & ecclesiæ sanctæ Mariæ de Poplena donat comitissa Imilia hoc eodem anno silvam appellatam *Palaja*, jure tamen sibi reservato utendi ea silva ad vineam serendam, seu ad faciendum ignem pro curia sua. Anno 1143. [e] Vitus camerarius ecclesiæ sancti Fidelis Strumi congregationis Vallis-umbrosanæ vineam commutat cum terr, paginam de ea re scribens Johanni castaldioni ecclesiæ de Prato-veteri, *ubi domna Sophia preesse videtur.* De ipso parthenone cetera suis annis. Tradunt scriptores nostri, omnesque catalogorum auctores Imiliam comitissam defuncto viro, magno consilio

b Num. 6.

c Num. 7.

d Par. II. Lib. I. cap. 9.

e Num. 2.

Ann. Chr. 1134.

fucata mundi oblectamenta fugientem candidum habitum Camaldulensem recepisse in noviter a se extructo parthenone, plurimosque annos vitam peregisse ab omni contagione expertem, & sanctis contemplationibus suavem, sub Sophia filia, & prima cœnobii abbatissa. Utramque tam matrem, quam filiam piis sanctisque Camaldulensibus fœminis accensent; verum nulla earum sanctimoniæ monimenta supersunt. Ad plures annos matri supervixit in regimine monasterii Sophia, quam reperimus abbatissam usque ad annum 1185. immo ultra eum annum; licet veri speciem habeat post primam Sophiam, alteram ejusdem nominis, & quidem ex nobilissima Guidia familia, eidem parthenoni præfuisse; imo & tertiam, cum hocce Sophiæ abbatissæ nomen perseveret in tabulario ejus loci etiam seculo sequenti.

XXXV. Excursus de Guidiis comitibus.

Interim, ne taciti prætereamus illustrissimam Guidiorum comitum stirpem, Langobardorum lege viventium, qui tum de monasterio Prati-veteris, tum de eremo & congregatione tota Camaldulensi fuere semper optime meriti, parcent lectores, si hic loci ea potissimum monumenta pressius depromamus, quæ in chartulariis nostris delitescunt, ex quibus quædam etiam, licet imperfecta, genealogia efformatur ejus familiæ, de cujus majoribus aliqua protulimus tomo III. nostrorum Annalium sub anno 1058. Ad anteriorum Guidiorum, seu Guidonum comitum distinctionem, ibidem eum Guidonem, qui fuit Ermellinæ vir, appellavimus III. hujus nominis, quem vidimus etiam anno 1065. sententiam ferentem pro sanctimonialibus Rosanensibus, & anno 1084. aliquot bona sua dilargitum monasterio sancti Benedicti in Alpibus. Is [a] anno 1086. die quinta-decima julii protectionem suscepit parthenonis sancti Petri de Luco, superstesque fuit ulterius ad multos annos, nam post eum annum jure permutationis [b] dedit terram in loco Soci eremo Camaldulensi; anno vero 1098. mense julio [c] refutavit Henrico præposito canonicæ Arretinæ omnem injustum usum villæ Casalis & curtis Mojonæ, non Morronæ, ut habet Admiratus [d] apud Lamium in Selectis chronologicis ad chronicon Leonis Urbevetani; anno autem 1099. Ubertæ Rosanensi abbatissæ ejusque asceterio terrarum dona obtulit. Immo vixit ultra initia seculi sequentis, quo annis 1100. & 1103. subscripsit donationibus Mathildæ comitissæ pro monasteriis Vallumbrosanæ congregationis penes Mabillonium [e]. An idem est, qui *Guido comes de Mutiglano* testis adhibitus fuit in charta largitionis ecclesiæ sanctæ Mariæ de Piunte factæ ab eadem Mathilda monasterio sancti Salvatoris de Fontana-Taonis anno 1099. apud Muratorium [f]? Ex Ermellina Alberti filia & ejus conjuge, quæque anno 1094. jam fato cesserat [g], duos filios susceperat, Tetgrimum defunctum ante patrem, & ante annum 1100. quo Guido alter ejus filius, & Tetgrimi frater donationem fecit monasterio sancti Fidelis de Strumi [h] pro anima ipsius *quondam fratris* sui; Guidonem itaque ipsius filium juxta seriem nostram ejus nominis IV. appellabimus. Marchionem hic aliquando se appellavit, in mox scilicet recensita a Soldanio donatione; comitem vero in ceteris bene pluribus paginis. Guerra etiam vel Werra fuit dictus. Anno 1101. monasterio sancti Petri de Luco & ipse [i], ad instar patris, protectionem suam concessit. Anno 1107. refutavit [k] curtem Mojonæ; quo etiam anno desierat esse in vivis Guido III. ejus genitor. In tabulis Camaldulensibus mentio Guidonis IV. habetur ad annos 1109. 1115. 1116. 1117. in quibus paginis [l] plures tum ipsius, tum etiam Imiliæ comitissæ ejus uxoris donationes prostant. Imilia *filia Rainaldi, dicti Sinibaldi, conjux Guidonis comitis, appellati Werre, filii alterius Guidonis similiter comitis*, ut seipsam

effert

a Arch. Fontis-boni §. Defensio 1. 61.

b §. Recordat. 9.

c §. Renuntiat. 9.

d Pag. 88.

e Annal. T. IV. pag. 427. 464.

f T. I. Antiq. med. æv. col. 414.

g Lami pag. 146.

h Hist. Passinian. pag. 116.

i Arch. Luci Sacc. K. n. 29.

k Arch. Fontis-boni §. Record. n. 15.

l Amissæ §. A. 64. &c.

effert in charta donationis factæ anno 1103. congregationi Vallumbrosanæ, quam protulit Soldanius [a], jam ab anno 1096. in matrimonium ipsi tradita fuerat ex Lamio [b] in præfatis Selectis ad chronicon Leonis. Ipsorum filia fuit Sophia prima abbatissa Prati-veteris, & filius Guido, qui proinde erit V. hujus nominis, fundator cum eadem Imilia matre præsenti anno dicti parthenonis Prati-veteris. De hoc Guidone rursus ad annum 1137. agemus, qui pariter in chartis nostris ad annum 1146. mense julio memoratur [c], refutans cum prædicta matre sua Imilia Azoni priori Camaldulensi justum & injustum usum villæ Mojonæ. Idem est, cujus castella depopulati fuere anno 1144. Florentini & Pisani, & quem anno 1155. captivum belli detinuit rex Siciliæ Rogerius, ut refert Muratorius [d]. In exemplis contractuum tabularii nosocomii Scalæ Senarum, quæ sunt penes nos, concessit Guido comes anno 1156. die XXVI. martii Ugolino Bostæ & populo Senarum [e] octavam partem castri Podii-bonitii in valle Marturii sub pœna mille marcarum argenti. Anno antecedenti fundum in eodem loco Adriano IV. Romano pontifici & beato Petro apostolo dilargitus fuerat, in quo ecclesiam erigendam idem pontifex indulget Rainerio episcopo Senensi apud Muratorium [f]. Nominatur etiam Guido Werra [g] inter mediatores ex parte regis concordiæ & conventionis inter Eugenium papam III. & Fridericum I. regem Romanorum anno 1152. Anno autem 1157. beneficum se ostendit in monasterium Bifurcense; ex quo documento nobis innotescit Trottam comitissam fuisse conjugem suam. Obierat Guido V. ante annum 1176. ipso enim anno appellatur *bone memorie quondam comes Guido* in privilegio Alexandri III. confirmantis fundum in Podio-bonitii Gunteramo Senensi episcopo apud eumdem Muratorium [h]. Guidonis V. filium Guidonem VI. dicendum, comitem Thusciæ palatinum, etiam ipsum appellatum Werram declarat nobis diploma Friderici II. ad annum 1220. apud Soldanium [i], cujus etiam donationem affert ipse anno 1185. [k] signatam. Is ex archivo monasterii nostri sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia donavit una cum conjuge sua comitissa Gualdrada anno 1180. [l] terras in Pratilione & in Farta ecclesiæ itidem nostræ sanctæ Mariæ de Petrasicta; alia ipsorum jugalium donatio legitur in eodem tabulario ad annum 1190. Animadvertimus obiter, quanto tempore adventum Ottonis IV. imperatoris in Italiam præcesserit matrimonium Guidonis cum Gualdrada. Vivebant insuper tum ipse, tum uxor ejus, & juspatronatum obtinebant in asceterium sanctæ Mariæ de Rosano anno 1204. ex [m] tabulario sancti Johannis-evangelistæ de Prato-veteri, & vivebat Guido anno 1213. [n] ex illo Fontis-boni. Soror fuit Guidoni Adaleta comitissa, cujus causa, cum ejus thesaurum depositum putaret apud eremum Camaldulensem, injurius aliquo tempore fuit [o] circa annum 1180. adversus eamdem eremum, ad concordiam tamen conciliatus ab Heliotto episcopo Arretino. Contra ipsum pariter & jam senem, mortique proximum extat breve [p] Innocentii papæ III. sub die XXIV. septembris ad archiepiscopum Pisanum, episcopum Florentinum, & electum Arretinum, quo ipsis mandat, ut compescant Guidonem comitem, qui histrionibus & mulierculis introductis perturbabat quietem & sanctitatem eremi Camaldulensis. Obiit Guido VI. ante annum 1217. & partim ex Gualdrada, partim ex Beatrice comitissa susceperat Guidonem VII. Aginolfum, Marcualdum, Tigrimum & Rogerium, quos nominat in suprarelato diplomate Fridericus II. Idem imperator scribens eidem Beatrici eorum matri narrat [q] Guidonis natu majoris levitates, ob quas gratiæ suæ imperialis indignum se reddiderat, ac loco ipsius mitti ad curiam suam mino-

a Quest. Vallombr. pag. 49.
b Pag. 309.
c §. Renuntiatio n. 48.
d Annal. T. VI. pagg. 478. 517.
e Num. 567.
f T. V. Antiq. med. æv. col. 811.
g T. II. Vet. script. Marten. col. 557.
h T. V. col. 813.
i Hist. Passin. pag. 120.
k Ibid. pag. 117.
l Num. 262.
m Num. 22.
n §. Mutilæ n. 25.
o Arch. canon. Arretii.
p Arch. Fontis-boni §. Brevia 13.
q T. II. Vet. script. Marten. col. 1161.

Ann. Chr. 1134.

minorem fratrem Rogerium postulat. Aginolfus Guidonis & Rogerii frater vir fuit Agnetis comitissæ [a], & pater alterius, forte tertiæ, Sophiæ [b] abbatissæ Prati-veteris, quique ad annum 1267. jam obierat. Marcualdus quartus frater filium Rogerium habebat anno 1245. ex Prati-veteris tabulario [c]. Qui Rogerius & alter Guido Guerra ex Lamio in selectis ad Leonem Urbetanum [d] vivebant anno 1248. & anno 1257. ex archivo Fontis-boni [e]. Rogerii filius Guido Silvaticus legitur in eodem archivo [f] ad annos 1273. 1274. 1276. Guidonem Silvaticum & Guidonem Guerram comites nominat ad annum 1265. Clemens papa IV. [g] qui communi Lucano anno 1266. proponit, ut suæ civitati Guidonem Guerram præficiant [h], cujus etiam fidelitatem laudat, excitans ipsum ut hostibus ecclesiæ resistat anno 1268. [i] quo pariter anno eumdem commendat regi Siciliæ [k]. Guido Silvaticus pater fuit Isabellæ uxoris Angeli filii Bernardini olim Bernardini de Monteclo ipsi desponsatæ [l] anno 1291. In vivis erat etiam ad annum 1314. [m] Guidonis Silvatici filius nominatur Rogerius comes de Dovadula [n] anno 1325. Alter filius Thaddæus [o] ad annum 1345. Rogerii de Dovadula filii Carolus, Franciscus, Ricciardus & Marcualdus comites de Dovadula [p] annis 1342. 1344. 1347. Sed Guidonis VII. filii Guidonis VI. & Gualdradæ genealogiam resumamus.

Vir fuit Guido VII. Johannæ comitissæ, pater autem Guidonis Novelli & Simonis. Supremum jam diem obierat anno 1239. ex instrumento, quod profert Soldanius [q]; Johanna vero ejus conjux vidua cum filiis suis in vivis erat etiam ad annum 1269. [r] De Guidone Novello & Simone videantur pariter monumenta apud eumdem Soldanium [s]. Dei & ecclesiæ inimicum appellat ad annum 1266. Clemens IV. Guidonem Novellum [t]. Simon anno 1263. Tegrimus comes de Mutiliana anno 1288. Guido Novellus anno 1289. fuere potestates Arretinorum, ex scriptoribus rerum Italicarum Muratorii [u] & ex archivo monasterii sanctæ Mariæ in Gradibus Arretii [x]. Guido Novellus facile pater fuit Guilielmi Novelli comitis, quocum anno 1298. permutavere castrum Soci cum oppido & plebe Balnei permittente Bonifacio papa VIII. eremitæ Camaldulenses [y]. Vivebat Guilielmus etiam ad annum 1321. [z] & Bonifacius Novellus comes, forte ipsius filius, ad annum 1340. [aa] ex chartis Fontis-boni. Alius ejus filius Galeotus, filius autem naturalis Bettus. Ex Galeoto Marcus, qui una cum Betto anno 1359. Florentinorum exercitu Biblenam obsidente, ingens sui damnum pertimescens, se suaque, castrum Soci, palatium, & villam Farnetæ Florentinæ reipublicæ tradidit, quæ Marco florenos auri 5200. & Betto 800. pro palatio reddi jussit [bb]. Marcus olim comitis Galeoti olim comitis Guilielmi dicti Novelli de Mutiliana, & Bettus olim Guilielmi leguntur etiam ad annum 1377. in paginis Camaldulensibus Fontis-boni [cc]. Guido Novellus de Balneo, Guido de Mutiliana, Guido de Romena, & Guido Silvaticus, qui omnes nominantur comites de Balneo [dd], ad annum 1276. sub sua protectione obtinuisse asseruntur eremum novam de plano Fajoli.

De Guidone Mutilianæ comite, & de Guidone comite Romenæ nonnulla asseramus, quandoquidem de Guidone Novello & de Guidone Silvatico eorumque posteritate alia excerpsimus. Guido de Mutiliana ex Tigrimo comite natus fuerat. Habentur literæ [ee] Innocentii papæ IV. Romani pontificis ad priorem Camaldulensem & ad Jacobum monachum, ut absolvant ab excommunicationis vinculo Tigrimum & ejus filium Guidonem de Mutiliana, qui ea innodati fuerant, eo quod episcopum Sarsinatem jussu Friderici II. imperatoris vi cepissent, & in ipsius potestatem rede-

a *Arch. Fontis-boni §. Donatio* 394.
b *§. Emptio* 301.
c *Num.* 29.
d *Pag.* 113.
e *§. Promissio* 77.
f *§. Sententia* 45. *Defensio &c.*
g *T. II. Anecd. Mart. col.* 216.
h *Ibid. col.* 318.
i *Ibid. col.* 613.
k *Ibid. col.* 629.
l *Matrimon. n.* 3. *Arch. Fontis-boni.*
m *Arch. Prati-v.* 93.
n *Ibid.* 109.
o *Ibid.* 190.
p *Arch. Fontis-boni §. Emptio* 83. *§. Privileg.* 3.
q *Hist. Passin. p.* 118.
r *Arch. Prati-vet.* 39.
s *Hist. Passin.* 122. 123.
t *T. II. Anecd. Martene.*
u *T. XXIV. c.* 855.
x *Num.* 229.
y *§. Brevia* 100.
z *§. Emphyteusis.*
aa *§. Testamentum* 7.
bb *Baroncin. in chron. Camald.*
cc *§. Emptio* 108.
dd *§. Defensio.*
ee *Brevia.*

redegissent. Guido anno 1277. [a] adhuc vivebat; pater fuit comitum Guicardi, Bandini, Gualterii, Rogerii & Tancredi. Tancredus pater [b] fuit Guidalberti, patruus autem Guidonis-francisci & Johannis filiorum comitis Bandini. Ceteros comites de Mutiliana, qui reperiuntur in tabulariis nostris, nominamus dumtaxat, Gualterium & Tigrimum ad annum 1300. [c] Henricum quondam comitis Tigrimi ad annum 1345. [d] Ricciardum & Domesticum ad annos 1332. & 1337. [e] Guidonem-antonium ad annum 1377. [f] Animadvertimus ad hos comites de Mutiliana spectare Marcum comitem olim comitis Galeoti olim comitis Guilielmi dicti Novelli de Mutiliana, & Bettum olim comitis Guilielmi, de quibus superius. Praeterea reperiuntur Pierus comes olim Alberti ad annum 1386. [g] Ricciardus & Guido-antonius quondam comitis Francisci ad annos 1388. & 1392. [h] Aloysius quoque vir Lisiæ comitissæ ad annum 1407. [i]

Quoad Guidonem de Romena, dictum etiam Pacem, pater [k] is fuit Aginolfi comitis, viri Idanæ comitissæ quondam Rogerii de Bagnacavallo. Aginolfus erat comes Thusciæ palatinus in castro Raginopoli anno 1291. [l] anno vero 1294. appellatur etiam comes de Romena [m], quo titulo sæpius effertur pariter apud historiarum scriptores Italiæ [n]. Vocatur quoque [o] dominus Raginopolis, Liernæ, Partinæ & Mojonæ. Pater fuit [p] Francisci abbatis sanctæ Mariæ de Pratalia, & Ildebrandini plebani sanctæ Mariæ de Partina [q], alterius ab Ildebrandino Guidio Arretino episcopo ad annum 1289. & demum Rogerii [r] comitis, cui in uxorem tradidit comitissam Agnetem filiam comitis Rogerii de Dovadula. Aginolfi fratres [s] ex eodem Guidone Pace fuere Rogerius, Petrus, Rossus, Ubertus & Guido. Anno 1340. [t] Aginolfus fato cesserat. Uberti filium Bandinum reperimus Romenæ comitem & filium olim comitis Uberti de Romena [u] ab anno 1327. ad annum 1368. qui matrimonio sibi junxerat Lisam olim Uberti de Pazzis, ex qua genuerat Nicolaum, Franciscum, Johannem, & Antonium-adultum, jus autem dicebat in Raginopoli. Comitis Nicolai olim domini comitis Bandini de Romena mentio fit in quodam ms. codice *de Cirugia* existente penes nos. Merlus etiam memoratur ad annum 1345. [x] comes de Romena pater Tessæ uxoris Griffuccii filii Bonini de la Stampa; Johannes autem ad annum 1393. [y] Antonius ad 1405. [z] Robertus comes olim Johannis comitis de Raginopoli ad annum 1418. [aa]

Quoad comites de Battifolle, præter Carolum filium Guidonis nominatum ad annum 1302. a Soldanio [bb], Ugo legitur in archivo Prati-veteris ad annum 1323. [cc] ad annum 1329. in illo Fontis-boni [dd] Guido comes & Simon ejus filius, & ad annum 1355. [ee] Robertus filius comitis Simonis, vir autem comitissæ Bartholomeæ, filiusque ipsis natus anno 1361. baptismi lavacro regeneratus a Jacobo abbate sancti Petri de Puteolis nomine Guidonis Senensis eremitæ inclusi. Ad annum 1372. [ff] Carolus comes de Battifolle; ad annum 1389. [gg] Guido quondam comitis Roberti (is qui baptizatus a Guidone Senensi eremita) & demum ab anno 1423. ad 1429. [hh] Franciscus filius ejusdem Roberti comes de Puppio. Hic Puppium anno 1440. Reipublicæ Florentinæ cessit. De eo Ambrosius noster multoties agit in suo Hodœporico [ii]. Postremum Roberti comitis de Battifolle mentio ingeritur in tabulario Fontis-boni ad annum 1444.

SED ex prolixo genealogico diverticulo ad res historicas nostras redeamus. Duplici lumine orbata fuit hoc anno catholica ecclesia in Italia, Johanne nimirum olim priore Camaldulense, tunc vero episcopo Ostiensi, & Matthæo ex monacho Cluniacensi, episcopo tunc Albanense, utroque S. R. E. cardinale, utroque Innocentii Romani pontificis, ejusque legiti-

mæ

ANN. CHR. 1134.

XXXVI. Obitus Joh. Ostiensis & Matthæi Albanensis cardinalium.

a §. *Privileg.* 60.
b §. *Mutilæ* 9.
c §. *Donatio P. II.* 2. *Arch. Prati-v.* 70.
d *Arch. Prati-vet.* 191.
e §. *Donatio* 25. *Emptio* 110.
f *Emptio* 144.
g §. *Permutatio* 14.
h §. *Emptio* 167. *Mutilæ* 11.
i §. *Donatio* 52.
k *Arch. Prati-veteris* 63.
l §. *Emptio* 457.
m §. *Finis* 19.
n *Murat. T. XXIV. c.* 862.
o §. *Investitura* 6.
p §. *Mandatum* 23.
q §. *Electio* 3.
r *Arch. Prati-v.* 105.
s §. *Defensio.*
t §. *Mandatum* 22.
u §. *Emptio* 55. 99. 103. 122.
x *Arch. Prati-veteris* 199.
y §. *Emptio* 176.
z §. *Permutatio.*
aa §. *Emptio* 206.
bb *Hist. Passim.* 219.
cc *Num.* 105.
dd §. *Notabilia* 18.
ee *Ibid.* 23.
ff §. *Emptio* 132.
gg *Arch. Prati-vet.* 223.
hh §. *Mandatum.*
ii *Pag.* 5. 12. 13. 62. *&c.*

Ann. Chr. 1134.

mæ electionis acerrimo defensore, utroque eo ipso anno defuncto, quo magnum alterum ecclesiæ lumen, & strenuissimus schismaticorum oppugnator ac ejusdem Romani pontificis insignis fautor Norbertus Magdeburgensis in suo archiepiscopatu diem postremum obiit. Qui præcessit, fuit Johannes, cujus tamen ad Deum transitus dies ignota nobis est, cum a die quarta junii anni antecedentis nulla supperant monumenta, in quibus appareat signatum illius nomen. Forte interfuit concilio Pisano hujus anni mense majo, pauloque post obiit, & verisimiliter Pisis decessit tumulatus in aliquo congregationis Camaldulensis ejusdem urbis monasterio, cum Innocentium varias sedes mutantem, & tunc Pisis moram trahentem ubique sequeretur. Sunt qui Johannem superiori anno obiisse autumant; verum cum mense dumtaxat decembri hujus anni suffectus fuerit episcopus Ostiensis in ejus locum Drogo, cum etiam ex mox dicendis Matthæus paulo post Johannem mortem oppetierit, qui certe Matthæus ad cœlos evolavit VIII. cal. januarii hujus definentis anni 1134. postquam Mediolanensi legatione una cum sancto Bernardo functus Pisas redierat, ubi tum æstivis caloribus in itinere pressus, tum mala valetudine affectus reliquum hujus anni semper infirmatus confecit, ad hunc annum referendus est utriusque cardinalis obitus, ut referunt etiam Auberius, & [a] Ludovicus Donius d'Attichy episcopus Æduensis. Quod autem nonnulli Matthæi mortem ad annum 1135. statuant, id intelligendum est vel de anno Pisano, vel de anno incœpto a die Nativitatis Dominicæ, qua die Matthæus obiit, ut mox dicimus; siquidem ad Deum transiit tempore Missæ matutinalis sollemnissimæ ejus diei.

[a] Flores T. I. p. 143.

De hoc postremo hæc refert Cluniacensis abbas Petrus venerabilis in libro II. de miraculis, quæ libenter adducimus, quia ad Camaldulensem historiam omnino pertinent. Sic ergo habet capite XVIII. qui inscribitur *de visione, quam vidit de ipso prior sancti Zenonis*, monasterii scilicet urbis Pisanæ: *Non multo vero ante dies prior monasterii sancti Zenonis, quod Pisis constitutum est, viderat in somnis eum, de quo agitur, habitu monachali indutum, eique puerum venustæ formæ, qui etiam regis filius dicebatur, adstare. Præferebat autem idem puer manibus librum aureis literis scriptum; quem cum aperuisset, venerabili illum Matthæo offerens, ut legeret, suadebat. Cumque ille responderet, quid sibi lucri de lectione illa proventurum esset? adjecit puer: Percipies, inquit, hujus libri lectione omnium linguarum notitiam. Qui postquam legit, interrogatus a puero Hebraica lingua, Hebraice respondit; sciscitatus & Græca, respondit eadem. Et puer: Sicut, inquit, in his duabus te peritum probasti, sic universarum diversitatem linguarum te noveris assecutum. Dixit hoc, & statim ei regale palatium, mirabili pulcherrimaque structura insigne, monstravit, & ut ingrederetur, præcepit. Cumque ille se, quia imparatus esset, ingredi non posse respondisset, adjecit puer: Vade, inquit, & ut ingredi possis, cito te parare festina. Cessit ille partem, & universis tam sacerdotalibus, quam pontificalibus indumentis se cito componens & ornans ad puerum statim reversus est. Cum quo & alios innumerabiles angelici decoris pueros inveniens, ad designatum palatium accessit, & omnibus læta ac sublimi voce cantantibus Alleluja, Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu, in illud ingressus est.* Et capite XIX. cui titulus: *de visione alterius fratris*, hæc subjungit: *Advenerat penultima adventus Domini hebdomada, & frater alius de alio sancti Michaelis monasterio, quod itidem Pisis est, conspexit similiter in somnis venerabilis vitæ Johannem prius Camaldulensem priorem, deinde episcopum Ostiensem, velut ad se venire. A quo cum quæsisset dicens, quo vadis domine?*

ille

ille respondit: Pisas venio, ut fratrem meum Albanum episcopum assumam, & numero nostrorum adjungam. Scias autem, quod octavo kalendarum januarii ad nos venturus, & nobiscum perpetuo mansurus est. Has visiones, immo ad meritum hominis declarandum revelationes, earum inspectores, sicut ante ejus obitum viderunt, sic & ante quibusdam, insuper illi, qui hæc mihi retulit, bono & fide digno viro retulerunt. Capite vero XXII. quod inscribitur: *Quomodo, quam sancte & gloriose natalis Domini die prima lucescente aurora de hoc mundo transierit*, ita prosequitur: *Jam vero ipsa natalis Domini vigilia* &c. *hoc ultimo verbo postquam cunctis sermonibus suis finem dedit, in lectum reclinatus, indeque post modicum ad cilicium cinere conspersum a fratribus translatus est* &c. *ubi & Matthæus a suis vel fratribus, vel discipulis collocatus horam vocationis suæ ultimam sustinuerat. Qua jam instante, dum noctis tenebræ in lucem verterentur, & a monachorum in eadem ecclesia constitutorum conventu ad secundam Missam cantaretur: Lux fulgebit hodie super nos, Matthæus vere monachus & pontifex* &c. *ad sempiternam lucem & vitam pervenit.* Demum capite XXII. ubi agit de exequiis ejus celeberrimis & tumulatione honorabili in basilica sancti Frigdiani, hæc scripta reliquit. *Fertur statim justi corpus a devotis viris in claustrum monachorum, & Cluniacensi more psalmodia undique decantatur. Abluitur, ut se habet communis mos, & secundum quod ipse jusserat, suo, quo numquam a monacho caruerat, cilicio prius, deinc monachali cuculla vestitur. Adduntur a fratribus sacerdotalia & pontificalia indumenta, & his sacerdos & pontifex Dei, ut dignum ornatur. Accurrit accepto nuncio & ipse summus pontifex Innocentius, atque cum eo episcoporum & cardinalium, totaque Romanæ ecclesiæ vel curiæ plenitudo. Congregatur pene tota urbs Pisana, & illud cernere, illi obsequi omnibus suis negotiationibus anteponunt*, &c. *Servatum est corpus venerabilis hominis toto illo die natalis Domini, & psalmis ac Deo fusis precibus frequentatum. Sequenti die* &c. *obtulit pro ejus æterna requie jamdictus papa Innocentius sollemne Deo sacrificium, & devote supernam pietatem pro pontificis laborum suorum comparticipis requie imploravit. Fecerunt idem & episcopi, qui forte tunc aderant, & simul omnes fusis Deo precibus euntem ad peregrina coepiscopum deduxerunt. Tandem circa horam diei sextam, præmissis omnibus Christianæ sepulturæ cæremoniis, astante insuper clero & populo civitatis pene universæ, in ecclesia sancti Frigdiani, olim Lucensis episcopi, quæ Pisis habetur, vir vita, morte famaque venerabili ad sepulcrum delatus ac tumulatus est. Septem deinde annis exactis, cum ad Urbem proficiscerer causa reformandæ pacis inter Pisanos & Lucenses, specialiter tamen ejus tractus pia recordatione, Pisas adii. Secunda dehinc adventus mei ad illam urbem die cum sociis ad carissimi mei sepulcrum accessi, ejusque sacros cineres, ut dignum erat, visitans & honorans, salutarem pro eo hostiam obtuli.* Hæc Petrus venerabilis. Sed illud maxime dolendum in hoc tunc nostro sancti Frigdiani monasterio nullum amplius extare sepulcri Matthæi vestigium, nullumque monumentum. Siquidem traditis bonis abbatiæ hujus a Cosimo I. magno Ethruriæ duce anno 1561. sacræ militari equitum sancti Stephani religioni, tradita subinde anno 1595. ecclesia cum cœnobio clericis regularibus Barnabitis, demum anno 1675. basilica tota conflagravit, nocte antecedente festum sancti Frigdiani. Albanensis episcopus electus fuit in Matthæi locum ab Innocentio Hugo Humolariensis abbas, quem ad annum 1136. ex nostris etiam proferendis chartis jam exceperat Albertus, sicut eodem anno adhuc Ostiensem ecclesiam regebat Drogo cardinalis, olim abbas sancti Johannis Laudunensis. Drogonem obiisse anno 1134.

auctor

Ann. Chr. 1134.

a T. I. pag. 538.
b P. I. Const. CLXI.

auctor est Ughellius, sed anno 1137. septimo idus februarii subscripsit privilegio Innocentii II. pro abbatia Placentina Columbæ apud Campium [a], eodem mense die vigesima-tertia indictione XV. anno VII. Innocentii II. subscripsit bullæ ejusdem Romani pontificis in favorem abbatiæ Perusinæ sancti Petri apud Margarinium [b], & ad annum 1138. superfuisse demonstrat Mabillonius. Drogoni autem eo anno suffectus fuit Albericus, prius Vizeliacensis abbas; quare omnino expungendus est ex albo episcoporum Ostiensium fictitius ille Petrus, quem Ciacconius anno 1130. vixisse, Ughellius vero anno 1134. Drogoni successisse affirmant. Anno enim 1130. usque ad 1134. Ostiensis episcopus erat noster Johannes; anno autem 1134. & sequentibus Drogo, unde nullus Petro locus superest.

XXXVII. Hospitale de Arcena confirmatur Camaldulensibus a Bujano ep. Arretino.

Edimus ex tabulario Fontis-boni concessionem seu potius confirmationem factam hoc *anno centesimo trigesimo quarto post mille, mense septembris indictione* XII. a Bujano Arretino episcopo eremo Camaldulensi & Azoni ejus priori hospitii sive hospitalis de Arcená, quod Albertinus filius quondam Aritii, qui possidebat ab ecclesia sancti Donati, obtulerat eidem eremo. Subscribit post Bujanum vicedominus ecclesiæ Arretinæ. Ipse tamen episcopus Bujanus hoc eodem anno mensibus aprili vel majo depositus fuerat una cum aliis præsulibus ab episcopatu Arretino in concilio Pisano, facile quia adhærebat partibus Anacleti II. antipapæ, vel quia Conrado invasori regni Italiæ favebat; quod postremum verisimilius, cum in donationum paginis superioribus annis scriptis a Bujano pro eremo Camaldulensi semper nomen appositum fuerit Innocentii papæ, vel dicendum etiam brevi reconciliatum ipsum fuisse cum ecclesia Romana, & ante mensem septembrem hujus anni; non enim ab episcopo schismatico donationem recepissent Camaldulenses, qui Innocentio II. & ecclesiæ Romanæ addictissimam subjectionem profitebantur.

Ipso *anno millesimo centesimo trigesimo quarto* III. *calenda februarii* Ludovico abbati sancti Michaelis in burgo Pisarum terras positas in finibus Mezzana a Bernardo abbate monasterii sancti Angeli de Verruca ejusdem Pisanæ diœcesis venditas legimus in tabulario præfati cœnobii sancti Michaelis.

XXXVIII. Monasterium Sextense traditum Padolirensibus.

Monasterium Sextense hucusque sub disciplina prioris & eremi Camaldulensis perstiterat; verum cum abundante iniquitate multorum, & hominum malitia inolescente, locus in temporalibus & spiritualibus esset valde attritus, Innocentius Romanus pontifex Henrico abbati sancti Benedicti supra Padum ejusque successoribus monasterium prædictum reformandum tradidit, dolens Sextense cœnobium, quod in vera religione & possessionum temporalium abundantia priscis temporibus effloruerat, desolatum nunc jacere. Monasterii igitur ipsius magisterium Henrico abbati commisit, volens ut ad ejus reparationem sollicite intenderet, ac provisione & consilio suo ejusque successorum abbas promovendus ad regimen præfati cœnobii deinceps eligeretur; novitii vero ejusdem monasterii ab abbate Sextense ad beati Benedicti monasterium transmitterentur infra annum, & vice eorum de claustro sancti Benedicti alii monachi assumerentur in Sextense cœnobium. Imposuit autem Henrico abbati obligationem persolutionis trium Bisantiorum quotannis faciendæ, in signum, quod eadem ecclesia apostolicæ sedis juris existeret. *Datum Pisis per manum Aimerici S. R. E. diaconi cardinalis & cancellarii* V. *idus junii indictione* XII. *incarnationis Dominice anno* M.C.XXXV. *pontificatus domini Innocentii pape* II. *anno quinto*. Usurpatur in hoc Innocentii privilegio annus Pisanus, qui more Romano erat 1134. Subscribit ipse Innocentius & Ubertus

tus Pisanæ ecclesiæ archiepiscopus. Ante Ubertum vero Willelmus Prænestinus, & post Willelmum Matthæus episcopus Albanensis, qui legitur & in alio privilegio ejusdem Innocentii pro ecclesia sancti Cæsarii ea ipsa die apud [a] Muratorium. Quare Matthæi legatio una cum sancto Bernardo hoc anno ad Mediolanenses differenda est post diem nonam junii, & consequenter ejus infirmitas post mensem julium, ut itineri Mediolanum versus, moræ in ea urbe & reditui Pisas locus esse possit. Post cardinales episcopos subscribunt Anselmus presbyter sancti Laurentii in Lucina, Lictifredus tituli Vestinæ seu sancti Vitalis, qui Gothifredus etiam & Hugo appellatur, quique a Calixto electus primum adhæsit Anacleto, mox eo relicto ad Innocentium conversus est, Martinus pariter sancti Stephani in monte Cœlio, Romanus sanctæ Mariæ in Porticu creatus a Paschale II. Oddo sancti Georgii in Velabro, Guido diaconus sancti Adriani, alter Guido *indignus sacerdos*, & Lucas sanctorum Johannis & Pauli. Exemplum Innocentianæ bullæ amandamus ad Appendicem ex authentico archivi sanctorum Bartholomæi & Pontiani de Luca, ex quo etiam intelligimus anno 1136. III. kalendas januarii indictione XIV. abbatem ejusdem Sextensis monasterii fuisse Mainfredum, qui ea die a Bonfilio plebano sancti Johannis & sanctæ Mariæ de loco Compito recepit solidos quadringentos nomine census pro liberandis quibusdam terris oppigneratis ab abbate Anselmo. Anselmus abbas fuit Sextensis ante Rodulphum, cujus memoria extat ad annum 1131. & Rodulpho successit Mainfredus promotus ad monasterii regimen ab Henrico abbate Padolirense juxta Innocentianum præceptum.

a T. V. col. 261.

XXXIX. De Fulcone marchione Estensi.

FULCO marchio Estensis *anno millesimo centesimo trigesimo quarto* VIII. *cal. augusti indictione* XII. ad liberanda aliquot bona ecclesiæ sancti Salvatoris ad Fractam in territorio Patavino, quæ in feudum concessa fuerant cuidam Azoni filio Ubaldi, permutavit cum eodem Azone alia bona; Azo vero *cum breve*, hoc est cum pagina hujus commutationis, *super altare in presentia fratrum dicte ecclesie*, refutavit priora bona sub pœna centum librarum denariorum Veronensium persolvendarum in camera marchionis. Muratorius [b], qui refutationis hujusce paginam edidit ex autographo tabularii sancti Benedicti de Padolirone, conjecit ad Fulconem I. hujus nominis referendam esse chartam hanc, ipsumque proinde ad hunc annum vitam produxisse credidit. Nil tamen vetat, quin potuerit esse Fulco II. marchio filius Fulconis I. quandoquidem Fulco senior quinque suscepit filios, Bonifacium, Fulconem, Albertum, Obizonem & Azonem. In necrologio veteri monasterii Carcerum, nulla tamen apposita nota anni, ad diem XIV. decembris legitur: *Obiit Fulco marchio & ejus filius Fulcolinus*. In alio vero necrologio ad calcem codicis num. 927. bibliothecæ Chisianæ, cui titulus: *Codex Palatinus continens historiam Langobardorum Pauli diaconi*, quique pertinuit olim ad abbatiam sanctissimæ Trinitatis Veronæ, apponitur annus mortis, & legitur: *Anno* M.C.XXVIII. *Fulco marchio obiit* XVII. *kl. januarii*, quæ facile fuit depositionis dies, ut concilietur auctoritas utriusque necrologii. Quare documentum præfatum ad Fulconem II. dictum etiam Fulcolinum attenta necrologii auctoritate spectat; ex quo documento etiam intelligimus ecclesiam sancti Salvatoris ad Fractam, cujus antiquiores origines aperuimus ad annum 1100. plures adhuc presbyteros seu fratres aluisse, quos postea monasterio sanctæ Mariæ de Carceribus se subjecisse videbimus. Haud est inverisimile etiam fratres seu presbyteros ecclesiæ sancti Salvatoris ad Fractam sectatos tunc fuisse regulam Portuensem, quam sectabantur canonici loci de Carceribus.

b *Antich. Esten. P. I. pag.* 320.

Ann. Chr. 1135.

XL. Bulla Innocentii II. pro monachis Silvæ-mundanis.

a *Pag.* 209.

CUM Pisis adhuc moraretur Innocentius, hoc anno *auctoritate apostolica*, ut legitur [a] in veteribus summariis Fontis-boni, *confirmavit licentiam concessam a predecessore suo Leone papa* IX. *fratribus Silve-munde edificandi suum monasterium ad tute vivendum, & possidendi auctoritate sua donationes, oblationes tam pro vivis, quam defunctis, & habendi suarum rerum decimationes ex dono apostolice sedis, deserendo monasterium primum, quod a nobili viro Griffo constructum dicitur, in comitatu Arretino, & pro ejusdem devotione fundatum, cui quamdam filiam suam prefecit religionis intuitu, & sanctimoniales feminas ei junxit; quod quidem monasterium filie sue inhonestate permotus auferens ad virorum officium permutavit & libertate donavit. Exortis autem guerris inter filium predicti Griffi & ejus nepotes, fratres dicti loci coacti sunt primum monasterium deserere, & fabricare novum secundum licentiam summi pontificis impetratam, quam Innocentius papa auctoritate Dei firmavit, & perpetuo observari precepit. Subscripserunt omnes cardinales. Datum Pisis anno Domini* M.C.XXXV. *quinto kalendas junii pontificatus ejus anno sexto.* De Silvæ-mundano cœnobio primum egimus ad annum 999.

XLI. Venditio facta a Gerardo abb. Morronensi Uberto archiep. Pisano.

EODEM *anno millesimo centesimo trigesimo sexto*, more Pisano *quarto kalendas aprilis, indictione tertiadecima*, Gerardus abbas monasterii sanctæ Mariæ de Morrona cum cœnobium suum agnosceret gravatum esse onere æris alieni, neque aliunde haberet, unde debitum persolveret, quasi loco commutationis vendidit & tradidit Uberto archiepiscopo Pisanæ ecclesiæ integram medietatem de tribus partibus podii, castelli & curtis de Api seu de Vivario, & castelli de Morrona, exceptis terris illis, quæ ad suum monasterium pertinebant ante oblationem Ugonis comitis, de qua loquuti sumus ad annum 1109. Accepit autem in pretium a Pisano archiepiscopo quingentos solidos. *Actum apud ad canonicam & majorem ecclesiam archiepiscopatus sancte Marie.* Chartam, quam ex tabulario archiepiscopali Pisanæ ecclesiæ edidit Muratorius, recudimus in Appendice. Conradus II. Romanorum rex in privilegio, quod affert Ughellius [b], concesso anno 1138. indictione prima Balduino archiepiscopo Pisano, ratum habuit contractum hunc dicens: *Confirmamus etiam contractum habitum inter predecessorem tuum Ubertum & abbatem de Morrona, scilicet de Morrona & Vivario & eorum pertinentiis.* Similia habet Fridericus I. imperator in alio diplomate anno M.C.LXXVIII. indictione undecima ad favorem Ubaldi archiepiscopi itidem Pisani. Cum in præcepto Innocentii II. pro monasterio Sextensi, quod retulimus anno antecedenti, & in mox relato Morronensi contractu Ubertus sola dignitate archiepiscopatus Pisani decoretur, neque insuper cardinalitio honore auctus efferatur, jam fit exploratum eos errare, qui ipsum S. R. E. cardinalem fuisse affirmant presbyterum tituli sancti Clementis, præsertim cum is titulus ab altero obtineretur eo tempore, quo ipsum obtinuisse dicitur Ubertus.

b *T. III. coll.* 391. & 412.

XLII. Chartæ Faventinæ.

CHARTAM aliam ex archivo monasterii sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia subjungimus, qua novimus hoc *anno* M. C. XXXV. *die quintadecima mensis maji indictione decimatertia* Petrum priorem ecclesiæ sancti Martini in Podio promisisse Johanni abbati sanctorum Hippolyti & Laurentii nullam se amplius molestiam illaturum præfato abbati ejusque successoribus propter terram illam, quam prædictus prior jure emphyteutico acceperat a dicto monasterio Faventino in Filiula, & propter fundum & ecclesiam ejusdem fundi in eo loco. Ecclesia sanctæ Mariæ de Filiula inter subjectas monasterio sanctorum Hippolyti & Laurentii legitur in privilegio Alexandri III. concesso eidem cœnobio anno 1181. ecclesia

vero

ANN. CHR. 1135.

vero & monasterium sancti Martini in Podio post seculum a Gualterio episcopo Faventino anno 1254. tradita fuere parthenoni sanctæ Mariæ de Virginibus Clarissarum Faventiæ, cum occasione bellorum inter cives Faventinos, & obsidionis factæ a Friderico II. imperatore essent destructa, quasi deserta, & ecclesiasticis usibus pene desolata, ut liquet ex literis ejusdem episcopi, & ex confirmatione apostolica Innocentii papæ IV. apud Wadingum [a]. Idem Johannes abbas erat monasterii sanctorum Hippolyti & Laurentii *anno millesimo centesimo trigesimo septimo regnante Lothario imperatore anno* IIII. *die* III. *mensis julii indictione* XV. [b] ex pagina emphyteutica, cui subscribunt Gerardus, Ugo, Guido & alter Guido monachi; erat *anno* pariter M. C. XXXVIIII. *tempore Innocentii pape die* XXIII. *mensis septembris indictione* II. *finita*, *&* III. *incipiente* [c] ex alia pagina scripta *a Petro scriba & indigno monacho ejusdem monasterii*. Erat & *anno* M. C. XXXXIII. *regnante Conrado Romanorum rege die* XXVII. *mensis junii indictione* VI. [d] ex tertia charta. Sub Johanne facile monasterium hocce ad annum 1146. recepit disciplinam Camaldulensis congregationis, ut ad eum annum dicemus.

a *T. III. pag.* 525.

b *Num.* XXXIII.

c *Num.* lxxxv.

d *Num.* XVI.


XLIII. De ecclesia S. Hilari & S. Sepulcri prope urbem Arretinam.


HOSPITIUM-DEI situm in Fonte-bono nominatur in charta donationis terrarum factæ præfato loco hoc anno a Rigitto olim Guilielmi apud Baroncinium [e] in suis excerptis. Hospitale scilicet hoc erat prope Fontis-boni cœnobium ædificatum, in quo recipiebantur peregrini & pauperes ex omni loco quotidie adventantes, ut maxima religione & pietate etiam ad hodiernam diem in eo sacro loco recipiuntur.

e §. *Donatio* 151. *A.* 11. 21.

Rainerius abbas sancti Salvatoris in Silva-munda, idem, qui hoc anno ab Innocentio II. copiam obtinuerat alibi transferendi monasterium suum positum in diœcesi Arretina, ab Homodeo Petri & a Rollandino ejus filio, licentiam habentibus ab Aimerico, Aldobrandino, Gerardino, Guidone, Sophia & Raki dono recipit ecclesiam sancti Hilari, & sancti Sepulcri in eadem ecclesia positi, non longe a civitate Arretina juxta castrum de Pulia, jus patronatu, quod in eam ecclesiam ejusque cœmeterium obtinebant, cedentibus iisdem Martino presbytero pro Rainerio abbate recipienti, chartamque conficientibus per manum Wilielmi notarii. Monumentum extat [f] in tabulario sanctimonialium Prati-veteris, quibus a Hieronymo episcopo Arretino post quatuordecim annos eadem ecclesia sancti Hilari & sancti Sepulcri fuit donata.

f *Num.* 3.





ANNALES CAMALDULENSES

LIBER VIGESIMUS-OCTAVUS.

Ab anno CHRISTI M. C. XXXVI. *ad annum* M. C. XLIII.

ANN. CHR. 1136.

I. Innocentius II. pp. privilegio suo confirmat Camaldulensia monasteria.



ZONI Camaldulensi priori ejusque eremo insigne privilegium concessit hoc anno Innocentius papa II. confirmans omnia ipsius bona & monasteria. Inter cœnobia subjecta regimini Camaldulensis eremi, quæ non leguntur in præteritorum Romanorum pontificum bullis, hæc recensentur: In episcopatu Castellano abbatia de Zano salvo jure Castellanæ ecclesiæ. Ipsa est abbatia Decianensis tradita Camaldulensibus anno 1133. & cujus origines primum delibavimus sub anno 1080. In civitate Pisana monasterium sancti Zenonis, salvo per omnia jure Romanæ ecclesiæ. Villa de Montione, *quam emistis*, inquit, *ab abbate sancte Flore*, *& ecclesia ejusdem ville*. Villa de Modiona, *quam emistis ab Henrico preposito*, *& reliquis canonicis*, *sicut in vestris chartulis continetur*, *& ecclesia ejusdem ville cum decimatione*. De ea egimus anno 1130. Decimationes quoque villæ de Largniano, & villæ Agnæ, & ecclesia ejusdem villæ. Subscribit ipse Innocentius, & post Guillielmum Prænestinum episcopum, Maurus episcopus Arretinus, qui successerat Bujano vel deposito, vel defuncto, deinde & undecim alii cardinales, partim presbyteri, partim diaconi, nimirum Anselmus sancti Laurentii in Lucina, Lictifredus Vestinæ, Lucas sanctorum Johannis & Pauli, Guido *indignus sacerdos*, Azo presbyter sanctæ Anastasiæ ex Placentino præposito ecclesiæ collegialis sancti Antonini ab Innocentio II. in S. R. E. cardinalium numero cooptatus, de quo defuncto hæc idem Romanus pontifex scribit: *De morte quidem carissimi filii nostri Azonis presbyteri cardinalis præpositi vestri tanto amplius condolemus*, *quanto magis personam ejus amabamus*, *atque in ejus obitu majora S.R.E. & nobis obsequia subtracta sunt* &c. Gregorius diaconus sanctorum Sergii & Bacchi, Guido sancti Adriani, Lucius Boethius diaconus sanctorum Viti & Modesti monachus Vallumbrosanus. Vassallus diaconus sancti Eustachii, Hubaldus diaconus sanctæ Mariæ in via lata, Chrysogonus diaconus sanctæ Mariæ in Porticu Gallus, magnaque amicitia con-

conjunctus cum sancto Claræ-vallense abbate Bernardo, quem ad suos Claræ-vallenses scribens *fratrem uterinum* vocat. Hi omnes cardinales creati fuerant ab eodem Innocentio. Privilegium *datum est Pisis per manum Aimerici S. R. E. diaconi cardinalis & cancellarii* X. *kalendas maji indictione* XIIII. *incarnationis Dominice anno* M. C. XXXVII. stilo scilicet Pisano, *pontificatus domni Innocentii pape* II. *anno* VII. Chartam edimus ex authentico exemplo archivi sancti Blasii de Fabriano.

ANN. CHR. 1136.

II. Camaldulensis eremi privilegia rata habet Maurus ep. Arretinus.

INSUPER ex illo Fontis-boni producimus privilegium Mauri Arretini episcopi confirmantis eidem Azoni Camaldulensi priori omnia beneficia & privilegia antecessorum Arretinæ urbis episcoporum, quos nominat, Theodaldi scilicet, Immonis, Constantini, Gualterii, Guidonis & Bujani. Qui insuper concessit eidem eremo, quidquid juris habebat ipse episcopus in capellam, quæ erat in castro Anglaris, & in capellam Montis-aurei, & in capellam Viarii, & in capellam Montionis, & in capellam Mojonæ, & in omnes ecclesias, quas obtinebat in toto episcopatu Arretino, salvo jure synodi & paratæ & capituli. Subscripserunt post Maurum episcopum Ugo Arretinæ ecclesiæ præpositus & primicerius, Homodei canonicus sancti Donati, Gerardus plebanus sanctæ Mariæ in Gradibus, & frater Sichelmus camerarius. Datum in suburbio civitatis Arretinæ juxta ecclesiam sanctæ Mariæ *anno millesimo centesimo trigesimo septimo mense septembri, regnante Lothario indictione* XIIII. Indictio hæc declarat privilegium Mauri datum fuisse præsenti anno, usurpatumque ab ipso esse annum Pisanum. Pendet adhuc sigillum, circa quod hæc verba leguntur:

Præsulis est signum Donati martyris almi
Cælatum Mauri mandato tempore fratris.

Alia ipsius episcopi Mauri donatio facta Johanni monacho vice ejusdem Azonis prioris recipienti anno M.C.XXXIX. & die XIV. martii legitur [a] in excerptis Baroncinii. Ex superiori privilegio emendandus est [b] Ughellius, qui Bujanum ejus antecessorem decessisse scribit anno 1138. cujusque coadjutorem facit Maurum cum futura spe successionis, quæ unde hauserit, ignoramus. Certe, nisi obiit ante hunc annum Bujanus, desiit esse episcopus Arretinus, & Maurus in ipsius locum non tamquam coadjutor, sed ut verus & unicus episcopus fuit suffectus.

a §. *Mutilæ n.* 18.
b *T. I. col.* 418.

III. De monasterio S. Zenonis Pisarum & de Bernardo abbate.

CUM in privilegio primum relato Innocentii II. nominetur monasterium sancti Zenonis in urbe Pisana, quod recensitum non legitur inter Camaldulensia monasteria ab Henrico V. imperatore in præcepto anni 1111. neque a Paschale II. in bulla anni 1113. neque in altera anni 1125. ab Honorio II. dicendum post hos annos cœnobium illud juxta disciplinam eremi Camaldulensibus reformandum traditum fuisse. Quo præcise anno non liquet; non longe tamen a præsenti. Quis pariter per hæc tempora abbas esset ejusdem monasterii, concordes non sunt tam auctores Pisani, quam ceteri scriptores de Zenoniano cœnobio tractantes. Constantinus Cajetanus abbas sancti Baronti & doctissimus scriptor congregationis Casinensis in fusissimis notis, quas subjecit vitæ Gelasii II. confectæ a Pandulpho Pisano, quæque integræ recusæ sunt [c] apud Muratorium in vitis Romanorum pontificum, hæc de Petro vel de Bernardo, qui postea Romanus pontifex electus fuit sub nomine Eugenii III. scripta reliquit. „ Eugenius ejus nominis papa III. Petrus Bernardus Paganellus antea vo„ catus, Johanne patre, ex dominis Montis-magni Pisis ad v. mill. pas„ distantis oppidi (ut nos ex reip. Pisanæ atque ecclesiæ illius annalibus, „ aliisque ejus temporis monumentis observavimus) non obscuris (ut

c *Script. rer. Italic. T. III. pag.* 409.

per-

ANN. CHR. 1136.

„ perperam recentiores affirmant) natalibus , sed ex primaria ejusdem „ reip. nobilitate; immo non solum patre, verum etiam Maria Cajetana „ matre exortus; qui ex archipresbytero, vel juxta alios vice-domino ec„ clesiæ Pisanæ, Benedictinus monachus cœnobii Claræ-vallensis in Francia „ sub disciplina sancti Bernardi abbatis effectus , cum prius diceretur Pe„ trus, in monachatu etiam Bernardus, a magni magistri nomine dictus, „ ac non longe post ab eodem Bernardo Pisano monasterio sancti Zenonis, „ indeque ab Innocentio papa II. monasterio Trium-fontium prope Ro„ mam præfectus, eidem (nempe Lucio II.) in pontificatu successit an„ no Christi 1145. " Ughellius, qui hanc Cajetani notam profecto legerat, non alia ratione exturbat e numero abbatum monasterii sancti Zenonis Pisarum Petrum seu Bernardum, inde Eugenium III. nisi quia cœnobium hocce unquam ad Cistercienses pertinuit. „ Sunt nonnulli [a], inquit, „ qui asserant Eugenium III. papam Zenoniano illi monasterio abbatem „ præfectum, antequam abbas sanctorum Vincentii & Anastasii ad Aquas„ salvias, vulgo Trium-fontium, Romæ crearetur. Verum ego , evolutis „ mei ordinis monumentis , numquam reperi id cœnobium Cisterciensi „ familiæ obnoxium extitisse , ac tamquam certissimum ad nos superio„ rum temporum transfudit memoria Eugenium monasticum apud Cla„ ram-vallem habitum induisse, divi Bernardi disciplina excultum, ab eo „ Romam, ut Trium-fontium abbas esset, missum ; ex quo illustre est , „ quam gratis auctor effuderit, qui suas vitæ Gelasii II. notas adjecit. " Utrumque scriptorem tam Cajetanum , quam Ughellium emendat simul & illustrat Orlendius [b] in suo opere, cui titulus: *Orbis sacer & prophanus*, hæc dicens: „ Peperit insuper Pisana civitas viros suprema dignitate „ ac doctrinæ gloria eximios ; in iis fuit Eugenius III. Romanus ponti„ fex, Petrus Bernardus, Paganellus antea vocatus *&c.* sicuti ex ejusdem „ reip. & Pisanæ ecclesiæ annalibus aliisque monumentis narrat abbas Con„ stantinus Cajetanus commentario in vitam Gelasii II. pag. 116. Ta„ metsi in eo narret, quod eum ex vice-domino ecclesiæ Pisanæ Benedi„ ctinum monachum cœnobii Claræ-vallensis in Gallia sub disciplina san„ cti Bernardi abbatis, ac non longe post abbatem monasterio sancti Ze„ nonis ab eodem divo Bernardo præfectum tradat. Hunc enim Constan„ tini Cajetani lapsum antea emendavimus, cum scilicet ostendimus Eu„ genium, ex vice-domino basilicæ Pisanæ, primum Camaldulensem mo„ nachum in monasterio sancti Zenonis professum , ejusdemque postea ab„ batem electum , dein divi Bernardi arctiorem disciplinam monasticam „ amplexum. " Emendatio hæc Orlendii habetur ad pag. 983. ubi etiam scribit: „ Nobile præ ceteris extitit monasterium sancti Zenonis , illustre quondam domicilium plurium monachorum Camaldulensium, cui aliquan„ do præfuit abbas Petrus Bernardus Paganellus , postea Eugenius III. „ summus pontifex . Fallitur autem Constantinus Cajetanus *&c.* eum a „ divo Bernardo abbate Claræ-vallensi Pisano monasterio sancti Zenonis „ præfectum: siquidem priusquam apud Claram-vallem in Galliis ejusdem „ sancti Bernardi institutum amplexus esset, jam Pisis ex vicedomino ec„ clesiæ primatialis monachus effectus Camaldulensis , in cœnobio sancti „ Zenonis professionem emiserat , quæ adhuc extat in archivo prædicti „ monasterii sancti Michaelis (Pisarum) : ubi cum eximia virtutis lau„ de floreret, abbas a suis monachis Camaldulensibus electus fuit . Post„ modum vero Pisas divo Bernardo adventante austeriore ejusdem vitæ „ ratione delectatus , cum ipso in Gallias profectus in cœnobio Claræ„ vallensi novæ illi congregationi monachorum aggregari voluit , indeque

„ ab

a T. III. col. 365.

b Par. II. vol. II. pag. 998.

„ ab Innocentio papa II. monasterio sanctorum Vincentii & Anastasii, „ alias Trium-fontium, prope Romam abbas præfectus, tandem Roma„ nus pontifex creatus. Corrigendus idcirco Ughellus, dum Tom. III. „ col. 418. negat Eugenium III. sancti Zenonis monasterio abbatem præ„ fectum, antequam abbas sanctorum Vincentii & Anastasii ad Aquas„ salvias, seu Trium-fontium, Romæ crearetur; propterea quod num„ quam in sui ordinis monumentis reperit cœnobium illud sancti Zenonis „ Cisterciensi familiæ obnoxium fuisse. Ita plane numquam Cisterciensi „ congregationi fuit obnoxium, bene tamen ad Camaldulenses spectavit, „ quorum ordinem Eugenius professus fuerat, eidemque præsederat mo„ nasterio, antequam ad Claram-vallem in Galliis divi Bernardi severio„ rem disciplinam elegisset. "

Post horum scriptorum opiniones, ut etiam nos certa ab incertis secernamus, animadvertimus exploratum esse imprimis Eugenium III. vice dominum fuisse ecclesiæ Pisanæ. Id affirmat Ernaldus in vita sancti Bernardi: *Dato tempore* [a], inquit, *Innocentius monasterium apud Aquas-salvias in sancti Anastasii martyris honore constituit. Constructis itaque cœnobialibus mansionibus a Clara-valle abbatem & conventum fratrum sibi mitti dominus papa petiit, & obtinuit. Mittitur ergo Bernardus Pisanæ olim ecclesiæ vicedominus, & religiosi cum eo fratres, qui secundum beati Benedicti regulam in eodem loco Domino deservirent.* Immo hujus vice-dominatus Bernardi testis omni exceptione major est ipse Claræ-vallensis abbas Bernardus qui in epistola [b] *ad omnem curiam Romanam, quando elegerunt abbatem sancti Anastasii in papam Eugenium*, hæc habet: *Num qui in una ecclesia non sustinuit vice-dominatum, dominatum in omni ecclesia requirebat?* Etiam in vita [c] sancti Raynerii Pisani scripta a Benincasa legitur, quod inter cetera, quæ Pisani visitantes sanctum sepulcrum Domini retulerunt Raynerio fuit, *quoniam qui fuerat olim Pisani archiepiscopatus Vice-dominus, fungebatur generalis cathedræ honore papatus.* Secundo loco Bernardi Pisani missio ad incolendum monasterium Trium-fontium omnium historicorum ore contigit anno 1138. Nunc vero explorandum, quibus annis vice-dominatum ecclesiæ Pisanæ exercuerit idem Bernardus. In chartis tabularii archiepiscopatus Pisani ad annum 1095. Ubertum reperimus vice-dominum ecclesiæ Pisanæ; ad annum 1115. Gerardum Romanæ sedis & Pisanæ strenuissimum camerarium; ab anno 1116. usque ad annum 1127. legitur nomen Gratiani subdiaconi & vice-domini. Sub annis tantum 1135. & 1137. in duabus chartulis nomen apponitur Bernardi vice-domini ecclesiæ Pisanæ. Si Bernardus postremis duobus annis nominatus Pisanus vice-dominus is est, qui ad reformandum monasterium sanctorum Vincentii & Anastasii ad Aquas-salvias Innocentio II. jubente, a sancto Bernardo Claræ-vallense abbate fuit transmissus anno 1138. vix invenitur tempus, quo potuerit dimisso vice-dominatu transire in Gallias sub regimine ejusdem sancti abbatis, cum hæc missio, ut mox diximus, differri nequeat serius anno 1138. multo minus tempus supererit, quo potuerit ante transitum in Gallias præesse quoque monasterio Pisano sancti Zenonis. Vel ergo alius requirendus est Bernardus vice-dominus Pisanus, qui ante eos annos eam dignitatem obtinuerit, & sic potuerit Zenoniano cœnobio prius præfici, inde a sancto Bernardo in Gallias duci; vel si alius Bernardus in censu vice-dominorum Pisanorum non suppetit, probabilius is Bernardus, qui magis cognitus est, expungendus erit a syllabo abbatum sancti Zenonis, cum tempus non inveniatur, quo præesse potuerit huic monasterio. Rursus in monumentis pertinentibus ad monasterium sancti Zenonis, Petrus abbas

a Lib. II. cap. 7.

b CCXXXIII.

c Num. 56. ap. Boll. T. III. Junii pag. 437.

Ann. Chr. 1136.

abbas ejus monasterii legitur ad annum 1115. Dominicus autem ad annum 1124. iterum alius Petrus ad annum 1128. ut ad eos annos chartis in medium productis demonstravimus. Nec illud dissimulandum, reperiri ad annum 1115. inter monachos Zenonianos subscribentes donationi monasterii Plajani, quam eidem cœnobio sancti Zenonis fecerunt canonici Pisani: *Ego Bernardus clericus & monachus ss. Ego Petrus clericus & monachus ss.* Pariter ad annum 1128. in libello quodam venditionis legi: *Ego Bernardus prior sancti Zenonis in hac chartula ss.* Qui Bernardus prior is facile fuerit, qui post sex annos visionem habuit in somnis circa Matthæum cardinalem Albanensem relatam a nobis anno 1134. ex narrationibus Petri venerabilis abbatis Cluniacensis. Quæ consulto adjicimus, quia plures ejus sententiæ fuere, Eugenium III. Petrum fuisse in minoribus nominatum, tam cum vice-dominatum Pisanum obtinebat, quam cum monachus erat vel abbas Zenonianus, Bernardi vero nomen tunc primum assumpsisse, cum sanctum Bernardum Pisis Claram-vallem redeuntem fuit comitatus & secutus, ejusque se disciplinæ subjecit, quem insuper putant fuisse ex Paganella nobili Pisana gente prognatum. Quæ opinio si admittatur, non amplius requirendus erit in ecclesia Pisana vice-dominus & abbas Zenonianus Bernardus, sed Petrus, & Petrum duplicem ad annos 1115. & 1128. in catalogo abbatum monasterii sancti Zenonis reperiri fatebimur, qui potuerit post dimissum vice-dominatum, prius Zenonianum cœnobium regere, inde dimissa etiam abbatia, sanctum Bernardum sequi in Gallias, ejusque disciplinam profiteri, postremo in Italiam denuo mitti ad monasterium Trium-fontium ordinandum. Quidquid sit, nisi dum in minoribus erat constitutus, fuit Eugenius monachus & abbas Zenonianus, Camaldulensis certe congregationis insignem benefactorem ob amplissima ipsi privilegia concessa in decursu horum Annalium videbimus.

IV. Aliud Innocentii privilegium pro abbatia Balneensi.

Apud Balneum in finibus Thusciæ & Æmiliæ archipresbyteralis erat ecclesia constituta sub titulo sanctæ Mariæ, in qua canonici regulares degebant, quæ sub finem seculi sequentis ad monasterium redacta commissa fuit regenda eremo Camaldulensi. Conquestus fuerat proximis his temporibus apud apostolicam sedem Johannes, qui archipresbyter ibi degebat, multas pressuras & injurias irrogatas fuisse eidem suæ Balneensi ecclesiæ ab abbate monasterii nostri sanctæ Mariæ de Trivio, qui jus sibi usurpabat in duodecim capellas, & decimas, ac oblationes tam vivorum, quam mortuorum, reliquumque parochiale jus ecclesiæ Balneensi violenter auferebat. Direxerat Innocentius papa II. ad quem hujusmodi expostulationes delatæ, nuntium suum ad eamdem Balneensem ecclesiam, qui negotium inquireret, & tam archipresbyterum, quam abbatem Triviensem ad kalendas majas pro causa agenda evocaret. Abbas Triviensis in causæ suæ favorem produxerat Paschalis II. privilegium, quod tamen falsatum fuit deprehensum. Quare hoc anno idem Innocentius animadvertens sacrorum canonum auctoritate definitum esse capellas quasque suis debere plebibus subjacere, agnoscens etiam plebem Balneensem in Massa beati Petri apostoli sitam esse, & sub ipsius dominii proprietate consistere, definitivam sententiam tulit, ut præfatæ capellæ archipresbytero subditæ forent, neque abbas Triviensis imposterum sub ullo colore jus archipresbyteri perturbaret. Post Innocentium subscribunt quatuordecim cardinales, quorum nomina sunt: Willelmus episcopus Prænestinus, Theodorus seu Theodevvinus Portuensis ac sanctæ Rufinæ episcopus hoc anno creatus ab Innocentio II. Drogo Ostiensis episcopus subrogatus Johanni, Albertus Albanensis, cui locum fecerat non Matthæus, ut vult Ughellius, sed Hugo ex abbate

te Humolarienſi Albanenſis epiſcopus, Anſelmus presbyter ſancti Laurentii in Lucina, Lictifredus Veſtinæ, Lucas ſanctorum Johannis & Pauli, Martinus ſancti Stephani in Cœlio-monte, & GG. ſive Gregorius ſanctæ Priſcæ electus ab Innocentio II. Guido ſancti Chryſogoni, Gregorius diaconus ſanctorum Sergii & Bacchi, Guido diaconus ſancti Adriani, Boetius diaconus ſanctorum Viti & Modeſti, Chryſogonus diaconus ſanctæ Mariæ in Porticu, omnes ab Innocentio II. cardinales creati, & Guido *indignus ſacerdos*. Præter hos cardinales ſubſcribunt inſuper Albericus Bituricenſis archiepiſcopus, Umbertus Biſuntinus archiepiſcopus, Rotbertus Erfordenſis, Milo Levarnenſis, Ugo Gratianopolitanus, ſecundus ſcilicet hujus nominis, Guilielmus Auraſicenſis, Wido Lauſannenſis & Paganus Nolanus epiſcopi. In ſerie epiſcoporum Nolanorum Italiæ ſacræ Ughellii, & in variis catalogis allatis a Remondino in hiſtoria Nolana, Paganus epiſcopus non recenſetur, qui proinde reponendus erit inter Guillielmum, cujus memoria ſupereſt [a] apud eumdem Ughellium ad annum 1123. & inter Bartholomæum, cujus primum monumentum affertur ad annum 1143. *Datum* eſt privilegium Innocentii eccleſiæ Balneenſi *Piſis per manum Aimerici S. R. E. diaconi cardinalis & cancellarii* III. *idus ja uarii indictione* XIV. *incarnationis Dominice anno* M. C. XXXVI. *pontificatus vero domini Innocentii pape* II. *anno* VII. Autographum exſtat in tabulario ejuſdem abbatiæ noſtræ ſanctæ Mariæ de Balneo, ex quo edimus in Appendice; in ipſo tamen emendandus eſt annus pontificatus Innocentii, qui die XI. januarii hujus anni erat adhuc VI. & nondum incœperat eſſe VII. neque referendum eſt privilegium ad initia anni ſequentis ſtilo Florentino, quia anno ſequenti indictio fuiſſet XV.

ANN. CHR. 1136.

[a] T. VI. col. 254.

V. Hiſtoria & origines veteres ejus monaſterii.

PORRO ad hiſtoriam Balneenſis eccleſiæ placet heic loci more noſtro antiquiores ipſius exponere origines. Legimus & exſcripſimus in archivo ejuſdem abbatiæ bullam Adriani papæ II. quam etiam integram proferimus in eadem Appendice, datam Johanni reverentiſſimo ſanctæ Arretinæ eccleſiæ epiſcopo. Annuit in ipſa Adrianus ejuſdem epiſcopi poſtulationibus, ut baptiſmalis eccleſia beatæ Mariæ virginis conſtructa in maſſa, quæ vocatur Balneum, juris ſanctæ Romanæ eccleſiæ, præfato epiſcopo concedatur pro erigendo inibi monaſterio ſub ordine ſancti Benedicti, & fontes baptiſmales transferantur ad eccleſiam ſancti Salvatoris, vel de eccleſia ſancti Salvatoris transferantur in eccleſiam ſanctæ Mariæ (quod liquido intelligi nequit ex privilegii verbis) in medio prædictæ maſſæ, ubi facilior eſſe poterat populi concurſus. Dividit præterea vineas, terras & ædificia, partemque ipſorum tribuit eccleſiæ ſancti Salvatoris, partem vero ad jus pertinere decernit eccleſiæ ſanctæ Mariæ, quam in monaſterium erigendam dilargitur eidem Johanni epiſcopo, quoad ipſe vixerit, & aſſignat pariter in dotem cœnobii erigendi ſilvam poſitam in territorio Arretino, quam ipſe Johannes per donationis paginam contulerat beato Petro apoſtolo, una cum terris & domibus, cujus ſilvæ fines etiam recenſet. Poſt obitum autem Johannis epiſcopi præcipit, ut abbas juxta regulam ſancti Benedicti a congregatione monachorum ibidem Deo deſervientium eligatur, & monaſterium perpetuis temporibus ſanctæ Romanæ eccleſiæ immediate ſit ſubjectum, neque ullus ſacerdos, niſi ab abbate monaſterii poſtulatus, ibi audeat Miſſarum ſollemnia celebrare. Epiſcopum autem Ficoclenſem, in cujus diœceſi locus eſt, ab abbate invitatum, vult poſſe ibidem Miſſas canere, altaria conſecrare, dignoſque viros ad ſacerdotale miniſterium provehere. Abbate obeunte ſucceſſor eligatur, qui conſecrationis munus ab Apoſtolico accipiat, cum exenio annuo unius libræ ar-

ANN. CHR. 1136.

genti. Demum vetat, ne quis molestiam sacro illi loco, vel rebus aut personis ipsius inferre præsumat, sed omnia in proprii monasterii usu salarioque jure pro monachorum ibidem Deo famulantium substentatione, luminarium concinnatione, hospitum & pauperum receptione, integriter salva in perpetuum & immutilata persistant. Autographum hujus bullæ Adriani periit, sed extat ejus exemplum in codice chartaceo A. ejusdem archivi pag. 138. quod exemplum ex authentico, ne forte quandoque etiam ipsum periret, Benedictus Tenacius de Galeata abbas Balneensis manu propria in libro exaravit anno salutis 1485. die XVIII. decembris. Sed, quod maxime dolemus, in chronicis notis ita est exemplum vitiatum, ut medicam manum expectet: *Scriptum* enim dicitur *per manum Pauli scriniarii in mense novembrio indictione* VI. *idus novembrias per manum pape Adriani secundi*, *imperante domino piissimo Lodoico a Deo coronato*, *anno* XXIII. *regni ejus*, *anno ab incarnatione Domini octingentesimo octuagesimo septimo*. Anno 887. defuncti erant tum Adrianus II. tum Lodovicus II. imperator, & forte etiam Johannes Arretinus episcopus; summus enim pontifex obierat anno 872. imperator vero die XII. augusti anni 875. Johannis vero Arretini episcopi memoria non exstat apud Ughellium ultra annum 877. solaque indictio VI. pertinere potest ad annum 887. incœpta mense septembri ejusdem anni. Excepta itaque indictione omnino componi non potest Adriani II. bulla pro Balneensi monasterio cum anno 887. Ut aliqua conciliationis via aperiatur, attento anno XXIII. regni Ludovici II. qui enuntiatur, attenta quoque ætate tum Adriani II. Romani pontificis, tum Johannis Arretini episcopi, verisimile credimus substituendum esse loco anni 887. annum incarnationis Dominicæ DCCC. LXXI. qui reapse erat vigesimus-tertius regni Ludovici II. ab anno 849. quo consors imperii declaratus fuerat a Lothario imperatore ejus patre, quo etiam anno 871. vivebat Adrianus, electus Romanus pontifex anno 867. & quo demum Johannes Arretinus episcopus ab anno saltem 858. ad 877. Arretinam rexit ecclesiam. Ad quem proinde annum referenda erit origo monasterii Balneensis. Indictio vero VI. erit tunc ipsa corrigenda, & reponenda IV. quæ anno 871. decurrebat, vel V. si a mense septembris exordium sumere placeat.

Etiam Fortunius hujusmodi privilegium refert, sed integras chronicas notas suo more in medium non producit: *Datum*, inquit, *idibus novembris indictione* VI. *imperante Ludovico* II. *regni anno* XXIII. Aliud ex Fortunio animadvertendum. Loco Johannis episcopi Arretini habet, Johannem episcopum Ficoclensem impetrasse ab Adriano II. papa privilegium, ut sibi cœnobium ædificare liceret, duabus ad unam basilicam redactis. Vivebat his temporibus Johannes episcopus Ficoclensis subscriptus inter ceteros episcopos concilio Romano habito anno 861. a Nicolao I. Romano pontifice contra Johannem VIII. Ravennatem archiepiscopum. Cuinam, an Ficoclensi, an Arretino episcopis tribuenda sit ædificatio Balneensis monasterii, deficiente autographo privilegio, definire non audemus. Monasterium Balneense testimonio ejusdem Adriani erat in Ficoclensi diœcesi, bona tributa eidem monasterio erant in Arretina; in confiniis utriusque diœcesis exstabat monasterium Balneense. Idem Fortunius præterea ex monumentis verisimiliter, quæ modo periere, asserit, fuisse in medio oppidi Balnei in loco, qui dicebatur Aqua-calida, basilicam antiquissimam sancto Salvatori dicatam, juxta quam erectum fuerit anno 860. templum in honorem Reginæ Cœlorum cum baptisterio.

Seculo X. prope Balneum Romualdum inhabitasse ad annum 986. diximus.

ximus. Monasterium sub regula sancti Benedicti an ibidem perseveraverit usque ad seculum XI. vel ad initia seculi XII. an vero destructum fuerit, & monachi locum cesserint, incompertum est, cum antiqua non suppetant monumenta. Præsenti certe seculo introducti fuerant canonici regularem vitam viventes, quorum archipresbyter hoc anno erat Johannes, inter quem & inter abbatem Triviensem suscitatæ lites, quæ etiam renovatæ fuere anno 1156. sub Adriano IV. & etiam sub Alexandro III. sæpiusque recrudure, ut alibi dicemus. Ecclesiæ seu capellæ, quæ in litem veniebant, appellabantur sancti Salvatoris, sancti Nicolai, sancti Pauli, sancti Apollinaris, sancti Martini, sancti Paterniani, sancti Hilari, sanctæ Floræ, sanctæ Margaritæ, sancti Andreæ, sancti Blasii & sancti Angeli. Cetera de Balneensi abbatia suis annis.

VI. Concordia inter Gualterium archiep. Ravennatem, & Rainerium abb. de Castro-brittorum quoad fundum Marmortam.

Altera vertebat lis inter Gualterium archiepiscopum Ravennatem & inter Rainerium abbatem monasterii nostri sancti Michaelis de castro Brittorum in territorio Bononiensi circa quemdam fundum appellatum Marmortam, situm in districtu Ravennate, quem propter quædam privilegia & antiquam possessionem adjudicabat monasterio suo Rainerius abbas. Post varias concertationes compromiserunt ambo in Henricum Bononiensem episcopum, in Petrum Traversarium, & in Azonem de Podiocalvuli, quorum decisionem hic subjicimus, verbis ipsius sententiæ autographæ, quam descripsimus ex tabulario nobilissimi viri Bonifacii marchionis Rangonii, quæque est hujusmodi:

Cum lis & controversia verteretur inter domnum Gualterium archiepiscopum de Ravenna ex una parte, & dompnum Rainerium abbatem sancti Michaelis de Castro Britorum Bononiensis diecesis ex alia, que talis erat. Petebat namque dictus dompnus abbas a dicto domno archiepiscopo, ut ipsum quiete possidere permitteret Marmortam, que est in districtu Ravenne juxta foveam de Curbuni a duobus lateribus, a tertio fovea de Steni, a quarto strata, que venit a Ravenna, cum hoc esset, quod ad eum pertineret nomine dicti sui monasterii propter quedam privilegia, & quia eam habuerat & tenuerat, & possederat nomine dicti monasterii, & propter alias rationes quamplures, ad que dictus dominus archiepiscopus respondit, quod ad eum pertinebat, & quod eam habuerat & tenuerat, & eam habebat, & tenebat & possidebat. Ad concordiam venire volentes compromiserunt se in domnum Henricum Bononiensem episcopum & in dominum Petrum Traversarium de Ravenna & in dominum Azonem de podio Calvuli tamquam in arbitros & arbitratores & amicabiles compositores, ut possint inter eos laudare, arbitrari, definire, & determinare & componere diebus feriatis & non feriatis, una parte presente & altera absente, dum tamen legitime citata, promittentes inter se stipulatione sollempni ipsis arbitris parere & obedire, quidquid dicti arbitri inter eos laudaverint, & arbitrati fuerint, composuerint, & determinaverint sub pena CCCCC. librarum bonorum Lucensium inter se, & dictis arbitris stipulatione sollempni promissa & pena soluta. Testes dominus Guido cardinalis ecclesie de Ravenna, & dominus Ubertus de Ravenna, & Petrus Camaronus de Argentea, & Bazalerius de Cosandali, & Bonectus de Duliolo rogati sunt testes. Actum in plebe sancti Georgii de Argenta. Ego Ugo notarius filius Johannis tabellionis notarius Bononiensis episcopi hoc instrumentum, ut superius legitur, subscripsi & firmavi.

Nos quidem domnus Henricus Bononiensis episcopus & Petrus Traversarius, & Azo de podio Calvuli electi arbitri a domino G.. archiepiscopo Ravennate ex una parte, & dompno Ra.. abbate sancti Michaelis de Castro Britorum ex alia de quadam discordia, que erat inter eos de Marmorta, ut

Ann. Chr. 1136.

continetur in compromisso scripto manu mei notarii, in communi concordia laudamus, precipimus & arbitrati sumus, quod dictus dominus archiepiscopus G.. solvat hic ad III. *mensis proximi dicto dompno abbati C. libras Lucenses pro recipere cartam emphiteoticam de predicta Marmorta a dicto dompno abbate, solvendo nomine suprascripto* XII. *denarios Lucenses in manibus dicti abbatis, & renovare in capite* LX. *annorum, dando pro renovatione* XX. *libras Lucenses, & hoc precipimus observari sub pena nobis in compromisso promissa, & ea soluta a non observanti laudum seu arbitrium maneat firmum ex utraque parte.*

Petitionibus emphiteoticis annuendo ego quidem dompnus R.. abbas sancti Michaelis de Castro Britorum, presentibus & consentientibus fratribus meis, & do & cedo vobis domno Gualterio archiepiscopo Ravennati recipienti pro vobis vestrisque successoribus, & pro utilitate sancte Ravennatis ecclesie Marmortam, que est in districtu Ravenne juxta foveam de Curbuni a duobus lateribus, & juxta foveam de Steni, & viam, que vadit ad Ravennam, vel si qui alii confines sunt ad habendum, tenendum & possidendum, & quidquid vobis & vestris successoribus deinceps placuerit faciendum, salvo jure dominii, promittens pro me meisque successoribus vobis stipulante vestro nomine vestrorumque successorum dictam rem defendere, & auctorizare, & disbrigare ab omni persona, sub pena duarum librarum auri boni & puri, & pena soluta dicta firma permaneat, que omnia vobis do pro duodecim denariis Lucensibus, quos confiteor a vobis recepisse, renuntians exceptioni non habite pecunie, solvendo omni anno duodecim denarios Lucenses, & in capite LX. *annorum novam emphiteosim, dando pro renovatione* XX. *libras Lucenses sub dicta pena, & ea soluta dicta firma permaneat dampnis & expensis reficere.*

In nomine sancte & individue Trinitatis. Anno Domini M. C. XXXVI. *die tertio mensis martii indictione* XIIII. *Actum in plebe sancti Georgii de Argenta, testibus dominis Guido cardinali ecclesie de Ravenna, & domno Ubertino de Ravenna, & Petro Camerono de Argenta, & Bazalario de Cosandali, & Bonetto de Dolliolo rogatis testibus. Arbitrium compromissum.*

In nomine sancte & individue Trinitatis. Anno eodem & indictione die VIII. *mense julii. Actum in palatio domni Henrici Bononiensis episcopi, testibus Aldrevando, magistro Gualfredi judex, Polastrus judex, Scogo presbiter, Lambertus Mundi presbiter, Johannes capellanus dicti Henrici episcopi & alii quamplures. Arbitrium episcopi.*

In nomine sancte & individue Trinitatis. Anno eodem & indictione die VIII. *mense julii. Actum in eodem loco, testibus domino Morello archidiacono sancti Petri de Bononia, & domino Lamberto archipresbitero sancti Petri, domno Scogo canonico sancti Petri, domno Ardicione, domno Bulee, Ugo Subli, & Petrus de la vite, & Berlingerio investitore rogati sunt testes.*

Nomen Rainerii abbatis sancti Michaelis de castro Brittorum legitur jam ab *anno* M. C. X. *decimo calendas aprilis indictione* XV. in tabulario parthenonis sanctæ Christinæ de Bononia, qua die [a] cuidam Ugoni terras in emphyteusim concedit. De ipso rursus ad annum 1140. De fundo Marmorta, & de turbis ac litibus propter ipsum fundum cum archiepiscopis Ravennatibus plura post integrum seculum addemus.

a *Maz.* I.

VII. Privilegia obtenta a Johanne abb. S. Stephani Januæ.

Privilegium pro sua abbatia sancti Stephani Januensis urbis obtinuit hoc anno ab Innocentio II. etiam Johannes noster dicti loci abbas. Ecclesias præfato monasterio subjectas recenset Lancellottus ex diplomate [b], quod ipse vidit, nimirum *ecclesiam sancti Nazarii de Capite-albario cum* deci-

b *Pag.* 320.

decimis &c. *suis*, *ecclesiam sancti Viti*, *ecclesiam sancte Juste de eadem villa*, *ecclesiam sancte Crucis de Castello-Janue*, *ecclesiam sancti Stephani de Sezaido*, *ecclesiam sancti Stephani de Villa-regia*, *ecclesiam sancti Stephani de castro sancti Romuli*, *hospitale juxta monasterium*; *& in territorio vestro constructum*, *Villam regiam cum omnibus possessionibus* &c. *ex donatione Adelasie comitisse* &c. Adjiciunt iis Cœlestinus III. anno 1191. *ecclesiam sancti Juliani sitam in territorio Naboli*; & Innocentius IV. anno 1251. *ecclesiam sancte Marie de Villa-regia cum pertinentiis suis*, *ecclesiam sancte Marie de Pompejana*. Dicitur etiam Johannes abbas pontificis permissu recepisse anno 1142. ab Ottone episcopo Albingensi ecclesias sancti Stephani de Villa-regia, & sancti Stephani de Sancto-Romulo; quod est intelligendum vel de possessionibus adjectis, vel de confirmatione harum ecclesiarum facta abbatiæ sancti Stephani ab Ottone episcopo. Villa-regia sita in Albingensi diœcesi dono data affirmatur ab Adeleida aut Adelasia Hermanni ducis & marchionis uxore, Bertæ comitissæ filia anno 1049. de cujus largitionibus & beneficiis in plura monasteria multa digessimus tomo antecedenti. Cetera abbatiæ sancti Stephani jura fuse legi possunt apud eumdem Lancellottum.

Ann. Chr. 1136.

VIII. Obitus Guidonis abb. Berardingorum.

Obiit hoc anno Guido Berardingorum abbas, qui ab anno 1101. usque ad præsentem rexit cœnobium illud. Id constat ex chartulario ejusdem cœnobii, in quo constanter legitur ejus nomen usque ab mensem majum hujus anni. In antiquissimo codice ms. ecclesiæ cathedralis Senensis, vulgo *dell' Opera*, signato n. 106. ad diem XXVIII. julii anni 1136. legitur: *Obiit Guido abbas Berardingorum*; ex quo conjicere licet virum fuisse non vulgaris æstimationis. Ipsius nomen producitur etiam in privilegio Hieronymi episcopi Arretini ms. similiter existente in alio codice ejusdem Senensis basilicæ, olim monasterii Berardingorum, quo privilegio Hieronymus sub sua protectione recipit moniales parthenonis sancti Justi in Retennanno, & ipsarum bona, inter quæ recensentur, *quidquid habetis libellario nomine a Guidone abbate monasterii Berardingorum*, *vel a Johanne Camaldulense priore in Miliare*, *& Ciene*, *& Cajole*, *& Metrano*, *& Monte Galozi*, *& Migniaja*, *& Musicia*, *sicut in libello ab eodem abbate & priore vobis facto continetur*, una cum ordinatione ecclesiæ sanctæ Christinæ de Lucignano, quam Petrus episcopus Arretinus ejus antecessor monialibus concesserat. In locum Guidonis defuncti suffectus fuit Ubertus abbas, cui anno 1138. [a] Rugerius filius Bernardi, Ugo & Rainerus germani filii Rugerii, & Bellacossa uxor Ugonis filia Ugerii concedunt bona fines habentia cum canonicorum Senensium bonis & cum ecclesia sancti Ansani. Immo in chartulario ejusdem monasterii etiam sub præsenti anno [b] nomen Uberti reperitur. In aliquibus tabulis appellatur quoque Albertus. Davizzo seu Durizzo, vel Burizzo aut Bonizzo in Alberti locum electus, abbas ejusdem cœnobii legitur ad annum 1140.

[a] *Num.* 160.

[b] *Num.* 365.

IX. Donatio monasterio S. Mariæ ad Carceres facta ab Henrico duce Saxoniæ.

Edidit Muratorius, quam ad eum transmiserat Cannetus noster, chartam donationis factæ hoc anno ab Henrico IV. Guelfo Bavariæ & Saxoniæ duce monasterio sanctæ Mariæ ad Carceres, sed, ut optime animadvertit idem Muratorius, notæ chronicæ hujus chartæ sunt admodum vitiatæ, cum exhibeant annum *secundum assumptam humanitatem post millesimum centesimum trigesimum sextum* IIII. *idus februarii & indictionem secundam*. Indictio secunda decurrebat annis 1124. 1139. & 1154. sed cum nullo ex his annis potest aptari hujusmodi donatio. Non cum anno 1124. quia Henricus eo anno dux quidem erat Bavariæ, sed nondum ducatu Saxoniæ insignitus fuerat a Lothario III. Germaniæ & Italiæ rege,

quem

Ann. Chr. 1136.

quem ducatum ei contulit una cum Gertrude filia sua in ejus sponsam anno 1126. vel 1127. Eo anno pariter non Riprandus, cui facta legitur donatio, sed Fabianus prior erat monasterii sanctæ Mariæ ad Carceres. Non cum anno 1139. quia ad hæc tempora præerat præfato cœnobio idem Fabianus. Et Henricus Saxoniæ dux Italiam eo anno non revisit ob bellum acerrimum, quod a rege Conrado III. sustinebat, itaut ipse *antea potentissimus, & cujus auctoritas, ut is gloriabatur, a mari usque ad mare, idest a Dania usque in Siciliam extendebatur, in tantam in brevi humilitatem venit, ut pene omnibus fidelibus & amicis suis in Bajoaria a se deficientibus, clam inde egressus, quatuor tantum comitatus sociis in Saxoniam veniret*; verba sunt Ottonis Frisingensis [a] in chronico. A quo etiam infelici bello dum se recuperare tentabat, eo ipso anno XIII. cal. novembris *veneficio ibidem, ut fertur, infectus vitam finivit*, teste annalista Saxone. In calendario non multum antiquo monasterii Carcerum ad diem XI. *februarii* adnotatur *anniversarium invictissimi Henrici* III. *imperatoris & Saxoniæ ducis*; sed male III. appellatur Henricus benefactor ejusdem monasterii, cum fuerit IV. & contra historiæ fidem imperatoris titulo decoratur, cum numquam ad imperium evectus fuerit. Sed demum neque cum anno 1154. tum quia ipse Henricus IV. a quindecennio eo anno jam obierat, tum quia eodem anno Dominicus prior monasterium sanctæ Mariæ ad Carceres regebat. Reliquum ergo est, ut indictionem minime attendamus, utpote quæ undequaque sit vitiosa. Idem dicendum etiam de anno 1136. quo, licet emendetur indictio II. & reponatur XIV. quæ eo anno decurrebat, non Riprandus, sed Fabianus prior erat ejusdem monasterii. Præterquam quod certum quidem est anno 1136. Henricum Guelfum ex Germania in Italiam descendisse una cum Lothario imperatore, sed descensus utriusque fuit post diem XV. augusti, qua die celebrata dieta Wirtzburgi imperator per Tridentinum territorium Veronam postea pervenit. Charta autem donationis confecta dicitur IV. idus februarii, sex mensibus ante utriusque adventum in Italiam.

a Lib. VII. n. 23.

Quapropter cum Fabiani prioris Carcerum nomen haud interrupta serie in ejusdem monasterii chartis legatur ab anno 1122. usque ad annum 1140. quo ipso anno ad diem quintam-decimam octobris in altero peranti-quo necrologio ejusdem loci apponitur: *Obiit Fabianus primus prior Carcerum*, & cum dumtaxat anno 1144. primum in paginis exstantibus nomen appareat Dominici prioris, non inverisimiliter conjici potest priorem Riprandum inter utrumque esse locandum, & chartam propterea donationis referendam esse ad Henricum filium suprarelati Henrici, qui Leonis nomen sortitus est, & V. fuit inter Henricos Guelfos. Probabiliter itaque charta pertinet ad annos 1141. vel 1142. & ad indictionem IV. vel V. ac veri speciem habet Henricum filium post mortem patris in Italiam advenisse, ut postquam susceperat possessionem ducatuum Bavariæ & Saxoniæ, etiam bonorum, quæ in Italia obtinebat, hæreditatem adiret. Neque dici potest Riprandum fuisse priorem monasterii sanctæ Mariæ ad Carceres post Dominicum, cujus postrema memoria superest in chartis quidem ad annum 1165. & ante Pistorem, cujus primum monumentum exstat ad mensem augustum anni 1169. & retenta indictione II. ipso anno 1169. mense februario, quo dicta indictio decurrebat, Riprandum ejusque monasterium obtinuisse præfatam donationem ab eodem Henrico, cognomento Leone, qui adhuc in vivis erat; etenim obstat auctoritas ejusdem necrologii antiqui, quod refert mortem Dominici ad diem XIV. maji anni 1169. a qua die ad mensem augustum, quo cœnobium regebat Pistor, duo tan-

tantum menses cum dimidio interfluunt, neque locus eo anno regimini Riprandi esse potest mense februario. Illud etiam minime prætereundum, quod nec in enumeratione bonorum monasterii sanctæ Mariæ ad Carceres facta a Bellino episcopo Patavino anno 1144. neque in altera anni 1145. facta ab Eugenio III. neque in tertia recensione Adriani papæ IV. anni 1155. mentio fit vice-comitatus & decimarum Cavallili, quæ obtinuit monasterium Carcerum ab Henrico, sed primum hæc bona memorantur in bulla Alexandri III. & in diplomate Friderici I. ad annum 1177. spectantibus; quod silentium indicare videretur donationem hanc factam fuisse longe post hæc tempora, & proxime ad tempora Alexandri papæ & Friderici imperatoris, sed nullus locus iis annis superest Riprando priori, nisi demum dicere velimus chartam omni sua ex parte esse vitiatam, & præter chronicas notas mendum etiam irrepsisse in nomen prioris ejusdem monasterii, cui facta fuit donatio.

Quidquid demum sit vel pater fuerit, vel filius Henricus donator, *ecclesie beatissime Marie semper virginis matris Domini nostri Jesu Christi constructe in Paduano districtu, Athestensi territorio nostro, in loco videlicet, ubi Carceres nuncupatur, & ubi venerabilis pater Riprandus & fratrum congregatorum rector & presidens illius venerabilis loci, in quo divina mysteria intime celebrantur, hospitibus utique locorum advenientibus*, tradita fuere comitatus & terra Cavallili cum toto ejus districtu & territorio, posita in Veronensi diœcesi, tam vassallorum, quam emphyteotarum, *motus*, subdit princeps donator, *supplicationibus magistri Rambaldi archidiaconi majoris ecclesie Sansoniensis, dilectissimi germani nostri atque capellani*. In suprarelato minus antiquo kalendario ad diem XII. februarii præscribitur: *Anniversarium illustrissimi & reverendissimi domini Raimbaldi archidiaconi Saxoniæ fratris*. Concedit insuper Henricus plenam & liberam potestatem piscationum in paludibus Merlariæ. Demum donat eidem monasterio & priori jurisdictionem plenam in dictam terram Cavallili, copiam faciens ponendi ibidem vice-comitem, & reddendi rationem de omnibus litibus, quæstionibus, maleficiis &c. imponendi *fodrum*, *dationes victualium*, instituendi decanos, massarios, camparios atque officiales omnes, statuendi denique *angarias* & *perangarias*, &c. priorem ipsum constituens tamquam verum dicti loci comitem. Largitur quoque decimam totius curiæ & districtus ejus terræ, *sicut plene & libere*, prosequitur, *habemus in privilegio venerabilis viri episcopi nostri* (Veronensis scilicet) *& in confirmatione sanctissimi nostri pape Callixti* &c. Hæc postrema verba declarare quidem possent chartam donationis factam fuisse ante annum 1122. quo monasterio Carcerum præerat Fabianus, & Riprandum priorem loci fuisse ante Fabianum, cum indicare videantur in vivis tunc fuisse Calixtum II. Romanum pontificem. Verum ex una parte scimus sub Fabiano institutum fuisse cœtum canonicorum regularium ad normam Portuensium in monasterio Carcerum, ipsumque fuisse primum regularem priorem; ex altera vero parte Henricus IV. nondum iis annis obtinuerat ducatum Saxoniæ. Appellatur ergo sanctissimus, id est sanctissimæ memoriæ Calixtus; alludit nimirum Henricus dux ad privilegium ejusdem Romani pontificis, quo post varias concertationes divisio pacifica bonorum pontificio privilegio corroborata secuta est inter utramque lineam marchionum Estensium tam in Italia, quam in Germania dominantium. Postremo vult Henricus, quod prædicta omnia nominata in donatione nullatenus possint vendi, donari, alienari; alias largitio a se facta sit irrita, & præfata omnia perveniant *domibus ultramarinis, & in auxilium & juvamen Terre*

sancte.

ANN. CHR. 1136.

sancte. His temporibus fundabantur domus ultra mare ad recuperationem locorum sanctorum, & principes omnes expeditionibus militaribus & cum exercitibus mare transfretabant pro præfatis locis conquirendis. Ipse Henricus V. dux Saxoniæ anno 1147. una cum Conrado rege & Friderico juniore, postea imperatore, expeditionem illam tentavit. Donationis pagina facta est *in Dolone Estensi*. Dolo seu Dulo erat species propugnaculi seu turris. In divisione bonorum facta anno 1178. inter marchiones Estenses Albertum, Opizonem & Bonifacium legitur: *Nullus marchionum faciat in castris suis turrem, vel dulonem, vel betifredum novum absque voluntate omnium*. Ad illustrationem hujus monasterii integra charta legitur in Appendice nostra.

ANN. CHR. 1137.

X. Lotharii imp. præceptum pro Camaldulensibus.

LOTHARIUS III. Romanorum imperator, qui in Italiam descenderat anno antecedenti, instinctu dilectæ uxoris suæ Richirizæ seu Richenzæ, & interventu fidelis sui Brunonis Coloniensis archiepiscopi & archicancellarii, Camaldulense monasterium & eremum sancti Salvatoris & sancti Donati cum omnibus ad ipsa pertinentibus sub sua imperiali protectione recepit, præcepto dato *anno incarnationis Dominice* M.C.XXXVII. *quarto idus januarii indictione* XV. *anno* V. *regni regis Lotharii* XI. *imperii* IV. *Actum apud Fontanam procam*. Lotharius electus fuerat rex Germaniæ anno 1125. die XXX. augusti in locum Henrici V. imperatoris, cujus obitus contigerat die XXII. vel XXIII. maji ejusdem anni. Quare emendandus est annus undecimus ejus regni, qui præsenti anno 1137. erat duodecimus mense januario. Alia epocha ejus regni, quæ significatur per annum quintum, intelligi debet de regno Italiæ. Possessionem enim, licet non omnino pacificam, regni Italiæ assecutus haud fuit Lotharius, nisi anno 1132. quo adveniens in Italiam mense septembri, quamvis *subsannatus & despectus ab incolis terræ, respectu paucitatis suæ*, nempe paucarum copiarum, quas secum duxerat, Conradum, qui *a Mediolanensibus constitutus fuerat rex, periculose ad patriam redire* compulit. Quadrat demum annus IV. imperii, quia anno 1133. coronam imperialem in basilica Lateranensi de manibus Innocentii II. Romani pontificis die quarta junii anni 1133. susceperat. Dici etiam potest exscriptorem hujus privilegii male ipsum exemplasse, & cum in primigenio extaret: *Anno* V. *regis Lotharii* II. *imperii* IV. quinto scilicet anno regni Italici Lotharii, exscriptorem pro II. legisse XI. cum ipse ut rex Italiæ a multis quidem dictus fuerit hujus nominis III. ut imperator vero II. Fontana-proca requirenda est facile in territorio Placentino, in quo locus erat *Fontana* appellatus, & in cujus viciniis præterito anno desinente, & initio præsentis cum imperatrice Richenza morabatur idem imperator. Ex eodem pariter loco anno 1133. canonicis Cremonensibus confirmaverat omnia ipsorum jura diplomate, quod affert Muratorius [a]. Hoc ipso tamen anno 1137. ad finem vergente vitam cum morte commutavit idem Lotharius, vidua relicta Richenza conjuge sua, ad quam extant Petri diaconi monachi Casinensis consolatoriæ epistolæ in obitu mariti, & in morte Henrici ducis Bavariæ & Saxoniæ propinqui sui. Quare ad annum saltem 1139. qui fuit emortualis Henrici ducis, supervixit viro suo imperatrix; obiit quinimmo quadriennio a morte viri sui sepulta penes ipsum in Lutterensi monasterio. Appellatur ipsa Risabebba in necrologio Font-avellanensi, cujus monasterii videtur fuisse benefatrix, ad diem XII. aprilis: *Obiit Risabebba imperatrix commissa nostra*. Vocatur etiam Regiliza in placito apud Affarosium [b] in appendice ad notitias historicas urbis Rhegiensis,

a *T. V. Antiq. col.* 243.

b *Pag.* XII. & XIII.

ſis, & Riget ab Innocentio II. Romano pontifice in epiſtola ad ipſam & ad Lotharium virum ſuum. Frequentius tamen Regenza & Richenza. Bruno vero Colonienſis archiepiſcopus deceſſit hoc eodem anno hebdomada pentecoſtes apud urbem Barium tumulatus. Ex apographo tabularii Fontis-boni exhibemus in Appendice integrum Lotharii præceptum.

In quo enumerantur monaſteria, quæ recenſentur in aliis diplomatibus pontificiis & imperialibus, & præterea *monaſterium ſancti Sepulcri in Caſtello*, quod cum non legatur in Innocentiano anni antecedentis, dicendum ipſo vel præſenti anno cœnobium hocce a prima ſui fundatione per Romualdi diſcipulos excultum & auctum, progreſſu temporis vero in diſciplina monaſtica collapſum, indiguiſſe iterum ope Camaldulenſium ibidem vocatorum, ut in ipſo religionis integritatem reſtituerent, & cœnobiticam converſationem repararent, unirentque ceteris, quæ congregationem Camaldulenſem efformabant. Quod teſtatum agnoſcimus a Raynaldo archiepiſcopo Colonienſi archicancellario & Thuſciæ legato in edicto ad favorem hujus abbatiæ promulgato anno 1163. Diſciplinæ imminutio in præfato monaſterio ex eo ſcilicet profluxerit, quod capitanei vi armorum & deprædationum una cum eorum *maſnadis* multis tribulationibus divexarent Burgenſes & abbatiam, muros loci deſtruerent, armis & ſanguine omnia replerent, eaque occaſione eccleſiaſtica & monaſtica diſciplina peſſum iret, quæ damna commemorat in eodem edicto præfatus archiepiſcopus. Præerat tempore horum infortuniorum Burgenſi abbatiæ Thebaldus, qui ad vexationes redimendas pecuniam, domos & terras tradidit Widoni & Uguccioni marchionibus, ad hoc ut adjutorium præſtarent ad reædificationem Burgi, & abbatiam defenderent, quibus etiam vaſſallitium præſtiterunt Burgenſes; marchiones e contra ad omnia, quæ requiſiti fuerant, ad tuendam ſcilicet libertatem & immunitatem abbatiæ, ſe juramento obſtrinxerant, ut liquet ex eodem edicto. Confluunt autem omnia, ut putemus ipſius Thebaldi præſulis tempore advocatos fuiſſe Camaldulenſes ad abbatiæ diſciplinam reſtituendam, qui inſuper Thebaldus nominatus in Raynaldi præcepto in cenſum abbatum Burgenſium eſt reponendus, licet in vulgatis indicibus a doctis Burgenſibus confectis ejus nomen & memoria deſiderentur. Multa impoſterum de Burgenſi abbatia referentur ſuis annis.

XI. Eccleſia S. Angeli donata Berardo priori de Mandriolis.

Præsenti *anno Domini milleſimo centeſimo trigeſimo ſeptimo regnante Luteri imperator & papa noſtro Innocentio in apoſtolica ſede & die menſe junius per indictione quinta in comitatu Eſi*, Tebaldus filius quondam Alberti vendit, tradit atque concedit eccleſiæ ſancti Johannis, quæ ædificata erat in fundo *le Mandriole*, atque monaſterio ſancti Salvatoris de Camaldulo, necnon Berardo priori ejuſdem eccleſiæ & monaſterii ſancti Johannis eccleſiam ſancti Angeli conſtitutam in fundo *lo Colle*, & octavam partem ſilvæ, terræ & omnium, quæ ad ſe ſpectabant, ut legitur in tabulario ſancti Blaſii de Fabriano, ex quo chartam exſcripſimus. Eccleſia ſancti Johannis de Mandriole erat in Picena provincia, haud multum longe a caſtro Maſſaccii, & vocabatur etiam *de Eremita*. Quædam eccleſia ſancti Angeli, ſeu ſancti Michaelis erat in loco appellato de Quadrigaria, quæ monaſterium evaſit ſub regimine eremi Camaldulenſis, confirmatum poſtea deſinente hoc ſeculo congregationi Camaldulenſi ab Henrico VI. imperatore. Eccleſia alia *ſancti Angeli ſuper Heremitam* recenſetur ab Innocentio papa III. inter eccleſias, quas poſſidebat monaſterium ſanctæ Helenæ ad flumen Æſinum, quam cum aliis ipſe confirmat anno 1198. Nicolao abbati ejuſdem monaſterii. In chartis ſequentium ſeculorum

ANN. CHR. 1137.

culorum sæpius nominatur ecclesia sancti Angeli subjecta monasterio de Mandriolis in comitatu Æsii, super viam, quæ vadit ad castrum Podii-Cupræ. Ceterum notarius vel exscriptor in consignando indictionis numero *decima* reliquit, cum hoc anno indictio non quinta, sed quintadecima decurreret.

XII. Donatio facta eremo Camaldulensi.

EAMDEM dictionem *decima* omisit alter notarius, cujus chartam similiter afferimus in Appendice ex archivo Fontis-boni, signatam *anno millesimo centesimo trigesimo septimo mense januario indictione quinta*, qua Ugo filius quondam Tartioni & Berta ipsius uxor cum pluribus aliis consortibus vendunt & tradunt Azoni priori Camaldulensi molendinum positum in communi Harano in plebe sancti Eleutherii, *situm plano in casale Lorenzano in flumine Arno prope ecclesiam sancti Vitalis*.

XIII. Ecclesia S. Justi in Griciano data sanctimonialibus Prati-veteris.

BENEFICA in Camaldulenses, & in monasterium sanctimonialium a se excitatum Imilia comitissa & vidua Guidonis comitis concedit hoc ipso anno Azoni Camaldulensi priori integrum & directum jus, quod ipsa obtinebat in ecclesiam sancti Justi ædificatam prope villam, quæ dicebatur Griciano, *sicut ipsa emerat ab abbate Pratalienſi*. Insuper eidem donat, quidquid olim dilargita fuerat filiæ suæ Sophiæ abbatissæ ejusdem parthenonis, homines nimirum, domus, terras, vineas &c. ad hoc, ut prædictus Azo ordinet apud præfatam ecclesiam monasterium puellarum, quod permanere debeat ad honorem Dei, & ad obedientiam, correctionem & dispositionem integram prioris Camaldulensis, nullaque abbatissa ibidem præficiatur, neque ulla monialis eo in loco recipiatur, non accedente consensu suprascripti prioris. *Actum in episcopatu Fesulano in claustro suprascripte ecclesie sancti Justi*. Præter Imiliam comitissam subscribunt, nomenque suum apponunt frater Ambrosius, & frater Nicolaus, & Rainerius monachus ac presbyter, & frater Lambertus. Hi facile monachi erant cœnobii sanctæ Mariæ de Poplena. Interfuit etiam Sophia filia comitissæ Imiliæ abbatissa, quæ prima regimen tenuit monasterii sancti Salvatoris ad fontes fluminis Arni, & postea translati in castrum Prati-veteris, nisi & illud dicamus duplex fuisse asceterium a comitissa Imilia excitatum, alterum quidem prope ecclesiam sanctæ Mariæ de Poplena ad Caput-arni, aliud ad Pratum-vetus, & ex utroque intra paucos annos unum conflatum.

XIV. Charta Pisana.

ANNO *pariter millesimo centesimo trigesimo octavo*, juxta computationem Pisanam, *septimodecimo kalendas julii indictione* XV. Johannes & Martinus germani filii quondam Benedicti una cum uxoribus suis Mingarda & Sophia vendunt terras suas Gerardo presbytero & procuratori hospitalis ecclesiæ sancti Michaelis. Hospitale hocce excitatum fuerat in loco, qui appellabatur *a la Rivolta*, & subjiciebatur monasterio sancti Michaelis in burgo Pisarum. Supremum diem obierat Ludovicus abbas ejusdem cœnobii, cujus nomine signantur chartulæ usque ad annum 1135. Anno sequenti 1136. & etiam præsenti anno 1137. nomen apparet Alberti abbatis. Sed hoc ipso anno 1137. Alberti successor Ildebrandus legitur abbas præfati cœnobii, cujus nomen constanter postea reperitur usque ad annum 1155.

XV. Confirmatio monasteriorum in Sardinia facta ab Innocentio II. pp.

INNOCENTIUS papa II. die XXI. januarii pontificatus sui anno VII. in protectionem recipit monasterium sanctissimæ Trinitatis de Sacargia in Sardinia, annuens desideriis Benedicti ejusdem loci abbatis, & præcipiens, ne ipse aut ejus successores possint, non habita prioris Camaldulensis facultate, ad episcopatum promoveri, ne forte tali occasione bona ipsius monasterii dissipationem patiantur. Mandat etiam, ne quis episcoporum vel archiepiscoporum sibi vindicet jus in monachorum vel quorumlibet

Ann. Chr. 1137.

remotionem, invito præsule ejusdem cœnobii, & ne quis in ipsius abbatis obeuntis locum valeat præponi, nisi electus fuerit a priore Camaldulensi. Vult, ut ordinationes a quocumque episcopo catholico maluerint recipere valeant tam monachi, quam clerici promovendi, nullusque episcoporum eosdem audeat excommunicare, & interdicto aut suspensioni subjicere, nisi abbas delinquentes neglexerit corrigere. Decimas ab Azone archiepiscopo Turritano prædicto monasterio olim dilargitas confirmat, sicut etiam quascumque a quolibet episcopo deinceps conferendas; atque auctoritate apostolica corroborat, quæ in futurum bona concedentur a quovis eidem abbatiæ. Nullus similiter episcopus, nisi invitatus, in ipso monasterio præsumat pontificaliter celebrare. Decernit demum, ut secundum ordinis Camaldulensis normam ibidem in perpetuum monachi conversentur, & post comminationem æternæ pœnæ prædictum privilegium infringentibus benedictionem observantibus & obsequentibus impartitur. Subscribunt post Romanum pontificem quindecim S. R. E. cardinales privilegio, quod datum est Pisis manu Aimerici cardinalis cancellarii; ipsius transumptum ex tabulario Fontis-boni affert in suis excerptis [a] Baroncinius.

a §. *Privilegia. n. 27. A. 2. 33.*

XVI. Ecclesia S. Hilarii de Asculo data Avellanensibus.

Presbyter, qui episcopus erat Asculanæ sedis, concedit, donat & confirmat præsenti anno ecclesiam sancti Hilarii cum pertinentiis suis ædificatam in fundo Parengiani monasterio & ecclesiæ sanctæ Crucis, *que edificata est in comitatu Eugubino, in loco qui dicitur Fontis Avellane, & in loco qui dicitur Murrum, beneficium cujusdam hominis, nomen cujus hoc est: Lodulfus filius Gisonis cum suo servitio ut liberi hominis*. Inter ecclesias Asculani comitatus, quas possidebat monasterium Avellanense recensitas in amplo diplomate Innocentiano, de quo ad annum 1139. enumeratur etiam hæc ecclesia sancti Hilarii. Sebastianus Andreantonellius [b] in historia sacra Asculana affirmat monasterium sancti Hilarii ad *Cœnobitarum* appellati montis radices extra urbis mœnia ducentes situm esse, & constructam arbitratur ejusdem loci ecclesiam anno Dominicæ incarnationis M. C. LXVII. ex sequentibus versiculis, qui leguntur in lapide ibidem existente.

b *Pag.* 320.

HOC. OPVS. EST. FACTVM. POST. PARTVM. VIRGINIS. ANNO

QVINTO. MILLENO. DECIMO. BIS. TERQVE. TRICENO.

Quid his versibus significare voluerit auctor vel sculptor divinare nolumus; illud scimus ante annum 1167. contra id, quod asserit Andreantonellius, extitisse ecclesiam sancti Hilarii ex allata donatione Presbyteri episcopi. „ Possessum diu fuit, sequitur idem scriptor, hoc monasterium a congre- „ gatione sanctæ Crucis de Avellana, sub auspiciis prioris. Suppressum „ tamen a Gregorio XIII. pont. max. & restitutum. At prope ecclesiam „ sancti Hilarii mons attollitur, ad cujus radices cernuntur cryptæ, non „ utique diverticula & anfractus, latronumque latebræ, sed sacræ olim „ cœnobitarum cellulæ, ac divi Æmygdii oratorium. Proventus clericis „ seminarii fuerunt assignati una cum ecclesia sanctæ Crucis intra civita- „ tem ejusdem instituti, cujus supra meminimus. “ Quod attinet ad præfatas cryptas, videantur etiam quæ prædictus auctor affert ad pag. 212. ejusdem historiæ. An-ne eremitæ sancti, quorum corpora in Asculanis ecclesiis coluntur, ex Avellanensi familia fuere, vel etiam ex Romualdi discipulis, quem constat ex Damiano prope Asculum monasterium condidisse? Scribit idem Andreantonellius [c] Romualdum cœnobium sancti Salvatoris ad Vallem tercentis passibus ab Asculo ædificasse, Farfensis postea

c *Ibidem*.

Ann. Chr. 1137.

abbatiæ membrum, nunc vero simplex sacerdotium factum, Affirmat pariter [a] monasterium sancti Angeli ab Ulturino sub regimine fuisse eremitarum Benedictinorum. Subdit quoque [b]: „ Fama est Saladinum Asculanum eremitam humatum Asculi in basilica sanctæ Mariæ majoris sub „ sacello sanctorum Benedicti & Mauri monachorum. Quando vero vixerit, quæve miracula ediderit, nusquam apud ullum probatum auctorem „ invenio. " Subjungit alibi [c]: „ Legitur insuper in marmore quodam „ humatum sanctum Augustinum eremitam cum ab eo progenitis. " Inquirit demum [d]: „ Quomodo aut quo tempore ex Polonia Asculum fuerit adsportatum caput sancti Benedicti martyris, quod argento ornatum „ venerationem habet in ecclesia sanctæ Mariæ Majoris? in cujus sancti honorem pridie idus novembris celebratur Asculi festus dies; " cum constet Benedictum hunc sancti Romualdi discipulum una cum Johanne, Matthæo, Isaaco & Christino martyrium in Polonia subiisse initiis seculi XI. de quibus nos egimus ad annum 1008. Aliud sancti Benedicti eremitæ corpus ex parœciali ecclesia sancti Leonardi Lucæ extractum proferunt Bollandiani [e]. De Saladino Asculano eremita, quem Tertiarium ordinis sancti Francisci nonnulli etiam faciunt, paucis agunt idem collectores tomo VI. julii in Actis Sanctorum, & in tomo III. Martii ponitur inter rejectos. Præter ecclesiam sancti Hilarii a Presbytero episcopo Asculano donatam, aliam testimonio ejusdem [f] Andreantonellii Avellanenses habuere in urbe Asculana sub titulo sanctæ Crucis. Hanc quis quove tempore obtulerit ignoramus.

a Pag. 212.
b Pag. 111.
c Pag. 209.
d Pag. 107.
e T. III. martii, pag. 361.
f Pag. 210.

Ann. Chr. 1138.

XVII. Donatio facta monasterio S. Michaelis de Burgo Pisarum.

Alberto abbati sancti Michaelis de Burgo Pisarum subrogatus fuerat anno antecedenti, ut diximus, Ildebrandus; ipsi hoc *anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimo nono* more Pisano *indictione prima* XV. *kalendas septembris* Bona relicta Alferii & filia quondam Bernardi, Gualdrada, Sophia & Theodora filiæ quondam Uberti filii ejusdem Bonæ vendunt terras, recepto ab abbate pretio solidorum duorum millium novem & centum denariorum Lucensium. Inter confines nominatos in charta hujus venditionis, quam edimus ex ejusdem monasterii tabulario, ponitur cœnobium sancti Viti. *Actum Kisinca domo supradicti Uberti prope ecclesiam sancti Sepulcri*. Neque ex archivo Melitensi, neque ex Pisanis veteribus codicibus innotuit Troncio ætas, qua pinguis sacræ Hierosolymitanæ religionis prioratus sub nuncupatione Sepulcri Domini nostri Jesu Christi in urbe Pisana fuit erectus, quem tamen seculo XII. jam extitisse conjecit. Ex instrumento relatæ venditionis ecclesiam sub titulo sancti Sepulcri hoc anno extasse discimus. Inter eos, qui suprarelatam paginam signant, legitur: *Ego Ugo domni Lotharii* III. *Romanorum imperatoris judex judiciorum omnium interfui & subscripsi*. Monasterium autem sancti Viti unitum fuit abbatiæ Gorgonensi, cujus bona modo obtinent monachi Cartusienses.

XVIII. Lis inter canonicos Pisanos & abbatem S. Luxorii.

Eodem anno Pisano XVI. kalendas decembris Balduinus Pisarum archiepiscopus ex præcepto Innocentii II. adscivit in consilium Attonem episcopum Pistoriensem, Rotaldum episcopum Populoniensem, episcopos quoque Sardos Galtellinensem & Bosensem, Giraldum etiam Aurascìensem, Ildebrandum abbatem sancti Michaelis, aliumque sancti Zenonis ejusdem urbis Pisanæ abbatem, & Manfredum causidicum, ac iis præsentibus sententiam tulit in causa, quæ vertebat inter canonicos ecclesiæ Pisanæ & inter abbatem sancti Luxorii circa silvam appellatam *Tumulus*, quam abbas sancti Luxorii ex largitione Gerardi & Daimberti prædecessorum archie-

chiepiscoporum Pisanorum obtinuisse asserebat, immo eam affirmabat olim ante annos plusquam centum ab altero Pisano episcopo Attone concessam fuisse quibusdam presbyteris ibidem commanentibus. Canonici e contra jus in ipsam prætendebant ex privilegiis Henrici IV. & Lotharii III. impp. ac ex diplomate Calixti II. Rom. pont. Favit Luxoriensi abbati in lite decidenda, præfatorum consilio, Balduinus archiepiscopus, ut liquet ex ipsa sententia, quam publici juris fecit Grandius noster in sua monumentorum appendice [a] ad epistolam de Pandectis ex chartula archivi canonicorum Pisanorum num. 1036. qui etiam affert [b] alteram sententiam Hermanni Constantiensis episcopi & Raimbocti comitis missorum Conradi III. regis, qua e contra pronuntiatum fuit contra abbatem sancti Luxorii, canonicis Pisanis post novennium anno 1147. adjudicata eadem silva, ex authentico, quod habuit ipse a canonico Abrahamio. Obiter hic animadvertimus Girardum episcopum Aurascienseṁ, quem in notis Gualdum appellat Grandius [c], & in qua regione ecclesiam rexerit ignorat, probabiliter fuisse episcopum Belgradensem in Dalmatia, subjectum archiepiscopo Salonitano. Observat enim Lucius [d] in notis ad historiam presbyteri Diocleatis *de regno Slavorum* ecclesiam Belgradensem dictam fuisse etiam Arausonensem, posterioribus autem temporibus Jaderam veterem fuisse appellatam; quod nomen etiamnum retinet. Intelligimus vero, cur Girardus seu Gualdus vocetur episcopus quondam Aurascienfis; cum enim teste eodem Lucio circa hæc tempora [e] Belgradensis civitas destructa fuisset a Venetis, ejus urbis episcopus, qui postea mutavit sedem suam in Scardonam, solum vertere verisimiliter coactus, ad Romanam urbem confugiit, & eo usus fuit Innocentius II. in componendis ecclesiasticorum dissidiis, causisque terminandis.

ANN. CHR. 1138.

a *Pag.* 179.
b *Pag.* 192.
c *Pag.* 182.
d *Pag.* 440.
e *Pag.* 125.

XIX. Abbatia S. Apollinaris in Classe traditur reformanda Camaldulensibus.

NOBILISSIMA accessio facta fuit congregationi Camaldulensi antiquissimi & celebratissimi cœnobii sancti Apollinaris Classis extra urbem Ravennam præsenti *anno Dominice incarnationis millesimo centesimo trigesimo octavo indictione prima die vigesima prima octobris*. Monasterium hocce tradidit piissimus & in Camaldulenses beneficentissimus Ravennas archiepiscopus Gualterius Azoni priori Camaldulensi *solo intuitu & causa reformande religionis*. Et profecto valde consentaneum erat, ut cœnobium præfatum, in quo prima monasticæ vitæ tirocinia posuerat sanctus parens noster Romualdus, quod etiam Ottonis III. imperatoris temporibus abbatis titulo rexerat, sanctisque legibus communierat, quodque subsequentibus temporibus plures retinebat consuetudines tum a Romualdi, tum a Petri Damiani disciplina derivantes, cum in ima progressu ætatis declinasset, id quod facile contigit temporibus & occasione recentium schismaticorum Ravennatum archiepiscoporum, qua ætate nullum superest ejus monasterii celebre monumentum, attentione & cura Gualterii vigilantissimi archiepiscopi, qui dignitatem suæ ecclesiæ in plurimis restituerat, per Camaldulenses Romualdi filios & Avellanensibus affines repararetur, & in congregationem, quæ tunc valde efflorebat, deveniret. Accitis itaque cardinalibus & canonicis suæ ecclesiæ, eorum consiliis & subscriptionibus, Gualterius Azoni una cum cœnobio & basilica omnia ipsius bona & jura in variis comitatibus posita, quæ recenset, dilargitur, de quibus multa digessimus ad annum 1037. quæque ad hunc annum fere omnia servabat Classense cœnobium. Illud hic adnotamus castrum Pausuli, quod a Gualterio confirmatur in territorio Firmano monasterio Classensi, quodque cœnobium hocce possidebat a temporibus Conradi II. & Henrici III. imperatorum, ut liquet ex eorum diplomatibus ad annos 1037. & 1045.

ipsam

Ann. Chr. 1138.

ipsam esse veterem urbem Pausulam adnotatam in Plinii libris, & in itinerario Antonini, quindecim milliaribus a Firmo Piceno, novem ab urbe Potentia distantem, de cujus situ, & nomine, quod hodie obtinere creditur, videatur Camillus Lilius in historia Camerini [a]. Quæ omnia Gualterius tribuit *salvo tamen in omnibus Ravennatis ecclesie jure ac reverentia*, videlicet, *ut abbas predicti monasterii a sancte ecclesie Ravennatis archiepiscopo, si catholicus fuerit, benedictionem absque juramento percipiat; vocatus ad synodum, & ad capitulum & ad solitas processiones, nisi canonice prepeditus fuerit, veniat, debitam & canonicam justitiam faciat & recipiat, cum excommunicatis non participet, ordinationem & consecrationem ecclesiarum & personarum a Ravennate archiepiscopo, si catholicus fuerit, accipiat, sin autem a quocumque maluerit episcopo; possessiones predicti monasterii sine consensu archiepiscopi vel Ravennatis ecclesie & prioris Camaldulensis nullo modo alienet. Debitas autem consuetudines videlicet servitium convivii in festo sancti Apollinaris, & obsequium, quod exactum esse dicitur in eundo ad papam vel imperatorem, & si que alie exactiones relinquuntur arbitrio & beneplacito prioris Camaldulensis & abbatis ejusdem loci. Obsequium vero prandii, quod cardinalibus & cantoribus de jure debetur in festo sancti Vincentii, cum honore & reverentia eis tribuatur. Potestatem autem destituendi vel instituendi abbatem, vel monachos sive conversos Camaldulensi priori secundum consuetudinem omnino & absolutam concedit*. De his conditionibus, necnon de litibus, compositionibus, & concordiis secutis tempore progrediente, suis locis. Chartam superiorem edidit Fortunius, sed sine subscriptionibus, quam cum iis emendatiorem ex authentico tabularii archiepiscopalis Ravennæ amandamus ad Appendicem. Teste insuper Ubaldo altero Ravennæ archiepiscopo in privilegio anni 1210. indulgentiam trium annorum, quam pro capitalibus delictis & pro omnibus peccatis minutis consequebantur visitantes ecclesiam sancti Apollinaris, auxit Gualterius additamento unius anni, ore proprio amplians, ac visitantibus die consecrationis ecclesiæ, quæ fit VII. idus maji, usque ad octavam festivitatis sancti Apollinaris, quæ est III. kalendas augusti, remissionem quatuor annorum dilargitus. Persuasus omnino erat Gualterius de existentia corporis sancti Apollinaris in basilica Classensi; nam cuidam Ferrariensi sindonem pretiosam ad altare sancti Apollinaris offerre cupienti ait [b]: *Vade ad ecclesiam Classis, ibique verum beati Apollinaris altare invenies, ubi sacrum corpus requiescit, & in eodem juxta præceptum Domini tuæ devotionis vota persolve*.

„ Igitur Azo prior Camaldulensis, subdit Fortunius, instituta ad cœ„ nobium Classis congregatione nova, Henricum abbatem ibi præfecit, „ qui ratus rem cœnobii facilius augeri ac servari posse, si antiquis loci „ privilegiis uti liceret, impetravit plumbatum diploma, ut bona tempo„ ralia quæcumque una cum spiritualibus absque cujusquam improbi in„ juria, salva atque illæsa cœnobio in perpetuum permaneant, irrogata „ privilegiorum quorumcumque confirmatione anno IX. Innocentii II. pa„ pæ “, hoc est anno præsenti, quod privilegium nos minime vidimus.

XX. Gualterius archiep. Ravennas beneficus etiam in monasterium Ravennas S. Petri ad Vincula.

Etiam in alia monasteria suæ ditionis beneficum se ostendit præfatus Ravennas archiepiscopus. In tabulario [c] archiepiscopali ejusdem urbis reperimus hoc ipso anno eumdem donasse ad viginti annos quoddam casale positum in Caucanizi Henrico abbati monasterii sancti Petri in Vinculis Ravennatis territorii. Successerat Henricus Rodulpho, cujus memoria exstat in eodem archivo ad annum [d] 1130. Rodulpho vel ejus antecessori idem Gualterius antistes donaverat anno 1122. tres partes fundi in ple-

be

a P. I. lib. III. pag. 78.

b Script. rer. Italicar. T. I. P. II. pag. 546.

c H. n. 3789. & n. 3690.

d G. n. 2536. B. n. 367.

Ann. Chr. 1138.

be sancti Petri in Pisignano. Prope ecclesiam præfati monasterii ædificata fuit ad hæc tempora turris latericia, ut observavit etiam in laterculo dictæ turris Sartius, [a] qui in suo opere *de episcopis Eugubinis* scribit se legisse ibidem hanc inscriptionem:

ISTE.PETRE.VENERVNT.EX.PARTIBVS.FAVENTIE.A.SANCTA.LVSA.NOMINE,

id est ex loco, cui hodie nomen sancta Lucia. Scilicet cum frequenter, ut aliæ urbes, ita & urbs Faventia incendiis conflagraret, teste magistro Tolosano canonico in historia Faventina, ad hoc ut damna ignis Faventini possent vitare, conductis aliunde artificibus, *tegulas & cuppos ad cooperiendas domos facere illo tempore cœperunt, & sic Deo dante plaga cessavit prædicta.*

XXI. Chartæ Agnanienses.

Habemus ex tabulario sanctæ Mariæ in Gradibus Arretii prioratui sancti Gaudentii, & Rustico loci priori factam fuisse hoc anno donationem terrarum positarum *in pleberio sancti Stephani in vico Sexto infra curtem Castelli-novi in locis Caprajola & Colle.* Raginerius autem erat abbas sanctæ Mariæ de Agnano [b] ex alia hujus anni donationis pagina in eodem chartario, cui monasterio Agnaniensi subjectus erat prioratus sancti Gaudentii.

XXII. De marchionibus Thusciæ post Rainerium III.

Guido marchio filius quondam Rainerii marchionis consistens hoc *anno millesimo centesimo tricesimo nono* (stilo scilicet Pisano, ut docet nos indictio) *Cumrado rege mense julio indictione prima* in ecclesia nostra sancti Michaelis sita in suburbio civitatis Arretinæ coram Deo, & præsentibus Mauro Arretino præsule, & Azone priore Camaldulensis ecclesiæ, quem postremum in signum pacis & concordiæ osculatus fuit, libellum refutationis scribit eidem Azoni omnium usuum, quos usurpaverant, post donationem Bernardini filii Sidoniæ factam eremo Camaldulensi, vel ipse vel ejus majores, nihil sibi, neque uxori suæ, neque filiis & hæredibus exinde reservans. Transactionem hanc edimus in Appendice ex autographo tabularii Fontis-boni. Conradus hujus nominis III. frater Friderici ducis Sueviæ, electus fuerat legitime anno præsenti in Germaniæ & Italiæ regem ob mortem Lotharii imperatoris, quæ contigerat præterito anno desinente, postquam diu annis antecedentibus pro imperio & regno contra Lotharium decertaverat.

Quoad Guidonem marchionem, is filius erat Rainerii III. marchionis, de quo, ut de ceteris Raineriis ac de Uguccione marchione ejus majoribus, plura perstrinximus ad annum 1011. Præter ea, quæ ibidem diximus, superstes fuit Rainerius III. ad annum 1105. immo & ad annum 1117. ut ex chartis nostris jam productis liquet. Quare fragmentum chartæ ex Arretino canonicorum tabulario editæ a Muratorio [c], in qua *anno* M.LXXXXVIII. *mense septembri regnante Henrico rege indictione* V. nominatur *Ugizo filius quondam Rainerii, qui fuit marchio, & Ugolinus filius Henrigi marchio*, intelligendum est de Uguccione I. marchione filio Rainerii I. & de Ugolino filio Henrici marchionis fratris Rainerii II. hujusque postremi nepote, non quod ad eum annum 1098. vitam uterque produxissent, sed quod ante ipsum annum, dum in vivis erant, concessissent ii domum cuidam Fantino, qui in ea pagina nominatur. Ex chartis insuper nostris innotescunt filii, quos Rainerius III. suscepit ex Trota seu Catharina uxore sua filia comitis Tassonis; Uguccionem scilicet, quem una cum patre memoravimus ad eumdem annum 1117. & secundum proinde hujus nominis appellabimus; alterum vero filium Guidonem marchionem nominatum in charta præsentis anni. Hujus Guidonis rursus

fit

[a] Pag. lxxv.

[b] *Num.* 52.

[c] *Antiq. Esten.* P. I. pag. 317.

Ann. Chr. 1138.

fit mentio [a] in charta archivi Camaldulensis ad annum 1143. mense januario, ,, quo Gobelinus quondam Redolphi, & Azolinus presbyter quondam Teuzi cum licentia & refutatione Guidonis marchionis quondam ,, Rainerii paginam venditionis conscripserunt Petro priori eremi nostre ,, de Fleri. " Demum ,, anno 1145. prima die januarii idem Guido ,, marchio filius quondam Rainerii fecit finem & refutationem domno ,, Ugono priori monasterii sancti Quirici de Rosis & domno Johanni mi- ,, nisteriali eremi Camaldulensis pro ipsa eremo totius juris sui, actionis, ,, & usus justi vel injusti, quæ prætendebat in totam possessionem Pinel- ,, li in territorio sancti Martini de Fojano vocabulo Curte-vetere, & ac- ,, cepit meritum psalmodiarum & orationum totius congregationis præfa- ,, tæ eremi & solidorum XXX. manu Guidonis notatii. " Id novimus [b] ex summariis ejusdem archivi elaboratis a Baroncinio. Circa hæc tempora idem Guido & ejus frater Uguccio marchiones in auxilium advocati fuere ab abbate & ab oppidanis Burgensibus, ut diximus anno antecedenti, cum de monasterio Burgi-sancti-sepulcri verba fecimus, fusiusque dicemus ad annum 1163. Ex Guidone & Uguccione marchionibus nati Guido & Rigus marchiones, quorum Guido filius erat Guidonis, & Rigus seu Henricus filius Uguccionis. Iis præsentibus firmatum est anno 1163. ipsos eorumque patres Guidonem & Uguccionem nil juris unquam habuisse in Burgum-sancti-sepulcri. Eodem anno Kalendis augusti adstitere ambo placito alteri Senensi habito ab archiepiscopo Coloniensi Raynaldo, ubi appellantur Henricus marchio filius Uguccionis marchionis, & Guido filius Guidonis marchionis [c] apud Muratorium. Fratrem hi postremi facile habebant Ugolinum; nam leguntur Rigo & Ugolinus marchiones, quibus erant uxores Odolina & Imilia [d] apud Soldanium, in breve securitatis confecto ad favorem Teuzonis abbatis monasterii sanctæ Mariæ de Petrorio anno M. C. LXVI. Kalendis decembris indictione XIII. Et forte alter Rigonis & Guidonis frater, vel filius alterutrius erat alius Rainerius marchio, cui Christianus Moguntinæ sedis archiepiscopus inhibuit [e] anno 1174. *ne deinceps homines de Anglari vel de Monte-aureo in suum usum violenter audeat revocare* contra jus Camaldulensium. Cujus filius fuerit Philippus appellatus pater Uguccionis marchionis, & nominatus in diplomate Friderici I. imperatoris concesso anno 1162. eidem Uguccioni [f] apud præfatum Soldanium, ignoramus. Anno 1167. idem Fridericus imp. investivit Henricum marchionem *de marchia Guidonis quondam marchionis, & de omnibus rebus, de quibus idem marchio fuerat investitus*, & si Henricus obierit sine hæredibus masculis, in jus ipsius decrevit transire debere Ugolinum fratrem ipsius Henrici. Conjicimus Guidonem II. marchionem filium alterius Guidonis marchionis decessisse sine liberis; marchiam proinde ipsius tradidit Fridericus prius ejus consobrino Henrico, inde alteri minori natu consobrino Ugolino. Henricum marchionem hunc putat Muratorius requirendum inter marchiones Carretti, sed majorem veri speciem habet venire in Fridericiano diplomate marchiones ex Raineriorum familia natos. Friderici diploma ediderunt iidem [g] Muratorius & [h] Soldanius. Has notitias libenter heic loci addidimus, tum ad continuandam seriem nostram marchionum Raineriorum ex documentis & ex antiquis chartis potissimum penes nos existentibus, tum etiam ad illustrandam vel ad emendandam quoque in nonnullis errantem Soldanii seriem eorumdem marchionum pag. 86. historiæ Passinianensis prostantem, qui inter cetera Uguccionem nepotem fecit Rainerii III. neque eum filium ejusdem fuisse agnovit, quique Guidonis alterius filii præfati Rainerii III. liberos ullos non

a §. *Mutilæ*. n. 19.
b §. *Refutatio*. n. 37.
c *Antiq. med. ævi* T. IV. col. 574.
d *Hist. Passiniani* pag. 60.
e §. *Privileg*. n. 40.
f *Hist. Passinian*. pag. 82.
g *Antiq*. T. I. col. 317.
h *Hist. Passin*. pag. 84.

non recensens, patremque Guidonem cum filio ejusdem nominis unum faciens duos Guidones non distinxit.

Ann. Chr. 1138. XXIII. Benedictus mon. Avellanensis fit ep. Fulginas.

Benedictus, qui ex monacho sanctæ Crucis de Fonte-avellana ad sedem Fulginatis ecclesiæ postulatus fuerat, retulit hoc anno III. idus junii ex Laterano ab Innocentio II. Romano pontifice gratiosum diploma, quo recensita leguntur bona ejus ecclesiæ. Liberalis ipse episcopus ac munificus in ceteros, ne suos præteriisse videretur, ut ait Ughellius in episcopis Fulginatibus, monachos congregationis Avellanæ in sancti Claudii Fulginii ecclesiam introduxit, ut per eosdem ibidem divinum obsequium impensius persolveretur. Ecclesia sancti Claudii non reperitur in bulla Innocentiana anni sequentis pro monasterio Avellanensi, in qua enumerantur ejusdem cœnobii ecclesiæ; quare facile post eum annum tantummodo concessa fuerit Avellanensibus a Benedicto episcopo. Perseverarunt Avellanenses in ecclesia sancti Claudii usque ad tempora Gregorii papæ IX. integro seculo, donec emptam suis sumptibus ecclesiam præfatam idem Romanus pontifex tradidit monasterio sanctæ Mariæ de civitate Fulginii ordinis sancti Damiani, & confirmavit Innocentius papa IV. ut liquet ex Wadingo [a], & seculo sequenti videbimus.

[a] T. III. pag. 546.

Ann. Chr. 1139. XXIV. Obitus S. Johannis abb. Pulsanensis. De Paschasio abbate Vallis S. Crucis.

Obiit hoc anno XII. kalendas junias sanctus Johannes Pulsanensis abbas, qui ex urbe Matera Apuliæ civitate oriundus, postquam Tarenti in monasterio vixit partim, partim in Calabria & Sicilia in eremis, inde demum Sipontum se conferens, in monte substitit, Pulsano appellato, ubi multis ad eum confluentibus discipulis congregationem monachorum alborum ordinis sancti Benedicti instituit, Pulsanensem ab ipso loco dictam, eodem tempore, quo sanctus Guilielmus Vercellensis amicitia cum ipso conjunctus, quique post quadriennium ad superos evolavit, alterius monachorum ordinis itidem sancti Benedicti & Montis-virginis congregationis, habitus similiter albi, extitit auctor. Sunt qui suspicantur eremos illas, in quibus Johannes Materensis aliquandiu vitam duxit, excultas fuisse & inhabitatas a discipulis beati Marini, magistri primum, inde discipuli sancti patris nostri Romualdi, vel ab eorum successoribus. Scimus enim testimonio Damiani [b] Marinum ex Cuxano, ubi cum Romualdo vixerat, revertentem in Apuliam concessisse, ibidemque eremiticam vitam, cui erat assuetus, & quam perfectiorem didicerat ab eodem Romualdo, propagasse, antequam a Saracenis jugulatus martyr occumberet. Quidni ergo cœtum monachorum efformaverit, quibus prius sancti Benedicti regulam tradiderit, deinde præceptoris sui exemplo prope monasteria eremos condiderit Marinus, ad quas se reciperent solitariæ vitæ amatores, quarum alteram adierit Johannes Materensis, qui ad ipsorum eremitarum normam suam Pulsanensem congregationem instituerit? Color albus vestium Pulsanensium monachorum affinitatem quamdam declarat cum Camaldulensibus, eorumdemque quodammodo propagationem indicat. In re obscurissima uberioribus argumentis & clarioribus hactenus destituti sumus. Quia vere penes virum nobilem ac eruditum Johannem Baldovinetum Florentinum patricium vidimus æreum sigillum monasterii sanctæ Mariæ Pulsanensis, hic edendum curavimus, sicut suo loco edemus bullam Alexandri papæ III. in qua recensentur monasteria ejusdem congregationis, exscriptam ex autographo tabularii monasterii sanctorum Bartholomæi & Pontiani de Luca, quæ lucem dabit alteri recentiori imperiali præcepto Friderici II. imperatoris Pulsanensis monasterii bona anno 1225. confirmantis, quod habetur apud Ughellium, simulque historiam illu-

[b] Cap. xv. Vit. S. Rom.

Ann. Chr. 1139.

illustrabit ejusdem congregationis monasticæ, apud omnes non omnino cognitæ. Sigillum porro est hujusmodi:



An vero etiam sanctus Paschasius abbas, qui in omnibus ferme catalogis & tabulis Sanctorum ordinis nostri Camaldulensis recensetur, institutorque dicitur monachorum Vallis-sanctæ-Crucis, vel ad Romualdum, vel ad Marinum, vel ad Johannem Pulsanensem pertineat, adhuc incertius est. Archangelus Hastivillius Rotomagensis in Romualdina sive eremitica Camaldulensis ordinis historia, in qua se Majorem ejusdem congregationis in omnibus Galliæ provinciis nominat, edita Parisiis anno 1631. libro I. cap. VII. hæc habet. „ Hujus (supple Romualdi) modestia, „ humilitate atque ædificatione commotus Paschasius ille magnus, cu„ jus corpus hodie Neapoli visitur integrum, Vallis-sanctæ-Crucis con„ gregationem formavit circa annum 1012. " Præter Hastivillium hæc dicentem, Germanum etiam Bottam abbatem nostrum in vitis Sanctorum Camaldulensium, & domnum Basilium du Verge eremitam nostrum Viennensem pereruditum[a] collectorem vitarum ordinis Camaldulensis Sanctorum, qui Hastivillium exscribit, nullum reperimus, qui ampliores notitias nobis subministret. Sed ægre credimus Paschasium esse ad Romualdi tempora referendum, uti etiam non assentimur Bollando, qui tomo II. Februarii ad diem x. conjicit Paschasium forte fuisse septimum abbatem monasterii Montis-virginis, de quo Felix Renda in vita sancti Guilielmi fundatoris edita Neapoli anno 1581. hæc scribit: „ Domno Gabriele abbate sexto „ mortuo, septimus fuit electus, divino spirante numine, Paschasius san„ ctus, cujus corpus sanctissimum inter Sanctorum corpora in sanctuario „ prædicto reperitur ad præsens; suæ enim sanctitatis merito sicut cum „ Christi dilectis obdormivit in terra, ita cum electis gaudet in cœlis. " Paschasium nostrum eumdem fuisse cum Paschasio abbate Montis-virginis non arbitramur, quia corpus primi Paschasii ex Lesinensi ecclesia Neapolim fuit translatum, corpus autem sancti Paschasii abbatis Montis-virginis in Guletensi ecclesia semper asservatum fuit, ut affirmat idem Renda, qui alibi inter reliquias sacrarii Guletensis prope Miscum urbem Hirpinorum recenset corpus sancti Paschasii septimi abbatis Montis-virginis. In veteri martyrologio ante secula aliquot in Italia exarato apud eumdem Bollandum kalendis februarii ista leguntur: *In Monte Gargano depositio beati Paschasii abbatis*. Existimat ergo Bollandus Paschasium abbatem Montis-virginis „ sancti Michaelis venerandi causa profectum ad Montem„ garganum, illic, vel in Pulsanensi cœnobio ejusdem, ut ait, ordinis de„ cessisse, reliquias quapiam causa Lesinam delatas ex parte redditas Gu„ letensibus. " Nos probabilius judicamus alterum fuisse Paschasium institutorem monachorum Vallis-sanctæ-Crucis, & ex discipulis fortasse beati Marini, quique ex Monte-gargano Lesinam se transtulerit, ibidemque obierit, vel qui prope Montem-garganum constiterit, ibique decesserit, cujus sacræ reliquiæ vel ex Gargano Lesinam primum, vel ex Lesina Neapolim translatæ fuerint anno 1598. in basilicam sanctissimæ Annuntia-

a Diarium Camald. T. I. 15. Junii.

tæ,

ANN. CHR. 1139.

tæ, una cum corporibus sanctorum Sabini & Eunomii episcoporum, de quibus agit idem Bollandus sub die IX. februarii. Sancti Paschasii abbatis festum die X. februarii Neapoli & per totam dioecesim agitur officio semiduplici, ut præcepit Decius Carafa cardinalis & Neapolitanus archiepiscopus anno 1619. in edicto de novis officiis, quæ pius ille præsul instituerat, libello typis Constantini Vitalis, in quo de sancto Paschasio hæc proferuntur: „ Hujus etiam reliquiæ ab eadem ecclesia Lesinensi translatæ „ sunt ad ecclesiam sanctissimæ Annuntiatæ. Acta ejusdem sancti abbatis „ injuria temporum perierunt. Cultum tamen ejus viguisse olim apud „ Lesinam civitatem testabatur inscriptio, & honorifica tumulatio in con„ fessione jamdictæ cathedralis ædis Lesinensis, ubi sacra ossa sancti Pas„ chasii reperta sunt una cum aliorum Sanctorum reliquiis Neapolim trans„ latis. " Demum nihil est, quod dicamus de sancto Guilielmo fundatore congregationis Montis-virginis. Felix Renda scribit ipsum religionis habitum album assumpsisse, antequam peregrinationibus sacris daret operam. Exactis peregrinationum annis in Apuliam etiam ipsum concessisse, in jugo Virgiliani montis eremitam quemdam reperisse, candidam vestem suis alumnis a se institutis tradidisse, eremitarum & monachorum habitacula condidisse, ac utramque vitam præscripsisse discipulis suis. Sed hæc ad summum declarant ad Romualdi primi in Occidente patris & institutoris imitationem sanctos hos eremitas habitum album assumpsisse, solitudinisque leges statuisse.

XXV. Ugo ep. Ortellensis tradit eccl. S. Petri in Olim in Sardinia Camaldulensibus.

TABULARIUM Fontis-boni exhibet donationem factam hoc *anno millesimo centesimo trigesimo nono indictione secunda* ab Ugone episcopo ecclesiæ sancti Johannis sitæ in loco dicto Ortili, sive episcopo Ortellense in Sardinia, qui tradidit ecclesiam sancti Petri in loco *Olim* cum omnibus suis pertinentiis ecclesiæ sancti Salvatoris de eremo Camaldulensi, & Azoni priori, *qui ibi preesse dignoscitur cum ceteris fratribus in eodem loco Christo servientibus*, salvo jure matricis ecclesiæ. Subscripsit ipse Ugo Ortellensis episcopus, tum Petrus archiepiscopus Turritanus, Gualfredus Plovacensis, Johannes Sorrensis & Marianus Ardarensis episcopi. Demum Balduinus Pisanus archiepiscopus atque Romanus legatus, & Azo Tyrensis archiepiscopus chartam donationis confirmarunt & subscripsere. Visitur in suprarelata donationis charta adhuc sigillum Ugonis Ortellensis episcopi in cera alba cum tribus consimilibus sigillis parvulis, & duas aves volantes repræsentat. Petrus archiepiscopus Turritanus appellatur Petrus de Canetu in alia charta donationis, quam Gunnarius rex Turritanus fecit anno 1136. monasterio Casinensi. Azo Tyrensis archiepiscopus ignotus est, neque nominatur a Willielmo archiepiscopo itidem Tyrensi, neque reperitur in Oriente Christiano Lequienii. Scimus enim ex eodem Willielmo [a] *per eosdem dies*, hoc est circa hæc tempora *migrasse ad Dominum carnis onere deposito* ejus scriptoris prædecessorem *Willelmum, primum Latinorum Tyrensium archiepiscopum post urbis liberationem, ad titulum ecclesiæ, cujus urbis, dum adhuc ab hostibus detineretur, ordinatus fuerat quidam Odo*, qui ante ejusdem urbis liberationem vita decesserat; cui Willielmo *suffectus fuit dominus Fulcherus bonæ memoriæ, Aquitanicus natione, patria Engolismensis, vir religiosus ac timens Deum, modice literatus, sed constans, & amator disciplinæ.* Porro Fulcherus *rexit eamdem ecclesiam strenue ac feliciter annis duodecim quartus ante nos*, subdit idem historicus; post Fulcherum sedit Radulphus, Radulpho substitutus fuit Petrus, Petro Fredericus Acconensis episcopus, Frederico ipse Willielmus. Tempus proinde non reperitur, quo eamdem

[a] *Apud Lequien pag.* 858.

ANN. CHR. 1139.

ecclesiam rexerit Azo ex allata charta nostra cognitus. Pariter Fulcherus interfuisse legitur synodo Antiochenæ, in qua depositus & damnatus fuit Radulphus patriarcha Antiochenus. Hujus synodi tempus refertur ad annum 1136. sed melius in novissima Labbeana conciliorum editione ad annum 1142. signatur, cum ei synodo præfuerit Albericus cardinalis Ostiensis episcopus & apostolicæ sedis legatus, qui post annum dumtaxat 1138. suffectus fuit in locum Drogonis episcopi Ostiensis. Reliquum ergo est vel Willielmum I. vel Fulcherum binomium fuisse, & alterum Azonis nomen tulisse, qui post Balduinum archiepiscopum Pisanum & Sardiniæ primatem subscripserit præfatæ paginæ donationis Ugonis episcopi Ortellensis factæ eremo Camaldulensi. Tyrensem archiepiscopum hoc anno 1139. abfuisse a sua ecclesia colligitur ex vita sancti Raynerii ab Aqua Pisani, qui viginti annis, antequam ad Deum evolaret, erat in urbe Tyrensi [a] *in ecclesia beatæ Mariæ virginis, Sidonis episcopo vice archiepiscopi illius, qui tunc Romam abierat, missam canente in die nativitatis Domini nostri Jesu Christi*. Porro Rainerius obiit anno 1160.

a Num. 26. apud Boll. T. III. jun. pag. 431.

XXVI. De monasterio S. Quirici de Rosis.

IN summariis antiquis instrumentorum Fontis-boni hæc leguntur [b] sub hoc anno: *Ugolinus Uberti per se suosque heredes in perpetuum vendidit domno Ugoni priori monasterii sancti Quirici portionem suam castri de Fracta cum ecclesia, carbonaria, villis, & silvis & pertinentiis infra hos fines, scilicet vadit via de Anglo ad Cocianum usque ad Alfianum, & Coniclum & ad portum Anguillarem pro pretio librarum* III. *& solidos* VI. *sub annis Domini* M. C. XXXVIIII. *mense novembri. Charta manu Tancredi notarii*. Ugo prior in locum suffectus fuerat Johannis, cujus nomen legitur in tabulario Fontis-boni ad annum 1128.

a Pag. 173.

XXVII. Privilegium Innocentii II. pp. pro monast. Vangaticiensi.

INNOCENTIUS papa II. ditavit monasterium Vangaticiense ejusque abbatem Litaldum privilegio, quod autographum servat amicissimus noster & V. Cl. Johannes Brunatius. Exscribitur ferme in eo privilegium Calixti II. quod ad annum 1123. attulimus; recensentur eædem ecclesiæ subjectæ monasterio Vangaticiensi, eædemque cœnobio conceduntur immunitates. Ipsi Litaldo abbati & tribus ejus successoribus hoc eodem *anno die sexto decimo mensis decembris indictione tertia*, incœpta mense septembri, concessit Gualterius archiepiscopus Ravennas in emphyteusim fundos aliquot de jure Ravennatis ecclesiæ. Quæ tabulæ extant in archivo Vangaticiensi.

XXVIII. Aliud pro eremo Fontis-avellanæ.

SED amplissimum est privilegium datum hoc eodem anno ab ipso Innocentio Benedicto priori eremi sanctæ Crucis Fontis-avellanæ, quod ex archivo Armanno Eugubii nobis exscripsere Turcius & Sartius. In quo cum recenseantur ecclesiæ & monasteria omnia, quæ subjecta erant tunc temporis eremo sanctæ Crucis, non injucundum erit ex eodem privilegio texere hic loci eorum syllabum ad illustrationem Avellanensis eremi. Obtinebat ergo eremus Fontis-avellanæ in civitate Ariminensi ecclesiam sancti Silvestri; in comitatu Fanensi extra civitatem ecclesias sancti Salvatoris, sancti Martini de Exaltaria, sancti Martini de Barti, & sancti Silvestri de Ruico; in comitatu Senogalliensi ecclesiam sancti Bartholomæi cum palatio; extra urbem ecclesiam sancti Septimii, plebem sancti Erasmi, ecclesiam sanctæ Mariæ de Cerreniano, & sancti Eleutherii, curtem Fractulæ & curtem Calcinariæ, castrum Laureti, medietatem castri Nonte cum suis ecclesiis; in comitatu Æsino ecclesiam sanctæ Crucis; in Auximano ecclesiam sancti Laurentii & sancti Exsuperantii de Cingulo cum aliis ecclesiis; in episcopatu Humanatensi ecclesiam sanctæ Mariæ de Recanato cum aliis, & ecclesiam sancti Silvestri juxta castrum Guicardi; in comi-

comitatu Asculano ecclesiam sancti Hilarii; in Firmano jus in ecclesiam sancti Paterniani juxta castrum sancti Johannis, ecclesiam sancti Leonardi de Volubrio cum suis ecclesiis; In Camerinensi ecclesiam sancti Domnini de Valentiano, sancti Damiani juxta castrum sanctæ Anatoliæ, sancti Michaelis de Aquavivola, sancti Michaelis de Calisiane; in civitate Spoletana ecclesiam sancti Andreæ & sancti Fabiani de Trevi; in Nucerino comitatu ecclesias sanctæ Crucis de Staviniano, sancti Antonini de Postiniane, sancti Blasii de Balciano, sancti Romani de Gaphano, sancti Prosperi, & jus in plebem sanctæ Mariæ de Gualdo, & in ecclesias sanctæ Mariæ de Rotundo, sancti Stephani de Gardinasia, sancti Laurentii de Lametula, & ecclesiam de Collalto; in comitatu Eugubino monasterium sancti Andreæ de Insula cum castris, villis & ecclesiis suis, monasterium sancti Bartholomæi de Camporegiano cum castris, ecclesiis & villulis, monasterium sancti Petri de Salajolo cum ecclesiis, villis &c. ecclesiam sancti Apollinaris de Bartiano (*forte* de Nartianula). Castrum de Castellari cum ecclesiis sancti Silvestri & sancti Christophori, & jus in ecclesiam sancti Laurentii de Postserra, ecclesiam sancti Johannis de Bottano, jus in ecclesiam sancti Mariani de Palcano, monasterium sancti Abundii, & plebem sancti Angeli de Clantida cum ecclesiis suis, castrum de Ripalta cum ecclesia, & ecclesiam sanctæ Mariæ de Pondo. In comitatu Calliensi ecclesiam sancti Bartholomæi de Fleruleta, monasterium sancti Angeli de Sorticulo cum suis ecclesiis, castrum de Turre, collem de Benno cum ecclesiis, ecclesiam sancti Martini de Monte-aculeo, castrum Montis-ficconis cum ecclesia sancti Angeli, ecclesiam sancti Bartholomæi, sancti Marcelli de Taruco, sancti Christophori de Scotaneto, sancti Paterniani, cum jure in plebem sancti Flaviani. In comitatu Urbinate ecclesiam sanctæ Mariæ de Rancalesto, sanctæ Mariæ de Spineto, sancti Mariani, & sancti Petri de Crucicula. In comitatu Castellano castrum Montis-majoris, & monasterium sanctæ Crucis in eodem castro cum ecclesiis & villis. In comitatu Perusino in suburbio civitatis ecclesiam sancti Quirici, jus in ecclesiam de Pilo, ecclesiam sancti Blasii de Rantello, ecclesiam sancti Martini de Mantiniano, & eremum sancti Salvatoris de Monte-albo cum ecclesiis & villis. Privilegium hocce, in quo post Innocentium subscribunt quinque cardinales nimirum Gerardus presbyter cardinalis sanctæ Crucis; is etiam cancellarii officium gessit, & subinde Romanus pontifex evasit sub nomine Lucii II. Gotifredus Vestinæ hoc est Lictifredus, Martinus sancti Stephani in Cœlio monte, & Otto sancti Georgii in Velabro diaconus cardinalis, *Datum* est *Laterani per manum Aimerici sancte Romane ecclesie cardinalis & cancellarii octavo kalendas junii indictione secunda incarnationis Dominice* M. C. XXXVIIII. *pontificatus vero domini Innocentii pape* II. *anno* X. Ipsum integrum damus in Appendice ex apographo exscripto a tribus notariis coram Andrea judice anno M. CC. LXXVIII. De his ecclesiis & monasteriis aliqua dicta annis præcedentibus, aliqua etiam occurrent dicenda in sequentibus. Eremus sancti Salvatoris de Monte-albo in comitatu Perusino, nominata quoque ab Honorio III. ad annum 1218. distinguenda est ab altera eremo seu monasterio sancti Salvatoris de Monte-acuto sito in eodem comitatu, quod Romualdi & Petri Damiani incolatu fuit celebre. Eremus de Monte-albo memoratur a Secundo Lancellotto [a] in historia cœnobii Montis-morcini ejusdem Perusinæ diœcesis, ad quod cœnobium scribit quadraginta circiter annis pertinuisse sacerdotium, sive prioratum sancti Salvatoris de Monte-albo, vulgo eremum, quem prioratum

[a] *Pag.* 154.

anno

ANN. CHR. 1139.

anno 1507. monachis congregationis Montis-oliveti Julius II. Romanus pontifex detulerat, anno autem 1539. post maximum sumptum amissum scribit.

Eodem anno ipso Benedicto priore Avellanensi orante, Innocentium II. potestati, & communi Callii præcepisse sub gravibus pœnis, ne collectas imponerent monasterio Fontis-avellanæ ejusque membris scribit [a] Jacobillius.

a Sanct. Umbr. T. III. p. 345.

XXIX. Donationes factæ a marchionibus Estensibus cœnobio S. Mariæ ad Carceres.

PRÆSENTI *anno Christi millesimo centesimo trigesimo nono indictione secunda die lune, qui est pridie nonas decembris*, ecclesiæ sanctæ Mariæ *in fundo de Este, ubi dicitur Carcere, & ubi domnus Fabianus prior adesse videtur*, Azo & Fulco marchiones Estenses ex natione sua lege profitentes vivere Langobardorum, concedunt usum aquæ in fundo villæ, ubi dicitur *Fossa-cavata, usque ad locum Scardevare*, cum potestate piscandi & *cogolares faciendi*. Actum est hoc *in Montagnana in castellaro*. Quam donationem confirmat anno sequenti Bonifacius marchio Estensis frater marchionum Azonis & Fulconis die XII. aprilis indictione III. *Factum in Monte Silice*. Azo videtur obiisse anno 1142. nam *anno Domini millesimo centesimo quadragesimo secundo indictione* V. *die* XV. *mensis julii* testamentarias tabulas fecit, quibus reliquit hospitali Jerusalem totum illud, quod habebat jure proprio, jure libellario, emphyteutico & colonico a Lusia & a Remedello de Fracta, & a villa Comitissæ usque ad Venetiam, & usque ad plenum mare, & quidquid habebat in comitatibus Rhodigii, Gavelli & Adriæ, & in curtibus Tribani & Aquæ. Uxor Azonis appellabatur Aichiva, cui relinquit, quidquid habebat in curte Urbanæ, & partem de Caracedulo, quam diviserat a fratribus suis, partem Fractæ a flumine Athesis usque ad hospitale Trium-comitatuum, & quidquid possidebat in sancto Salvatore & in Silvarolo. In reliquis, quæ obtinebat in Langobardia, in Merlaria & in Este instituit hæredes fratres suos.

ANN. CHR. 1140.

XXX. Inventio corporis S. Clementis in abbatia Volaterrana.

CUM monachi cœnobii sanctorum Justi & Clementis post ea tempora, quibus sub Rogerio episcopo Volaterrano, & Bonino abbate existente, tradita fuerat eadem abbatia Camaldulensibus, nulli non parcerent operæ, ut corpora ipsorum Christi confessorum in basilica monasterii quiescentium reperirent, factum est, ut hoc demum anno inventum fuerit corpus sancti Clementis in humili tumulo ejusdem basilicæ, quæ aliqua sui parte ruinam minitabatur. De anno inventionis constat ex actis postremæ translationis factæ jussu sacræ congregationis episcoporum & regularium anno M.DC.XXVIII. in quibus hæc memoriæ mandata fuere. (Aliis omissis.) „ Deputati statuere invisere veterem urnam, in qua primitus „ sanctum corpus conditum fuerat. Est arca, inquiunt, lapidea, quadra- „ ta, duos pedes alta ac longa, lata vero uno pede; petra cooperiens „ est sepulcro conveniens, forma simplex & omni ornamento & figuris „ nudata. Hæc tamen verba in ea leguntur vetustissimis notis: HIC. RE- „ QVIESCIT. CORPVS. BEATI. CLEMENTIS. ET. INVENTVM. „ EST. SVB. TEMPORIBVS INNOCENTII. PAPAE. II. M. C. XXXX. „ Erant in eadem arca seræ duæ plumbo munitæ, sed tamen apertæ. Ur- „ nam absque ulla clavi reseratam ossibus plenam vidimus, quæ unius „ corporis integri esse noscebantur. Repertum autem sacrum corpus mo- „ nachi sub sancti Sebastiani ara condiderunt. “

XXXI. Et SS. Actiniæ & Græcinianæ.

EADEM opportunitate, qua sollicite monachi Volaterrani perquirebant sacra corpora sanctorum Justi & Clementis, contigit etiam, ut reperirent

corpora

corpora sanctarum martyrum Actiniæ & Græcinianæ in eadem basilica depositarum. Fallitur Fortunius, qui inventionem hanc refert ad annum salutis fere ducentesimum supra millesimum. Cum enim conjungat inventionem corporum sanctarum martyrum cum inventione corporis sancti Clementis, eodemque tempore utramque accidisse affirmet, & cum ex relatis actibus, ac ex veteri inscriptione constet corpus sancti Clementis repertum fuisse anno 1140. tempore Innocentii II. non III. ad eumdem etiam annum assignanda est detectio sacrorum corporum Actiniæ & Græcinianæ. Sed Fortunium [a] audiamus in eodem Volaterranensi cœnobio ad plures annos moras trahentem. „ Duæ castissimæ feminæ Actinia & Græ„ciniana in acerrimis Christianæ religionis persecutionibus suo sanguine „ patrium solum madefecerunt, atque illustrarunt. Hæ Volaterranæ fue„runt, sed virgines-ne, an matronæ (ut earum civis optimus ac erudi„tissimus Raphael Maphæus insinuat) satis exploratum nemini sane est. „ Verum Diocletiano & Maximiano imperantibus martyrium sustulerunt. „ Earumque corpora ne quid turpitudinis, præter jam inflicta vulnera, „ post mortem iisdem infligeretur, pii religiosique Christicolæ humo lon„ge altius effossa contexerunt. Ibique duo elogia, plumbeum unum, & „ alterum marmoreum consulto posuerunt, ut si quando a Christi-fideli„bus inventa forent, confestim scirent, ea esse pudicissimarum san„ctissimarumque mulierum corpora præcipuis honoribus decoranda. „ Vel si alterum forsitan vetustate absumeretur, tanta Sanctarum vir„tus per alterum posteritati patefieret, eidemque imitandi exemplum „ pariter relinqueretur. Cum igitur incognita illic perdiu jacuissent, „ factum est Dei voluntate, ut anno salutis fere ducentesimo supra „ millesimum cœnobitæ sanctorum Confessorum corpus beati Clemen„tis quæritandi cupiditate quammaxima flagrarent; atque idcirco ip„sius basilicam effodere cum incepissent, non solum corpus, quod „ diligentissime perquirerent, demum Dei benignitate invenerunt, sed „ marmoreum etiam lapidem templi parieti propinquum forte repere„runt, ubi Sanctarum nomina præclare satis legebantur. Sed quo tem„pore quove supplicii genere vitam deseruissent, vix cognosci poterat, „ cum adnotatio obscuris minutisque literulis constaret. Et quamvis hanc „ ob rem pluribus in locis multorum eximia ingenia consuluissent, nil „ tamen certi unquam allatum fuit. Cum vero hæc agerentur, divina „ agente providentia contigit, ut res ipsa religioso homini cuipiam Vo„laterrano tota in somnis aperiretur. Qui quidem locum, ubi mulieres „ illæ sitæ essent, sic ad unguem indicavit, ut ambarum corpora cum „ elogio plumbeo statim reperta fuerint. Quamobrem quotquot adessent, „ lætitia incredibili affecti Deo multas ac mirificas gratias egerunt. Illic „ per id tempus a dæmone quidam obsessus forte aderat, ut sanctorum „ Confessorum meritis a Domino liberaretur. Qui quidem dæmon, dum „ adjuraretur, cum multa effutire non desiisset, fassus est se carnificum „ animos ad feminas ipsas sævissime cruciandas etiam atrociores reddidisse; „ ipsasque easdem tamquam ex animo Christi æmulas permulta sublatu „ difficillima pertulisse. Demum vero alteram capitis obtruncatione, alte„ram autem jaculi transfixione martyrium feliciter consumavisse. Quod „ ipsum dum a monachis corpora versantibus veritatis indagandæ gratia „ studiosius vestigaretur, ex apparentibus in utraque liquido signis, patuit „ omnibus manifestissime diabolum probe vereque omnia, quæcumque at„testatus fuerat; adjecisse. " Et post pauca: „ His itaque gestis monachi „ simulque urbis ordo sacer & populus convenientes Sanctarum corpora „ ad

Ann. Chr. 1140.

[a] Pag. 59.

Ann. Chr. 1140.

„ ad cœnobii templum Christo servatori atque beato Benedicto dicatum „ transferentes, sub ara basilicæ maxima reverentissime composuerunt. „ Innocentius vero pont. max. illius nominis, ut conjicitur III. transla- „ tionis diem, qui fuit XVI. cal. julias colendum perpetuoque venerandum „ accolis demandavit. " Addunt prædicti Actorum collectores in suprarelata translatione anni 1628. laminam plumbeam hanc tulisse inscriptionem.

HAE. DVAE. FEMINAE. ACTINIA. ET. GRAECINIANA

TEMPORIBVS. DIOCLETIANI. ET. MAXIMIANI. SVNT. PASSAE

Et insuper habent: „ Hujus rei fama celeriter divulgata Adimarius epi- „ scopus " (qui saltem ad annum 1137. subrogatus fuerat in Volaterrana sede Crescentio) „ cum clero, magistratibus & Volaterrano populo a „ divi Justi ecclesia in sancti Salvatoris abbatiæ sancti Justi templum sol- „ lemni processione Sanctarum reliquias transferendas curavit, quas XVI. „ die junii sub majori altari honorifice conditas collocavit. Quæ dies a „ Volaterranis Innocentii II. diplomate festiva habetur, & sollemni ritu „ in earum honorem officium celebratur. Quod totum refertur in prædi- „ ctarum Sanctarum lectionibus & hymno, quæ ex Leonis X. præcepto „ recitat ecclesia, in memorialibus quoque abbatiæ libris, quæque domnus „ Augustinus Fortunius in sancti Justi vita, omnes alii recentiores testan- „ tur. " Hæc ex actis translationis anni 1628. de qua aliisque subsecutis translationibus corporum tam sanctorum Justi & Clementis, quam sanctarum martyrum Actiniæ & Græcinianæ historiam suis annis prosequemur. Ceterum Adimarium episcopum Volaterranum successisse Crescentio ante annum 1139. quo ipsum electum fuisse episcopum ejus sedis arbitratur Ughellius, liquido colligimus ex documento existente in tabulario archinosocomii Scalæ Senarum, in quo [a] ad annum 1137. mense novembri Adimarius episcopus Volaterranus consensu canonicorum & suorum fidelium permutat cum Rainerio episcopo Senensi medietatem castri & burgorum Montielli, excepta canonica sancti Nicolai & ecclesia ejusdem castri, & medietatem Argenteriæ, quam Crescentius prædecessor suus emerat a comite Ranuccino Pannocchia; plateam quoque cum suo ædificio in castro Clusino, & duas alias plateas in burgo dicti castri; recipiens e contra ab episcopo Senensi totum id, quod ecclesia Senensis possidebat in territorio Sorsciani; Rolando judice & notario.

a Num. 476. T. I. pag. 14.

XXXII. Donatio Mauri ep. Arretini eremo Camald.

Eodem *anno millesimo centesimo quadragesimo primo Chuonrado rege mense aprili indictione* III. Maurus Arretinæ sedis episcopus & comes donat Azoni priori Camaldulensi partem silvæ de Pescajole, *que est*, inquit, *non longe a civitate Arretina*. In hac donatione usurpatur annus Pisanus, cum signetur indictione III. quæ decurrebat anno præsenti. Appellat se Maurus in subscriptione humilem ministrum Arretinæ ecclesiæ; post ipsum nomina sua apponunt Rainerius archipresbyter, Sichelmus camerarius, & Johannes sacerdos sancti Michaelis; ecclesiæ nimirum seu monasterii ad congregationem Camaldulensem spectantis, & positi in suburbio ejusdem civitatis.

XXXIII. Concordia inter Henricum ep. Bononiensem, & Rainerium abb. de Castro-brittorum.

Controversia vertebat inter Henricum episcopum Bononiensem, & inter Rainerium abbatem monasterii sancti Michaelis, quod erat ædificatum in massa Paterni, hoc est in castro Brittorum, extra Bononiæ urbem, circa ecclesiam sancti Johannis in Insula, & circa presbyterum quemdam Ugonem, qui ibidem degebat, eratque præfati monasterii conversus, & demum circa ecclesiam aliam, quæ consurgebat in curia ejusdem castri.


Causa

Causa delata fuit ab utraque parte ad apostolicam sedem, & ad judicium Innocentii papæ II. ac ab eodem ad examen revocata. Verum ut lis affatim decideretur, idem Romanus pontifex præceperat Longino presbytero cardinali, ut coram utroque contendente ad causæ definitionem veniret. Accedens itaque præfatus cardinalis ad Bononiense territorium apud monasterium sanctæ Cæciliæ, liti finem imposuit juxta rationes hinc inde allatas. Stans proinde episcopus Bononiensis Henricus præfati cardinalis judicio, per ferulam, quam manu tenebat, refutavit in manu ipsius ad opus præfati monasterii ecclesiam sancti Johannis in Insula, & presbyterum Ugonem, aliam vero ecclesiam castri Brittorum destruendam decrevit, nuntium remittens placito omni, juri, *banno* & actioni, quam in dictum monasterium antea prætendebat. *Anno Dominice incarnationis millesimo centesimo quadragesimo, quinto nonis octobris indictione* III. Sic legendum docet indictio III. quæ decurrebat hoc anno, non *quadragesimo quinto*, quo indictio fuisset VIII. Monasterium sancti Michaelis, cujus primas origines dedimus ad annum 1077. regimini & disciplinæ Camaldulensis eremi parebat saltem ab anno 1114. quo inter cetera eidem eremo subjecta recensetur a Paschale papa II. Monasterium vero sanctæ Cæciliæ de Corvaria obtinebant tunc, & deinceps obtinuerunt monachi Vallis-umbrosæ, donec in commendam devenit. Longinus cardinalis ignotus est Ciacconio, & ceteris collectoribus vel illustratoribus vitarum S. R. E. cardinalium. Vel ipse Rainerius abbas, vel Gregorius, qui post Rainerium monasterium sancti Michaelis rexit, aliam concertationem habuit anno 1150. temporibus Gerardi episcopi Bononiensis, qui in locum Henrici suffectus fuit anno 1145. Lis scilicet erat inter abbatem sancti Michaelis, & inter capellanum sanctorum Nicolai & Blasii de castro Brittorum circa procurationes, quas ab eodem monasterio petebat episcopus Bononiensis, ut intelligimus ex charta archivi archiepiscopalis Ravennatis [a].

b *Caps. T. n.* 4270.

Vetus concessionis ecclesiasticæ indulgentiæ exemplum prostat sub præsenti anno in perantiqua confessione ecclesiæ sancti Urbani ad flumen Æsinantis in agro Pirano. Anno 1752. una cum eruditissimo viro Octavio Turcio canonico Piranæ ecclesiæ tam superiorem, quam inferiorem sancti Urbani basilicæ ichnographiam in adversaria nostra derivavimus; confessionem in primis, satis elegans vetustum ædificium. Tribus concameratis navibus ipsa constat, subnixa duodecim marmoreis columnis. Ara sita est contra januam ipsius confessionis, aliquantulum remota a pariete, qui in formam apsidis seu semicirculi ædificium complet; super aræ autem mensam decem & octo cruces sculptæ sunt. De ipsa ara mentionem fecimus ad annum 1100. occasione consimilis aræ Vertigensis, & utriusque antiquitatem satis declarat inter cetera argumenta ipsarum brevitas. De ea cum aliis ejusdem parvæ formæ agendum sibi proposuerant tum V. Cl. Passerius peculiari dissertatione de Aris antiquis christianis, tum Antonius-franciscus Gorius præpositus Florentinus, nuperrime nobis immatura morte sublatus, in thesauro dyptichorum antiquorum. Porro in fronte mensæ Urbanianæ aræ hæc verba cælata sunt, quæ tum ope ejusdem Turcii, tum sedula diligentia perlegimus: *Anni. Domini. Sunt. Centum. quadraginta. Perdonantia. Tricesima. Martii. Decem. &. Septem. Annorum. &. Decem. &. Septem. Quarantenarum.* Subintelligitur ad annos incarnationis *mille*. Vox *perdonantia* in hoc sensu addi poterit collectionibus veterum vel barbararum, vel antiquatarum dictionum. Sed ectypon ipsum tum aræ, tum inscriptionis subjicimus.

Ann. Chr. 1140.



Ann. Chr. 1141.

XXXIV. Permutationes bonorum eremi Camald.

ANNO *Dominice incarnationis centesimo quadragesimo primo post mille pridie kalendas junii indictione* IIII. Tribaldus, Guido & Rainerius, qui erant filii germani quondam Ubertini Guilielmini, & Adalasia filia quondam Ubaldini, quæ uxor erat prædicti Guidonis, jure permutationis tradunt Azoni priori ecclesiæ sancti Salvatoris de Campo-amabili integras eas terras positas in castro & curte de Partina, quas obtinebat, vel ad feudum dederat Ubertinus eorum pater, patronatum insuper adjicientes super ecclesiam sancti Petri in Partina, atque jus suum transfundentes in illas quoque terras, quas Tribaldus pretio comparaverat ab Albertino de Monte-majo filio Ildebrandi, & quas etiam commutationis titulo obtinuerat a Rainerio abbate ecclesiæ & monasterii sancti Petri de Rota, una cum ecclesia sanctæ Floræ ejusque possessione, cum redditibus, obedientiis, servitiis, usibus & decimis, quæ juris olim erant cœnobii sancti Petri Rotensis. Azo autem prior tradidit e contra Tribaldo & ejus consortibus permutationis libello integram suam portionem, quam possidebat, curtis & castri de Calcano, curtis, castelli & turris de Favule, curtis de Punina, & curtis de Cinnina. Scripta fuit hujus commutationis pagina in castro de Leone.

XXXV. Testamentum Astulfi in favorem Quintavallis.

ASTULFUS pariter filius quondam Ugolotti per testamentarias tabulas hæredem facit omnium bonorum suorum patruum suum Quintavallem, si hic ex uxore filium aut filiam legitimos susceperit; si autem decesserit sine justa posteritate, vult, ut præfata omnia bona absque ulla conditio-

ne

ne & gravamine in integrum deveniant ad jus ecclesiæ sancti Salvatoris eremi Camaldulensis, *ubi domnus Azo venerabilis prior preesse videtur*. Confectæ sunt tabulæ *anno Domini millesimo centesimo quadragesimo primo mense octubri indictione* IIII. continuata etiam post mensem septembris, *presidente Innocentio papa* II. *regnante Conrado rege*, *in episcopatu Castellano Gavizzo episcopo*, *in Arretino Mauro episcopo*. Davizzus appellatur in episcopis Castellanis apud Ughellium & in aliis etiam monumentis, qui in chatta nostra vocatur Gavizzus. Utramque paginam ex tabulario Fontis-boni edimus in Appendice.

ANN. CHR. 1141.

AD quam ex archivo sancti Michaelis de Burgo Pisarum aliam remittimus scriptam *anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo quadragesimo secundo*, more scilicet Pisano, III. *kal*... *indictione* IIII. qua Ildebrandus abbas ejusdem monasterii spondet Balduino Pisano archiepiscopo sub pœna librarum viginti argenti optimi se soluturum quotannis in pascha resurrectionis duodecim denarios Lucenses nomine census pro terra *de Tumulo* sita prope ecclesiam sancti Petri ad Gradum, quam libellario nomine acceperat a prædicto archiepiscopo. Subscribunt post Ildebrandum abbatem Guido prior & Bernardus camerarius ejusdem monasterii. Suffectus fuerat Uberto in cathedra Pisana anno 1137. Balduinus ex Cisterciensi monacho ac discipulo sancti Bernardi. Quoad ecclesiam sancti Petri ad Gradum, prope quam alias terras olim tradiderat eidem monasterio sancti Michaelis Petrus archiepiscopus Pisanus, narrant historici ejusdem urbis eo loci sanctum Petrum apostolum appulisse, cum ad evangelium per Thusciam disseminandum venit, gradusque quosdam ibidem, ubi mare alluebat, tunc extitisse excipiendis iis, qui ex navigio descenderent, atque in rei confirmationem Romani pontificis Innocentii VI. bullam Avenione datam anno 1354. afferunt, qua narrationem & opinionem adoptare videtur idem Romanus pontifex fundationis ecclesiæ in eo loco factæ a principe Apostolorum.

XXXVI. Chartæ Pisanæ & monasterii S. Savini. Origo monast. S. Clementis in urbe Venetiarum.

Alteri Pisano monasterio sancti Savini præsidebat hoc *anno millesimo centesimo quadragesimo secundo*, stilo similiter Pisano, VIII. *kalendas madii indictione* IIII. abbas Martinus ab anno 1129., qui *Pise infra ecclesiam sancti Frigdiani* transactionem & refutationem de terris in loco & finibus Ghezzano accepit a Guidone filio quondam Gerardi, cui libello subscripsere idem Balduinus Pisanus archiepiscopus, Guido sacerdos Pisanæ ecclesiæ canonicus, & Rollandus Pisanæ ecclesiæ canonicus diaconus. Has paginas edidit in sua monumentorum appendice [a] Grandius.

Referenda est ad hunc annum ædificatio hospitalis seu monasterii sancti Clementis in eminentiore palude canalis Orphani urbis Venetiarum, quod construxit Petrus Gatilesus. Eam enim ædificationem illigat Andreas Dandulus [b] anno undecimo ducatus Veneti Petri Polani; porro is electus fuit dux anno 1130. atque in ejus ducis elogio hæc recensentur: *Fanum sub me tributarium efficitur. Monasteria sanctorum Clementis, & Jacobi de Palude construuntur*. Hæc igitur scribit Dandulus: „ Vir devotus Petrus Gatileso in ripa canalis Orphani ecclesiam & hospitale in honorem sancti „ Clementis papæ sub protectione patriarchæ Gradensis construi fecit & „ dotavit. " Refert V. Cl. Flaminius Cornelio, ex quo ista decerpsimus, litem ortam, sed brevi sopitam inter Henricum Dandulum patriarcham Gradensem, & inter Johannem Polanum episcopum Castellanum, qui postremus jus prætendebat tamquam in locum extructum in sua diœcesi. Fluxu temporis domicilium evasit canonicorum regularium. Ecclesia aliquando decorata fuit titulo etiam sancti Aniani ob corpus hujus sanctissi-

a *Pagg.* 182. 184.

b *Lib. IX. cap.* XIII. *par.* VIII.

Ann. Chr. 1141.

ctissimi Alexandrini patriarchæ anno 1288. ex Alexandria huc devectum, & postea anno 1453. die quarta novembris translatum ad ecclesiam sanctæ Mariæ de Caritate ejusdem Venetæ urbis, quam incolebant canonici regulares, quibus etiam ante viginti & unum annos Eugenius papa IV. eumdem prioratum perpetuo retinendum contulerat. Possessionem loci per duo secula tenuerunt canonici regulares, sed nullo canonico ibidem residente, donec tandem eremitæ Camaldulenses congregationis Montis-coronæ evocati anno 1644. eamdem insulam & ecclesiam asperrimo vitæ genere & solitudinis amore illustrarunt & hodie illustrant.

Ann. Chr. 1142.

XXXVII. Quintavallis donatio facta eremo Camald.

QUINTAVALLIS filius Ugonis, qui anno præcedenti ab Astulfo nepote hæres omnium bonorum suorum institutus fuerat per chartam donationis, hoc *anno Dominice incarnationis millesimo centesimo quadragesimo secundo mense octobris indictione* VI. quæ exordium sumpserat mense septembri, offert ecclesiæ sancti Salvatoris *in Campo Maldoli* omnia latifundia sui juris, castella, villas & prædia, præter ea, quæ ejus pater emerat in Verrazzano ab abbate sanctæ Floræ, monasterii scilicet hujus nominis de Arretio, & ea donat sub pœna sexaginta librarum denariorum Lucensium *universaliter currentium*, domno Azoni priori Camaldulensi & domno Rolando & ceteris fratribus Camaldulensis congregationis, recepto ab ipsis *merito seu launechil secundum legem in idem valente*. Quam tamen paginam ea conditione conficit, ut si ipse Quintavallis ex hac vita decesserit legitimos filios non relinquens, donatio tunc firmitatem obtineat. Item si legitimos filios habens nepotes ex ipsis non suscipiat. At si vel filios, vel nepotes habuerit, obtineant ipsi eas terras. Quo casu Quintavallis obligat in exitu suo legare supradictæ ecclesiæ Camaldulensi viginti libras denariorum Lucensium pro redemptione animæ suæ, & corpus suum mandat in ea ecclesia sepeliri. Obiit Quintavallis sine hæredibus, amplissimamque ejus hæreditatem videbimus in jus eremi Camaldulensis devolutam. „ Porro obvenit, ait Fortunius, in ea hæreditate castellum Topoli, quarta „ pars castri Planetuli, & medietas castri Vallialæ, in quibus ædificata „ fuere monasteria sub titulo prioratuum. “ Integra pagina extat in Appendice.

XXXVIII. Charta Sangregoriana. De Patarensibus hæreticis.

AD quam ex codice Gregoriano aliam amandamus scriptam *anno millesimo centesimo quadragesimo secundo, temporibus domni Innocenti II. pape januario mense indictione* V. qua Caccialupus Sutrinæ civitatis judex, præcepto & auctoritate sibi facta a Leone Petri-Leonis, & a Petro filio ejusdem, Sutrinæ civitatis præsidibus a domno Innocentio papa delegatis, & in quorum præsentia Sutrinus populus causa justitiæ faciendæ erat congregatus, *ad utilitatem Domini Jesu Christi & beatorum apostolorum Petri & Pauli, & sancti Andree & sancti Gregorii in clivo Scauri, & ecclesie sancte Fortunate in urbe Sutrina*, quæ ecclesia subjecta erat monasterio Gregoriano, mandat, ut universi, qui *Patarenses* vocantur, *eo quia sub jugo peccati retinebant omnia, que sive per consuetudinem, vel feudum, aut per aliud investiture genus de predicta ecclesia sancte Fortunate accipiebant*, refutent, restituantque omnia, quæ de præfatæ ecclesiæ jure possidebant. De Patarensium nomine multis agit Muratorius [a] in Antiquitatibus medii ævi. Hoc nomen olim ab hæreticis tributum per comtemptum catholicis, vel rectæ disciplinæ assertoribus, exinde a catholicis tribui cœpit hæreticis, schismaticis, & vilioribus e vulgo personis, quietis perturbatoribus, & seditionum amatoribus. Multi e Sutrinis, ut etiam ex Nepesinis finitimis populis, erant Anacletistæ; proficiebant ii schismatis tempore,

[a] T. V. col. 81.

Ann. Chr. 1142.

pore, & bona ecclesiarum diripiebant, ac sub peccati jugo retinebant. Vigebat pariter hoc tempore Arnaldus Brixiensis hæresiarca, qui inter cetera damnabat monasteriorum temporalia dominia, proventus & divitias, & Romæ præsertim turbas plurimas excitaverat. Post mortem Anacleti, quæ contigerat anno 1138. ejus fratres, filii nimirum Petri-leonis, octava Pentecostes die fidelitatem & honorem præstiterant legitimo pontifici Innocentio II. Nil ergo mirum, quod iis, Leone scilicet & Petro, uteretur Romanus pontifex in justitiis reddendis, & in præsidatu urbium. Nullo fundamento innituntur, ut animadvertit idem Muratorius [a], ii, qui putant familiam Petri-Leonis exterminatam fuisse ab Innocentio, cum e contra videamus ipsos resipiscentes honoribus a Romanis pontificibus cumulatos fuisse. Alium ipsorum fratrem Jordanum nomine, principem Senatus seu patritium creatum a Romanis fuisse circa hæc tempora observat præfatus Muratorius.

a T. VI. Annal. pag. 478.

XXXIX. Donationes factæ monasterio S. Christinæ in agro Bononiensi.

Leguntur in tabulario parthenonis sanctæ Christinæ ad hunc usque annum donationes factæ Mathildæ abbatissæ ejusdem monasterii siti tunc in agro Bononiensi octavo ab urbe lapide. *Tertio idus junii anni* M. C. XLII. *indictione* V. [b] *ego quidem in Dei nomine Johannes filius Grimaldi de loco, qui vocatur Casula, in una medietate, atque Bonfilius cum filiis suis, & Teutius filius Alberti, qui vocatur Foramen, in alia medietate hoc instrumento refutationis profitemur vendidisse, & hujus gratia tradidisse tibi Matilde abbatisse monasterio sancte Christine de loco, qui vocatur Clagnano, & tibi presbytero Fantino, vestrisque confratribus & sororibus, ac successoribus prefate ecclesie in presentiarum refutamus vobis jamdictis petiam unam terre in loco, qui vocatur Roncotorto terra Pojoliga. Actum in castro Gargugnani. Petrus prenomine monachus Gargugnanensis notarius.* Post Mathildam abbatissa ejusdem parthenonis fuit Lucia, cujus nomen legitur in eodem tabulario ad annos 1149. 1154. & 1156. Ad annum 1154. vocatur *Lucia monacha & prelata de monasterio sancte Christine de loco Amabile*, ratione nimirum eremi Camaldulensis, vel Campi-amabilis, cui subjectum erat parthenon sanctæ Christinæ.

b Maz. L. 30.

Ann. Chr. 1143.

XL. Monasterium Rosani reædificatur.

Alterum sanctimonialium nostrarum monasterium fundatum, sive melius reædificatum fuit ad hæc circiter tempora a comitissa Imilia & a comite Guidone ejus filio. Ipsum fuit parthenon sanctæ Mariæ de Rosano, quod decem milliaribus dissitum ab urbe Florentia visitur media ferme via, quæ ab ea urbe & non longe ab oppido Pontis-sevis prope flumen Arni ducit ad alterum sancti Johannis-evangelistæ asceterium de Prato-veteri, quod vidimus ab iisdem Imilia & Guidone excitatum. Antiquiores Rosanensis parthenonis origines aperuimus [c] ad annum 1054. Circa annum 1200. & nominatim ad annum 1204. acerrima lis inter sanctimoniales Rosanenses, & inter comites Guidios agitata fuit super patronatu ejusdem monasterii; qua occasione sub examine plurium testium quæsitum fuit, an jus eligendi abbatissam Rosani atque reliqua jura deberentur abbatissæ Prati-veteris, an prædictis comitibus. In processu, qui tunc habitus fuit, & servatur modo autographus in tabulario sancti Michaelis Pisarum, ex interrogationibus & responsionibus multorum testium sequentia speciatim colliguntur, quæ libenter afferimus, quandoquidem historiam illustrant ejusdem parthenonis. Legitur itaque, quod moniales Rosanenses *habent chartam, quod Urso & uxor ejus fecerunt edificari monasterium.* Ex quibus verbis deducitur primam antiquiorem asceterii constructionem tribuendam esse Ursoni & ejus conjugi seculo VIII. atque ad

c T. I. pag. 147.

ipsos

Ann. Chr. 1143.

ipsos proinde referendam inscriptionem prostantem in epystilio januæ ejusdem Rosanensis ecclesiæ. ANNO. DOMINI. DCC. LXXX. AEDIFICATVM. FVIT. HOC. MONASTERIVM. Sequitur: *Quod publica fama est, quod monasterium de Rosano est edificatum in terra comitis, & a triginta annis habitus est pro patrono, & liberavit a colta Florentinorum. Quod publica fama est, quod comes fecit consecrare ecclesiam de Rosanis, & dedit in consecratione calicem, & possessiones, jam sunt sexaginta anni; & jam sunt sexaginta anni, quod reedificavit monasterium destructum a Florentinis.* Ex historiis Thusciæ compertum habemus Lucenses una cum Senensibus circa hunc annum variis certaminibus dimicasse contra Florentinos, qui burgos urbis Senensis concremaverant, & igne ferroque devastaverant castra & loca comitis Guidonis. Audiendum etiam quid de his depopulationibus & cædibus per id temporis scripserit Petrus Cluniacensis, qui multa, quæ exaravit, oculis etiam vidit: *Miserabilis & infelicis Thusciæ nunc res divinæ atque humanæ, nullo servato ordine confunduntur. Urbes, castra, burgi, villæ, stratæ publicæ, & ipsæ Deo consecratæ ecclesiæ homicidis, sacrilegis, raptoribus exponuntur. Peregrini, clerici, monachi, abbates, presbyteri, ipsi supremi ordinis sacerdotes, episcopi, archiepiscopi, primates vel patriarchæ in manus talium traduntur, spoliantur, distrahuntur. Et quid dicam? Verberantur, occiduntur* &c. Bellorum itaque præsentium furore solo æquatum, vel damna passum fuerit vetus Rosani parthenon. Affirmant ulterius testes, quod *abbatissa Berta fecit consecrari monasterium*. Quod *Mathelda fuit electa abbatissa Rosani de voluntate comitisse Imilie*. Hæ videntur fuisse primæ abbatissæ post reædificationem hujus loci, tametsi sub Berta contigerit destructio veteris & reparatio novi parthenonis, cum ejus chartam ad annum 1130. produxerimus. Sequuntur responsiones: *Quod Sophia fuit abbatissa de Rosano: quod Zabulina fuit electa de consensu Sophiæ*, nempe alterius ejusdem nominis abbatissæ Prati-veteris, *& promisit ei obedientiam*. Quod *Sophia removit Zabulinam propter excessum*. Quod *de consensu comitis filia Cathenaccia & filia Mala sint facte abbatisse*. Quod *consensus comitis fuit requisitus in electione Theodore*. Quod *Agatha electa fuit abbatissa vivente Theodora, quam in choro episcopus Fesulanus investivit* &c. Habemus in hoc processu nomina & seriem abbatissarum Rosanensium. Theodoræ abbatissæ Rosanensis mentio habetur in pagina [a] anni 1193. *tertio idus septembris indictione* XII. apud Ferdinandum del Migliore, & in alia [b] anni 1197. indictione XV. in qua etiam nominatur hospitale monasterii de Rosano, cujus hospitalis jura leguntur ad annum quoque [c] 1180. *indictione* XIV. Agathæ autem abbatissæ nomen perseverat usque ad annum [d] 1224. *indictione* vero XII. Cetera de hujusmodi controversia ad annum 1204. Illud præterea intelligimus monasterium Rosanense a sui reædificatione suppositum fuisse ordinationi & regimini parthenonis Prati-veteris, cujus abbatissa jus habebat leges statuendi, quotannis visitandi, corrigendi, & transferendi de monasterio ad aliud monasterium sanctimoniales Rosanenses.

a *Zibald.* 80. *p.* 91.
b *Ibid. pag.* 95.
c *Ibid. pag.* 92. *num.* 88.
d *Ibid. Pag.* 95. *n.* 21.

XLI. Historia alterius parthenonis S. Benedicti urbis Arretinæ.

Idem jus exercebat abbatissa Prati-veteris in aliud Camaldulensium monialium asceterium, quod erat ædificatum Arretii prope ecclesiam sancti Benedicti. Antiquissima est Arretina ecclesia ædificata seculo VIII. a Cunemundo episcopo Arretino sub invocatione sancti Benedicti, & ab ipso dotata, ut testis est Carolus M. Francorum & Langobardorum rex, & nondum imperator, in diplomate anni 783. quod ex insigni tabulario canonicorum Arretinæ urbis eruit Muratorius [e], in quo hæc ad Aribertum episcopum Arretinum & Cunemundi successorem habet idem Carolus: *Mona-*

e *Antiq. med. ævi. T. VI. col.* 360.

ANN. CHR. 1143.

Monasterium sancti Benedicti in suprascripta ipsa civitate , quod bone memorie Cunemundus quondam episcopus antecessor tuus legibus comparavit , vel suo fundavit opere una cum rebus suis propriis , quas de jure parentum suorum babuit , & ad ipsam e clesiam Dei visus fuit delegasse &c. *confirmamus* . In diplomate Caroli Calvi [a] apud eumdem Muratorium concedentis anno 876. Johanni episcopo Arretino locum intra urbem pro ædificanda cathedrali basilica, nominatur *ecclesia quondam beati Benedicti*, quæ ex uno latere adhærebat foro , in quo ædificium novum construendum erat. Licet autem ecclesiæ sancti Benedicti addatur adjunctum illud *quondam* , quod declarare videtur eam amplius non extitisse vix post seculum a sui prima constructione , a vero tamen non abludit ibidem aliam sub invocatione ejusdem sancti Benedicti excitatam vel reædificatam fuisse , cum in eo loco ex diplomate Caroli Calvi exsurgeret , ubi impræsentiarum sancti Benedicti asceterium conspicitur. Sed de eadem sancti Benedicti ecclesia aliqua inferius occurrent dicenda , quandoquidem tributa ei parthenoni ordinatione & dispositione rerum tam temporalium, quam spiritualium ecclesiæ sancti Hilari & sancti Sepulcri, ac hospitalis de Vinearegis ab abbatissa Prati-veteris , quæ ea acceperat a Hieronymo episcopo Arretino , evasit in sanctimonialium asceterium hoc eodem seculo , obedientiale tamen, ut vocabant, ejusdem parthenonis Prati-veteris ; immo in definitione facta anno 1195. a magistro Berardo Arretinæ ecclesiæ canonico legitur Hieronymum ejusdem urbis episcopum decrevisse ordinationem & dispositionem tam spiritualium , quam temporalium ecclesiæ sancti Hilari & hospitalis pertinere ad ecclesiam sancti Benedicti, quæ monasterii Prati-veteris est obedientialis.

a T. V. col. 199.

Quoad autem ecclesiam parthenonis sancti Johannis-evangelistæ de Prato-veteri, ipsa dedicata & consecrata fuit anno præsenti, ut liquet ex pecudinea charta reperta anno 1604. die 24. decembris in capsula mensæ aræ majoris, in qua legebatur syllabus sacrarum reliquiarum, quæ ibidem conditæ fuerant, nimirum de ligno sanctæ Crucis, de cruce sancti Andreæ, ossa sancti Johannis apostoli, sancti Jacobi Alfei, sancti Clementis, sancti Urbani, sancti Alexandri, sancti Cornelii Romanorum pontificum , sancti Laurentii, sancti Anastasii, sancti Vincentii, sancti Valentini, sancti Hippolyti, sancti Herasmi, sancti Benedicti , sancti Pamphili , sancti Felicis episcopi, sancti Altiberti, sancti Æmilii, sancti Donati episcopi , sanctæ Anastasiæ & aliorum Sanctorum , quorum nomina præ vetustate legi non potuere. ANNO D. N. J. C. M. C. XLIII. Capsula reposita denuo fuit ad dexterum altaris cornu.

XLII. Charta Vangaticiensis.

SCHOLÆ monachorum, diaconorum atque clericorum monasterii sanctæ Mariæ in loco vocato Vangadicia, & Litaldo abbati ejusdem cœnobii Prandus cum uxore sua tradit hoc anno terras cum vineis in fundo Zocoledo una cum feudo , quod ipse tenebat a præfato monasterio , usumfructum sibi retinens. Post obitum autem suum & conjugis vult , ut idem jus & ususfructus spectent ad Vangaticiense cœnobium , & *transeat perpetualiter de sacerdotibus in sacerdotibus, qui ibidem militaverint at usum & sumtum suprascripti monasterii*. Si autem *ad necessitatem* venerit, & a monasterio non habuerit, unde vivere possit , præfatæ terræ cum vineis sint in ejus potestate, & post mortem deveniant ad usum abbatiæ Vangaticiensis , *anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo quadragesimo tertio in die dominico in die tertio idus aprilis indictione* VI. quam chartam in Appendice proferimus ex authentico tabularii ejusdem loci.

ANNA-

ANNALES
CAMALDULENSES

LIBER VIGESIMUS-NONUS.

Ab anno CHRISTI M. C. XLIV. *ad annum* M. C. LI.

ANN. CHR. 1144.

I. Alberti Senensis eremitæ exercitia.



IGESIMUS juxta hypothesim nostram decurrebat annus, quo Albertus Senensis se receperat in suam Turricellanam solitudinem. Verum ne eremiticæ tantum vitæ sanctis otiis frueretur, laborem quoque manuum cum silentio conjunctum addebat, ut fructu exercitii sui simul vesceretur, neque tamen inter opera manuum solitudinis jacturam interim faceret. *Per viginti annos*, inquit monachus Berardingus ejus vitæ scriptor, *post horam quasi tertiam ad laborem agrorum egrediebatur, volens operari manibus suis, ut in sudore vultus sui vesceretur pane suo. Egressus autem sub tanto studebat operari silentio, ut nisi magna necessitas cogeret, os ad loquendum non aperiret. Contigit aliquando, dum sic operaretur, leporem inveniri. Quæ faciem viri Dei non solum solito more non exhorruit, sed tamquam domesticum esset animal, expectavit. Quam famulus Christi apprehendens, dorsum illius quasi blandiens delinire cœpit. Conlaborantibus vero id intuentibus, & eamdem poscentibus bestiolam, respondit beatus Albertus, eam minime sibi esse præbendam. Nos, inquit, minime læsit, & a vobis nequaquam lædenda est. Sed & venatoribus hujusmodi animal cum canibus persequentibus ad virum Dei tamquam ad domesticum refugium fertur habuisse refugium, & tandiu apud eum latuit, donec discedentibus illis ad latibulum proprium famulo Christi jubente secura discederet. Vere, vere mirabilis Deus in Sanctis suis, quos ita mirificavit, ut omnia subjiceret sub pedibus eorum, oves & boves, universa insuper & pecora campi, volucres cœli & pisces maris. Nam & avis quædam miræ pulchritudinis atque candoris ad fenestram cellulæ ejus volasse perhibetur, & tanta mansuetudine circa eum stetisse, ut manibus illius facile caperetur. Rediit ergo ad antiquum statum innocentia, revertitur ad primordia naturæ simplicitas, ut præsit homo volatilibus cœli, piscibus maris & bestiis terræ, siquidem omnia homini subjiciuntur, qui recte subjicitur Deo, & viro mansueto creatori mansuescit omnis creatura.* Hinc factum fuit, ut pictores ad sanctum

virum

virum exprimendum, leporem inter manus ejus, vel intra tunicæ manicam tenentem exhibuerint, sicut conspeximus in vetustissima imagine ipsius Alberti, quæ prostat in fronte codicis membranacei ejus vitæ, quam imaginem hic ære incisam subjicimus.



Tot annorum curriculo Alberti sanctitas longe lateque diffusa viros & mulieres ex pluribus terrarum partibus etiam remotissimis traxit, qui ad ipsum confluebant sospitatis gratiam consecuturi. *Interea cœpit beatus Albertus*, prosequitur anonymus monachus, *plurimis coruscare miraculis*, *crebris indicare virtutibus*, *signis evidentibus illustrari*. *Cœperunt itaque ad eum de longinquis partibus atque diversis multi concurrere*, *& in suis necessitatibus ejus suffragium postulare* &c. Sed prodigia, quæ fuse enarrat idem anonymus, ad annos postremos vitæ sancti Alberti in medium producemus, ut ex variis curationum generibus, quæ Deus per servum suum operari dignatus est, innotescat, quanto apud ipsum Deum sanctitatis honore effulgeret.

II. Privilegium Cœlestini II. pp. pro monast. S. Salvatoris de Florentia.

Coelestinus II. Romanus pontifex electus fuerat die vigesima-septima septembris anni elapsi in locum Innocentii II. ante triduum defuncti. Hæc ad historiam nostram de ipso Romano pontifice Cœlestino leguntur [a] in summariis instrumentorum Simonis & Rainerii. *Celestinus papa* II. *recepit sub sua & beati Petri protectione monasterium sancti Salvatoris juxta Florentiam*, *ut idem monasterium quascumque possessiones vel bona habet*, *vel est in perpetuum habiturum concessione pontificum*, *largitione regum vel principum*, *seu oblatione fidelium vel aliis justis modis auctoritate papali possideat illibata*. *Quedam autem bona propriis nominibus exprimenda decrevit*, *videlicet decimas*, *quas quadraginta annis idem monasterium inconcusse possedit*; *item jus*, *quod habet in ecclesia sancti Christophori*; *item quod habeat liberam sepulturam eorum*, *qui devotione vel extrema voluntate se illic elegerint sepeliri*, *matricis ecclesie justitia salva*. *Subscripserunt omnes cardinales*. *Datum Laterani anno Domini* M. C. XXXXIII. XV. *kl. martii pontificatus ejus anno* I.

a *Pag.* 209.

III. Bulla ejusdem seu concordia inter Vivenses & Camaldulenses.

Cupiens insuper piissimus pontifex paci eremi de Vivo, quæ erat in agro Senensi, providere, finemque imponere controversiæ, quæ a multo tempore vigebat inter eremitas Camaldulenses & Vivenses, qui postremi indigne ferebant disciplinam pati & subjectioni addictos esse eremi Camaldulensis, de consilio fratrum suorum cardinalium, mandat Bono priori eremi de Vivo, ut quandoquidem locus ipse de Vivo fere a principio suæ fundationis per Camaldulenses fratres in religione profecerat, prior ordinandus in eadem eremo, si idoneus ibidem repertus fuerit, secundum beati Benedicti regulam a fratribus ejusdem loci eligatur; electus autem infra quadraginta dies obedientiam polliceatur priori Camaldulensi, & ordinis

Ann. Chr. 1144.

dinis observationem promittat. Si autem ibidem idoneus repertus non fuerit, eligatur de cœtu Camaldulensi. Pariter cum prior & fratres Camaldulenses ad eremum de Vivo accesserint, recipiantur in choro, in refectorio & in dormitorio tamquam fratres, & prior Camaldulensis præcipuum locum ibidem teneat, & corrigat, quæ animadversione erunt plectenda. Prior vero de Vivo quotannis se conferat ad capitulum Camaldulensium fratrum, ibique tamquam unus de majoribus prioribus suscipiatur. Brevia defunctorum utrimque mittantur, & excipiantur juxta Camaldulensis congregationis consuetudinem. Subscribunt inter ceteros Conradus Sabinensis episcopus cardinalis, nepos ex sorore Honorii II. & ab ipso ad eam dignitatem evectus, qui subinde fuit Anastasius IV. Stephanus episcopus Prænestinus laudatus a sancto Bernardo *tamquam qui lateri & spiritui Innocentii* II. *adhæreret*, & de quo alter Bernardus abbas Bonæ-vallis habet: *Quem Præneste habuit totius gloriæ virum;* Petrus Albanensis episcopus germanus frater Innocentii II. Thomas presbyter Vestinæ Mediolanensis ab eodem Innocentio creatus cardinalis; Hubaldus sanctæ Praxedis, inde episcopus Ostiensis & Velitrensis, demum Romanus pontifex sub nomine Lucii III. Manfredus sanctæ Sabinæ; Gilibertus sancti Marci, quorum ille a Cœlestino, hic ab Innocentio II. cardinalitia dignitate ornati fuerant, & Gregorius sanctorum Sergii & Bacchi diaconus cardinalis. *Data* est Cœlestini bulla *Laterani per manum Gerardi* S. R. E. *presbyteri cardinalis ac bibliothecarii* VII. *kl. martii indictione* VII. *incarnationis Dominice anno* M. C. XXXXIII. *pontificatus vero domni Celestini* II. *pape anno* I. Cogimur dicere usurpatum fuisse in hac & in superiori pro Camaldulo Florentino bullis annum Florentinum, qui adhuc perseverabat primis mensibus anni sequentis, cum indictio VII. exposcat annum 1144. & præterea Cœlestinus anno 1143. mense februario, quo eæ datæ sunt, nondum ad supremum ecclesiæ pontificatum fuerat assumptus, & adhuc vivebat Innocentius II. vel certe dicendum erit exscriptores harum bullarum unitatem dereliquisse, & pro M. C. XXXXIV. exemplasse M. C. XXXXIII. Postremam bullam insuper edimus integram in Appendice ex apographo tabularii Fontis-boni confecto III. *idus maji anno Domini* M. CC. XVI. *indictione* IV. *in civitate Arretina*, & recognito a tribus notariis.

IV. Ejus Romani pontificis obitus.

Ceterum restitutæ tranquillitati Vivensis eremi parum supervixit optimus pontifex Cœlestinus, vocatus antea Guido cardinalis tituli sancti Marci & S. R. E. cancellarius, Thuscus natione ex Castello-felicitatis, nempe ex urbe Civitatis-castelli, cujus cathedralis ecclesiæ etiam fuerat canonicus, qui post mensem ab apostolicis relatis diplomatibus obiit, ut legitur in necrologio canonicæ ejusdem ecclesiæ ad pag. 38. ex editione vero Sebastiani Donati ad paginam 240. VIII. *idus martii obiit Cœlestinus Romanæ sedis pontifex, & hujus ecclesiæ canonicus*. Ipsius quoque memoriæ excitata fuit in majori basilica Castellana hujusmodi epigraphes, quam allatam etiam ab Ughellio correctiorem hic producimus ex schedis nostris, benigne nobiscum communicatam a Dominico Pazzi presbytero Castellano pereruditо.

BEATAE.

Ann. Chr. 1144.

BEATAE. MEMORIAE. DOMINI. PAPAE. CAELESTINI II. GRATIANVS. PROPINQVVS. ET. JOHANNIS. EPISCOPI. NEPOS AC. SPINELII. PATER. DEDIT. HOS. LAPIDES. MAJORES. ATQVE MINORES. AD. CONSTRVENDVM. HOC. COEMETERIVM. ET MVLTVM. TEMPVS. JAM. LABORAVIT. IN. CONSTRVENDO PRO. ANIMA. SVA. ET. ILLORVM. FRATRVM. ET. ALIORVM SVORVM. PROPINQVORVM. VEN. DAVIZONIS. EPISCOPI ANNO. VIII. ET. PRAEPOSITI. DOMINI. VGONIS. ANNO INCARNATIONIS. DOMINI. M. C. XLV. MENSE. OCTOBRI INDICTIONE. IX. FELICITER. G.. PRESB. VILLANO. S.

Indictionis IX. exordium ſumitur in hoc veteri monumento a menſe ſeptembri. Ipſius Cœleſtini tamquam commiſſi memoria habetur inſuper in necrologio monaſterii Fontis-avellanæ ad diem VIII. martii : *Obiit Cœleſtinus* II. *papa noſter commiſſus anno* M. C. XXXXIV. Nonnulli diei IX. martii ejus obitum aſſignant, qui forte fuit depoſitionis dies.

V. Corrigitur ſeries epiſcoporum Civitatis-caſtelli.

Beneficio ſuprarelatæ inſcriptionis nonnihil emendari poterit etiam ſeries epiſcoporum Caſtellanorum in Ughellio. Davizonem ipſe epiſcopum Caſtellanæ urbis facit ad annum 1142. verum cum annus 1145. dicatur VIII. epiſcopatus ejus, initium ipſius ſedis ſtatuendum eſt ad annum 1137. Johannem epiſcopum Cœleſtini propinquum idem Ughellius reponit ad annum 1145. Verum rectius dicitur Johannem Cœleſtini propinquum fuiſſe epiſcopum illum Johannem, qui ante Davizonem & ante Rainerium Caſtellanam ſedem tenuit, & quem ipſe Ughellius ſtatuit ad annum 1110. Re enim vera Gratianus monumenti & inſcriptionis auctor, & alter Cœleſtini propinquus ad annum 1145. nepotem ſe dicit Johannis epiſcopi, non illius certe, qui poſt Davizonem fuit juxta Ughellium epiſcopus, quique eo anno nondum erat epiſcopus, cum adhuc Caſtellanam eccleſiam regeret Davizo, ſed alterius Johannis, qui Rainerio intermedio epiſcopus fuerat ante Davizonem. Cujuſdam Rainerii epiſcopi Caſtellani nomen legitur in necrologio Avellanenſi ad diem VII. junii his verbis : *Obiit domnus Rainerius epiſcopus Caſtellanus commiſſus noſter*. Sed id intelligendum de altero Rainerio Caſtellano epiſcopo, qui floruit ſub Alexandro III. & declinante præſenti ſeculo, obiitque initiis ſeculi ſequentis. Davizonis autem ſeu Davizi epiſcopi nomen adnotatur in eodem necrologio ad diem VI. aprilis : *Obiit domnus Davizius epiſcopus Caſtellanus commiſſus noſter*. In antiquo autem necrologio canonicæ ſancti Floridi Civitatis-caſtelli edito a Sebaſtiano Donati refertur ad diem ſequentem, quæ facile fuit tumulationis [a]: VII. *idus aprilis obiit Davizo hujus eccleſiæ epiſcopus*.

a *Pag.* 240.

VI. Charta Vallecaſtrenſis viciata emendatur.

Chartam reperimus in archivo ſancti Blaſii de Fabriano maxime vitiatam in notis chronicis, quæ ſunt hujuſmodi: *ab incarnatione Domini agni milleſimo* C. LXIV. *& die menſe martio indictione* I. *& a tempus de papa Celeſtio*. Anno 1164. Romanus pontifex erat Alexander III. Cœleſtinus autem II. anno præſenti 1144. Romanam ſedem tenebat, qui, ut vidimus, octo tantum diebus menſis martii hujus anni ſupervixit. Quare emendandus primum eſt annus incarnationis, & pro M. C. LXIV. reponendus M. C. XLIV. Indictio pariter hujus anni non I., ſed VII. erat. Quod ſi pagina referatur ad tempora Cœleſtini III. annus ſimiliter incarnationis erit corrigendus, & ſubſtituendus M. C. XCIV. indictio quoque erit XII. &

ANN. CHR. 1144.

demum si mutetur nomen Cœlestini in Alexandrum, anno M. C. LXIV. indictio erit non I. sed XII. Charta continet donationem factam ab Actone filio Lubreti Langobarda lege vivente Andreæ plebano ecclesiæ sanctæ Mariæ de Colle, quæ erat in comitatu Senogalliensi, quæque pertinebat vel post breve tempus pertinuit ad monasterium Valle-castrense.

VII. Lucii II. pp. privilegium pro abbatia S. Apollinaris in Classe.

SUFFECTUS fuit in Cœlestini demortui locum, assumpto nomine Lucii II. Gherardus de Caccianimicis, Bononiensis patria, & ex canonico regulari cardinalis tituli sanctæ Crucis, quem etiam cancellarium & bibliothecarium S. R. E. non semel vidimus. Is *anno* M. C. XXXXIV. *incarnationis Dominice*, *pontificatus* sui *anno* I. *indictione* VIII. incœpta mense septembri, III. *kalendas decembris*, per manus Brunonis S. R. E. subdiaconi, ex Laterano privilegium concessit Henrico abbati sancti Apollinaris in Classe, quo sub beati Petri & sub sua protectione præfatum monasterium suscepit. Confirmavit inter cetera eidem cœnobio in Marchia cellas quinque, *quarum una est edificata in honore sancte Marie cum castro ibi fundato, quod nominatur Fracta cum capellis, villis & omnibus sibi pertinentibus; alia in honore sancti Martini similiter cum castro sibi subjacente cum capellis* &c. *tertia in honore sancti Apollinaris in Rotundo; quarta in honore sancti Viti; item duo castra & insula, quæ vocatur Callese, cum capellis, villis & omnibus sibi pertinentibus*. Hæc erant bona & prædia, quæ monasterium Classense sancti Apollinaris possidebat in territorio Fanensi. Recensuit insuper Romanus pontifex ecclesiam aliam sancti Apollinaris in civitate Fanensi, quam nominatam vidimus ad annum 1037. etiam in præcepto Conradi imperatoris. Rubeus & Fortunius pro cella secunda sancti Martini, legunt ecclesiam *sancti Marci*. Amianus in memoriis Fanensibus [a] ecclesiam sancti Apollinaris statuit in parœcia sancti Johannis-evangelistæ dicta *Filiorum-Ugonis* prope palatium publicum in platea majori, quod propterea appellabatur *palatium-Apollinaris*; ecclesiam autem sancti Viti, quæ modo est titulus canonicatus, statuit in ea regione urbis, quæ vocatur *Infernus*; asserit insuper versus flumen Metaurum in territorio possedisse Classenses alias ecclesias, illam autem sanctæ Mariæ facile fuisse eamdem, quæ dicebatur de *Ponte-metauri*, ubi ædificatum fuit hospitale pro infirmis & peregrinis excipiendis. In privilegio Conradi recensetur etiam ecclesia sancti Christophori in muro publico urbis Fanensis; ichnographiam veterem ejusdem ecclesiæ conspici adhuc affirmat idem Amianus in domibus nobilissimorum comitum Castracanum. Præfatas cellas seu monasteria, vel ecclesias Classensi cœnobio subjectas memorari [b] subdit ad annum 1117. in archivo monasterii sancti Paterniani ejusdem urbis, ubi etiam animadvertit ecclesiam sancti Martini aliam fuisse a monasterio sancti Martini, appellato subinde sancti Paterniani. Septem numero, quatuor in civitate Fanensi, sancti Viti, sancti Martini, sancti Apollinaris, & sanctæ Mariæ, ecclesias autem tres in comitatu civitatis, sancti Viti, sancti Christophori in muro publico & sancti Apollinaris recenset in privilegio Classensi idem Conradus. In comitatu Senogalliæ confirmavit Lucius monasterio Classensi ecclesiam sanctæ Mariæ in Scot. Sanctæ Mariæ Scottorum appellatur hæc ecclesia in privilegio Ottonis IV. imperatoris recensentis anno 1210. bona Classensis abbatiæ sancti Apollinaris; de Scottis in aliis privilegiis pontificiis nominatur. Mentio sanctæ Mariæ de Scottis in civitate Senogalliensi habetur etiam in bulla Honorii papæ III. concessa Bennoni ejusdem urbis episcopo anno 1223. [c] apud Ughellium. Demum rata habet & apostolico privilegio communiit Lucius, quæcumque

præ-

a P. I. pag. 139.

b Ibid. pag. 135.

a T. II. col. 869.

præfatum monaſterium obtinebat in comitatibus Firmano, Piſaurienſi, Ariminenſi, Ravennate, Faventino, Cornelienſi, Popilienſi, Livienſi, Sarſinate, Feretrano & Eugubino, ſolidi auri cenſualiter annua perſolutione impoſita. Subſcribunt poſt Lucium quindecim S. R. E. cardinales, quorum nomina Petrus Albanenſis epiſcopus, Gregorius presbyter tituli ſancti Calixti, Rainerius ſanctæ Priſcæ, Nicolaus ſancti Ciriaci, Ugo ſancti Laurentii in Lucina, Julius ſancti Marcelli, Ubaldus ſanctæ Crucis (hic propinquus erat Romani pontificis Lucii II.) Gregorius ſanctorum Sergii & Bacchi, Guido ſanctorum Coſmæ & Damiani, Petrus ſanctæ Mariæ in Porticu, Rodulphus ſanctæ Luciæ in Septiſolio, Aſtaldus ſancti Euſtachii, Johannes ſanctæ Mariæ novæ, & Berardus diaconus cardinalis S. R. E. Subſcribit & Guido in Romana eccleſia altariſta. Privilegium extat in Appendice deſumptum ex authentico Claſſenſi exemplo confecto anno M. CC. IV. a Willielmo, Marco & Brancha notariis Foro-livienſibus.

VIII. Hieronymus ep. Arretinus confirmat privilegia Camaldulenſium.

Hieronymus epiſcopus Arretinus, qui in ea cathedra Mauro ſucceſſor datus fuerat hoc anno, cum annus 1147. tertius appelletur ejus præſulatus, initiis ſui regiminis, hoc *eſt anno ab incarnatione Domini* M. C. XLIV. *octavo kalendas martii indictione* VII. Azoni Camaldulenſi priori ejuſque fratribus confirmat omnia privilegia & beneficia, quæ a ſuis anteceſſoribus collata eatenus fuerant eremo Camaldulenſi ejuſque pertinentiis. Nominat epiſcopos anteceſſores ſuos Theodaldum, Immonem, Conſtantinum, Gregorium, Guidonem, Bujanum & Maurum, & præcepto ſuo communit omnia bona, quæ a Bernardino filio Sidoniæ olim ex parte ſancti Donati poſſeſſa, contradita fuerant eidem eremo tam in territorio Arretino, quam in Caſtellano. Concedit inſuper letanias plebis ſanctæ Mariæ de Micciano, & viſitationes plebium Bujani, Biblenæ & Partinæ, cum omnibus maſſariis earumdem plebium. Item donat integras decimationes villarum Largnani, Pergentinæ, Corſignani & Avanæ. Confirmat canonicam ſancti Michaelis ſitam in ſuburbio Arretinæ civitatis, & eccleſiam ſancti Nicolai de curte Luponis. Vult, ut quidquid juris vel etiam uſus eccleſia ſancti Donati habet in Mojona, in Caſaleclo, & in villa de Montione, pertineat ad Camaldulenſem eremum; permittens denique, ut quicumque in dicta eremo decimationem dare maluerint, habeant liberam hoc agendi facultatem. Datum eſt privilegium in ſuburbio civitatis Arretinæ, cui poſt Hieronymum epiſcopum ſubſcribunt Rollandus præpoſitus, Rainerius archidiaconus, Hubertus camerarius, Ugo ſacerdos plebis ſanctæ Mariæ in Gradibus, Tuſcanus plebanus in Cennano, Atto clericus ſanctæ Mariæ, Johannes ſacerdos & canonicus ſanctæ Mariæ, Rainerius & Martinus ſacerdotes, alter Martinus ſacerdos & canonicus, Ardananus canonicus ſanctæ Mariæ, Homodeus canonicus ſancti Donati, & Petrus presbyter ſancti Andreæ apoſtoli. Privilegii paginam publici juris facimus in Appendice ex autographo tabularii Fontis-boni.

IX. Tradit eiſdem monaſt. Pratalienſe.

Ex bulla Adriani IV. ad annum 1157. ſpectante in cognitionem venimus eumdem Hieronymum epiſcopatus ſui tempore monaſterium Pratalienſe, quod hactenus ſui juris fuerat, eremo & eccleſiæ Camaldulenſi ſubjeciſſe, ita ut veſtes, conſuetudines & diſciplinam hujus loci reciperent præfati cœnobii monachi. In teſtificatione quadam ad annum 1217. ſpectante legimus Collum converſum Camaldulenſem interrogatum circa ſubjectionem monaſterii Pratalienſis eremo Camaldulenſi, reſpondiſſe [a], *ſe ſemper hoc vidiſſe; ſed audiviſſe, quod pervenit ad monaſterium Camaldulenſe ex conceſſione illorum de Clara-valle*. Forte Hieronymus epiſcopus mona-

[a] *Arch. Fontis-boni §. Teſtificatio. n. 5.*

ANN. CHR. 1144.

monachos Claræ-vallenses, quorum coloniæ per hæc tempora in omnes urbes Italiæ deducebantur, ad cœnobium Prataliense reformandum primum evocaverat, sed hi brevi cedentes monasterii regimen locum fecerant Camaldulensibus; vel etiam familia de Clara-valle appellata, & in aliquo contiguo castro sedem habens ac patronatus jus aliquod obtinens in monasterium, petita Hieronymi episcopi Arretini confirmatione, ipsum Camaldulensibus concessit, ut in meliorem formam redigeretur. Emendandus est etiam Fortunius, qui subjectionem monasterii Pratalienfis eremo Camaldulensi tribuit Elemperto II. episcopo Arretino circa finem antecedentis seculi. Sed jam explosimus fabellam ab ipso cusam fictitii hujus episcopi, qui nunquam in sede Arretina locum habuit.

X. Alia ab ipso Camaldulensibus concessa.

INTELLIGIMUS pariter [a] ex testimonio Stephani abbatis sancti Justi de Volaterris in examine ejusdem anni 1217. Petrum priorem eremi de Fleri emisse a præfato episcopo Hieronymo decem denariorum libris terram, super quam ædificata fuit ecclesia sancti Basilii de Cortona, quod instrumentum dixit scriptum fuisse per Boverium judicem; ipsumque episcopum eamdem ecclesiam dedicasse, quæ subjecta erat Flerensi monasterio, & in sollemniis consecrationis excommunicationis sententiam tulisse in eos, qui lædere auderent Camaldulenses. De utroque tam Pratalienſi, quam Flerensi loco plura dicemus annis sequentibus, & præcipue de turbis Pratalienſium pro excutiendo jugo Camaldulensium. Hujus cœnobii abbas hoc anno adhuc erat Rambertus ex charta tabularii Fontis-boni [b], qua in pignus recepit terras aliquot.

XI. Chartæ monaster. Camalduli Florentini, & S. Joh. inter Ambas-paras.

PRODUCIMUS etiam ex archivo monasterii sanctæ Mariæ angelorum de Florentia donationem factam hoc *anno* V. *idus octobris indictione* VIII. quæ incœperat mense septembri, a Berta filia Stephani, & a Lamandina Bertæ filia monasterio sancti Salvatoris *situm & ordinatum ad pedem montis, ubi nunc domnus Teud ricus priorem & rectorem esse videtur*, quæ offerunt terras positas in loco nuncupato Salicto, *una quarum de duabus partibus Greve, & de tertia parte sancti Apostoli, & de quarta parte sancti Salvatoris*. Alia donatio eidem cœnobio facta legitur anno sequenti M. C. XLV. IV. *nonas julii indictione* VIII. a Brunitto & Gisla ipsius uxore. Attulimus superius Cœlestini II. privilegium & confirmationem bonorum ejusdem monasterii, quæ proinde obtenta fuerit a Teuderico priore & loci rectore.

In locum Laurentii prioris eremi sancti Johannis-baptistæ inter Ambasparas, de quo mentionem fecimus ad annum 1125. suffectus fuerat Donatus, qui in excerptis [c] tabularii Fontis-boni legitur hoc anno XIV. *die septembris* locasse quasdam terras in territorio sancti Cassiani comitatus Feretrani.

XII. Bellinus ep. Patavinus beneficus in monast. S. Mariæ ad Carceres.

BELLINUS Patavinus episcopus Sinibaldi successor insignis sanctitate, & gloria martyrii celebris, munificus imprimis in monasterium sanctæ Mariæ de Carceribus, hoc *anno* M. C. XXXXIV. *octavo decimo kalendas julii indictione* VII. Dominicum priorem ejusdem cœnobii & ipsius congregationem sua liberalitatis dextera confovit, dilargitus præfato monasterio tres partes decimarum in Caracetulo, in Fracta Trium-comitatuum & in Agutiano, reservans quartam decimarum portionem ecclesiis, quibus competebant, voluitque, ut ipsæ proficerent ad usus fratrum, & ad pauperum & hospitum sustentationem. Confirmavit præterea privilegium concessum anno 1122. & ab antecessore suo bonæ memoriæ Sinibaldo eidem monasterio indultum. *Actum & datum Padue*. Inter ceteros testes subscriptus legitur *Bertaldus nepos episcopi*. Orlandum fratrem episcopi Bellini repe-

riemus

[a] Ibidem.

[b] §. Pignoratio. n. 1. A. 2. 14.

[c] §. Locatio. n. 35.

riemus sub anno 1146. In necrologio antiquo ejusdem abbatiæ ad diem XIV. junii legitur: *Bellinus episcopus Paduanus donavit Dominico priori canonicæ sanctæ Mariæ a Carceribus tres portiones omnium decimarum in amplis de Scudasia, ut videre est in charta donationis subscripta per eumdem Bellinum, & totum capitulum cathedralis Paduæ; rogatus Ginanius notarius anno* M. C. XXXXIV. Eodem tempore, certe ante annum sequentem, definivit litem, quæ vertebat inter priorem monasterii Carcerum, & inter archipresbyterum ecclesiæ sanctæ Theclæ de Atheste. Ugo nimirum balistarius bona sua ecclesiæ de Carceribus promissione obligaverat, inde investituram & chartulam de iisdem bonis pro ecclesia sanctæ Theclæ confecerat. Pronuntiat ergo cum consilio sapientum Bellinus Ugonis primam promissionem esse ratam habendam rescissa secunda. In exemplo, quod asservatur in majori ecclesia Athestina, sententia hæc reapse signatur *anno* M. C. XXXXIV. XII. *kalendas januarii indictione* VII. Ipsam sententiam ex autographo monasterii sancti Michaelis de Muriano Venetiarum, superiorem vero donationem ex apographis exscriptis a Brunatio nostro ad Appendicem amandamus.

ANN. CHR. 1144.

ANN. CHR. 1145.

XIII. Privilegium Eugenii III. pp. pro abbatia S. Salvatoris Montis-acuti.

VIGESIMA-QUINTA die februarii hujus anni Lucius II. Rom. pont. *defunctus apud ecclesiam sancti Gregorii in clivo Scauri & in ecclesia Lateranensi digno honore sepultus* ex cardinali Aragonio, locum fecerat in Romano pontificatu Bernardo olim vicedomino ecclesiæ Pisanæ & forte abbati sancti Zenonis Pisarum, deinde discipulo sancti Bernardi, qui ab Innocentio II. postulatus fuerat anno 1138. ad regimen abbatiæ Triumfontium ad Aquas-salvias. Is a cardinalibus ex insperato die XXVII. ejusdem mensis ad supremam ecclesiæ dignitatem evectus, Eugenii III. nomen assumpserat, & in Farfense monasterio consecrationis munus acceperat die IV. martii. Populi Romani furorem metuens Romæ commorari timuit, & in Civitatem-castellanam primum, deinde Viterbium se contulit, in qua postrema urbe sanctum Pascha celebravit, octoque menses sedem fixit. In Viterbiensi ergo urbe constitutus *secundo idus junii indictione* VIII. *incarnationis Dominice anno* M. C. XXXXV. *pontificatus vero* sui *anno* I. gratioso diplomate per manum Roberti S. R. E. presbyteri cardinalis & cancellarii monasterium sancti Salvatoris in territorio Perusino in loco, qui dicitur sub monte Castellione, & Offredum ejus monasterii abbatem ditavit. Ipsum est, cui præfuerat sanctus Petrus Damiani, excultum olim etiam a parente nostro sancto Romualdo, nunc vero præcipua sedes eremitarum Coronensium, dictum quoque monasterium Montis-acuti & Montis-coronæ. Inhærens itaque Eugenius vestigiis Honorii II. prædecessoris sui, monasterium præfatum sub protectione sedis apostolicæ recepit. Animadversione dignum est, quot monasteria, & ecclesiæ & cellæ principi huic cœnobio subjecta per id tempus forent, quæ recensentur in hoc Eugenii privilegio. Enumerantur itaque monasterium sancti Salvatoris situm juxta fluvium Carpini; aliud sanctæ Julianæ cum suis capellis, & cœnobium sancti Thomæ cum suis ecclesiis; cella sancti Johannis in monte Acuto cum ecclesiis; sancti Silvestri ecclesia cum aliis, quæ sub se obtinebat; ecclesia sancti Pauli de Herodina; cella sancti Juliani in insula Pulvensi, posita scilicet in lacu Thrasymeno, cum servis & piscariis suis; ecclesia sancti Florentii in comitatu Arretino in loco, qui dicitur Montanari; cella sanctæ Mariæ in Colugnola; cella sancti Florentii juxta murum civitatis Perusinæ (hanc modo tenent patres ordinis Servorum beatæ Mariæ) ecclesia sanctæ Mariæ in Clesi; cella sanctæ Petronil-

læ

Ann. Chr. 1145.

læ in comitatu Tudertino; ecclesia sancti Donati cum suis ecclesiis; cella sancti Simeonis cum ecclesiis; cella sancti Petri in Antoniana; ecclesia sancti Nicolai & sancti Paterniani; ecclesia sancti Andreæ in Fracta cum hospitali; cella sancti Faustini cum ecclesiis; cella sancti Salvatoris in Sessula; cella sancti Petri in Carpine cum ecclesiis & castellis suis; ecclesia sancti Paterniani juxta villam, quæ vocatur Farnetum; ecclesia sancti Laurentii in Agello; ecclesia sancti Benedicti in Caseta & sancti Andreæ in Castro; cella sanctæ Mariæ in Nicona; ecclesia sancti Christophori in Ruffianula; ecclesia sancti Donati in Monte; ecclesia sanctæ Mariæ in monte Acuto. Postremam hanc ecclesiam appellat monasterium Gregorius papa VII. in diplomate anni 1075. ad Sigebaldum sancti Salvatoris abbatem. In comitatu Feretrano recensetur ecclesia sita in monte Ceslo. Hanc non nominat Contarenus in sua Diatribe episcopatus Montis-feretrani. Ecclesia sancti Gaudentii juxta Montem-falconem, quæ numeratur etiam in diplomate Gregoriano. Ecclesia sancti Salvatoris in valle Vieni. Terras etiam possidebat monasterium sancti Salvatoris in Sorbo, in Favula, in Baxio, & juxta petram Tifilam, & in valle Plena juxta Miratorium, & in Castagnola juxta Gattariam. Insuper nominatur cella sanctæ Trinitatis in monte Neronis, *heremitali*, ut in diplomate dicitur, *dicata conversationi*; hæc erat in comitatu Tudertino, ut exprimitur in bulla Gregorii VII. Alius erat mons Neronis seu Lironis in comitatu Calliensi, ubi monasterium sancti Petri in massa Neronis. Ecclesia sanctæ Mariæ in Trivio; ecclesia sancti Matthæi in valle de Lacu. In comitatu Castrifelicitatis, quidquid habebat dono Guicciardi infra vel extra civitatem. Plebem denique confirmat sancti Petri in monte Marciano cum ecclesiis suis. Vult insuper Eugenius, ut obeunte abbate successor eligatur juxta beati Benedicti regulam a Romano pontifice consecrandus. Missas quoque publicas, seu stationes in monasterio præter voluntatem abbatis fieri prohibet. Ipsum privilegium edimus in Appendice ex veteribus apographis tabularii ejusdem monasterii. Subscribunt septem S. R. E. cardinales, Thomas presbyter tituli Vestinæ, Guido Moricottus Pisanus ab Innocentio II. creatus cardinalis tituli sancti Laurentii in Damaso, Ugo sancti Laurentii in Lucina, Gregorius diaconus sanctorum Sergii & Bacchi, Oddo sancti Georgii in Velabro, Octavianus sancti Nicolai in carcere Tulliano ex comitibus Tusculanis, inde sanctæ Cæciliæ archipresbyter, demum schisma in ecclesia faciens pseudopontifex dictus Victor IV. Rodulphus diaconus sanctæ Luciæ in Septisolio. Robertus, qui cancellarii munere fungitur, erat Anglus, Pullus vocatus, & cardinalis creatus ab Innocentio II.

Addimus suprarecensitis ab Eugenio ecclesiis alias, quas obtinebat dictum monasterium, quæque nominatur in diplomate Ottonis IV. imperatoris pro eodem cœnobio ad annum 1210. & sunt: ecclesia sanctæ Mariæ de Castellione, cella sancti Benedicti de Castro-felicitatis, cella sancti Anastasii juxta viam Flaminiam in comitatu Tudertino, cella sancti Juliani in loco dicto Merzana, cella sanctæ Julianæ in Prineto, cella sancti Donati in Tesaula, & omnia, quæ præfata abbatia possidebat in comitatu Tudertino. Demum in codice ecclesiarum & beneficiorum, quem scribi jussit anno 1495. Troilus Balleonius protonotarius apostolicus & abbas commendatarius dicti loci, inde etiam episcopus Perusinus, sequentes ecclesiæ nominantur, quæ non leguntur in diplomatibus Eugenii III. & Ottonis IV. scilicet ecclesia sancti Johannis a Fossis, plebs Cicaleti, ecclesia sanctæ Julianæ, ecclesia sancti Clementis in valle Vallenzina, ecclesia sancti Andreæ de Sportacciano, ecclesia sancti Johannis de Farneto, eccle-

ecclesia sancti Simeonis de Monestevole, alia in eo loco sancti Leonis, ecclesia vel prioratus sancti Faustini villæ Bagnoli in comitatu Castri-Felicitatis, ecclesia sancti Blasii villæ montis Lardari in eodem comitatu, ecclesia sanctorum Paterniani & Simeonis in comitatu Eugubino, ecclesia sancti Simeonis de Petra-Melina in eodem comitatu, ecclesia sancti Andreæ de Certalto in diœcesi Tiphernate; recensentur præterea ecclesia sancti Donati de Montone, sanctæ Marinæ de Pulciano, sancti Blasii de Romeggio, sancti Laurentii de Polgeto, sancti Petri de Metola, sanctæ Mariæ de Rancoscarione, sancti Juliani a Pignattis, sancti Thomæ de Galera, sancti Johannis de Costa, sancti Johannis de Pantano, sanctæ Agathæ de Antignola, sancti Petri de Scarseto, sanctæ Mariæ de Saxo, cujus ecclesiæ bona modo obtinent moniales sanctæ Sperandei de Perusio; insuper ecclesiæ sancti Stephani de Ciraciolo, sancti Silvestri, sancti Andreæ de Ranco, sanctæ Annæ de Petra-longa, sancti Donati de Logorno, sancti Petri super fluvium Carpinem, sancti Bartholomæi de Monte-alto, sancti Innocentii de Agello, sancti Matthæi de Montone, sanctæ Mariæ de Montino, sancti Salvatoris de Petra-longa, sancti Ægydii de castro Castellionis-Mencii, sanctæ Illuminatæ de Monte-Leto, quæ postrema ecclesia erat in diœcesi Eugubina. Monasterium etiam sanctæ Mariæ de Monterone in territorio Perusino subjectum erat abbatiæ sancti Salvatoris. Quarum ecclesiarum & locorum donationes, unionesque factæ monasterio Montis-acuti signari nequeunt suis certis & determinatis temporibus, deficientibus potissimum veteribus chartis miserandum in modum deperditis ab anno præsertim 1454. ad annum 1494. quibus abbatiæ hujus commendationem obtinuere Galeottus de Oddis, & post ipsum Bertholdus similiter de Oddis, inde Troilus Balleonius nobiles Perusini. Ipso porro anno 1494. cum acerrimæ lites, immo internecina odia & bella recruduissent inter utramque Oddorum & Balleoniorum familiam, in sanguinolento armorum conflictu, quo octo milliaribus ab abbatia, quatuor ab urbe Perusina dimicatum fuit super collem dictum Cardinalis, succumbentibus Oddis & prævalentibus Balleoniis, abbatia fuit direpta, ornamentis spoliata, fusa ejus ærea signa, igne vastata monachorum habitacula & prædia, atque tabularii chartæ vel in arcem Spoletanam traductæ ab Oddis, vel incendio concrematæ ab exercitu victore, ut colligitur ex examine plurium testium productorum in causa ejusdem abbatiæ inter eremitas Montis-coronæ, & inter nobiles dominos Vitellios Civitatis-Castelli discussa in Rota Romana anno 1597.

XIV. Charta Sangregoriana.

ANNO *primo pontificatus domini Eugenii tertii pape indictione octava mensis martii die decimo-octavo* Petrus abbas monasterii sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe in clivo Scauri, consensu suorum monachorum, locat & concedit Cinthio Frajapani turrim vocatam *de Arco cum suis scalis & fininis, positam Rome in capite Circli maximi;* locat etiam *Trullum unum, quod vocatur Septem solia cum suis scalis & fininis cum sua clausura positum Rome prope supradictam turrim, & prope diaconiam sancte Lucie*, pro qua locatione Cinthius terras positas ad Mandram Camellariam & alias in territorio Albanensi in loco vocato Auriceli refutaverat præfato monasterio. Chartam proferimus ex codice Gregoriano. Trullum est ædificium rotundum concameratum ad formam ovi, ut observat Cangius; de ædificio rotundo vocato *Septem-solia*, quod juris erat monasterii sancti Gregorii, egimus ad annum 975. Turris de Arco vocabatur etiam *Septem solia major*. Petrus autem abbas sanctorum Andreæ & Gregorii in locum Laurentii, de quo egimus ad annum 1131. suffectus fuerat,

Ann. Chr. 1145.

XV. Eugenii III. pp. privilegium pro monast. S. Mariæ ad Carceres.

Antequam Viterbium se conferret Eugenius, apud Civitatem-castellanam consistens VI. *idus aprilis indictione* VIII. *incarnationis Dominice anno* M.C.XXXXV. *pontificatus vero* sui *anno* primo per manum Roberti S. R. E. cardinalis & cancellarii, subscribentibus decem & novem ejusdem S. R. E. cardinalibus, privilegium concessit Dominico priori sanctæ Mariæ de Carceribus ejusque monasterio, quo ipsum sub beati Petri protectione suscepit, omnia bona confirmans & recensens præfati cœnobii, decimas nimirum Caracetuli, Aguciani, Scudasiæ & Fractæ, & quæcumque eidem loco concessa fuerant a Sinibaldo & a Bellino episcopis Paduanis, cujus postremi precibus inclinatus presens privilegium dilargitus fuit. Vult, ut ordo canonicus secundum beati Augustini regulam, & fratrum Portuensium institutionem ibidem vigens semper conservetur; scilicet Portuenses suo nomine non contenti, vel aliud universalius receptum affectantes, nomenclaturam sancti Augustini sibi adoptarunt. Corroborat demum sententiam latam proximis his temporibus ab eodem Bellino super bonis Ugonis balistarii. Cardinales sunt Conradus Sabinensis, Theodewinus Portuensis, Petrus Albanensis episcopi; Gregorius presbyter tituli Calixti, Gilibertus sancti Marci, Guido sancti Laurentii in Damaso, Nicolaus sancti Ciriaci, Manfredus sanctæ Sabinæ, Alibertus sanctæ Anastasiæ, Julius sancti Marcelli, Ubaldus sanctæ Crucis, Gregorius diaconus sanctorum Sergii & Bacchi, Guido sanctorum Cosmæ & Damiani, Octavianus sancti Nicolai in carcere Tulliano, Rodulphus sanctæ Luciæ in Septisolio, Gregorius sancti Angeli, Astaldus sancti Eustachii, Berardus & Guido S. R. E. diaconi cardinales. Privilegium publici juris facimus ex præfati monasterii exemplis, quæ custodimus in nostro sancti Michaelis cœnobio.

XVI. Testamentariæ tabulæ Tancredi marchionis Estensis.

Tancredus alter ex Estensibus marchionibus, frater marchionis Fulconis, testamentarias tabulas condidit hoc *anno millesimo centesimo quadragesimo quinto indictione* VIII. *tertio cal. martii*. Manfredum quidem filium suum, quem ex Gota susceperat, omnium bonorum suorum hæredem instituit, cum onere, ut in funere suo quinquaginta libræ denariorum Veronensium expendantur, de quibus viginti numerentur ecclesiæ sanctæ Mariæ de Vangaticia. Decernit autem, ut decedente filio suo Manfredo sine testamento, vel filium legitimum aut posthumum non relinquente, succedant in bona sua præfata ecclesia de Vangaticia, altera sancti Fidentii, & alia sanctæ Mariæ de Carcere una cum aliis ecclesiis, quarum censum agit. Recenset ergo ecclesias sancti Silvestri, sancti Vitalis, sanctæ Mariæ de Carnese, sanctæ Mariæ & sancti Michaelis de Palso, sancti Laurentii de Cavazana, sancti Petri & sancti Viti de Lusia. Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Carceribus plures terras; plures quoque ecclesiæ sancti Fidentii; sanctæ Mariæ autem de Vangaticia ecclesiæ cum omni jure & honore reliquas terras concedit. Vult præterea, ut unusquisque de familia sua commorans in episcopatibus Patavino, Veronensi, Adriensi & Ferrariensi, si habeat integrum mansum de terra sua, tribuat die sui anniversarii præfatæ ecclesiæ de Vangaticia XXIV. denarios Veronensium, & libram ceræ; si habeat dimidium mansum, XII. denarios offerat, & dimidiam libram ceræ; qui vero terris caret, denarios duos, & unam candelam; similiter autem faciant suis majoribus ecclesiis ii, qui habitant in ceteris episcopatibus. Aliqua etiam relinquit Gotæ uxori suæ, & filiis Fulconis marchionis propinquis suis, & etiam filiabus Azonis suis consanguineis. Demum quidquid juris & honoris ad se pertinet in Lusiniano, & in episcopatibus Vercellensi, Papiensi, Terdonensi, Placentino, Cremonensi & Parmensi, præcipit, ut matrices ecclesiæ uniuscujusque episcopatus illud habeant, quod

quod in finibus suis positum esse videtur, salvo morgincap uxoris suæ. Sed integrum Tancredi testamentum prostat in Appendice ex Canneto, a quo Muratorius accepit. Neque Pigna, neque Hieronymus Falettus Tancredum agnovere inter marchiones Estenses.

Ann. Chr. 1145.

XVII. Chartæ Camaldulenses.

Die duodecima maji hujus anni, ut nos docent excerpta Baroncinii [a], Gulielminus filius olim Bernardini de Subiano spopondit, se molestiam non illaturum eremo Camaldulensi causa possessionis castri de Soci, & curtis ejus, & aliorum bonorum positorum in dicta curte, quæ ad eam eremum pervenerant ex donatione patris sui Bernardini filii Feralmi, & partim etiam ex sui ipsius ac matris suæ venditione, manu Viviani notarii. Similiter [b] prior sancti Quirici de Rosis multa refutavit abbati Rotensi, & ea insuper, quæ olim fuerant abbatiæ de Farneta. Legimus in chronico Baroncinii adjudicatam fuisse hoc anno monasterio sancti Petri de Rotis Lineam de Colle, quæ pertinuerat anterioribus temporibus eidem Farnetanæ abbatiæ. Prædives Farnetæ monasterium erat in territorio Aretino seu Cortonensi. Decimas vero una cum facultate sepeliendi, quas quisque eorum, nempe prior sancti Quirici & abbas Rotensis, per præscriptionem quadraginta annorum, vel auctoritate episcopali obtinet, obtineat, & teneatur abbas de Rota annuatim persolvere prædicto priori quamdam pensionem.

a §. Amissæ. 174. A. 65.

b Recordationes 24.

Ann. Chr. 1146.

XVIII. Consecratio ecclesiæ Fulginatis.

Insignis sub hoc *anno* M. C. XLVI. *Eugenio papa tertio presidente, ejus pontificatus anno quinto die* X. *martii* facta refertur ab Ughellio & Labbæo dedicatio ecclesiæ cathedralis Fulginii, cui præerat Benedictus ex monacho Avellanensi episcopus, a Julio S. R. E. cardinale tituli sancti Marcelli, & apostolicæ sedis legato, cui interfuere plures episcopi, abbates & priores monasteriorum urbium proximarum. Rei seriem, & prælatorum concilium ea occasione celebratum narrat ipse Julius in epistola universis data. Assedere itaque synodo, ut per extensum epistolam adducit Ughe lius in episcopis Fulginatibus, & Labbæus in editione conciliorum, *Narniensis episcopus cum quinque abbatibus & duobus prioribus. Spoletanus cum novem abbatibus cum archidiacono & decem prioribus; Tudertinus cum quinque abbatibus & archidiacono & octo prioribus. Assisiensis cum tribus abbatibus & quinque prioribus. Perusinus cum archidiacono & archipresbytero, quinque abbatibus & septem prioribus. Callensis cum uno præposito, cum duobus abbatibus & tribus prioribus. Gubinus cum uno præposito, & uno archipresbytero, & tribus abbatibus & quinque prioribus. Urbinas cum uno præposito, duobus archipresbyteris, & duobus abbatibus. Monsferetranus cum uno præposito, & duobus abbatibus. Ariminensis cum uno archidiacono, præposito, & tribus abbatibus. Pisaurensis cum uno præposito, & duobus abbatibus. Forosempronienfis cum uno præposito, archipresbytero, & uno abbate. Senogalliensis cum uno præposito, duobus abbatibus; tribus archipresbyteris. Anconitanus cum uno archidiacono, duobus præpositis, tribus abbatibus. Humanensis cum archidiacono, archipresbytero, duobus abbatibus. Firmanus cum uno archidiacono, archipresbytero, diacono, primicerio, mansionario, decem abbatibus & septem prioribus. Esculanus cum archidiacono, archipresbytero, quinque prioribus, quatuor abbatibus. Æsinus cum archidiacono, archipresbytero, tribus prioribus & quinque abbatibus. Auximanus cum archidiacono, archipresbytero, quinque præpositis, septem abbatibus. Camerinensis cum archidiacono, quinque prioribus, octo abbatibus. Nucerinus cum quinque prioribus, septem abbatibus. Fulginensis demum episcopus Benedictus cum clero & populo universo* &c. Concedit autem Julius le-

ANN. CHR. 1146.

legatus, una cum concilio, unius anni & quadraginta dierum indulgentiam de injuncta pœnitentia manum adjutricem porrigentibus Fulginatensis templi perfectioni. Quoad chronicas notas nemo non videt vitiatas, cum hoc anno non quintus, sed secundus Eugenii III. pontificatus annus esset, immo nec secundus legendus est annus, cum ex originali diplomate, quod in capitulari archivo asservari testatur Muratorius [a] in notis ad fragmenta Fulginatis historiæ, signandus potius sit annus 1145. qui pontificatus Eugenii Papæ non erat nisi primus; quod idem animadvertit etiam Contarenus in dissertatione de episcopatu Feretrano [b].

a Antiq. med. æv. T. IV. col. 141.

b Pag. 103.

XIX. Testimonium Anselmi ep. Havelbergensis de Camaldulensibus.

SCRIBEBAT hoc tempore, Eugenii III. jussu, Anselmus Havelbergensis episcopus, inde archiepiscopus Ravennas, tres suos libros, complures continentes collationes, quas habuerat ipse cum Nechite Nicomediæ archiepiscopo in urbe regia Constantinopolitana ante decennium, ad Johannem Comnenum imperatorem CP. tunc temporis missus a Lothario cæsare. In primo dialogorum libro, quem cum aliis duobus vulgavit Lucas Dacherius [c], postquam de beato Benedicto verba fecit, hæc de Romualdo Camaldulensium institutore subdidit Anselmus: *Surrexit etiam modernis temporibus in Thuscia in loco, qui vocatur Gamaldiela, vir religiosus nomine Johannes, sub monasticæ professionis titulo novo fervore novum habitum cum fratribus suis monachis induens & multos discipulos suæ formæ sequaces habens.* Hæc scripsit Anselmus nondum Ravennatem archiepiscopatum assecutus, quo tempore consortio necessario fruens monachorum sancti Apollinaris Classis, nomen institutoris Camaldulensium ignorare non potuisset, ut pro Romualdo Johannem scriberet, corruptoque nomine Gamaldiela appellaret Camaldulensem eremum. Subiret dicere Johannis Camaldulensis prioris, inde Ostiensis episcopi & cardinalis, sanctimonia etiam & pietate illustris, qui recens floruerat, nomine captum Anselmum supposuisse ipsum fuisse Camaldulensium monachorum institutorem. Mortuo Moyse doctissimo archiepiscopo anno 1154. in Ravennatis ecclesiæ thronum subvectus est Anselmus, populo cleroque ejus urbis vocante, & Friderico imperatore suffragante.

c T. I. pag. 168.

XX. Martinus ep. Clusinus tradit aliqua monasteria reformanda eremitis Vivensibus.

MARTINUS episcopus Clusinus cogitans de antiquo statu sui episcopatus, inter cetera destituta disciplina monastica cœnobia reformare hoc anno satagit monasterium sancti Benedicti de Moxino, & ad pristinæ religionis augmentum restituere, idcirco de consilio suorum fratrum canonicorum & officialium, ac Bonizonis abbatis ejusdem monasterii, fratrum quoque monachorum & laicorum cœnobii, donat Rustico priori monasterii & eremi de Vivo ipsum cœnobium ad religionem ibidem reformandam, cum omnimoda potestate ordinandi tam personas, quam res, nomine tamen & honore abbatis in eo loco reservatis. Actum in claustro sancti Secundiani Clusini episcopatus, *anno* M. C. XLVI. *nonas madii presidente domino Eugenio universali papa* III. Monasterium hocce in bulla ejusdem Eugenii anno sequenti appellatur sancti Benedicti de Mojano. Donationem edimus ex autographo archivi monasterii nostri Rosæ Senarum. Ante biduum *tertio* scilicet *nonas madii* hujus anni idem episcopus tradiderat eidem Rustico priori reformandum monasterium sancti Petri in Campo, *quod mei juris & proprietatis*, inquit, *hactenus fuisse dignoscitur*, accedente etiam voluntate suorum canonicorum, & habito consensu domni Peponis ejusdem cœnobii abbatis, suorumque fratrum monachorum, clericorum & laicorum. Actum in eodem claustro sancti Secundiani. Subscribunt post Martinum episcopum Rolandus Clusinæ ecclesiæ archipresbyter, I. primicerius, Rusticus sacerdos & canonicus, & Petrus diaconus

& ca-

& canonicus. Paginam autem hujus traditionis exscripsimus ex tabulario nosocomii Scalæ Senarum ex authentico confecto a pluribus notariis *anno* M. CC. L. *indictione* VIII. *die* II. *nonas februarii*. Rusticus in Boni locum subrogatus fuerat Vivensis prior. Ignotus autem fuit Hieronymo Gilio [a] Martinus episcopus Clusinus, qui insuper defectu monumentorum inficiatus est abbatiam sancti Petri in Campo subjectam fuisse eremo de Vivo.

Ann. Chr. 1146.

a P. II, pag. 701.

XXI. Rambertus ep. Faventinus donat Camaldulensibus monast. SS. Hippolyti & Laurentii.

Alter episcopus Faventinus Rambertus hoc eodem *anno* M. C. XLVI. *die* VIII. *exeunte mense aprilis indictione* VIII. *tempore Eugenii pape & Corradi regis in domo sive palatio domini episcopi*, de consilio fratrum suorum, & omnium consulum & aliorum bonorum virorum, concedit Azoni priori Camaldulensi monasterium sanctorum Laurentii & Hippolyti situm juxta civitatem Faventinam cum omnibus bonis suis, ut ordinetur secundum Deum, & consuetudinem Camaldulensem, nil sibi reservans, nisi quod omni anno teneatur præfatum monasterium commodare equum episcopo ad festum sancti Vitalis, & alterum ad festum sancti Apollinaris Ravennæ, & unam comestionem debeat præparare, secundum quod consuevit hactenus, in festo sancti Martini, canonicis Faventinæ ecclesiæ. Pro qua traditione se obligat episcopus sub pœna centum marcarum argenti. Hanc autem concessionem facit pro remedio animæ suæ, & suorum antecessorum & successorum episcoporum, & pro restauratione ipsius monasterii, quod in spiritualibus erat penitus adnihilatum, & in temporalibus pene omnino destitutum. De vetustate hujus monasterii videantur, quæ diximus ad annum 1022. [b] quam ignoravit Tonduccius [c], qui chartas ejusdem loci antiquiores ad annum 1130. refert. Episcopi provinciales, ut alibi observavimus, tenebantur quotannis adire metropolitanam ecclesiam Ravennatem in festis sanctorum Apollinaris & Vitalis, & una cum archiepiscopo adsistere Divinis officiis diebus eorum sollemnitatis. *Caritativa autem ciborum beneficia*, ut ea appellat Lucius papa II. quæ a monasteriis sanctæ Mariæ foris portam, & sancti Hippolyti recipere solebant canonici Faventini, confirmaverat ipsis kalendis junii ante biennium idem Romanus pontifex diplomate, quod affert Ughellius [d], & ante triennium Innocentius II. altero, quod legitur apud Tonduccium [e]. Ex apographo ejusdem cœnobii donationem Ramberti episcopi publici juris facimus, in quo vel emendanda est indictio, quæ hoc anno erat IX. vel si retinenda est indictio VIII. donatio pertinebit ad annum antecedentem, & usurpatus in ipsa fuerit annus Pisanus. Ea facile opportunitate Eugenius III. Romanus pontifex confirmaverit bona præfati monasterii, ipsumque sub protectione apostolicæ sedis receperit, ut fidem facit alter Romanus præsul Alexander III. in consimili privilegio, quo dictum cœnobium anno 1181. communivit.

b T. I. pag. 409.

c Pag. 20.

d Tom. II. col. 496.

e Pag. 186.

XXII. Guidonis comitis renuntiatio villæ Mojonæ Camald.

Eidem Azoni *anno* M. C. XXXXVI. Guido comes filius bonæ memoriæ Widonis Verræ & Imilia comitissa ejus mater dimittunt omnes exactiones, & omnem usum justum & injustum, quem habebant in villa de Mojona, exceptis quadraginta solidis Lucensibus, qui comitibus vel eorum nuntiis persolvi quotannis mense decembri debebant. Actum Strumi. Teuderico vero priori sancti Salvatoris in Pedemonte prope Florentiam refutant Martinus Gatajo & Mingardina ejus uxor piscationem & cursum aquæ, quæ est in Greve. Factum est hoc *anno centesimo quadragesimo sexto post mille*, *septimo kalendas februarii indictione* X. initio scilicet anni sequentis, qui more Florentino adhuc erat M. C. XLVI. ut possit componi cum indictione X. decurrente anno M. C. XLVII.

ANN. CHR. 1146.

XXIII. Ecclesia S. Andreæ de Curterodulo tradita monast. S. M. ad Carceres a Bellino ep. Patavino.

OPTIME merens semper de monasterio sanctæ Mariæ ad Carceres Bellinus episcopus Patavinus subjicit hoc anno eidem cœnobio & Dominico priori ecclesiam sancti Andreæ apostoli de Curte-rodulo cum rebus omnibus, quas ecclesia hæc possidebat, ut membrum capiti, ad hoc ut fratres secundum beati Augustini regulam, ac Portuensium fratrum institutionem ibidem congregentur. Consilio itaque habito cum Oberto majoris ecclesiæ Patavinæ archipresbytero & cum ceteris confratribus vult, ut fratres ibidem a Dominico constituti tamquam filii semper obedientes, & tamquam ceteri canonici sanctæ Mariæ ad Carceres vivant, & eamdem regulam teneant, salva Paduani episcopi canonica justitia & obedientia. Confirmat etiam bona dictæ ecclesiæ sita in villa Pataviola: *Anno Dominice incarnationis post millesimum & centesimo quadragesimumque sexto*, IV. *cal. madias indictione* IX. Post Bellinum episcopum & Ubertum archipresbyterum subscribunt alii canonici presbyteri, diaconi & subdiaconi. In his *Torengus in montanis archidiaconus*, scilicet pro ea Patavinæ diœcesis parte, quæ montibus est oppleta. Interfuerunt plures testes, & sequenti die dominus Tebaldus de Caldenacio, & Dominicus de Steno per suas partes, & Abbo subdiaconus missus domini Willelmi, & Penzonis & Warimberti de Caldenacio, ipsorum vice atque mandato, secundum quod in eorum breviculo continebatur, refutaverunt cum fuste in manu domini Bellini Paduani episcopi omne jus & omne dominium, quod ipsi unquam habuerunt, aut hactenus se habere dicebant in supradictam ecclesiam sancti Andreæ, & hæc fecerunt ipsi in remissionem peccatorum suorum. Inter ceteros testes hac secunda die legitur Orlandus frater Bellini episcopi. Donationem hanc edimus ex autographo archivi nostri sancti Michaelis de Muriano, in quo apparet adhuc sigillum cereum cum solito signo Patavini episcopi.

XXIV. De cœnobio S. Michaelis Domorum in comitatu Camerinensi.

[a] T. VI. pag. 381.

MEMORANTUR a Mabillonio [a] sub hoc anno cœnobium sancti Michaelis archangeli, *quod est edificatum in loco qui Domorum vocatur*, & Petrus abbas ejus loci tertius, ac monachi Deo ibidem servientes, quibus Theodinus Camerinensis episcopus *tempore VV.* nimirum Warnerii, *ducis & marchionis* concedit *totam curtem*, *que attinet ipsi eremo cum terris*, *vineis*, *silvis* &c. *ad utilitatem sancti Angeli propter vitam monachorum sive eremitarum. Quod si voluerint abbas & monachi*, *habeant licentiam ipsius congregationis priorem eligere secundum regulam sancti Benedicti*, *qui gubernare poterit consilio fratrum Deum timentium*, *juxta sancte norme instituta*. Pariter ad annum 1152. idem Theodinus donat eamdem *ecclesiam sancti Michaelis*, *que est edificata in lo o*, *qui dicitur Domora*, *in valle Gabiana* ecclesiæ & monasterio sancti Salvatoris & sancti Laurentii ædificatis juxta castrum Sancti-severini, in loco, qui dicitur Planus-camerini, & domno Actoni abbati. In charta nostra archivi sancti Blasii de Fabriano ad annum 1352. legitur *ecclesia sancti Nicolai de sancto Severino membrum monasterii sancti Eustachii de Domoris*. Hæc unio monachorum & eremitarum in eodem cœnobio & in diœcesi Camerinensi videtur propago monachorum & eremitarum illorum, quos instituerat sanctus parens noster Romualdus, qui prope monasteria eremos, & prope eremos monasteria condere consueverat, præsertim in marchia Camerinensi. Concinit canonicus Piranus Octavius Turcius in Camerinensibus rebus expertissimus, qui in sua Synopsi rerum a sancto Romualdo gestarum in diœcesi Camerinensi conjicit Romualdum canonicas ecclesias reformasse Sancti-severini, Cinguli, sancti Coronati, Montecchianam, sancti Venantii

Fabria-

Fabriani, Mathelicanam[l], Camerinenses sanctæ Mariæ & sancti Venantii, aliasque, accurrisse quoque ad reformandos monachos sancti Urbani, Vallis-fucinæ, sancti Clementis, sancti Victoris in agro Cingulano, sancti Eustachii de Domoris, sancti Laurentii in Doliolo, sanctæ Mariæ de Rambona, sancti Mariani, sanctæ Mariæ de Monte-apennino in agro Fabrianensi, sancti Victoris de Clusis, sanctæ Mariæ de Rotis in territorio Mathelicano, ipsius quoque suasionibus Attonem comitem ejusque uxorem Bertam comitissam dotasse cœnobium sancti Michaelis infra Ostia in agro Sanctæ-anatholiæ, cujus fundationis schedam anni 1015. cum aliis donationum chartis factis eidem monasterio annis 1040. 1156. & 1157. publici juris facit in appendice præfatæ Synopsis, quam humanissime ad nos transmisit revisendam.

Immo hic loci in gratiam ejusdem eruditissimi & nostri amantissimi Turcii silentio dissimulatam nolumus ipsius opinionem, qua existimat Apenninum montem & Aquam-bellam, loca nominata a Petro Damiani in vita sancti patris nostri Romualdi capitibus XLVI. & XLIX. requirenda non esse in ditione Etruriæ, ut nos post ceteros omnes asseruimus, sed in territorio Camerinensi, in quo tam Apenninus mons, quam locus appellatus Aqua-bella reperiebantur. Ad illustrationem eorum, quæ in medium profert pro suo novo systemate, non pigebit superaddere sequentia duo instrumenta a nobis desumpta ex archivo monasterii nostri sancti Blasii de Fabriano, in quibus eremus Aquæ-bellæ seu Aquæ-albellæ, & monasterium sanctæ Mariæ de Apennino nominantur.

[a] *In nomine Domini amen. Anno ejusdem millesimo* CCC. II. *indictione* XV. *tempore domni Bonifacii pape* VIII. *die vero* VI. *mensis martii. Coram vobis nobili & potenti viro Guidarello Oderigii de Citerna honorabili potestate communis Fabriani, vestroque judice & dicti communis domino Nichola de Castello ad Malla deputato constitutus domnus Paulus Jacobi monachus monasterii sancte Marie* de Apennino *Nucerine diecesis sindicus & procurator religiosi viri dompni Andree abbatis monasterii supradicti, & ejusdem monasterii & conventus procuratorio & sindicario nomine predictis dicit, asserit & proponit, quod* heremita sancti Salvatoris & sancti Petri de Aqua-albella, que sunt posita in Monte madio, *cum terris laborativis, montaneis, silvis, & aliis possessionibus & pertinentiis suis pertinet pleno jure possessionis, vel quasi & proprietatis ad monasterium & conventum suprascriptum, & pertinuit per* X. XX. XXX. XL. L. *&* C. *annos proxime elapsos & ultra, & per tantum tempus, cujus memoria non existit, justo titulo & bona fide pacifice & quiete &c.* omissis aliis *&c.*

a Num. 5.

[b] ✠ *Et ego Bartholus Compagnutii imperiali auctoritate notarius predictis omnibus* &c.

b Num. 6.

In nomine Domini amen. Anno ejusdem millesimo trecentesimo septimo indictione V. *tempore domni Clementis pape quinti die vero* XX. *junii. Coram sapienti & discreto viro domino Jacobo de civitate Castelli judice communis Fabriani super renovatione libre & appassatus communis Fabriani deputato & assumpto per dictum commune, & coram Saverutio Consilii appassatore communis Fabriani ibidem presentibus. Constitutus dompnus Bartholus Jacobutii monachus monasterii sancte Marie* de Apennino *Nucerine diecesis sindicus & procurator abbatis monasterii suprascripti & ejusdem monasterii capituli & conventus, procuratorio & sindicario nomine predictis dixit, asseruit & proposuit, quod* heremita sancti Salvatoris & sancti Petri de Aqua-albella, que sunt posite in Monte madio, *cum terris laborativis, montaneis, silvis, & aliis possessionibus & aliis pertinentiis suis*

per-

Ann. Chr. 1146.

pertinet pleno jure possessionis vel quasi, & pertinuit ad monasterium & conventum suprascriptum &c. Omissis aliis &c.

✠ *Et ego Gentelutius Petri imperiali auctoritate notarius &c.*

Horum instrumentorum ope facili compendio intelligitur, quomodo Romualdus ex monasterio Vallis-castri *progrediens*, *non longe ab Apennino monte*, *in loco*, *qui dicitur Aqua-bella*, sive Aqua-albella, *manere constituit*, ubi eremum condidit per discipulos suos, & presbyterum a dentium dolore liberavit; quomodo etiam *postmodum cum Apenninum d sereret*, *montem Sitriæ habitaturus ascendit*, qui Sitriæ mons parum distabat ab Apennino monte, seu a monasterio sanctæ Mariæ de Apennino.

Sed de Turcii systemate, plausibilique conjectura alibi recurret sermo.

Ann. Chr. 1147.

XXV. Eugenii III. pp. privilegium pro Vivensibus.

EUGENIUS III. apud Marturium Podii-Bonitii fluvium hoc anno existens per manum Guidonis S. R. E. cardinalis & cancellarii amplum privilegium concessit Rustico priori eremi & monasterii de Vivo, quo ejus monasterium apostolicæ sedis protectione communivit una cum aliis cœnobiis ipsi subjectis, inter quæ recensentur monasterium sancti Petri in Campo, monasterium sancti Benedicti de Mojano, monasterium sancti Petri in Arnano, cum omnibus bonis & possessionibus eorum *quemadmodum*, inquit, *a fratre nostro Martino Clusino episcopo ad reformandam religionem vobis canonice concessa sunt*, *& scripto suo firmata*; anno nimirum præcedenti. Quia vero monachi & religiosi viri de aliorum fidelium eleemosynis atque beneficentia vivere debebat, voluit, ut de laboribus, quos propriis manibus sumptibusque colligerent, alicui dare decimas non cogerentur; insuper statuit, ut clericos vel laicos a seculo fugientes, postulata ab episcopis suis licentia, ad conversionem possent suscipere, & ad monasticæ professionis habitum recipere, salva in omnibus sedis apostolicæ auctoritate, & Clusini episcopi canonica justitia. Subscripsere post Eugenium novem S. R. E. cardinales. Privilegium, quod edimus ex tabulario archinosocomii Senarum recognitum *anno* 1250. *indictione* VIII. *die secunda nonarum februarii* a pluribus notariis, legitur datum ab Eugenio *idibus januarii indictione* X. *incarnationis Domini nostri Jesu Christi anno* M. C. XLVI. *pontificatus vero Eugenii* III. *anno* II. quod intelligendum est de anno incarnationis Florentino, qui perseverabat primis mensibus anni sequentis, ut possit aptari cum indictione X. & cum anno secundo Eugenii III qui idibus jannuarii anni 1147. secundum adhuc numerabat pontificatus sui annum. Privilegium hocce edidit etiam Muratorius [a] in Antiquitatibus medii ævi, sed male Rusticum priorem ejusque confratres Vivenses canonicos regulares appellavit. Animadvertit insuper pro anno M. C. XLVI. scribendum esse M. C. XLVII. sed confugio habito ad annum Florentinum retinenda est lectio anni M. C. XLVI.

a Tom. IV. col. 223.

XXVI. Ejusdem alterum pro monachis Puteolensibus.

IDEM annus Florentino more usurpatur in altero ejusdem Eugenii diplomate concesso Alberto abbati sancti Petri de Puteolis Lucanæ diœceseos, quo recipiens sub beati Petri tutela præfatum monasterium, ejus bona recenset. Cui subscribunt post ipsum tresdecim S.R.E. cardinales. *Datum* est *Luce per manum Guidonis S. R. E. diaconi cardinalis & cancellarii* III. *idus februarii indictione* X. *incarnationis Dominice anno* M. C. XVI. *pontificatus sui anno* II. Ex tabulario capituli Lucensis ipsum edimus, quo nos benigne participes effecit ejusdem ecclesiæ canonicus, & Lucensis patricius Martius Michaelius.

XXVII. Tertium & quartum pro Camaldulensibus & pro monialibus Luci.

APUD Sanctum-genesium in eadem Lucensi diœcesi commorans idem Romanus pontifex duo alia privilegia per manum ejusdem Guidonis, primum

Ann. Chr. 1147.

mum Azoni priori Camaldulensi, alterum abbatissæ sancti Petri de Luco concessit; & quidem VIII. *idus februarii indictione* X. *incarnationis Dominice anno* M.C.XLVI. *pontificatus Eugenii pape* III. *anno secundo* (eodem stilo Florentino) Azoni confirmavit omnia loca & monasteria, quæ eremi Camaldulensis disciplinam susceperant eodem modo, quo habetur in similibus bullis Honorii II. & Innocentii II. ejus antecessorum Romanorum pontificum. Quæ de novo recensentur, sunt: In episcopatu Populiensi ecclesia sancti Paterniani in Ferracciano, in episcopatu Faventino monasterium sancti Hippolyti juxta civitatem, in episcopatu Bononiensi ecclesia sancti Damiani, in episcopatu Arretino ecclesia de Castilione, in Lucano hospitium sancti Genesii, & in Sardinia monasterium sancti Petri in Olim. Monasterium sancti Savini extra urbem Pisanam appellatum in anterioribus pontificiis & imperialibus diplomatibus *in Cerasiolo*, appellatur ab Eugenio III. in diplomate hujus anni *in Montione*. Quare translatio monasterii de loco in locum est assignanda huic seculo, & non anno 1222. sub quo Paulus Troncia in Annalibus Pisanis [a] refert ejus ædificationem in Montione propter alluvionem Arni, qui monasterium in Cerasiolo everterit. Subscribunt sexdecim S. R. E. cardinales. Die vero sequenti, nempe VII. *idus februarii indictione* X. *anno* M.C.XLVI. *pontificatus Eugenii pape* III. *anno* II. (morem Florentinum semper sequens) in eodem loco subsistens sub protectione sanctæ sedis asceterium Lucense recepit, & quascumque possessiones idem monasterium obtinebat ex oblatione Gothidii, & ex concessione Rodulphi Camaldulensis prioris, partem scilicet oppidi Luci, partem Larcianæ villæ, possessiones in Tiliano, in Fortunio, in Prata, partem de Cantamerulo, partem de Rivo-frigido, partem de Rivo-cornoclario, partem villæ Castri, villæ Silvæ & villæ Frenæ, ac ecclesiam sancta Christinæ prope castrum Septem-fontium (ipsa ecclesia est parthenon monialium Camaldulensium Bononiensis territorii) quæ omnia ita confirmavit Eugenius sanctimonialibus Lucensibus, ut tamen locus esset semper sub Camaldulensis prioris dominio & provisione; nec episcopo ejusque ministris liceret ejusdem loci congregationem, aut ejus presbyteros excommunicare vel interdicere, nisi prius Camaldulensem priorem caritatis studio requisierint. Subscribunt privilegio decem S. R. E. cardinales, quod edimus ex archivo ejusdem monasterii, sicut superius publici juris facimus ex pervetusto codice membranaceo, qui olim extabat penes Grandium. Abbatissa sancti Petri de Luco hoc anno erat Binia nominata in chartis ejusdem loci post Beatricem ab anno 1132. ad annum 1151. quo primum legitur alia abbatissa Maximilla. Sub Maximilla vivebat Martinus presbyter monasterii sancti Petri de Luco, appellatus in quadam charta ejusdem archivi ad annum 1154. *venerandæ vitæ vir*. Qui nimirum in loco a sanctimonialibus separato vivebat in eodem cœnobio. Qui de novo in his quatuor apostolicis privilegiis leguntur cardinales, sunt Imarus Tusculanus episcopus Gallus monachus Cluniacensis, & ab Innocentio II. promotus, qui postea adhærens Victoris IV. schismati, resipuit tandem, & in Cluniacensi cœnobio sub Alexandro III. obiit; Albericus ex abbate Vizeliacense episcopus Ostiensis post Drogonem; Guido presbyter sancti Chrysogoni; Ubaldus sanctorum Johannis & Pauli; Guido sanctæ Mariæ in Porticu, vocatus *vir religiosissimus* a sancto Bernardo; Hiacynthus sanctæ Mariæ in Cosmedin ex familia Ursina a Cœlestino II. ad eam dignitatem evectus, inde post prope quinquaginta annos Romanus pontifex sub nomine Cœlestini III; Guido tituli Pastoris; Jordanus sanctæ Susannæ; Johannes de Paparo sancti Adriani; Ugo sanctæ Luciæ, sed facile

a *Pag.* 182.

Ann. Chr. 1147.

sancti Laurentii in Lucina; Guido autem cancellarius diaconiam obtinebat sanctorum Cosmæ & Damiani. Ex Thuscia post medietatem mensis februarii Eugenius trajecit in Gallias, ubi sanctum Pascha in urbe Parisiensi cum Ludovico rege celebravit hoc eodem anno.

XXVIII. De monasterio SS. Cosmæ & Damiani Bononiæ.

Ut monasteria illustremus nominata in superiori Eugeniano privilegio ad Azonem priorem Camaldulensem concesso, monasterium sancti Damiani erat ædificatum in urbe Bononiensi prope locum, qui vocabatur Pons-ferri. Ipsum Camaldulensi congregationi anno 1130. donatum ab Henrico episcopo Bononiensi tradunt Sigonius & Ghirardaccius. Verum constructores ejus cœnobii videntur fuisse monachi sancti Michaelis de castro Brittorum, ut indicat etiam lapidea inscriptio, quæ adhuc servatur in atrio ejusdem sancti Damiani cœnobii, & quam attulimus ad annum 1074. in qua dicitur, *presens aula Dei fundata labore priorum cenobii fratrum residentis in arce Brittorum*, cui fundationi postea accesserit Henrici Bononiensis episcopi, qui obierat anno 1145. confirmatio. Cum recens sacer lapis mensæ aræ majoris hujus ecclesiæ renovaretur, sub ipso reperta fuit lamina plumbea, quæ parvum altaris sepulcrum cooperiebat, in quo recondita erant aliquot Sanctorum reliquiæ, & in lamina inscripta hæc verba:

IN. NOMINE. XPI. AMEN
RELIQVIE. SANCTORVM. COS
ME. ET. DAMIANI. ET
SANCTORUM. IOHANNIS. ET. PAULI
ANNI. DOMINI. M.C.XLVII.
XIIII. DECEMBRIS.

Sed cum literarum characteres valde rudes essent & informes, ii, qui præsentes aderant, non probe intellexerunt, an referrent annum M.C.XLVII. vel M.C.XLIV. & ita an diem XIIII. vel XIII. decembris? Quare vel ab Henrico, vel a Gerardo episcopo Bononiensi, qui Henrico anno 1145. successerat, dedicatum fuit templum in honorem sanctorum Cosmæ & Damiani. Lamina denuo super veteres reliquias deposita fuit, & recenti sacro lapide contecta.

XXIX. De aliis monasteriis recens adjunctis Camaldulensi congregationi.

Monasterium vero seu ecclesia de Castellione-Arretino erat prope portum Clanarum sub invocatione sancti Andreæ constructum, appellatum etiam aliquando deinceps sancti Andreæ de Puteo, cui anno 1281. unitus fuit prioratus sancti Savini de colle Chio, ejusdem Arretini territorii. Cœnobium autem sancti Paterniani in Ferracciano territorii Foro-liviensis adjunctum postea fuit alteri insigniori sanctæ Mariæ in Insula territorii Galeatensis, cujus antea erat manuale, ut vocabant, monasterium. De monasterio sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia egimus anno antecedenti. Capella burgi Porcariæ & hospitale sancti Genesii erant in diœcesi Lucensi; hoc traditum fuerat eremo Camaldulensi anno 1127. capella vero burgi Porcariæ exsurgebat in loco, qui erat in eadem diœcesi, & in veteribus monumentis appellatur Porcari. Anne capella burgi Porcariæ erat dedicata in honorem sancti Andreæ apostoli? In tabulario parthenonis sancti Petri de Luco legimus [a] Albizonem filium Bonamichi comitis ex genere Langobardorum vendidisse Rainerio filio Guidonis comitis vocati Bacherelli *integram suam portionem de castello sancti Justi*, qui

[a] Sacc.D.n.59.

qui Porcari vocatum est, cum ecclesia illa, que est ibi edificata in honorem sancti Andree apostoli: Anno M.XLVII. *tertio idus martii.* Demum monasterium sancti Petri in Olim in insula Sardinia donatum fuerat Camaldulensibus anno 1139. ab Ugone Ortellensi episcopo, quem sancti Johannis præfectum nominat Fortunius.

XXX. Largitio Hieronymi ep. Arretini Pratalienfibus.

Hieronymus episcopus Arretinus dilargitus est hoc *anno Dominice incarnationis* M. C. XXXXVII. *rege Chunrado mense septembri indictione* X. Ramberto abbati monasterii sanctæ Mariæ de Pratalia *integrum vescontadum & guardiam*, hoc est vice-comitatum & custodiam castelli & curtis Montis-fatucli cum omnibus pertinentiis, adjacentiis, redditibus & usibus ejus, *sicut ex antiqua consuetudine*, inquit, *solitum est ad vice-comitem pertinere.* E contra recepit episcopus a præfato abbate castellum Marcianum una cum curte sua, quod fuerat oppigneratum & hypothecæ obligatum pro sexaginta libris a Bujano antecessore suo episcopo, de quo pignore diximus ad annum 1130. spondens fidemque suam adstringens sub pœna *duplicis guerimonii*, & argenti optimi librarum centum; pactum insuper adjiciens, quod si pro hac causa supradictus abbas vel monasterium *guerram ab aliquo haberet, episcopus teneatur in ejus adjutorium occurrere, ita ut perveniat in quiete & pace.* Signant se post episcopum Rolandus præpositus, Gregorius primicerius, & Ubertinus archidiaconus ecclesiæ Arretinæ. Autographa charta extat in Appendice ex tabulario Fontis-boni.

XXXI. Villani archiep. Pisani concessiones monast. S. Michaelis Pisarum.

Villanus archiepiscopus Pisanus libellario nomine ad censum persolvendum tradit Ildebrando abbati sancti Michaelis ejusdem urbis terram de Tumulo positam prope ecclesiam sancti Petri in Gradu, quæ terra erat juris archiepiscopatus sanctæ Mariæ, hoc est cathedralis ecclesiæ, & sita penes aliam terram, quam Balduinus ejus antecessor per alium libellum dederat anno M. C. XLII. more Pisano, ut ad annum 1141. observavimus. Villani traditio facta fuit *anno ab incarnatione Domini* M. C. XLVIII. stilo pariter Pisano, *ipso die kalendarum octobris indictione* XI. quæ a mense septembris exordium sumpserat. Post Villanum subscribunt Rolandus diaconus & canonicus, (ipsum videbimus sub nomine Alexandri III. ad supremam ecclesiæ dignitatem evectum) presbyter Lambertus sancti Petri in Vinculis canonicus & domni archiepiscopi capellanus, & Cantarinus Pisanus ac Pisanæ curiæ clericus.

XXXII. De monasterio Bonarcanti in Sardinia.

Sub eodem archiepiscopo Villano, qui jam electus fuerat Pisanus antistes anno 1145. post mortem Balduini, Baraso de Serra judex & potestas de Arborea in Sardinia donationem fecit monasterio sanctæ Mariæ de Bonarcanto die consecrationis ecclesiæ ejusdem monasterii, pro anima sua & parentum suorum, ut Deus & beata Virgo Maria vitam & salutem ipsi concederet, filiisque suis. Testes hujus donationis fuere Comes de Laccone archiepiscopus Oristanensis, Paucapelea episcopus sanctæ Justæ, Ildibrandinus episcopus Terralbæ, Rellus episcopus Dussellitanus, Ajus archiepiscopus Turritanus, Marianus Telle episcopus Gisarchensis, qui etiam interfuere dedicationi præfatæ ecclesiæ. Insuper testes fuere Villanus archiepiscopus Pisanus, judex Constantinus de Plomino, judex Gunarius de Jugadore, judex Constantinus Gallulese cognatus ejus. Subjunguntur benedictiones in fautores, & maledictiones in infestantes sacrum locum. Chartam edimus Sardo-latina lingua scriptam ex tabulario sancti Michaelis de burgo Pisarum. Monasterium sanctæ Mariæ de Bonarcanto cum pluribus aliis ecclesiis initio seculi sequentis jamdudum subjectum dicitur cœnobio nostro sancti Zenonis urbis Pisarum, cujus monachi prope Bonarcantum aliud construxerant, vel incolebant monasterium, sub invocatione similiter

Ann. Chr. 1147.

sancti Zenonis. Testis ea de re Bernardus Arborensis archiepiscopus, qui ita proloquitur in privilegio, quod dilargitus fuit circa annum 1200. Philippo abbati Zenoniano, & alteri priori Sardi monasterii sancti Zenonis: *Licet infrascripta*, inquit, *tanto tempore vos & ecclesia vestra quiete & pacifice possideatis, cujus non exstat memoria, ne de cetero a nobis & omnibus successoribus nostris, vel aliquo ipsorum nostrisve subditis ullo modo molestemini, ecclesiam sancte Marie de Bonarcanto, monasterium sancti Zenonis ibidem positum, ecclesiam sancti Georgii de Calcaria, & ecclesiam sancti Simeonis de Vegelu, & ecclesiam sancti Petri de Millipicinno, & ecclesiam sancti Augustini de Haustis, & ecclesiam sancte Victorie de Monte-sancto, & ecclesiam sancte Barbare de Turre, & ecclesiam sancte Corone de Nuvole, in qua juspatronatus habetis, vobis & ecclesie vestre jamdicte concedimus, & presentis privilegii pagina confirmamus, adjicientes, quod in predictis ecclesiis & parochiis ipsarum decimas, primitias, oblationes & penitentias sanorum & infirmorum, & sepulturas tam masculorum, quam feminarum, parvulorum & adultorum, tam ibidem degentium, quam advenarum, & omnium rerum & bonorum hujusmodi parochianorum ecclesiarum predictarum, omniumque divinorum potestatem in eis libere & absolute habeatis, excepto quod in nulla supradictarum ecclesiarum sollemne baptisma faciatis, preterquam in ecclesia sancti Augustini de Haustis.* Hæ tamen ecclesiæ variis temporibus donatæ fuere monasterio Zenoniano, atque insuper ex largitione regis Constantini de Arborea eas confirmantis circa annum similiter 1200. præfato cœnobio intelligimus, reges Arborenses ejusdem ecclesiæ sanctæ Mariæ de Bonarcanto fuisse fundatores, & dotasse eam territoriorum & latifundiorum concessione; Dianam quoque reginam de Logu pro remissione peccatorum regis mariti sui donasse ecclesiam sanctæ Mariæ de Monte-sancto. Dianam reginam conjicimus fuisse uxorem ejusdem Barasonis de Serra judicis & potestatis Arborensis, cujus largitionem eidem ecclesiæ de Bonarcanto factam mox retulimus.

XXXIII. De regibus Sardis Arborensibus, & præcipue de Barasonibus.

Post ea, quæ diximus ad annos 1112. & 1113. supervacaneum est addere, Barasonem de Arborea Sardiniæ regem, judicem vel potestatem alium esse a Barasone rege Turritano, qui simul cum Gunnario patre & Pretiosa matre, & altera Pretiosa uxore regina in Turritana provincia imperabat ad hæc & post ista tempora usque ad annum saltem 1182. Baraso rex Arborensis is est, vel pater fuit alterius Barasonis regis Arboreæ, qui anno 1164. auxilio Januensium impetravit a Friderico imperatore dominium totius regni Sardiniæ, & sollemniter Papiæ coronatus fuit, & declaratus ejus insulæ rex; cum autem ære alieno esset gravatus, nec haberet, unde solveret pecuniam Januensibus pactam, carceri addictus fuit, ejusque Arborensis judicatus a ceteris Sardis judicibus, & a Pisanis igne ferroque vastatus fuit. Judicem Constantinum Gallulese cognatum Barasonis regis Arborensis, in superiori pagina nominatum inter testes, notum habemus etiam ex altera charta relata a Troncio [a] in suis memoriis Pisanis. Constantinus hic uxorem habebat Helenam de Laccon reginam, filium vero Barasonem alterum judicem quoque & regem Gallurensem. Qui Baraso ad annum 1173. operariis Pisanæ ecclesiæ donationem fecit, & confirmavit anteriorem Constantini regis Gallurensis patris sui largitionem. Barasonis Gallurensis regis sigillum ab eodem Troncio affertur cum literis: BARVSONE. REX. GALLVRI. Nomina archiepiscoporum & episcoporum Sardorum in charta nostra, & in aliis a nobis relatis & referendis enuntiata nonnihil illustrabunt historiam sacram Sardiniæ, quæ, sicut etiam prophana, maximis obvoluta est tenebris his temporibus.

a Pag. 138.

Eu-

Ann. Chr. 1148.

XXXIV. Eugenii III. pp. privilegium pro eremo Camaldulensi.

EUGENIUS III. qui anni præteriti initio beneficum se ostenderat erga Azonem Camaldulensem priorem, confirmans omnia monasteria subjecta regimini Camaldulensis eremi, hoc *anno incarnationis Dominice* M.C.XLVIII. *idibus novembris indictione* XII. incœpta mense septembri *pontificatus* sui *anno* IV. redux ex Galliis, & Pisis existens, speciale privilegium eidem Azoni largitur roborans peculiarius & singillatim omnia bona, quæ in ipsam eremum Camaldulensem devenerant, ejusque juris erant; ea præsertim, quæ Hieronymus episcopus Arretinus dono dederat, bona quoque Bernardini filii Sidoniæ, quæ tenuerat ipse, ejusque pater ab ecclesia sancti Donati & ab episcopis Arretinis. Tresdecim S. R. E. cardinales nomen suum apponunt post Eugenium.

XXXV. Alterum pro monast. Morronensi.

ELAPSIS vero aliquot diebus, scilicet X. *kalendas decembris indictione* XII. exordio sumpto ab eodem mense septembri, *incarnationis Dominice anno* M.C.XLVIII. *pontificatus* sui *anno* IV. per manum Guidonis S.R.E. diaconi cardinalis & cancellarii, cum apud castrum Sancti-geminiani in Thuscia moras traheret, Guidoni abbati sanctæ Mariæ de Morrona, ad instar felicis memoriæ papæ Innocentii II. alterum privilegium concessit, confirmans omnia bona præfati monasterii. Exprimuntur inter cetera pars, quam cœnobium obtinebat in castro Morronæ & in curte ejus; plebs & capella ejusdem castri cum decimis suis; & quicquid habebat in curte Acquisiana; balneum & aquæductus usque in Casinam; terræ in Palude & in Pantano cum decimis earum; ecclesia de Thora; ecclesia de Montanino cum medietate castri, salva convenientia, quæ inter Ubertum venerandæ memoriæ Pisanum archiepiscopum & inter Gerardum abbatem facta & scripto firmata fuerat. Indulget insuper, ut si qua libera & absoluta persona in vita sua sive in morte in suprascriptum monasterium se conferre maluerit, possit sine ullo impedimento recipi. Privilegium communitur nomine & signo quatuor cardinalium. In iis leguntur, præter alibi illustratos, Gregorius diaconus sancti Angeli a Cœlestino II. creatus, qui adhærens postea Paschali III. antipapæ misere interiit anno 1168. & Aribertus presbyter sanctæ Anastasiæ ab eodem Cœlestino ad eam dignitatem promotus.

XXXVI. Charta Decianensis monasterii.

„ MENSE julio hujus anni [a], ut legitur in excerptis Baroncinii, Martulus & Guido ejus filius, Rainerius quondam Bernardi & Spinellus ac „ Parisius filii Gualfredi, Quintavallis & Guassone in præsentia Azonis „ prioris Camaldulensis juramento se obstrinxere molestiam non illaturos „ possessionibus monasterii de Deciano, sed defensuros eas ut proprias, & „ si quis de hominibus monasterii repertus fuerit culpabilis, spoponderunt „ tractare ipsum juxta voluntatem abbatis Decianensis; ipsi autem habebunt custodiam castrorum, accurrent, quando opus fuerit, & voluntaria servitia præstabunt; manu Nicolai monachi notarii. “

[a] §. *Amissæ* 180. *A.* 203.

XXXVII. Eugenii III. pp. privilegium pro Avellanensibus.

SABINO priori Font-avellanensi, qui successerat Benedicto idem Eugenius papa III. privilegium hoc anno indulsit, quo sub sua protectione recepit monasterium Avellanense & omnia ejus bona, ut scribit [b] Jacobillius, cui tamen non subscribimus, cum obiisse asserit hoc anno Benedictum, & in ejus locum suffectum fuisse Savinum seu Sabinum. Savini enim prioris nomen legitur in chartis Avellanensibus, etiam sub anno 1143. quapropter Benedictus prior eo, vel ante eum annum vita functus fuerit. Benedicti nomen legitur in necrologio Avellanensi ad diem X. aprilis his verbis: *Obiit domnus Benedictus prior heremi & monachus nostræ congregationis*. Sabini vero nomen perseverat in chartulis ejusdem loci ad annos 1150. 1152. 1155. 1158. quo postremo anno facile Theobaldum succes-

[b] *T. III. p.* 345.

ANN. CHR. 1148.

ſucceſſorem habuerit, qui certe erat prior Avellanenſis menſe majo anni 1160 tempore mortis ſancti Ubaldi Eugubini antiſtitis, cui in epiſcopatu ſucceſſit, cujuſque vitam ſanctiſſimam deſcripſit. Sabini obitus non adnotatur in necrologio Avellanenſi.

XXXVIII. Miracula Alberti Senenſis eremitæ.

MIRACULA, quæ Deus per ſervum ſuum Albertum dignatus fuit operari, quibus etiam completam narrationem monachi Berardingi ſcriptoris ejus vitæ habemus, hoc & ſequenti anno Annalibus noſtris inſerimus. *Erat in ipſa regione*, inquit, *quidam comes potens juribus & nobilitate inſignis, quem Cacciacomitem vocant, qui febrili æſtu intolerabiliter cruciari videbatur. Hic cum nulla medicorum arte poſſet invenire ſolatia, ad ſanctum virum ſupplex & devotus acceſſit, ægritudinem ſuam inſinuavit, aquam ſibi ad bibendum popoſcit, qua prægustata, ſe quaſi melliti vini ſaporem ſenſiſſe fatetur. Diſceſſit ergo tam ſanus & incolumis, ut febrilem acceſſum amplius non ſentiret.*

Habebat autem ſterilem conjugem, & ingemiſcebat graviter, quod proprium cenſum alieno ſervabat hæredi. Confiſus itaque per experientiam prioris miraculi, ad beatum Albertum plena fide revertitur, ejuſque clementiam ſuper uxoris fœcunditate deprecatur. Quod cum vir ſanctus annuiſſet, præfat s comes ad propria reverſus, cogn vit uxorem ſuam, quæ concepit & peperit filium. Hunc itaque natum ad beatum Albertum tranſmiſit. Ecce, inquit, filius tuus, qui etſi non de ſemine tuæ carnis, de merito tamen tuæ orationis progenitus eſſe probatur. Qui ad pueriles annos cum perveniſſet, tam egregiæ indolis apparebat, ut vix videretur habere æqualem. Iſte nimirum virum Dei, quaſi proprium patrem crebro frequentans acceſſu, quicquid de domo paterna poterat accipere, famulo ipſius, etiam ipſo recuſante, ſtudebat afferre.

Comes quoque Ubertinus, cui cognomen eſt Spatalonga, vir potens & illuſtris, quartanæ tam graviter diuturno morbo fatigabatur, ut pelli ſuæ conſumptis carnibus oſſa vix adhærerent. De cujus curatione jam nulla ſpes habebatur, quia plurima medicinæ remedia fruſtra circa eum fuerant experta. Conſulentibus itaque fidelibus & amicis, ad ſanctum virum ſuppliciter acceſſit. Et cum ab ipſo miſericordiam humiliter poſtulaſſet, tam efficaciter eod m orante conſecutus eſt medicinam, ut infra paucos dies perfectæ redderetur incolumitati. Cujus beneficii non immemor aut ingratus aureum anulum ſuper ejus altare obtulit, plurimaſque gratias omnipotenti Deo, & beato retulit Alberto.

Comitiſſa quoque illius loci ſapiens & egregia mulier, uxor comitis Barotæ, quemdam habebat filium, quem præ ceteris diligebat. Huic ſub axilla puſtula nata eſt, quæ quaſi ad magnitudinem anſerini ovi videbatur intumuiſſe. Super hoc anxia mater diverſa nitebatur invenire remedia, unctiones adhibere, apponere cataplaſmata. Quibus diu fruſtra tentatis ad ſe tandem reverſa dixit: Cur aliena medicamina quæro, cum potentiſſimum & efficacem in proximo habeam curatorem? Surgens itaque cum filio, ad virum Dei ſupplex & devota pervenit, atque cum lacrymis pro curatione filii ſui benignitatem ipſius exoravit. Cum ergo ſanctus Albertus manum ſuam ſuper ipſum tumorem imponeret, orationem ad Deum fudit. Quam tanta ſubito ſubſecuta eſt efficacia, ut nulla ibi tumoris veſtigia remanerent.

XXXIX. De comitibus Montis-alceti.

COMITES Montis-alceti & caſtri Aſciani, quibus Deus per Albertum has curationum gratias impartivit, quique nominantur a monacho ſcriptore vitæ ſancti Alberti, revera vivebant ipſius Alberti & ſcriptoris ætate. Erant etenim comites ex familia Cacciacomitum, quæ dominium obtinebat hoc ſeculo præfatorum caſtrorum, ut etiam ad annum 1100. obſervavimus.

mus. Primum comitem, quem a febri inmedicabili sanavit Albertus, Ildebrandinum fuisse credimus, quondam Cacciaguerræ filium, comitem de castro Asciani, cujus instrumentum donationis terrarum suarum factæ communi Senarum *anno Domini* M.C.LXIX. *indictione* I. *decimo septimo calendas octobris* rogatum a Jacobo notario legitur [a] in regesto tabularii nosocomii Scalæ Senarum scripto anno 1334. a Bartholomæo Incontri notario Senensi, eumdemque fuisse Ilbebrandinum comitem Asciani, & Donnisiæ comitissæ filium, cujus chartam referemus ad annum 1154. qua pœnitentiam pro peccatis suis explendam per monachos Berardingos postulat, terrarum eapropter refutatione facta ipsorum cœnobio. Ildebrandinum tamen alterum filium olim comitis Rainaldi legimus in eodem tabulario [b] archinosocomii Scalæ Senarum, qui anno 1154. vendit Castellionem vallis Urciæ Rainerio abbati monasterii sanctissimi Salvatoris Montis-amiati. Ildibrandinum comitem fidelitatem cum tota terra sua & hominibus jurantem Pisanis exhibent nobis chronica Pisana ab Ughellio & a Muratorio edita ad annum 1163. & ad annum 1170. signiferum & capitaneum exercitus Pisani contra Lucenses faciunt, & demum ad annum 1173. asserunt auxilio Pisanorum cœpisse castrum de Cirisano, ac eorum ope districtum suum servasse contra Christianum imperatoris cancellarium, qui cum Senensibus & cum comite Guidio iverat ad devastanda ipsius castra. Ildebrandinum etiam comitem filium Cacciaguerræ & virum Guillæ comitissæ ad annum 1166. indicat nobis [c] chartularium ejusdem abbatiæ, quorum comitum consensu Srotome filius Rolandini, & Albertinus filius Testæ bona præfato monasterio donant. Comes quoque *Cazzaconta* testis legitur cujusdam edicti promulgati anno 1163. a Raynaldo Coloniensi archiepiscopo electo & legato Friderici imperatoris ad favorem abbatiæ nostræ Burgi-sancti-Sepulcri. Comes Ubertinus cognomento Spatalonga, qui secundo loco nominatur, reperitur [d] in nostris exemplis contractuum ejusdem Senensis nosocomii ad annum 1167. Quidam comes Spadalonga filius olim comitis Gualfredi, ejusque uxor Adalasia comitissa donant bona abbatiæ Berardingorum [e] ad annos 1118. & 1120. ut constat ex chartis præfati monasterii. Is forte pater fuit Ubertini. Demum comes Barota in superioribus curationibus memoratus camerarius fuit communis Senarum anno 1163. ut liquet ex pluribus instrumentis, quæ [f] in iisdem exemplis continentur, & nominatur etiam ad annum 1171. in codicibus olim ejusdem monasterii Berardingorum. Eadem Cacciacomitum familia produxit ad annum 1197. Cacciacomitem & Guidonem Cacciacomitis, Ugonem vero & Guidonem Cacciacomitis ad annum 1205. quos ex veteribus paginis in medium producit Benvoglientius [g] apud Muratorium. In superiori Bartholomæi Incontri regesto [h] Cacciacomitis, Cacciaguerræ, Guidonis Cacciacomitis, & Renaldi Ildebrandini comitum de Asciano nomina frequenter leguntur. Anno 1208. Ugo & Cacciaguerrinus Cacciacomitis vendunt quædam bona Bentivegnæ Virgilii ex tabulario Berardingæ [i]. Anno 1212. Ubertinus & Gualfredus tradiderunt medietatem castri & ditionis de Asciano. Cacciacomitum de Asciano extat promissio facta anno 1213. communi Senarum. Cacciacomes demum Guidonis Cacciacomitis memoratur ad annum 1236. [k] in supralaudato regesto. Quorum omnium libenter mentionem facimus, quia in anonymi relatione non tam patres comites, sed etiam eorumdem comitum filii precibus sancti Alberti curationum gratias consecuti dicuntur. Ceterum etiam comes Manens, de quo nonnulla protulimus in his Annalibus, aliquod jus obtinebat in castrum Asciani, legimus enim [l] in bulla Cœlestini III. confirmantis anno 1191. bona

eccle-

a *Pag.* 25.

b *Num.* 440.

c *Lit.* b. n. 1006.

d *T.* I. *n.* 437.

e *Num.* 956. & 973.

f *Num.* 810. 812. 1146.

g *Antiq. T. V. coll.* 576. 583.

h *Pag.* XXV.

i *Num.* 277.

k *Pag.* 107.

l *Ap. Mur. Antiq. med. æv. T. V. col.* 412.

Ann. Chr. 1148.

ecclesiæ Clusinæ Theobaldo episcopo, recensitam *quartam partem castelli de Asciano*, quæ ex testamento comitis Manentis obvenerat in ecclesiam Clusinam. Reliqua Alberti prodigia ad annum sequentem.

Ann. Chr. 1149.

XL. Ecclesiam S. Hilari & S. Sepulcri concedit Hieronymus ep. Arretinus monialibus Prati-veteris.

HIERONYMUS episcopus Arretinus Sophiæ abbatissæ parthenonis sancti Johannis-evangelistæ de Prato-veteri, ejusque sororibus, quæ proinde anno præsenti ex ecclesia prope sanctam Mariam de Poplena, sive ex monasterio sancti Salvatoris in capite Arni, quod primum incoluerant, jam transierant in castrum Prati-veteris, dilargitur ecclesiam sui episcopatus sitam prope civitatem Arretinam, juxta castrum appellatum Pullia, dedicatam autem in honorem sancti Hilari & sancti Sepulcri; salva debita reverentia ejus plebis, sub cujus parœcia esse dignoscebatur. Diximus ad annum 1135. eamdem ecclesiam donatam fuisse abbatiæ Silvæ-mundensi. Vel cessione Silvæ-mundensium monachorum, vel beneplacito episcopi Arretini translata fuit hoc anno ad sanctimoniales Prati-veterenses. Ad finem hujus seculi ipsa una cum hospitali pertinebat ad ecclesiam & asceterium sancti Benedicti ejusdem urbis, quod obedientiale, ut dicebatur, erat monasterii Prati-veteris. De eadem ecclesia, & de sancto Hilaro, sive Illaro martyre videatur Grazinus in Vindiciis sanctorum Mm. Arretinorum, ubi adnotat temporis decursu pro sancto Hilaro sanctum Higinum factum, cujus sacrum corpus adhuc super aram majorem ecclesiæ monialium sancti Benedicti publicæ adorationi solere quotannis exponi docet. De translatione corporis sancti Hilari ex sua ecclesia ad illam sancti Benedicti agemus alio in loco. Item concedit perpetuoque firmat idem episcopus Hieronymus præfato asceterio sancti Johannis-evangelistæ integras possessiones & bona, quæ impræsentiarum possidet. *Actum* M.C.XLIX. *ab incarnatione Domini*, *anno* XII. *regni domini Conradi pridie kal. maji indictione* XI. Indictio tamen eo mense erat XII. Subscribunt post Hieronymum episcopum Ubertus archidiaconus, Johannes camerarius, Gregorius primicerius, Rainerius prebyter canonicus ecclesiæ sanctæ Mariæ, Martinus presbyter canonicus ejusdem ecclesiæ, Azo canonicus sanctæ Mariæ, & plebanus de Biblena, ac Ildebrandus Partinensis ecclesiæ plebanus. Chartam producimus ex tabulario ejusdem monasterii Prati-veteris.

XLI. De Lucia abbatissa S. Christinæ de Septem-fontibus.

HOC eodem *anno millesimo centesimo quadragesimo nono*, IV. *kalendas novembris indictione* XII. Gerardus Bononiensis ecclesiæ episcopus, qui locum impleverat Henrici, confirmat privilegio suo Fantino presbytero & Aimerico de Cavedecolle accipientibus pro ecclesia sanctæ Christinæ de Pasteno sita in plebe sancti Johannis in Tauraciano, & pro Lucia abbatissa ejusdem monasterii, ipsiusque sororibus & ei succedentibus abbatissis, usquedum juste & regulariter ibi steterint, res omnes, quas præfatum monasterium obtinebat in curia & loco Uzano, in curte Clagnano, & in curte Septem-fontium; quæcumque etiam habuit Ugo de Alberto a comite Ubaldo, & terram in loco, qui dicitur sanctus Leo, quæ omnia de jure erant ecclesiæ Bononiensis. Actum Bononiæ in domo ipsius episcopi; Ugone notario de ecclesia sancti Petri. Chartam confirmationis proferimus ex archivo parthenonis sanctæ Christinæ de Bononia.

Lucia abbatissa regimen ejus parthenonis susceperat post Mathildam, cujus postremum monumentum attulimus ad annum 1142. Luciam arbitrantur aliqui fuisse eamdem, quæ Beatæ titulo gaudet in eodem monasterio, & ad hodiernam diem pluribus effulget miraculis. De hac Lucia, antequam præsulatum haberet asceterii, si eadem est cum abbatissa, vel primis suæ monasticæ vitæ annis, hæc speciatim memoriæ prodidit Ambrosius

ANN. CHR. 1149.

brosius abbas generalis noster in suo Hodœporico [a] ad annum 1433. *Sanctæ Christinæ*, inquit, *monasterium vetustum conspeximus; ibi conditum est sanctæ Luciæ corpus. Ejus cum vitam legere vehementer cuperemus, nullam adesse scriptam comperimus. Erat hoc celebre illius vulgatumque miraculum. Adamaverat i lam quippe speciosissimam juvenis nobilis, adibatque frequens monasterium visendæ ejus gratia. Nam cum esset clausa cellula ecclesiæ conjuncta, per fenestram sancta Missarum sollemnia audire consueverat. Hac juvenis hora captata eo adveniebat, ejus inspiciendæ tantum gratia. Id ubi advertit virgo pudicissima, fenestra damnata, sese intra cellulæ secreta continuit, Patri, qui in abscondito videt, placere desiderans. Juvenis amore ebrius, cum spem omnem ejus potiundi sibi sublatam cerneret, desperatione victus sese ad remotiores barbarasque nationes contulit. Interea virgo felix migravit ad Dominum* &c. Sed de Luciæ sanctissimo obitu, & de insigni miraculo postea secuto plura suo tempore. Animadvertimus, quod si Lucia virgo, de qua hæc refert Ambrosius, fuit etiam abbatissa, non alia profecto fuit, quam ea abbatissa Lucia nomine, quæ per hoc tempus monasterium sanctæ Christinæ regebat, octo passuum millibus dissitum ab urbe Bononia. Nam Lucia II. abbatissa eo tempore cœnobio præfuit, quo moniales locum veterem extra urbem deserentes, novum sibi domicilium jam statuerant in ipsa urbe Bononiensi, & in novo parthenone, cui propterea convenire nequeunt ea, quæ de Lucia Septem-fontium abbatissa vel sanctimoniali enarrantur.

[a] Pag. 37.

XLII. Charta Sangregoriana.

PETRUS abbas monasterii sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe locat *anno quarto pontificatus domini Eugenii* III. *pape indictione* XII. *mensis octobris die* XIII. pluribus hominibus castellum appellatum Vetulum una cum domibus, terris, vineis, curtibus & ecclesiis, cum primitiis quoque decimarum & mortuorum, reservans dumtaxat cœnobio suo quartam partem frumenti, vini & canapis omni anno: *sicut homines*, inquit, *de castello Mezzani nobis dant per meliorem locationem, quam eis fecimus*. Castellum vetulum positum dicitur in territorio Nepesino, ut erat situm etiam illud Mezzani, quod ex concessione Alberici senatoris Romani in jus transiisse monasterii Gregoriani diximus ad annum 945. Locatio hujus anni facta fuit in præsentia domini Galgani primicerii judicum, & domini Oddonis Frangentispanem, quam ex codice Gregoriano publicam lucem aspicere jubemus. Annus IV. Eugenii in pagina signatus indicat tamen melius annum antecedentem, in quo mutata fuerit undecima indictio in duodecimam mense septembri.

In ms. historia abbatiæ Florentinæ, quam summo labore parique eruditione contexuit nostri amantissimus & Cl. Vir domnus Petrus-aloysius Galletti monachus Casinensis, charta habetur, cujus transumptum ad nos humanissime transmisit, qua *anno* M. C. XLIX. *indictione* XII. *pridie kalendas novembris Teodericus Camaldulensis monasterii, quod est Florentie, prior*, & Albertus archidiaconus ecclesiæ Florentinæ, & Petrus prior sancti Laurentii ejusdem urbis, tamquam judices, controversiam finiunt inter Azonem abbatem abbatiæ Florentinæ, & inter Ildebrandum plebanum sancti Stephani de Campo-pauli; Johanne Lotharii judice & notario. Teudericum priorem cœnobii sancti Salvatoris, dicti Camalduli Florentini, quem notum habemus ex aliis chartis nostris allatis & producendis, virum fuisse judiciis & sententiis ferendis peridoneum intelligimus ex hac delegatione.

XLIII. Alia miracula Alberti Senensis eremitæ.

SUBNECTIMUS ad hunc annum cetera Alberti prodigia, quæ vivens patravit, quorumque nullam chronicam notam habemus, ipsis monachi Be-

Ann. Chr. 1149.

rardingi ejus vitæ scriptoris verbis, quibus declarabitur, quam longe lateque diffusa esset Alberti fama sanctitatis, innocentiæ & miraculorum virtutis.

Apud Hispaniam in quodam monasterio sanctimonialis erat femina, quæ sive peccatis exigentibus, sive ut gloria Dei manifestaretur in illa, elephantiæ morbum tam graviter incurrit, ut omnes ejus consortia declinarent, ejus vitarent contubernia. Hac igitur necessitate compulsa cum nobilis esset & delicata, exiens de monasterio & regione sua, ad urbem Salerni magna & incredibili difficultate pervenit, æstimans se ibidem aliqua invenire posse remedia. Comitabatur hanc ancillula quædam, quæ sola illius calamitatem poterat non penitus abborrere. Cum ergo miseræ mulieri nulla medicorum remedia succurrere possent, jam ad propria cœpit remeare. Perveniens autem ad partes Thusciæ, fama beati Alberti audita, ad locum ipsius fideli devotione pervenit. Erat ibidem tunc presbyter nomine Fuscanus, quidam vir prudens & honestus, qui beato viro familiare præstabat obsequium, & in oratorio suo divinum celebrabat officium. Hunc cum vidisset prædicta mulier, ærumnas proprias eidem & verbo retulit, & aspectu monstravit. Quibus cognitis idem presbyter misericordia motus, & quasi quodam horrore turbatus est. Scatebant ejus membra illius scaturigine vermium, tabe putredinis, & tanta laceratione carnium, ut quasi pugnum ejus posset vulneribus imprimi. Tunc etiam memorata comitissa ejusdem loci virum Dei studio devotionis visitaverat. Quæ cum ærumnosæ mulieris occultiorem calamitatem feminea libertate vidisset, tam graviter expavescens inhorruit, ut lacrymas cohibere non posset. Hanc igitur ad præsentiam viri Dei perducens, obsecraverunt humiliter, ut tantæ compatiens infelicitati, pia sibi suffragia exhiberet. Quod beatus Albertus audiens dixit: Deus optimus per misericordiam suam, & beatorum apostolorum intercessionem huic misereri dignetur. Interim præfatus presbyter Missarum cepit sollempnia celebrare, eadem muliere astante. Ventum est tandem ad locum, ubi sacrosancta eucharistia sumebatur. Tunc vero sanctimonialis quamdam vim igneam per membra sua ita discurrere sensit, ut & etiam ossa cremari putaret; mox cuncta vincula fasciarum, quibus tabescentia defluentium carnium frusta strictissime conjectabantur, ita dissoluta sunt, ut solotenus conlapsa invenirentur. Sentiens itaque mulier se mirabiliter esse salvatam, videntibus cunctis suæ salvationis ostendit indicia. Quibus agnitis, qualiter omnes exaltaverunt Deo, & beato Alberto gratias agentes non est nostræ facultatis evolvere. Quod prodigium ita celebre per diversas regiones factum est, ut neminem latere potuisset; quippe quam tam squallidam & deformem viderant, nunc formosan & incolumem cernebant. Fecit itaque ceream imaginem juxta mensuram corporis sui, & ad memoriam tanti prodigii in oratorio appendit. Cupiens tamen in illius loci contubernio semper assistere, non est permissa, ne per curationem illius corporeæ infirmitatis alios contingeret mentibus infirmari. Comitissa loci vel est mater comitis Barotæ, vel uxor comitis Cacciacomitis, de quibus diximus anno præcedenti. Salernitana autem urbs, ad quam inveniendæ salutis gratia se primum contulerat præfata sanctimonialis, celebris erat hoc tempore medicorum, qui ibidem studiis operam dabant, fama & peritia.

Non est prætereundum (sequitur anonymus) *quod etiam Mariano non mediocris prudentiæ presbytero contigisse cognovimus. Nam cum febris acutissima ipsum tam vehementer arripuisset, ut amisso sensu, voce perdita, oculis de propria sede evulsis in extremis laboraret; hunc amici & consanguinei ejus taliter affectum aspicientes, de sola præparatione funeris mœsti cogitabant. Scientes tamen, quod a viro Dei, cui sedulum jam præbuerat familia-*

miliaritatis obsequium, plurimum diligeretur, ad cellam ipsius ipsum detulerunt. Ecce, inquiunt, venerabilis pater, quem amas, quam miserabiliter cruciatur. Quod cum vidisset & audisset beatus Albertus, flentibus aliis flebat & ipse; habebat enim consuetudinem flendi cum flentibus, gaudere cum gaudentibus. Positus ergo æger in loco, quo vir sanctus orare solebat, eodem orante, somno arreptus est. Expergefactus tandem sanus & incolumis surrexit, admirans valde, qualiter huc advenisset & qui alienis humeris delatus fuerat, propriis pedibus ad propria remeavit. Cujus beneficii memor etiam nunc circa sepulcrum viri Dei & ecclesiam ejus pervigili famulatu deservit. Ætas scriptoris ex his ultimis verbis desumi potest, qui eodem scilicet tempore vivebat.

Erat in pago quodam nomine Modiolo vir, qui vocabatur Bubulcus, qui acutissima febre tam graviter æstuabat, ut nulla videretur spes evadendi. Rogavit tamen voce, qua poterat, ut de aqua beati Alberti sibi deberetur afferri, ejusque patrocinium super tanto languore postulari. Missus est quidam, qui concito gradu idipsum perficeret. Infra quod spatium crescente languore, languidus ad extrema perductus est, ut jam ridiculum videretur aliquid ad curandum sibi adhiberi. Quidam tamen fidentior ceteris ex allata aqua per labia moribundi distillare curavit. Quæ vix per fauces derivata stomachum tetigit, mox resumptis viribus locutus est æger. Depostulans cibum, astantes, qui jam de sua evasione desperaverant, repentino gaudio lætificaverunt. Pristinæ igitur sanitati restitutus omnipotenti Deo & beato Alberto sic gratias egit, ut non tam de curatione languoris, quam de confinio mortis videretur ereptus. In ipso autem suæ curationis articulo quæsivit diligenter, unde talis efficaciæ vinum fuisset allatum, quod ad curationem suam tam potenter valuisse probatur. Cum vero astantes dicerent, quod non vino, sed aqua beati Alberti curatus extitisset, jurare cepit, & obtestari se miræ jucunditatis vini sensisse saporem. Qui experiendi causa de eodem vasculo gustantes, verissimum esse, quod dixerat, invenerunt. Unde factum est, ut in ecclesia illius loci vasculum cum vino ex aqua mirabiliter facto pro memoria tanti miraculi appensum diutius ibidem permansisset.

In monte Gisi quoque non dissimile miraculum, quantum pertinet ad curationem, contigisse probatur. Siquidem cum aqua beati Alberti cuidam in extremis laboranti per os fuisset infusa, intra fauces illius quemdam sonitum fecit, quæ nimirum ad interiora descendens, ad pristinam sanitatem languidum revocavit, Deo & beato Alberto immensas gratias agens.

Mulier quædam de planitie Aretina unicam habebat filiam, quæ corporeis oculis numquam viderat lumen; siquidem a nativitate lumine orbata permanserat. Hanc cum perduxisset ad virum Dei, misericordiam ejus super filiæ cæcitatem quæsivit, & protinus impetravit. Nam ad tactum sancti viri sic illuminata est, ut ova, quæ illic intra jacebant, ipso jubente sine ullius demonstratione colligeret. Hoc profecto illius constat factum esse potentia, qui oculos cæci nati aperuit, & eamdem virtutem meritis beati Alberti evidenter ostendit. Erat enim de numero illorum, quibus Salvator ait: Opera, quæ ego facio, vos facietis, & majora horum facietis. Quod tamen non operantium facultati, sed divinæ miserationi est adscribendum.

Alia quoque puella, loquendi perdita facultate, ad famulum Dei perducta est, cui cum aquam de cella porrexisset ad bibendum, eadem prægustata, mox beati Alberti meritis aperuit os ejus, illius utique virtute, per quem absoluta sunt ora mutorum, & linguæ infantium fiunt disertæ.

Fuit & alia mulier, quæ pro serpentis inlapsu ventrem suum per os ingredientis, velud incurabilem patiebatur molestiam, & inremediabili crucia-

ANN. CHR. 1149.

batur dolore. Nam veneno jam crassante per membra, diem dumtaxat .... extremum; hæc igitur de oppido Memoliandæ ad famulum Dei perveniens, super tam miserabili ærumna ejus misericordiam suppliciter exposcit. Cujus calamitati homo Dei compatiens, pro ipsius curatione divinam exoravit clementiam, & aqua sibi ad bibendum porrecta & austa, illico serpentem coram cunctis evomuit, & tam perfecte curata est, quasi nullam ex veneno ipsius maculam contraxisset.

Erat apud oppidum de monte Alceto mulier vidua unicum habens filium, quo tota spes illius inde posita erat; hic cum tam graviter ægrotaret, ut in solo pectore vitalis spiritus palpitare videretur, plena fide atque veneratione, quam in beatum habebat Albertum, ipsum languidum erga locum ejusdem viri sancti per fenestram domus suæ porrexit. Eja, inquit, beate Alberte, si hunc mihi filium sospitati reddideris, tam ego, quam ipse in Dei servitio, tuaque veneratione studebimus permanere. Mirabile dictu! Illico puer convalescens pristinæ saluti restitutus est. Quo cognito de sanctitate beati viri cœperunt omnes esse certissimi.

Mercatores quidam de valle Urciæ cum somariis suis ad civitatem, quæ dicitur Grossetum (ipsa est Rossellensis olim dicta urbs) *properabant. Contigit autem, ut quidam errore deceptus somarium suum devia declinantem relinqueret, cum putaret ipsum a præviis conviatoribus deduci. Cum ergo pervenisset ad locum, suumque jumentum non reperisset, reverti cœpit, votum vovens Deo & beato Alberto, quod si asellum suum servaret inlæsum, candelam juxta longitudinem ejusdem jumenti ad cellam sancti viri deferret. Remanserat autem præfatum pecus in quodam nemore, quod itinere unius diei a prædicta urbe distabat. Cum ergo pervenisset ad locum idem mercator, animal suum in medio luporum stantem invenit, quasi eamdem bestiam custodientium, non præsumentium tangere, quam beato Alberto constabat esse commendatam. Quam miranda, quam stupenda sunt magnalia Dei, qui brutis animalibus tamquam ratione utentibus cum voluerit utitur, & quæ videntur mala, ad bonos usus sæpe convertit! Ecce enim sævæ belluæ divina virtute custodire coguntur, quem devorare solebant. Sic sic nimirum leo quondam cadaver prophetæ de Samaria revertentis, & asinum sibi assistentem conservabat illæsum, & quem permissione Dei prostraverat vivum, mortuum tangere non audebat, nec ejus asellum aliquatenus lædere, quia illic punita fuerat incauta prophetæ transgressio, hic autem ejus sanctitas venerabatur.*

Nec silendum esse videtur, quod tempore viri Dei in finibus illis nemo poterat in vinculis retineri. Quemdam virum de oppido Sancti Geminiani nomine Griffonem comes montis Alceti conjecerat in vinculis, magnam ab eo pecuniam putans extorquendam, quia solita sibi servitia subtraxisse dicebatur. Qui cum duris nexibus in arctissimo ergastulo teneretur astrictus, visum est sibi quemdam virum beato Alberto simillimum apparuisse. Surge, inquit, & a vinculis absolutus liber discede. Qui cum surrexisset, mox omnia vincula sensit esse soluta. Perveniens autem ad januam domus, seris & vectibus reseratam invenit. Illo autem hæsitante, quid ageret, ultro aperta est ei. Accedens vero ad murum oppidi, cum magnæ sit altitudinis, ita planum item invenit, ut sine ulla difficultate transiret. Sicque per loca, quæ numquam amplius viderat, ad cellam viri Dei sine ullo indice perveniens, Creatori suo gratias plurimas retulit. Alii quoque similiter sunt in eadem captione constricti, & simili virtute a Domino per beatum Albertum liberati. Quos per singula referre prolixitatem vitantes minime volumus.

Quidam de partibus Aretinis manum ita contractam habebat, ut digiti brachio

Ann. Chr. 1149.

brachio viderentur adhærere retorti. Quem cum vidisset famulus Dei, manum ejus adprehensam protinus extendit, & ad plenam integritatem reformavit. Quo viso conjux ejus cum putaretur gratias agere, misera temeritate contumelias rependere cœpit. Dicebat enim, quod occasione hujus calamitatis stipem quærebat propriæ substentationis.

Hiis itaque præmissis, jam antiqui hostis certamina contra virum Dei consideranda sunt, qui nimirum impugnatione sibi voluntarie intulit, sed triumphum nolens ministravit. Aliquando tanta luporum multitudo circa cellam sancti viri apparuit, ut totus mons ab eis occupari videretur; facto autem signo crucis, & oratione ab ipso præmissa, cuncta dæmonum evanuere præstigia.

Serpens quoque tam enormis quantitatis aliquando cellam ejus intravit, ut trabalem videretur excedere magnitudinem. Quo viso, beatus Albertus sic intrepido, tamque securo permansit animo, quasi ut agnum mitissimum vidisset. Noverat enim nullam sibi eumdem habere potestatem nocendi, nisi quantum ei divina virtute constaret esse permissum. Cum ergo diutius in hoc præstigio adversarius perstitisset, nec mentem illius a constantia sua potuisset avertere, de cella tandem egressus cum tanto strepitu & ruina per montis proclivia se præcipitavit, ut totus mons submergi videretur. Cum ergo sentiret hostis per apertam violentiam se prævalere non posse, ad callida se cœpit argumenta convertere, & per artificiosam astutiam eumdem impugnare.

Transfiguratus igitur in specie cujusdam formosæ mulieris sanctum virum callidus temptator accessit. Cœpit itaque blanda quædam & mollia cellam ingressa proferre, dicens se viduam esse locupletem, & tanta industria præditam, ut si vellet ejus amicitia perfrui, magnifice posset opibus ditari. O inquit, si attendere velles, quanta nendi vel texendi peritia insignis existam. Quibus auditis, vir simplicissimus præcepit ei de cella exire, nec ulterius talia sibi verba proferre. Et cum diutius hujuscemodi persuasione diabolica mulier perseverasset, tandem compellente viro beatissimo, de habitaculo ejus egreditur, & egressa velud fumus in tenues evanuit auras. Qua recedente, titillatio quædam viro Dei remansit, ut per totam pene noctem se graviter impugnari sentiret. Advocato igitur Tuscano superius commemorato presbytero, hæc omnia sibi detulit, & gravissimam ob hoc pœnam ejusdem sacerdotis auctoritate subivit; sicque per longum & durum cruciatum corporis tenuem & momentaneam titillationem extinguit voluptatis. Illius utique beatissimi patris secutus exemplum, qui circumvolante quadam merula, usque ad lapsum pene temptaretur, inter urticas & vepres se nudum probiciens, per afflictionem carnis libidinis superavit incendium. Ad cujus æmulationem beatus Albertus sic studuit carnem reprimere, ut haberet eam famulatiorem, non hostem, consentientem, non repugnantem. Unde factum est, ut Jebusæum & Pherezæum, Agarenos & Hismaelitas, quos filii Israel usque in hodiernum diem non potuerunt expellere, iste quidem non solum ejicere, sed etiam deimprimere prævaluisset. Nam vitia carnis non tam reprimere, quam opprimere studuit, a Deo scilicet, ut integram & incorruptam virginitatem perpetua sinceritate servaret, nivei pudoris nesciens labem, splendidæ pudicitiæ servans cælibatum, ad cujus commendationem etiam hostium possumus introducere testimonia. Tunc enim pars, quæ ex diverso est, rationabilis convincitur, cum suorum fuerit attestatione superata sermonum.

Cum beatus Albertus energuminam quamdam a dæmonio virtute divina liberasset, aderat quidam dæmon, qui ejusdem viri sanctitatem publice per os cujusdam puellæ confitebatur, & adhuc confiteri non desinit. Aliud testimo-

Ann. Chr. 1149.

stimonium ætatis scriptoris synchroni. *Hæc cum per varia & diversa Sanctorum templa causa curationis perducta fuisset, invasor illius a nullo potuit expelli, quia hujus expulsio beato viro Alberto servabatur, qui merita suæ simplicitatis & innocentiæ, frugalitatis & pudicitiæ tantam apud Deum gratiam haberet, ut super aspidem & basiliscum posset ambulare, vel conculcare leonem & draconem. Asserebat etiam, quod cum pluribus sodalibus suis sæpe se in diversa monstrorum genera conformasset, præsertim in prædictæ mulieris effigiem, sed nulla temptandi spe sibi prævalere potuisse.* Non *hoc dicimus, ut dæmonum recipiamus auctoritatem, sed eorum attestationem non penitus improbamus, quia licet ab initio mendaces fuerunt, & in veritate non steterunt, verum tamen aliquando non sua voluntate, sed divina jussione fatentur. Sunt igitur veraces a se, mendaces contra se. Illud etiam propria malitia, istud divina potentia prosequuntur.*

Hiis postremo præmissis, de viri Dei virtutibus aliquantulum differendum est, ut eisdem informari possimus exemplis. Siquidem efficaciora sunt exempla, quam signa, & plus est moribus coruscare, quam signis. Si ergo mirabilia in vita sua fecisse laudatur, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere malum & non fecit, quanto laudabilior est, qui studuit servare justitiam, custodire innocentiam, & bona quæcumque potuit operari? Quis mirabilior beato Alberto? Quis innocentior atque simplicior extitit? Quem nemo irascentem, nemo detrahentem, nemo vidit murmurantem, vel jurantem audivit. In helemosinis vero tam largus erat, ut nesciret, juxta Scripturam, panem suum esurienti frangere, sed integrum erogare curaret. Cum quidam pauper ab eo helemosinam peteret, pellem, qua sola hyemali frigore utebatur, ipsi larga pietate porrexit. Cum ergo miro extollatur præconio, qui clamydem cum paupere nudo divisit, qualiter iste sit extollendus adverte, qui vestem non dividere, sed totam impertiri curavit.

Alio quoque tempore elephantiosus quidam consilium & auxilium ab eo quæsivit, ubi posset habitaculum invenire, qui apud alios hospitari non poterat. Aliud, inquit, habitaculum non habeo, sed hanc, quam propriis manibus cellam construxi, tibi ad habitandum libentissime concedo; quod & factum fuerat, nisi familiares ejus hoc audientes aliam sibi domum construere, & quæ necessaria fuerant, ministrare firma stabilitate spopondissent. O virum miræ perfectionis. O singularis justitiæ sectatorem, qui non contentus lege vetere vel terminis præceptorum, ultra duos denarios stabulario traditos, idem post utriusque testamenti mandata quædam superaddere curavit, cupiens ab ipso majora percipere præmia, qui dixit: Si quid supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi. Nam cum de duabus tunicis una dari præcipiatur, & proximum suum sicut se ipsum jubeatur diligere, iste hujusmodi jussa transcendens, plusquam se ipsum, proximum dilexisse probatur. Cui se neglecto & simplicem quam habebat tunicam afferre, & singularem, quam inhabitabat cellam, curavit exhibere. De postremis Alberti actibus, ejusque obitu duobus sequentibus annis agemus.

Ann. Chr. 1150.

XLIV. Albertus deserere vult solitudinem Turricellanam.

POPULORUM confluentium & sanitatum gratias expostulantium turbas devitaturus suam solitudinem Turricellanam deserere animo proposuerat Albertus Senensis, & abditiora loca quærere, ut sic liberius otio sanctæ contemplationis indulgeret. Verum suasu suorum amicorum, simul etiam ne deesset iis, qui sospitatem curationumque gratias ejus precibus obtinere confidebant, propositum suum exequi non fuit permissus, ut ait anonymus monachus ejus vitæ scriptor. *Voluit aliquando famulus Dei quietioris vitæ desiderio ad remotiora loca, sua regione derelicta, migrare: Sed*

amicis

amicis & fidelibus sollicite id dissuadentibus, ab hoc proposito revocatus est. Quod divinæ pietatis profundo consilio constat esse dispositum, ne talis patria tanto privaretur patrono, qui ipsius & adjutorii patrociniis & meritis informari vehementer indigebat, ut ubi abundavit delictum, abundaret & gratia. Erat enim gens illius provinciæ feritate immitis, deprædatione immanis, sævitia terribilis. Unde necesse fuerat, ut in hac famulus Dei quasi lilium inter spinas, aurum inter lapides, rosa inter frutices appareret. Ex eo siquidem tempore cœpit esse modestior moribus, mitior animis, actibus temperantior. Plurima de his & similibus perhiberi possent & deberent. Quibus tamen jam supersedendum statuimus esse, ut ad transitum viri Dei, ejusque agonis consummationem transeamus. Sed de hoc anno sequenti.

ANN. CHR. 1150.

XLV. De monasterio Pisano Verruccæ.

GERARDUS abbas ecclesiæ & monasterii sancti Michaelis archangeli de rocca Verruccæ per baculum, quem suis detinebat manibus, refutavit hoc *anno millesimo centesimo quinquagesimo primo*, stilo Pisano, XV. *kalendas septembrium indictione* III. Ildebrando abbati sancti Michaelis de burgo Pisarum universa residua terrarum in loco & finibus, ubi dicebatur Bottano, & Ildebrandus ad confirmationem hujus transactionis juxta legem *meritum* dedit eidem Gerardo anulum unum aureum pro solidis XV. denariorum. Actum *infra concistorium* supranominatæ ecclesiæ sancti Michaelis de burgo. Subscribunt post Gerardum abbatem Verruccensem Bencho prior sancti Nicolai, & Petrus prior sanctæ Vivianæ. Monasterium sanctæ Mariæ & sancti Angeli, seu sancti Michaelis de rocca Verrucæ in Pisana ditione (testimonio Lotharii III. imperatoris in diplomate eidem Gerardo abbati concesso *anno incarnationis Dominice* M. C. XXXVI. more Florentino *indictione* XV. *anno regni Lotharii* XII. *imperii* IIII. *apud plebem sancte Marie de Bulgaria, que est in territorio Cisene* (hoc est Cæsenæ) Ugo marchio pro remedio animæ suæ suorumque parentum construxerat. Post hæc tempora ad Cistercienses transiit, unitaque ei fuere subinde monasterium sanctæ Mariæ de Morteto in communi Asciani, una cum alio sanctæ Mariæ de Fine, quod unitum antea fuerat eidem cœnobio Morteti, monasterium sancti Andreæ de Clara-valle, aliud sancti Benedicti *del Pontonajo*, vulgo sanctæ Crucis monialium, cœnobium insuper sancti Hermetis seu sancti Remedii de Orticaria, & hospitale sancti Juliani extra muros Pisanos ordinis Cruciferorum, quæ omnia erant in Pisana diœcesi. Hoc vero tempore adjunctum ei erat etiam cœnobium sancti Nicolai Pisarum, cujus loci prior post Gerardum subscribit. Ipsum quoque sancti Nicolai monasterium ædificatum fuerat, ut docet Troncius in ms. opusculo, ab eodem Ugone marchione Thusciæ; legebantur enim in quodam membranaceo psalterio ejusdem cœnobii ad diem XXI. decembris hæc verba: *Et nota, quod semper in festo sancti Thomæ apostoli de sero debent pulsari campanæ tribus vicibus ad duplum pro anima domni Hugonis marchionis, qui fecit fieri hanc ecclesiam in honorem sancti Nicolai*. Augustinienses autem fratres, qui modo ibidem morantur, illud cum ecclesia sanctæ Mariæ de Caprolechio anno 1292. commutavere, monachis Verrucensibus, qui jam ad Cisterciensem reformationem se transtulerant, consentientibus, & anno 1294. æræ vulgaris, stilo Pisano 1295. ejusdem cœnobii possessionem acceperunt, ut ex marmorea inscriptione e regione claustri dicti loci posita intelligitur.

XLVI. Hieronymi ep. Arretini privilegium pro eccl. S. Michaelis de Arretio.

HIERONYMUS Arretinus episcopus Johanni priori canonicæ seu monasterii sancti Michaelis Arretii omnia bona ipsius ecclesiæ hoc anno confirmavit, decernens „ censeri debere de parochia ipsius monasterii quemcumque habitantem in suburbio civitatis ex utraque parte viæ a domo

„ sive

ANN. CHR. 1150.

„ sive classaria, qua itur ad sanctum Petrum-minorem, usque ad classariam olim dictam Moronti, qua itur ad prædictæ ecclesiæ molendinum, „ & a classaria, qua itur ad sanctum Bartholomæum, ad classariam, qua „ itur ad molendinum patronorum dictæ ecclesiæ. " Fortunius [a] assignatam animarum curam Johanni priori a Hieronymo episcopo scribit, „ cum declaratione terminos parochiæ consistere ex utraque parte suburbii, a domo videlicet sive classaria Tiribaldi, quæ pergit ad sanctum „ Petrum-minorem, ad classariam Ardimanni usque, & a sancto Bartho„ lomæo usque ad classariam Cartapanis. " Confirmavit insuper Hieronymus Johanni „ oleum sanctum infirmorum, & sepulturam eorum paro„ chianorum, qui se ad prædictam ecclesiam tumulari elegerint, & cun„ cta, quæ canonici officii sunt, præter baptismum. " Subscribunt post Hieronymum Ubertus Arretinæ ecclesiæ archidiaconus, & Ugo presbyter canonicus camerarius. Hæc in excerptis tabularii sanctæ Mariæ in Gradibus, in quo asservatur Hieronymi diploma, cujus visitur adhuc locus sigilli cerei deperditi. Confirmata omnia fuere ab Anastasio IV. Rom. pont. anno 1154. & a Clemente III. anno 1188. qui postremus etiam ratam habuit donationem terrarum, quas idem Johannes *quondam prior* una cum matre sua eidem ecclesiæ pietatis intuitu tradiderat. In tabulario Fontisboni Johannis prioris sancti Michaelis mentio occurrit ab anno 1147. ad 1153. Ejusdem autem, ut presbyteri dictæ ecclesiæ, monumenta supersunt ab anno 1133. Priores ejusdem ecclesiæ leguntur ad annos 1108. & 1109. Petrus; ad annum 1111. Guido; ad annum 1146. Rainerius.

a *Part. II. lib. II. pag.* 79.

XLVII. De monasterio Campriani.

MONASTERII sancti Ægydii de Campriano in territorio Arretino, cujus origines dedimus ad annum 1083. brevis memoria superest sub hoc anno in chronico Camaldulensi Baroncinii, quo Rolandus, Ildebrandus, Paulus & Rainerius fratres, & filii quondam Rigoli cum Superchina eorum matre vendidere Algozo & Laurentio recipientibus pro ecclesia ejusdem monasterii, siti, ut dicitur, in plebatu *de Chiassa* territorii Arretini, terram cum quercubus & olivis in vocabulo Viezzana. Monasterium hoc vidimus subjectum eremo sancti Johannis inter ambas Paras, sive Cellarum, atque ad monachos vel ad eremitas hujus loci spectabat jus electionis abbatis Campriananensis.

XLVIII. Decimæ concessę monasterio ad Carceres.

OBTINUERAT monasterium sanctæ Mariæ ad Carceres terras in comitatu Veronensi. Episcopus Theobaldus, qui Veronensem ecclesiam regebat, sequentem ad ipsorum jus confirmandum defensionis chartam conscripsit, relatam etiam a Muratorio [b] e regesto ejusdem monasterii apud nobiles viros Venetos Carminatos extante.

b *Antiq. med. ævi. T. III. col.* 206.

In nomine Domini Dei & hominis. Anno ejusdem M. C. L. *mense decembri die sabbati* XIIII. *indictione* XIII. *presentia bonorum hominum, quorum nomina leguntur inferius. Thebaldus Dei gratia Verone episcopus pro remedio anime sue suorumque predecessorum cum baculo, quem in manu tenebat, investivit Dominicum priorem sancte Marie de Carcere de decima cum omni jure decimationis omnium terrarum, quas nunc habet sancte Marie de Carcere ecclesia, vel erit de cetero aquisitura in fundo & curia sancti Zenonis, Veronensis diocesis. Unde duplum warentationem defensionemque promisit* &c.

Actum ante ecclesiam trium comitatuum.

Rogati sunt testes Fulco & Albertus marchiones, Albertus de Babone, Tintinus de Lendenaria, Albericus frater ejus, Rolandus de Urbana, Marrabotus de Verona, Ugo judex de Padua cum aliis non paucis.

Ego Thebaldus Veronensis episcopus ss.

Ego

Ego Adam causidicus interfui & ss.

Jonas causidicus idemque tabellio supradictus interfui & rogatus scripsi.

ANN. CHR. 1150.

XLIX. Primordia abbatie Sanevallis sive de Fullina. Obiter de monast. S.Galli in Monsini.

AD hæc circiter tempora, vivente adhuc sancto Bernardo Claræ-vallensium monachorum ordinis sancti Benedicti parente, sumenda sunt primordia monasterii sanctæ Mariæ Sanæ-vallis, sive a rivo ibidem exsurgente & fluente appellati de Fullino vel de Follina, quod monachorum Cisterciensium a sua origine domicilium fuit, inde ad commendatariorum manus deveniens, monachisque orbatum, cedente Ptolomæo Gallio S. R. E. cardinale, Novo-comense dicto & abbate commendatario, monachis Camaldulensibus a duobus seculis incolendum fuit traditum. Primæ ipsius monasterii notitiæ obscuræ sunt, neque ex chartis ejusdem loci expiscari licuit primam loci ædificationem. Hoc unum scimus monachos Fullinates cœnobitis Claræ-vallensibus urbis Mediolani subjectos fuisse, hos proinde coloniam monachorum ad hunc locum deduxisse, concedentibus & consentientibus episcopis Cenetensibus, ut addiscimus ex sequenti charta recognitionis & renovationis facta initio seculi XIII. a Matthæo episcopo Cenetensi, quam [a] ex eodem Fullinate tabulario hic subjicimus.

[a] *Num.* IIII

Anno Domini M. CC. XVII. *indictione* V. *die* XII. *exeunte januario, in presentia presbyteri Alberti de Pusmono plebani diaconi, Billini diaconi, Adelandini nepotis domini Matthei Cenetensis episcopi & aliorum. Cum donnus Aldevrandus monachus monasterii sancte Marie de Fullino foret coram domino Mattheo Dei gratia Cenetensi episcopo, & pro ipso monasterio & pro domno Anselmo abbate suo, & diceret dicto domino episcopo: Domine vos scitis, quod nos & predecessores nostri tam abbates, quam monachi & conventus dicti monasterii vel sunt sexaginta anni & plus, existentes in ordine Cisterciensi, & sub monasterio & abbatibus Clare-vallis de Milano dictum monasterium de Fullina, voluntate & consensu vestrorum, continue usque hodie in ipso ordine tenuimus & adhuc libere cum omnibus privilegiis detinemus, & iterum a benignitate vestra postulamus, ut expressum consensum adhibeatis, & ratam antiquam possessionem nostram habeatis, & ad majorem evidentiam iterum nobis noviter eodem modo & in eodem ordine concedatis. Unde dictus dominus episcopus convocatis suis canonicis, scilicet presbytero Meridiano & domino Andrea & Alberto ejus fratre & Alberto de Cavartino, & Liuto, & habito eorum consilio, & intellecto ab eis & ab aliis bonis hominibus clericis & laicis, quod ita verum erat* &c. *Ita noviter eidem domno Aldevrando* &c. *concessit* &c. *detinendo in se sicut habuerunt ejus predecessores* &c. *Actum Cenete in palatio predicti domini episcopi Cenetensis. Ego Rolandinus imperialis aule notarius interfui & scripsi jussu dicti domini episcopi, & corroboravi.* Cum paulo post initia sequentis seculi sexaginta & plures anni excurrissent, ex quibus in vallem Fullinæ deducta fuit Monachorum colonia ex Mediolano, a vero non abludit id factum fuisse sub Bruno abbate de Clara-valle, cui a Guarnerio marchione Camerini donatum fuit anno 1145. aliud monasterium per suos monachos regendum in comitatu Camerini juxta fluvium Clentis, ut refert Camillus Lilius in sua historia Camerini [b].

[b] *Lib. VII. pag.* 215.

Idipsum pariter confirmatur ex aliis testificationibus productis hoc ipso XII. seculo, ex quibus etiam in cognitionem venimus Stephanum fuisse primum loci abbatem. Anno enim M. C. XCIII. die VI. septembris indictione XI. cum lis vigeret inter Bernardum abbatem monasterii Fullinæ & inter homines sancti Michaelis, Cornudelæ & Ulmi, ratione confinium & pascuorum, testes interrogati hæc deposuerunt, quæ etiam indicant nobis tempus præterpropter ædificationis monasterii & coloniæ Cistercien-

Ann. Chr. 1150.

sium ibidem deductæ [a] : *Marsilius de sancto Paulo juramento dixit : Jam sunt quadraginta anni, quod recordatur, & vidit homines qui steterint in Stabluzzo ante monachos, & ipsos monachos habere & tenere pasculum & capulum litis communiter cum hominibus de Cornudela, & Ulmi & sancti Michaelis usque ad predictas villas & ultra Agazolam usque ad Plavem* (Stablutium locus est in territorio Opitergii haud multum distans ab alio loco appellato *Olmo* vel *Cimadolmo*; in eo monachi Fullinates prædia & bona obtinebant & obtinent etiam modo, ut ex chartis donationum ejusdem seculi compertum fit .) *Franciscus de Ronchadellis interrogatus de tempore, in quo monachi venerunt in Stablutio dixit esse* XXII. *annos* &c. *Blondus molinarius monachorum dixit esse* XXX. *annos, quod monachi manent in Stablutio* &c. *Peregrinus de Templo dixit esse* XXX. *annos. Sacchettus molinarius dixit* XXV. *annos. Almericus de Stablutio dixit circa* XXX. *annis. Bartholomeus de Ormellis* XXXX. *annis. Leonardus de sancto Paulo* XXXX. *annis, quod monachi habitavere in Stablutio. Ego Hermannus notarius* &c. Quæ ita intelligenda sunt, non quod Fullinates monasterium ædificassent in Stablutio, sed quod bona & prædia ibidem possiderent. Pariter *anno Domini millesimo centesimo nonagesimo quinto indictione* XIII. in testificationibus ejusdem abbatis Bernardi pro monasterio Fullinæ contra Arnovardum de Mareno [b] *Ugerius de Cisono juramento dixit, quod vidit Vendramum de Mareno habere & tenere decimam unius clausure jacentis apud Follinam, que fuit de manso plebani de Mianis, & de qua tenuta scio, quod prefatus Vendramus dedit jamdictam decimam per investituram abbati Stephano, qui tunc temporis erat in Follina, & portavit investituram in altare sancte Marie, & ibi dictus abbas Stephanus dedit prefato Vendramo duodecim libras denariorum, qui clamavit se pacatum; & hoc actum ad monasterium Folline, jam sunt* XXXX. *anni & plus & ab illo tempore huc usque habet prefatum monasterium predictam decimam* &c. *Ego Scenella sacri palatii notarius hec acta bona fide subscripsi.*

Ughellius [c] sub præsule Cenetensi Actio in ejus diœcesi cœnobium Sanæ-vallis de Follina ordinis Cisterciensis fundatum scribit, adductis primis monachis cum abbate ex monasterio de Cerreto Laudensi in ducatu Mediolani anno 1146.

Successit Stephano abbati Petrus nominatus in chartis annorum 1170. & 1173. Petro autem Gerardus, cujus mentio fit mense aprili anni 1174. Gerardo iterum Petrus, vel alius Petrus, sub quibus abbatibus a dominis Caminensibus Fullinæ monasterium pluribus bonis & ecclesiis ditatum fuit; sed de his ad annum 1170. agemus. Illud tantum hic innuentes Caminenses dominos fuisse præcipuos monasterii benefactores, & primos facile loci conditores & dotatores.

Sed nec illud prætereundum, a suis primordiis extitisse in ecclesia præfati monasterii, maximoque cultu & populorum affluentia, multisque donariis & votivis tabellis honoratam fuisse in ipsa imaginem Dei genitricis, quæ ad hodiernam diem a longinquis etiam regionibus confluentibus populis in veneratione habetur. Videmus ex allata testium depositione circa dimidium hujus seculi decimarum investituras delatas fuisse *super altare sancte Marie.* [d] *Anno* M. CC. III. *indictione* VI. *intrante januario presentia presbyteri Adelperi, Adelberti* &c. *Zoninus pro se & fratre suo fecit datam & investituram super sanctum altare sancte Marie de Folina pro amore Dei & remedio anime matris sue Zone de campo uno jacente in Cadubrio in territorio in villa, que dicitur Domeglle ad proprium* &c. *Actum Folina in ecclesia dicti monasterii. Ego Vitus sacratissimi Friderici imperatoris*

a Num. 80. 94.

b Num. 1246.

c T. V. col. 380.

d Num. 7.

Ann. Chr. 1150.

ratoris notarius &c. *Anno* M. CC. IV. [a] *indictione* VII. *die sabbati secundo intrante octobri, dominus Gabriel de Camino pro amore Dei & remedio anime sue & suorum parentum filiarum suarum fecit datam & investituram ad sacrosanctum altare de sancta Maria de Folina de manso uno, qui jacet in Sera. Actum predicto monasterio. Ego Vitus* &c. *Anno* M. CC. XL. [b] *indictione* XIII. *die lune septimo intrante madio, presentia Bernardi de Doglono de Belluno* &c. *Mazarollus de Doglono de civitate Belluni in presentia domni Ayulfi Dei gratia abbatis monasterii sancte Marie de Fulina & aliorum quamplurium monachorum* &c. *dedit Deo & gloriose beate Marie & monasterio de Fulina unum mansum jacentem in plebatu Lavacii in loco, qui dicitur Sarpe* &c. *datam & investituram ad proprium cum uno libro super altare beate gloriose Marie ipsius monasterii Fuline fecit* &c. *Actum Fuline* &c. *Ego Flabianus de Mianis sacri palatii notarius* &c.

a Num. 1104.

b Num. 1382.

Imago beatæ Virginis una cum puero Jesu sculpta est in topho seu silice producto in proximis montibus. Indoles operis satis rudis, plus immo quam cælator exhibuerit in subnexa tabella; nihilosecius antiquus artifex indolem oris expressit aliqua majori liberalitate, quæ minime notatur in vestitu & in reliquo opere. Puer Jesus vestibus cooperitur juxta morem priscorum seculorum, quibus pictores in imaginibus & sculpturis majori utebantur modestia, quam factum fuerit seculis posterioribus. Nimbo crucigero ejus caput redimitur, id quod soli Jesu competit a primis ecclesiæ seculis, quibus consuevere nimbo circumcingi sacræ imagines. Caret autem eodem nimbo Deipara, quæ unice coronam gestat in capite. Quid manu sinistra teneat, porrigatque infanti, incompertum; dexteræ autem manus nulla visuntur vestigia. Fert traditio præfatas statuas repertas in loco, ubi modo consurgit ecclesia abbatiæ, aliorsum deinde asportatas bis terque, pristinum locum ex se semper repetiisse, quod prodigium populos excitaverit ad construendam ibidem ecclesiam, inde etiam abbatiam. Innumera beneficia a fidelibus certatim confluentibus quotidie obtenta constantem reddunt ad tempora nostra post tot secula populorum pietatem erga has sacras imagines.



Cum plures abbates commendatarii monasterii sanctæ Mariæ de Fullina in commendam obtinuerint aliam abbatiam sanctæ Mariæ & sancti Galli

Ann. Chr. 1150.

in loco Mosini diœcesis Aquilejensis, & veterem autographam donationem factam eidem monasterio, veterem quoque authenticam Lucii III. bullam confirmantis bona præfatæ abbatiæ repererimus in tabulario ejusdem monasterii nostri de Fullina, rem gratam lectoribus facimus, edendo, licet extra rem nostram, utramque paginam ad calcem Appendicis hujus tomi. Prima donationis pagina exhibet nobis largitionem factam anno 1147. Udalrico abbati ejusdem loci a Macelino de Coha, cum ire Jerosolymam proposuisset, confirmatam vero *eodem anno*, quo *Chunradus rex ivit Jherosolimam*, a Pelegrino Aquilejensi patriarcha, & ab Henrico advocato, præsentibus Odalrico marchione de Thuscia, Henrico duce Carinthiæ, Ottone comite de Ortenpurc cum Henrico filio, Wilhalmo comite de Hunburc, aliisque pluribus clericis & laicis, cum appositione sigilli. *S. Pelegrini Dei Gratia Aquilegensis Patriarchæ*. Stat pedibus Pelegrinus indutus antiqua casula, quæ pallio cooperitur. Gestat in capite mitram depressiorem, ut in monetis Aquilejensibus. Dextera pedum pastorale, læva autem tenet librum apertum. *Acta vero sunt ista anno ab incarnatione Domini millesimo* C. XLVII. *indictione* XI. Confirmavit Lucius papa III. *Verone per manum Hugonis sacrosancte Romane ecclesie notarii* XIII. *kalendas octobris indictione* III. *incarnationis Dominice anno* M. C. LXXXIIII. *pontificatus* sui *anno* IIII. omnia bona præfati monasterii Guilero abbati sancti Galli de Mosineh, statuens, ut ordo monasticus secundum beati Benedicti regulam inviolabiliter ibidem observaretur. In his bonis præcipua nota sunt digna hæc, quæ subjicimus. *Apud Bellunum octo mansos ex dono bone memorie Hulrici quondam Aquilegensis patriarche; hospitale, quod est ad Clusam, & hospitale, quod est Aquilegie, utrobique.... patriarche ordinatum & constructum cum omnibus pertinentiis suis monasterio vestro donavit, sic scilicet, ut ab istius loci abbate regatur. Quidquid super duodecim prebendas ibidem cotidie pauperibus ordinatas exercuisse...... ad utilitatem vestram componatur. Aream unam in Carinthia, que Ekko vocatur, quam dux Henricus pro advocatia Aquilegensi patriarche dederat cum piscationibus, & omnibus ad eam curiam pertinentibus, & transitum apud Pobevvelth, quod spetialiter ad fratrum vestimenta ordinavit. Decimas in plebe sancte Marie de Vilach & in plebe sancti Johannis de Kilsitis, tres etiam plebes cum omni jure plebis & placiti christianitatis.*

Macellinus de Coha donator in charta nostra alius est a Cacellino comite, qui præfatam abbatiam de suis bonis fundavit anno 1072. ex charta apud Madrisium [a]. Ughellius [b] putat tempore Alexandri III. dotatam abbatiam sancti Galli a Chezellino comite super viam, qua per Clusiam in Carnatum tenditur, & Candidum testem adhibet. Sed præter Madrisii paginam convincitur uterque ex nostra donationis charta ipsam abbatiam ante tempora Alexandri III. fundatam. Udalricus, qui abbas erat monasterii sancti Galli anno 1147. vivebat etiam ad annum 1170. quo subscripsit tabulis donationis amplissimæ Ulrici quondam marchionis Thusciæ apud Cl. V. Bernardum de Rubeis [c] in monumentis ecclesiæ Aquilejensis. Anno 1184. Guilerus nominatus a Lucio III. erat abbas ejusdem monasterii; Gislerium vocat idem doctissimus vir [d] ad annum 1180. & Bisilherus effertur in tabulis apud Ughellium. Hulricus quondam Aquilejensis patriarcha est Vodalricus I. cujus tempore monasterio imposita postrema manus, cuique successit Pelegrinus confirmator donationis Macelini de Coha. Odalricus marchio de Thuscia idem erat ac Ulricus quondam marchio, quem pluribus illustrat idem Bernardus de Rubeis. Henricus dux Carinthiæ frater erat ejusdem Vodalrici I. patriarchæ, & advocatus

a *Append. ad oper. S. Paulini p. 262.*
b *T. V. col. 65.*
c *Col. 605.*
d *Col. 621.*

sub

sub ipso fuerat ecclesiæ Aquilejensis, quo munere tamen se abdicaverat. Tempore Pelegrini patriarchæ advocatiam gerebat alter Henricus filius Menghinardi, ut eruitur ex documento commutationis jurium ipsius advocatiæ apud præfatum Madrisium [a]. Sed integras duas ineditas chartas in Appendice proferimus.

ANN. CHR. 1150.

a *Pag.* 263.

ANN. CHR. 1151.

L.

Obitus S. Alberti Senensis eremitę.

POSTREMUS juxta hypothesim nostram hic fuit mortalis vitæ Alberti Senensis annus, qui *post vigesimum-septimum*, ex quo cellam *solitariæ vitæ desiderio intraverat*, quinquagesimo circiter ætatis suæ anno ad Deum transiit. *Cœpit itaque*, ait vitæ ipsius scriptor, *intelligere, quod in proximo esset depositio tabernaculi sui. Convenientes ad eum familiares & amici* ..... sed quod maxime dolendum, in codice desunt postrema ipsius acta, obitusque narratio desideratur, neque aliquid ulterius in medium adducere valemus. Forte scriptor sibi proposuerat commodius ejus mortem describere, quam descriptionem imperfectam reliquit, sequentia dumtaxat verba morali & pia meditatione superaddens. *Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? Divitias mundi, carnisque delicias cur tantopere cupitis & congregatis? Thesaurizantes vobis in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, & fures effodiunt & furantur. Extimantes ejus invenire sufficientiam, sed majorem indigentiam in cunctis. Verum quippe est, eos pro multis indigere, qui multa possident. Non qui plus habet, sed qui minus cupit, dives est. Si ergo vere cupis esse dives, vere potens, non est divitiis vel potentiæ addendum, sed cupiditatibus detrahendum. Breve quidem & expeditum iter est ad divitias per contemptum mundi. Parabile est, quod natura desiderat, facile occurrit, quod necessitas exposcit, cupiditas vero insatiabilis est, & per difficilia graditur. Quam feliciter beatus Albertus, quam velociter factus est dives contempnendo divitias. Despexit ejus opes mundi, delitias carnis, gloriam seculi, & tam potens, tam dives, tam gloriosus factus est, ut nec Crœsi divitiæ, nec Sardanapali delitiæ, nec omnium principum istius seculi gloria vel potentia hujus excellentiæ valeat comparari.*

Sed & vos, qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes, jam tandem erubescite, qui cotidie sapientiam quæritis & ubi vestra sit sapientia, penitus ignoratis. Numquid in mari, vel in abysso aut in terra suaviter viventium potest inveniri? Non in turbine seculi, non in profunditate vitiorum, non inter illecebras carnis valet reperiri. Manna siquidem absconditum est, & de occultis trahitur. Beatus Albertus longe felicior hanc sapientiam invenisse probatur. Non quæsivit Bononiam, non Parisios, aut Athenas adiit. Non Accademicis, vel Eleaticis disciplinis, liricisque carminibus erudiri curavit, & reperit sapientiam veram, quam doctus Plato nescivit, facundus Demosthenes ignoravit, acutissimus Pythagoras vel Platon acutissimus assequi non potuit. Vera sententia dicitur, quod otium sine literis mors est, nec diffitemur, si tamen & fructus desit literarum. Nam non magnopere curandum est, si paleæ deficiant, ubi grana palearum satis habundant. Quid enim nocet vinacus uvarum, vel olivarum ossibus carere, cum sanguinem uvæ meracissimum, & purissimum olei liquorem constet haberi? iste vir beatissimus non cognovit literaturam, sed quod per literam significatur, sine literis evidenter agnovit. Non occidentem literam, sed spiritum vivificantem secutus est. Inter cellæ suæ brevissimum spatium amplissimas recepit scholas, & magistrum peritissimum infra suæ mentis concepit archana. A quo non literarum paleas, sed genera virtutum discere curavit. Quærant ergo paleas populus carnalis, qui Pharaoni apud Ægyptum

Ann. Chr. 1151.

ptum in luto & lateribus servire compellitur. Iste vero vir sanctus, & quicumque voluerit ipsum imitari, qui in non lateribus luti, sed in spiritu & veritate, non in carnalibus terrenisque operibus, sed in simplicitate cordis & studio pietatis servire contendit, sola sapientiæ grana paleas contempnendo deposcat.

LI. Testimonia sanctitatis ipsius paulo post ejus mortem.

Quoad Alberti sanctitatem cultumque, quem brevi ab obitu tempore obtinuit, præter testimonium Urbani III. Rom. pont. recensentis anno 1186. inter bona monasterii Berardingorum *ecclesiam beate memorie Alberti in monte Alceto*, quod protulimus etiam sub anno 1101. *Maurus prior sancti Alberti montis Alceti* legitur subscriptus in quodam conventu prælatorum totius regionis Senarum & finitimorum locorum, quos collegit anno 1259. Johannes II. prior generalis Camaldulensis. In ecclesia sancti Vigilii ejusdem urbis Senarum, ubi monasterium Camaldulense extabat, quod modo obtinent clerici societatis Jesu, ara antiquissima in honorem sancti Alberti, Fortunii tempore, erat dedicata, qui etiam in ejus ecclesiæ xysto effigiem ipsius sancti viri depictam se vidisse asserit. Habitatores Montis-alceti sollemni ritu sancti Alberti festum peragunt. Alia in ipsius honorem capella exstructa est in Sarchianello villa proxima abbatiæ Rosseni. De Alberto loquitur Andreas Galsiminus in thesauro cœlesti pietatis Virginis cap. xxi. Sed antiquius adhuc Urbani III. tempore sanctitatis Alberti monumentum proferimus. Saltem ab anno 1180. de sanctitate Alberti constabat, ejusque vita a monacho Berardingo conscripta jam fuerat. In testimonio enim, quod in causa libertatis eremi Camaldulensis protulit anno 1217. vii. kalendas septembris Guido prior monasterii sancti Laurentini de Arretio, quodque exstat in tabulario Fontis-boni §. *Testificatio. n.* 5. hæc leguntur: *Quando domnus Rodulphus prior Camaldulensis venit ad monasterium Berardingorum, fecit tunc scribi legendam sancti Alberti*. Porro Rodulphus duabus vicibus fuit prior Camaldulensis; prima vice ab anno 1152. usque ad annum 1158. vel alia conjectura nostra ab anno 1163. ad annum 1166. altera vero ad paucos menses anno 1180. Secunda enim vice parum temporis regimen prioratus Camaldulensis tenuit, teste Giaolo converso Camaldulensi in eodem processu interrogato, & testimonio ejusdem Guidonis: *parum stetit in prioratu, factus episcopus Anconitanus*. Ad hanc episcopalem dignitatem evectus fuit Rodulphus circa finem mensis augusti anni 1180. succedente sibi in prioratu Camaldulensi Placido, cujus monumenta exstant ad eumdem annum, quod etiam comprobatur testimonio Stephani abbatis sancti Justi de Volaterris, qui in eodem processu interrogatus, respondit: *Factus fuit Placidus prior Camaldulensis, quia prior Rodulphus erat electus in episcopum Anconitanum circa finem augusti*. Idipsum asseruit alter testis Popinus conversus Camaldulensis eodem anno 1217. affirmans insuper Rodulphum fuisse priorem Camaldulensem ante quinquaginta annos. Ex quorum testium depositione luculenter evincitur saltem ante annum 1180. literis tradita fuisse gesta sancti Alberti. Quid quod suprarelatus Guido prior sancti Laurentini affirmat Ildebrandum priorem Camaldulensem ad monasterium Berardingorum se contulisse, quando abbas ejus loci erat Bonus, Rodulphum vero accessisse ad eumdem locum sub abbate Nicolao? Hæc demonstrarent multo ante annum 1180. vitam sancti Alberti fuisse exaratam, ejusque scriptionem referendam esse ad primam vicem, qua Rodulphus prioratum Camaldulensem tenuit, non ad alteram vicem, qua denuo fuit postulatus anno 1180. nam Nicolaus abbas Berardingorum in contractibus ejusdem monasterii legitur ab anno 1152. ad annum 1165. Boni autem nomen dum-

dumtaxat apparet ab anno 1166. usque ad annum 1185. atque proinde vita beati Alberti concinnata fuisset sub Nicolao abbate, cujus exemplar eo tempore sibi exscribi flagitaverit Rodulphus prior vel ab anno 1152. ad 1158. vel ab anno 1163. ad 1166. juxta varium de pluribus Rodulphis prioribus sistema. Quæ si admittantur, neque tribuatur errori Guidonis prioris, qui unum pro altero deposuerit & asseruerit, aliquod non leve argumentum suppetit vetustioris memoriæ sancti Alberti; quem propterea defectu clariorum argumentorum circiter hunc annum, & unico ante Nicolai abbatis Berardingi regimen anno ad Deum transiisse haud inverisimiliter existimamus.

LII. Cætera, quæ ad Albertum faciunt.

Ex stirpe hujus sancti viri originem suam trahere gloriantur proceres notissimæ & nobilissimæ Senensis familiæ Albertiorum, cujus majores cum seculo præterito notitiam habuissent aliquot regulares viros tentasse, ut coloribus exprimeretur beatus Albertus habitu religioso a Camaldulensi diverso, sequentem depositionem fecere anno 1656. scriptoque publico firmari curavere.

Franciscus Ballatus J. V. D. patricius Senensis metropolitanæ ecclesiæ dictæ civitatis decanus & illustriss. ac Reverendiss. Dn. Senarum archiepiscopi in spiritualibus ac temporalibus vicarius generalis universis & singulis, ad quos præsentes devenerint, salutem.

Fidem facimus atque attestamur, qualiter coram nobis ac testibus infrascriptis personaliter constituti nobilis dominus eques illustrissimæ ac sacræ religionis divi Stephani papæ & martyris Bonaventura de Albertis, & dominus Annibal de Albertis patritii Senenses in verbo veritatis ac medio juramento, tacta Cruce & Scripturis respective dixerunt, ac testati fuere beatum Albertum de Albertis originarium ex eorumdem dominorum Albertorum familia semper habitum, creditum & reputatum fuisse religiosum, dum in humanis erat, congregationis monachorum Camaldulensium, talem dicti domini intellexerunt & audierunt fuisse ab eorum antenatis, & hi a senioribus suis; nec unquam de alio ordine figuræ pictæ dicti beati Alberti, tam quæ modo reperiuntur in domibus dictorum dominorum testificantium, quam omnes aliæ, quas ipsi viderunt de dicto Beato, semper repræsentarunt ipsum in habitu Camaldulensium, quarum una extat de præsenti in conventu fratrum sancti Augustini terræ Asciani; & talis erat figura dicti Beati in altare familiæ de Albertis in ecclesia conventus sancti Francisci hujus civitatis, quæ anno præterito casu combusta est. Et totum pro veritate deposuerunt, remotis omni odio, amore &c. In quorum fidem &c. Datum Senis in curia archiepiscopi, præsentibus admodum Rev. D. Horatio Corona, & D. Hieronymo de Galiardis testibus, die 15. maji 1656.

Franciscus Ballatus Decanus Vicarius generalis

Carolus Prochius cancellarius de mandato.

Prostat imago ejusdem sancti viri anno 1599. sculpta, & dicata Francisco-mariæ Taurusio S. R. E. cardinali ac Senarum archiepiscopo, ubi etiam septem orbiculis circa imaginem tota Alberti vitæ series describitur, cum epigraphe subjecta: *Beatus Albertus de Albertis Senensis ordinis Camaldulensis* M. C. LXIII. Sed annus appositus nullo nisi incerto fundamento innititur, sicut falso ex dictis innituntur ii, qui ad annum 1181. ipsius obitum retrahunt. De sancto Alberto agunt præter omnes nostros, Bollandus, Wion & Buccellinus ad diem VII. januarii.

LIII. Ortus Parisii, monachi inde Camaldulensis.

Hic idem annus postremus Alberti primus fuit Parisii sanctissimi Camaldulensis monachi. Hic in Bononiæ urbe natus præsenti anno, centum & sexdecim, quibus in hac terra vixit, præclara sanctimoniæ, virtutum & pu-

Ann. Chr. 1151.

& puritatis specimina dedit, ac sancto denique fine quievit anno 1267. Ipsius vitam ex variis auctoribus, sed potissimum ex Ambrosii præsidis nostri generalis hodœporico, & ex vitis Sanctorum Nicolai Malerbii abbatis itidem nostri anno 1748. collegimus, & produximus una cum antiquis monumentis ad historiam spectantibus parthenonis sanctæ Christinæ de Tarvisio, in quo longævam vitam suam traxit octuaginta annis Parisius, sanctimonialium ipsarum confessarii officium gerens. Immerito Papebrochius in adnotationibus ad ejus vitam, ut tunc observavimus, decem annos subtrahit sancto viro, quem natum existimat anno dumtaxat 1161. & post centum ac septem ætatis annos ad Deum evolasse anno 1267. Nam cum veteribus monumentis & fide antiquorum scriptorum compertum sit Parisium ad eam prodigiosam centum & sexdecim annorum ætatem pervenisse, atque constet de anno ejus obitus minime dimovendo ab anno 1267. necessario consequitur assignandum esse ad præsentem annum 1151. ipsius ortum. De Parisii familia nihil certius addere possumus iis, quæ tunc conjecimus ex historia Bononiensi Ghirardatii [a], qui inter familias nobiles ejus urbis Parisiorum familiam recenset, & Jacobinum quidem Parisium obiisse in bello Bononienses inter & Venetos anno 1271. asserit; Michaelem anno 1275. equos in urbis subsidium ministrasse; alium Michaelem anno 1287. electum fuisse unum ex Sapientibus civitatis, & Lucianum Ardicionis Parisii anno 1287. anno vero 1299. Nascimbenem Michaelis Parisii fuisse Sapientem, Petrum vero consulem annis 1299. & 1302. Sapientem autem anno 1304. Anno 1307. doctorem magistrum Paulum, magistri Parisii. An beatus Albertus Parisius abbas congregationis Vallis-umbrosæ, & anno 1245. defunctus, quem nominant in sua *Bononia perlustrata* [b] Masinius & scriptores ejus congregationis, necnon socii Bollandistæ ad diem XX. maji, pertineat ad familiam beati Parisii nostri, nil certum proferimus. De Parisii vero virtutibus & prodigiis suis annis, quæ supersunt, consignabuntur.

a Pagg. 220. 230. 272. 273. 469. 367. 493. 524.

b Pag. 406.

LIV. Privilegia Eugenii III. pp. pro monasterio S. Quirici de Rosis & pro eremo de Fleri.

Antonio priori monasterii sancti Quirici de Rosis præsenti *anno millesimo centesimo quinquagesimo primo* III. *kal. aprilis indictione* XIIII. *pontificatus vero Eugenii pape* III. *anno* VII Romanus pontifex Eugenius privilegium dilargitus fuit, datum Ferentini per manum Mariniani S. R. E. scriptoris, quo præfatum cœnobium sub apostolicæ sedis protectione recepit, subscribentibus post Eugenium duodecim S. R. E. cardinalibus, quod edimus ex tabulario Fontis-boni. Leguntur in iis nomina Nicolai Albanensis episcopi, Angli ex clerico cardinalis ab Eugenio III. creati, inde Adriani IV. Rolandi presbyteri sancti Marci, qui supremam pontificatus etiam ipse dignitatem assecutus est sub nomine Alexandri III. & Johannis diaconi sanctorum Sergii & Bacchi. In privilegio hæc propriis vocabulis exprimuntur. Præter locum, in quo situm erat monasterium, ecclesia sancti Georgii in castro de Fracta-Guinildi, castrum ipsum cum curte, quidquid monasterium possidet in Fojano, quidquid habet in curia de Martiano, in curia de Fracta-Rainucci, in curia Cesæ, in curte de Dorna, in curte Fractæ de Paterno, in villa Albula, in Broilo, in curte de Ficareto, in villa sanctæ Luciæ.

Eadem die sub apostolicæ sedis protectione recepit idem Eugenius eremum sancti Johannis de Valle-magna, quæ erat in territorio Cortonensi, & subjectam Camaldulensi, annuensque precibus Clementis prioris ejusdem, & fratrum loci, confirmavit bona ipsius, quæ nominatim expressit: videlicet abbatiam de Fleri cum suis pertinentiis, ecclesiam de Marignano cum curte & pertinentiis suis, ecclesiam de Plazano cum curte

&c.

&c. ecclesiam de Margnano, ecclesiam de Gabiano, ecclesiam de Canapino, ecclesiam de Colle-sicco, & ecclesiam de Valle cum curtibus earum & juribus; subscribentibus undecim cardinalibus, ut refert in excerptis tabularii Fontis-boni Baroncinius [a].

ANN. CHR. 1151.

a §. *Privilegia* 32. *A.* 2. 6.

IPSO *anno die mensis septembris indictione* XIIII. *tempore Eugenii pape & Corrado regnante*, Berardus & Octorinus filius Rolandi cum Dialta conjuge donant Nicolao præposito ecclesiæ sancti Stephani de Agello, & per ipsum monasterio sancti Romualdi Vallis-castri, ac Guilielmo abbati ejusdem cœnobii partem suam ecclesiæ sanctæ Crucis ædificatæ juxta castrum Agelli cum muris & altaribus, campanis, terris & cum omnibus, quæ ad jus pertinent ejus ecclesiæ sub pœna centum denariorum Lucensium. Ecclesia sancti Stephani de Agello subjecta erat monasterio Valle-castrensi, ex quo cœnobio destinabantur in hujus aliarumque ecclesiarum rectores, qui etiam præpositi vocabantur, monachi vel presbyteri conversi. De hac ecclesia ejusque donatione paucis agit etiam Fortunius [b].

b *P. II. Lib. I. cap.* 23.

Anno ab incarnatione M. C. LI. *Cumrado rege anno regni ejus undecimo, mense octobri indictione* XIV. Maria filia Griffoli & uxor Jacobi filii quondam Ysembardi jure permutationis tradit Sophiæ abbatissæ parthenonis sancti Johannis de Prato-veteri multa terræ sistaria. *Actum in civitate Aretina in hospitali de vinea regis*. Corrigendus annus regni Conradi, qui hoc anno erat decimus-quartus, cum coronatus fuisset in regem anno 1138. vel ad summum, si usurpetur annus Pisanus, & charta pertineat ad annum antecedentem, mutata indictione mense septembris, annus erat decimus-tertius. Hanc paginam ex tabulario Prati-veteris, superiorem ex illo sancti Blasii de Fabriano remittimus ad Appendicem.

Ardimannus [c] & Rainerius olim Gerardi & Ildebrandinus olim Rinucii de Civitella hoc anno mense julio, teste Baroncinio in excerptis, refutavere in perpetuum Camaldulensibus, mandato Hieronymi episcopi Arretini, omne jus suum, quod habebant in ecclesiam sancti Angeli de Curte-luponis & in ejus cœmeterium & plateam sub pœna librarum XXX. argenti, manu Viviani notarii.

c §. *Amissæ.* 187. *A.* 154.

LVI. Obitus Azonis prioris Camaldulensis. De Rustico & Rodulpho prioribus.

AZONIS prioris Camaldulensis monumenta usque ad præsentem annum supersunt, post quem nullum superest ejus præfecturæ vestigium. Hoc enim anno mense majo Ubertinus quondam Segnorelli, ut discimus ex summariis ejusdem Baroncinii [d], vendidit Azoni priori terras in curia de Lonnano prope ecclesiam sancti Miniatis. Fortunius tamen ipsum superfuisse ad annum 1153. scribit, quo XVIII. kalendas octobris obiisse putat, addens insuper Rusticum II. hujus nominis electum fuisse in ejus locum, qui rara animi humilitate imparem se credens ferendo tanto oneri, deprecatus fuerit, ut sibi substitueretur Rodulphus. Verum hæc non constant ex chartis Fontis-boni, ex quibus immo compertum fit Rodulphum II. hujus nominis fuisse immediatum Azonis successorem, & quidem saltem sub anno 1152. ut liquet ex documentis, quæ afferemus anno sequenti, in quibus mense julio & mense augusto prioris eremi Camaldulensis officio insignitus Rodulphus invenitur. De Rustico, ab aliquibus credito priore, aliqua dicemus etiam ad annum 1154. Rusticum hunc naturæ concessisse anno 1157. rursus affirmat idem Fortunius; Rodulphum vero anno 1159. Sed sicut primum Fortunii assertum nullo fundamento nititur, ita falsum est & secundum, si Rodulphus idem est, qui supervixit post dimissum anno 1158. regimen, dum creatus altera vice prior Camaldulensis, obiit dumtaxat post annum 1180. quo anno episcopus Anconitanus fuit electus. Sin vero alius admittatur Rodulphus III. ejusdem nominis & creatus

d §. *Emptio.* 196. *A.* 2. 8.

Ann. Chr. 1151.

prior anno 1163. cui secunda vice anno 1180. delatus fuerit Camaldulensis prioratus, & inde Anconitanus episcopatus, contentiosum funem cum Fortunio non trahimus, & potuerit Rodulphus II. anno 1159. immo anno 1158. vel officium dimittere, vel vitam cum morte commutare. De hac re rursus ad annum 1163.

Tempore sui regiminis Volaterras se contulit Rodulphus II., ut cœnobium & familiam monachorum sanctorum Justi & Clementis ejus urbis visitaret. „ Cupiens autem, verba sunt Fortunii, indemnitati thesauri utilius provideri, ejus custodiam Carino & Petro monachis, atque Oderi- „ co civi Volaterrano commisit. " Inventa siquidem fuerant, ut diximus, anno 1140. corpora sancti Clementis, sanctæ Actiniæ & sanctæ Græcinianæ martyrum, simulque ea occasione, teste eodem Fortunio, repertus fuerat thesaurus propter tumultus bellicos amissus, qui consistebat in calicibus argenteis, nec non in pretiosis ornamentis ad altaris atque sacerdotis ornatum, jampridem antea comparatis, vel a fidelibus oblatis. Quod autem subdit idem Fortunius tulisse opem Galganum episcopum, id intelligendum erit de inventione thesauri, cum sacra corpora reperta fuerint sub Innocentio II. Romano pontifice, & sub Crescentio & Adimario Volaterranis præsulibus antecessoribus Galgani. Abbas monasterii Volaterrani per hæc tempora post Bonitum & Guidonem erat Azo laudatus ab eodem historico nostro, quod multum laboraverit in requirendo præfato thesauro. Mortuo Azoni successit alter Guido, & ei Ugo, Ugoni vero Johannes, sub quo falso affirmat idem Fortunius anno 1191. inventum fuisse sepulcrum sanctarum martyrum; sed jam demonstravimus revelationem corporis sancti Clementis, & consequenter etiam illorum sanctarum martyrum Actiniæ & Græcinianæ, factam fuisse anno 1140.

LVII. Charta Ravennas.

In autographa pagina tabularii sancti Apollinaris Classis legimus „ sub „ hoc anno M.C.LI. die vigesima martii indictione quinta-decima (usur- „ patur facile annus Florentinus, & charta propterea pertinet ad annum „ sequentem) in claustro monasterii sancti Severi pontificis & confesso- „ ris in civitate Classis dudum fundati domnum Petrum humilem & re- „ ligiosum abbatem jamdicti monasterii concessisse domno Benedicto abba- „ ti sancti Petri in Vincula & decem abbatibus, qui juridice in eodem „ monasterio consecrati fuerint, in emphyteosim totum tenimentum po- „ situm in massa, quæ vocatur Pontella, posita in plebe sancti Laurentii „ in vado Rondino; per manum Johannis notarii Ravennatis. " Petri abbatis sancti Severi nomen legitur in chartulis ejusdem loci etiam ad annum 1149. qui Divizzoni successerat nominato ad annum 1128.

LVIII. De Gratiano monacho compilatore Decreti.

Magis recepta scriptorum opinio tenet hoc anno millesimo centesimo quinquagesimo-primo Gratianum monachum ordinis sancti Benedicti compilasse Decretum ex conciliorum canonibus, ex epistolis Romanorum pontificum, & ex dictis Isidori, Ivonis aliorumque veterum patrum. In antiquissimo codice Vaticano apud Baronium ad annum 1151. hæc adnotantur: *Decretum Gratiani monachi sancti Felicis Bononiensis ordinis sancti Benedicti completum in dicto monasterio anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo primo.* Anno 1499. Bononiæ in ecclesia sancti Petronii hujusmodi erecta seu suscitata fuit epigraphe eidem Gratiano. *Gratiani Clusini Cæsarei & Pontificii enucleatoris prope divini, qui monachus in martyrum Felicis & Naboris ædem absolutissimum ibidem opus Decretorum anno Gratiæ* M.C.LI. *compilavit, monumentum, quod illic carie obsorduerat, hic magnificentius renovatum est. Johannes-franciscus Aldovrandus Bononiensis J. U. dictator ære publico instauravit anno Salutis* M.CCCC.XCIX. *idibus junii*

junii Johanne Bentivolo II. PP. *rempublicam feliciter gubernante*. Ughellius [a] in episcopis Clusinis errore legit annum M. CCCC. LIX. Supervacaneam rem ageremus, si auctores omnes hic colligeremus, qui ad annum 1151. referunt laboriosum hocce Gratiani opus. Sunt tamen, qui præveniunt, & qui differunt hujusmodi compilationem. Vetustissimus auctor Ugo vel Uguccionus, quem citat Glossa can. *Post reformationem*. §. *Formula* 2. *quæst.* VI. ait: *Iste liber editus est, docente Jacobo Bononiense in legibus, & Alexandro in theologia, qui fuit postea papa Alexander* III. *& fuit anno Domini* M. C. L. *ut ex chronicis patet*. Sed Alexandro III. nomen erat ante pontificatum Rolandus, qui prius canonicus Pisanus, inde S. R. E. fuit, eratque hoc tempore cardinalis & cancellarius. In ms. Bernardi Guidonis *de vitis Romanorum pontificum* in Eugenio III. legitur Gratianum composuisse Decretum ad annum Domini M. C. L. Justellus ad annum M. C. XXXI. Johannes Aventinus & Ottomannus ad annum M. C. XXX. Trithemius ad annum M. C. XXVII. referunt Decreti compilationem, quam Bellarminus incœptam anno M. C. XXVII. perfectam putat anno M. C. LI. Alii, ut Martinus Minorita in chronico [b] apud Eccardum ad annum M. C. LII. Vincentius Bellovacensis & Hermannus Cornerus in chronico [c] apud eumdem Eccardum, Vernerus Rolevvinck, & Siffridus presbyter [d] ad annum M. C. LIV. Ad annum M. C. LIII. [e] chronicon Vetero-cellense-minus, & ad annum M. C. LXII. chronicon sancti Ægidii [f] apud Leibnitzium. Nonnulli ad annum M. C. LXXI. & Albericus monachus Trium-fontium, qui monachi Gratiani obitum statuit ad annum M. CC. IV. serius necessario refert hanc collectionem, sed Decreti compilatorem manifeste confundit Albericus cum magistro Gratiano cardinale diacono sanctorum Cosmæ & Damiani, ut animadvertunt Fontaninius [g] in præfatione ad novam ordinationem Decretorum Gratiani a cardinale Johanne de Turre-cremata adornatam, & ex Fontaninio [h] Grandius noster in Vindiciis pro sua epistola de Pandectis, ubi etiam ex Antonii Augustinii archiepiscopi Tarraconensis de emendatione Gratiani libro II. capite IX. observat haberi hæc verba in libro pontificali ms. circa tempora Innocentii III. *Hoc anno*, scilicet M. CC. XV. *Gratianus monachus de Clusa civitate Thusciæ natus Decretum composuit*.

Conveniunt omnes Gratianum fuisse monachum ordinis sancti Benedicti, & plerique Thuscum genere; sed mirum, quanta de ipsius patria, & de loco ejus monachatus opinionum & scriptorum diversitas! Alii, ut vidimus, ipsum confundunt cum cardinale Gratiano olim abbate sancti Pauli ad ripam Arni urbis Pisarum, alii Bononiensem, Clusinum alii, nonnulli Urbe-vetanum & de Classa, de Clussa, quidam de Ginsa seu Guisa in Thuscia oriundum eum faciunt. Rursus monachum alii ipsum putant cœnobii nostri sancti Apollinaris de Classe Ravennæ, ut Guilielmus de Pastringo in libro *de Originibus rerum*. „ Gratianus, inquit, monachus mo„ nasterii de Classe, quod prope Ravennam est, ex scriptis Isidori Hispa„ lensis episcopi, & Ivonis sancti Quirini præpositi Bellovacensis, & alio„ rum sanctorum patrum, ac conciliorum traditionibus Bononiæ apud san„ ctum Felicem commorans, Decretorum librum composuit, quem in „ toto orbe " *&c.* S. Antoninus pariter, Sabellicus, Trithemius, & Pancirolus Gratianum patria Clusinum, sed divi Benedicti Classensem monachum, faciunt, quod approbat quoad patriam & quoad professionem etiam Fabrius [k], qui præfatos auctores laudat. Johannes ex Columnensium stemmate ortus, ordinis Prædicatorum & archiepiscopus Messanensis in libro nondum typis edito *de viris illustribus*, Venetiis olim servato in bi-

ANN. CHR. 1151.

a *T. III. col.* 631.

b *T. I. c.* 1626.

c *T. II. c.* 702.

d *Apud Pistor. T. I. pag.* 1039.

e *Mencken. T. II. col.* 437.

f *T. III. p.* 586.

g *Pag.* 4. 5.

h *Pag.* 11.

i *Pag.* 35.

k *Mem. Sagr. pag.* 103.

ANN. CHR. 1151.

bliotheca cœnobii sanctorum Johannis & Pauli ejusdem ordinis, nunc Romæ in Casanatensi, Gratiani patriam facit Carrariam oppidum agri Urbe-vetani prope Ficullas ad sextum ab Urbe-vetere lapidem in Thuscia suburbicaria, ibidemque in abbatia sancti Nicolai de Monte monasticam vitam professum testatur. Hæc abbatia sita est in ipsa Urbe-vetere, prope quam est mons, unde cœnobium nomen sortitur, muris clausus & undique cinctus, nunc ad vineam inserviens. Hinc fortasse Gratianus dictus *de Clusa* vel *de Cincta*. Ceterum apud Urbe-vetanos Carrariæ oppidum nostra tempestate ignoratum. Abbatiam sancti Nicolai in monte ad Benedictinos pertinentem Pius II. pontifex maximus junxit anno 1458. VI. kalendas septembris cum altera æque antiqua abbatia sanctorum Severi & Martyrii extra mœnia ejusdem Urbis-veteris, de qua loquuti sumus ad annum 1046. quæ prius sancti Benedicti, & aliquo tempore sub congregatione Camaldulensi, inde Præmonstratensis ordinis, cujus abbas Nicolaus a Clemente IV. 8. kalendas octobris anni 1265. electus fuit Civitatis Castellanæ & Falaritanæ episcopus ex regesto Vaticano epistola 150. fol. 36. apud Ughellium [a] in episcopis Castellanis. Sed archiepiscopi Columnæ verba proferamus. „ Gratianus monachus abbatiæ Montis Orbetanæ diœcesis ex oppido Carraria prope Ficullas homo studiosissimus fuit. Hic „ presbyter & monachus existens librum Decretorum per diversa volumina sparsum in unum recollegit, & dicta reducens. Et cum opus sic „ per eum compositum summo vellet pontifici præsentare, nec per se „ ipsum posset habere ingressum, quia monachus & pauper erat, cuidam „ magno prælato adhæsit, qui librum respiciens, & insipiens pauperculi „ monachi sibi laborem attribuens, librum summo pontifici præsentavit, „ attribuens sibi opus. Quod cum Gratianus percepisset, cum magna instantia, introductione alterius, papæ se fecit præsentari, injustum reputans, ut quod multis laboribus & sudoribus ediderat, alter de suo labore gloriaretur, & facta diligenti examinatione, & veritate inventa, „ quod opus tam utile & proficuum ecclesiæ Dei Gratianus ediderat, & „ per summum pontificem generaliter approbatum, facto quoque mandato, ut per omnes scholas universaliter legeretur, ipsum ad episcopatum „ Clusinum promovit, in quo multa scribens & dictans diem clausit extremum. Claruit tempore Conradi imperatoris, & temporibus Innocentii & Eugenii. “ An fuerit Gratianus Clusinus episcopus, non definimus. Post Petrum & Martinum episcopos Clusinos, quorum monumenta protulimus ad annos 1116. & 1146. legitur ad annos 1170. & 1176. in libro cancellariæ Montis-politiani, cui titulus *le Coppe*, Rainerius episcopus. Inter Martinum & Rainerium locus potest esse Gratiano. Etiam Robertus de Monte vetus auctor in appendice ad Sigeberti chronicon Clusinum episcopum Gratianum vocat. Sed nihil in hac re certum. Abbatiæ sancti Nicolai fundator vel restaurator facile fuerit Romualdus, qui teste Damiano, [b] *dimissis in Valle de Castro nonnullis de suis discipulis, ad regionem se Urbis-veteris contulit, & in possessione Farulfi comitis monasterium construxit, ubi tantus in sancti viri pectore faciendi fructus ardor incanduerat, ut effectis numquam contentus, dum alia faceret, ad facienda mox alia properaret, adeout putaretur totum Mundum in eremum velle convertere, & monachico ordini omnem populi multitudinem sociare; multos illic de seculo abstulit, quos per* PLURA SACRA LOCA *divisit*. Plurium ergo sacrorum locorum auctor vel reparator in regione Urbe-vetana fuit Romualdus.

Demum, cur de Gratiano in his nostris Annalibus agamus, illud maxime

a T. I. col. 598.

b Vit. S. Rom. c. 37.

xime facit, quod communi opinione Decretum composuit commorans in monasterio sancti Felicis de Bononia. Paschalis papa II. recensens anno 1113. monasteria, quæ disciplinam eremi Camaldulensis receperant, hæc habet: *In episcopatu Bononiensi monasterium sancti Archangeli juxta castrum Britti*, SANCTI FELICIS. Similia verba usurpant Eugenius papa III. in privilegio anni 1153. & Alexander papa III. in altero anni 1175. & Urbanus papa III. in bulla anni 1185. quæ demonstrant toto hoc seculo monasterium sancti Felicis Bononiensis episcopatus traditum fuisse Camaldulensibus, eorumque paruisse disciplinæ; nam aliud in urbe Bononiensi ejusque territorio monasterium non reperitur sancto Felici sacrum, præter notissimum in ipsa Bononiæ urbe constitutum. Non levia ergo suppetunt argumenta undequaque petita, quibus Gratianum vel Urbe-vetere, vel Bononiæ, vel in Classensi cœnobio juxta Camaldulenses consuetudines & normam vixisse proferamus. Hæc subdit de monasterio sancti Felicis, & de Gratiano Mabillonius. [a] „ Hoc sanctorum Felicis & Naboris monasterium, „ olim virorum, nunc puellarum est nostri Ordinis, ubi lapis quondam „ ad Gratiani ostium conclavis positus, in sacrarium postea translatus, se„ quentes versus inscriptos continebat. "

[a] T. VI. Annal. pag. 465.

Hanc aulæ partem reverenter lector adito,
Namque loci monachus Decretum hic condidit
Divinum Gratianus opus, quamlibet arcto
Contentus septo: quod jam reparando caducum,
Et vetus hoc claustrum, tolli fuit inde necesse.
Id tamen abbate constructum est Bartholomæo
Mille trecentenis decies septem atque quaternis
Annis a Christo pura de Virgine nato.



ANNA-



ANNALES CAMALDULENSES

LIBER TRIGESIMUS.

Ab anno CHRISTI M. C. LII. *ad annum* M. C. LX.

ANN. CHR. 1152.

I. Concordia inter Rambertum ep. Faventinum, & Ubertum abb. S. Hippolyti.



NTER Rambertum episcopum Faventinum & Ubertum abbatem monasterii sanctorum Hippolyti & Laurentii ejusdem urbis controversia erat circa jus parochiale ecclesiarum eidem cœnobio subjectarum. Hoc *anno millesimo centesimo quinquagesimo secundo die* X. *mensis martii indictione* XV. Octavianus canonicus cardinalis Ravennas electus ab utraque parte hujus litis arbiter decernit, ut si abbas in suo fundo vel possessione ecclesiam aliquam obtineat, debeat ipse abbas ante episcopum producere electum presbyterum, quem de præfata ecclesia investiat episcopus, eique curam animarum conferat. Sed teneatur presbyter reverentiam in spiritualibus episcopo exhibere, & jus parochiale in synodo & in omnibus integrum pro eodem custodire. Presbyterum sibi ab abbate præsentatum episcopus sine justis causis non repudiet. In temporalibus presbyter abbati serviat, & pro debito canone in omnibus reverentiam præstet. Si abbas negligat presbyteri correctionem, episcopus tunc ipsum coerceat. Hanc Octaviani cardinalis transactionem spopondit abbas se observaturum. Hoc factum est in præsentia Fuscardi presbyteri, presbyteri Benjamini, presbyteri Petri, Guidonis presbyteri sanctæ Crucis, Ugonis presbyteri sancti Paterniani, & Aimerici diaconi, Johannis quoque comitis &c. Chartam, quam laudat etiam Tonduccius [a], edimus ex tabulario ejusdem cœnobii, & ex apographo confecto sub *anno Dominice incarnationis* M. C. LXXXVIIII. *tempore Clementis pape & Frederici imperatoris die ultimo mensis madii indictione* VII. *Faventie*.

[a] *Pag.* 193.

II. Hospitale de Cave de colle traditum Camaldulensibus.

IN summariis instrumentorum Simonis & Rainerii hæc leguntur sub hoc anno: *Dominus Almericus de Sasone cum filiis suis Carsilio & Sasso cum aliis consortibus, per se suosque heredes in perpetuum donaverunt domno Paulo monacho Camaldulensi recipienti nomine domni Rodulphi prioris Camalduli hospitale Cava de colle cum omnibus rebus & possessionibus & juribus suis, positum in diecesi Foro-popiliensi, sub anno Domini* M. C. LII. *mense julii, manu Rainerii notarii*. In historia Fortunii nostri legimus Ausari-

sаricum Foro-popiliensem episcopum dono obtulisse eremo Camaldulensi hospitale hocce una cum ecclesia sanctorum Jacobi & Sigismundi de Cave de collis, & cum possessionibus ac juribus suis, cui donationi accessit postea consensus Carsilii, & Saxi ac aliorum patronorum die tertia-decima julii. Post multos annos ratam habuit eamdem donationem Ægidius alter episcopus Foro-popiliensis, anno scilicet 1228. mense aprili.

ANN. CHR. 1152.

JACOBUS abbas ecclesiæ & monasterii sanctæ Mariæ de Morrona, consilio habito ab eodem Rodulpho priore Camaldulensi & a fratribus suis monachis, pro competenti utilitate sui monasterii, ad ædificanda claustra in loco, ubi dicebatur *Podium*, quæ prius fuerant in loco dicto *abbadie vetere*, vendit & tradit Villano archiepiscopo Pisarum, quidquid pertinebat ad suum cœnobium in castro appellato Monte-vasi, & ad medietatem usque loci, qui erat inter dictum castrum & castellum vocatum Montanina, & quæcumque ad se spectabant per circuitum totius dicti castri Monte-vasi. Item tradidit, quidquid ad se pertinebat de loco dicto Mortajolo, quæ omnia a morte comitis Ugolini sive Ugonis usque ad præsentem diem archiepiscopatus Pisanus præscriptionis jure possidebat, sicut definitum fuerat in judicio controversiæ, quæ jampridem viguerat inter Rogerium archiepiscopum Pisanum & episcopum Volaterranum, & inter monasterium Morronense, quod judicium obtulimus ad annum 1129. Recepit autem Jacobus pro dicta venditione meritum anuli auri pro solidis quatuor-centum: *Anno ab incarnatione Domini* M. C. LIII. more Pisano, hoc est 1152. more Romano, III. *kal. septembris indictione* XV. Subscribunt chartæ venditionis Rodulphus prior Camaldulensis, Ubertus abbas sancti Zenonis, Jacobus præfatus abbas Morronensis cum monachis suis & Ildebrandus abbas sancti Michaelis de Burgo Pisarum. Inter testes numerantur Sicherus quondam Gualandi, & Villandus quondam Guidonis tunc temporis consules Pisani. Interfuit etiam Burgundius sacri Lateranensis palatii judex, qui & subscripsit. Ipse est celebris Burgundio JCtus Pisanus patria, quem vidimus aliis judiciis assedisse, qui græce apprime doctus multa hoc tempore in latinum idioma vertebat, & anno quidem præterito Romano pontifici Eugenio III. dicaverat commentarium Johannis Chrysostomi super Matthæum, anno autem 1155. Friderico Romanorum imperatori librum Gregorii Nisseni de natura hominis. Insuper ex græco latina fecerat explanationem ejusdem sancti Johannis Chrysostomi in Johannem, & librum de Fide orthodoxa Johannis Damasceni. Videantur ejus prologi in collectione veterum scriptorum Martene[a], & simul videantur adnotationes Grandii nostri[b] ad epistolam de Pandectis, ubi & Burgundionis opera recenset, ejusque filios enumerat, documenta etiam affert, & judicia, quibus assedit, quorum aliqua leguntur etiam in nostra Appendice; ipsum quoque docet plenario concilio Lateranensi anno 1179. habito ab Alexandro III. adfuisse, necnon epitaphium ipsius refert existens in ecclesia sancti Pauli ad ripam Arni Pisarum ad dexteram ingredientium per majorem januam, ex quo constat ipsum valde senem decessisse anno communi M. C. XCIII. Pisano M. C. XCIIII. III. kalendas novembris indictione XII. Chartam superioris venditionis Jacobi abbatis Morronensis edimus ex tabulario sancti Michaelis de Burgo Pisarum.

III. Venditio abbatis Morronensis Villano archiep. Pisano.

a T. I. coll. 817. 827. 828.
b Pag. 98.

HOC eodem anno *temporibus domni Eugenii III. pape mensis martii indictione* XV. Caleth præpositus ecclesiæ sanctæ Fortunatæ urbis Sutrinæ, quæ subjecta erat monasterio sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe, commutationis chartam scribit Thedisco, & Gothifredo ejus filio, ea apposita conditione, ut bona cum eis commutata post eorum mortem ad

præ-

Ann. Chr. 1152.

præfatam ecclesiam revertantur, quam paginam ex codice Gregoriano damus.

Ann. Chr. 1153.

V. Monast. S. Trinitatis Montis-herculis traditum Camaldulensibus.

Accessit hoc anno congregationi eremi Camaldulensis non ignobile monasterium sanctissimæ Trinitatis de Monte-herculis, ædificatum prope castrum sanctæ Agathæ in diœcesi Mont-feretrana, de quo cœnobio prima verba fecimus in his nostris Annalibus ad annum 1039. *Junio* itaque *mense indictione* XV. *temporibus Eugenii pape* Rainerius comes & Altruda uxor quondam comitis Rainerii ejus mater concedunt & largiuntur Rolando abbati monasterii sanctæ Mariæ in Insula accipienti vice Rodulphi prioris Camaldulensis præfatum cœnobium cum omnibus possessionibus suis, & cum omnibus capellis, quæ ad jus pertinebant ejusdem monasterii in curte sanctæ Agathæ, quæ etiam recensentur. Videlicet capella sancti Andreæ in Cerafusti, capella sanctæ Barbaræ, capella sancti Donati, capella sanctæ Mariæ in fundo Majano, capella sancti Mauritii in loco Ausi, capella sanctæ Agathæ in castro ejusdem nominis, capella sanctæ Christinæ in fundo Casatico, capella sancti Pauli in fundo Buzano, capella sancti Andreæ in loco Plegole, capella sancti Paterniani in curte de Antiquo, capella sancti Angeli in curte Scaulino, capella sancti Angeli in Sarzano, una pars de capella sancti Martini in Casatico, alia pars de capella sancti Andreæ in Azello, una portio de capella Montis-sancti-Laurentii, una pars de capella sanctæ Mariæ in Antiquo, & medietas de capella sanctæ Paulæ in Rontano. Dant insuper præfati comites eidem Rodulpho priori omne jus-patronatus, quod hucusque ipsi habuerant in idem monasterium, sive in capellas, sive in possessiones, omnemque tribuunt antiquum vel novum usum, excepto placito homicidarum, adulterorum, perjurorum, furum & sanguinem fundentium, quæ omnia judicia promiscue debeant facere deinceps comites una cum præfati monasterii abbate, vel cum ejus misso, si ipse interesse renuerit. Hæc tamen judicia respiciunt personas extra monasterium manentes, nam de personis, quæ erunt in monasterio, volunt, ut plenum judicium sit penes abbatem ejusdem loci. Major pars bonorum a Rainerio comite & ab Altruda traditorum erat in comitatu Feretrano, quæ profitentur se transferre in jus Camaldulensium pro remedio animæ Rainerii comitis olim defuncti, qui fuerat Altrudæ maritus, & Rainerii comitis pater, pro remedio quoque Cavalcacomitis patris Rainerii, similiter defuncti, ipsius Altrudæ & Rainerii ejus filii viventium, voluntque ut monasterium sanctissimæ Trinitatis cum suis possessionibus tradatur congregationi Camaldulensi sub regimine abbatis Insulani, qui pro tempore ibidem erit, ad reformandam religionem & ordinem in eodem monasterio. Inter testes legitur nomen Johannis marchionis, sed hoc erat cognomen, non dignitas Johannis, ut in pluribus chartis reperitur nomen papæ, episcopi, comitis, ducis, ducissæ, abbatissæ &c. quæ erant agnomina vel nomina familiarum, non honoris. Chartam donationis edimus ex autographo tabularii Fontisboni scriptam hoc *anno* M. C. LIII. *&* *temporibus Eugenii pape indictione* XV. Quare emendandus est Fortunius, qui ipsam refert ad annum 1094. quo anno, ut alibi diximus, defunctus erat Rodulphus primus hujus nominis, & quartus Camaldulensis prior, cui existimat ipse donationem hanc factam; multo minus legendus est, ut aliqui putant, annus 1053. quo nec indictio XV. recurrebat, neque recurrebant tempora Eugenii, neque Rodulphus uterque, sive primus sive secundus, prioratum Camaldulensem administrabant. Indictio forte erit corrigenda, quæ hoc anno erat I. vel reten-

retenta indictione xv. donatio hujus monasterii referenda erit ad annum antecedentem, vel demum usurpatus fuerit in charta annus Pisanus.

Ann. Chr. 1153.

VI. Excursus de comitibus Brittonorii.

Non abs re erit hic loci de his comitibus, qui benefici fuere non dumtaxat in monasterium sanctissimæ Trinitatis de Monte-herculis, sed etiam in Uranense, in Classensia sancti Severi, & sancti Apollinaris, & in Galeatense sancti Hilari, sermonem habere, ex quo diverticulo confirmabitur etiam verum donationis tempus. Comites hi residebant in oppido Brittonorii, quod erat caput ipsius comitatus, dominium autem suum exercebant in plura oppida & loca Ravennatis, Foro-popiliensis, Sassinatis & Mont-feretrani territoriorum. Ugonis comitis Brittonorii extremas tabulas attulimus [a] ad annum 1039. Is anno 997. a Johanne archiepiscopo Ravennate castrum Brittonorii in emphyteusim acceperat, quod juris erat Ravennatis ecclesiæ; decedens autem præceperat ultima sua voluntate, ut castrum Montis-frasconis totum restitueretur præfato monasterio sanctissimæ Trinitatis, & si aliquid in partibus illis injuste teneret de jure ejusdem monasterii. Ejus filia Maria, filius autem Gerardus, qui etiam forte Ugo dictus, & vir Imiliæ comitissæ, quem nominavimus [b] ad annos 1056. & 1063. Ipsi Gerardo Gibertus pseudo-archiepiscopus Ravennas anno 1046. locat & confirmat castrum Brittonorii cum villis Trentula & Bosazsio, ut diximus ad eum annum. Idem Gerardus comes ad mortem veniens anno 1062. testamento suo inter cetera legavit, seu potius restituit eidem monasterio Montem-frasconem & Montem-benedictum, verisimiliter quia vivens patris sui voluntatem non adimpleverat. Gerardo filia fuit Druditia, filius autem innominatus, sed facile alter Gerardus, „ cui & ex ipso „ legitimis filiis IIII. nonas sextiles anni 1076. Wibertus archiepiscopus „ Ravennas oppidum Brittonorium locavit atque confirmavit, quod oppi- „ dum Ugo Gerardi patruus eodem locationis jure ab Johanne archiepis- „ copo acceperat, ut [c] refert Rubeus, qui etiam conditiones apponit, „ quæ fuere, ut Gerardus quotannis pensionem solveret duodecim Mara- „ bosinorum (ita in vetustissimis tabulis hujus locationis, quas nos legi- „ mus, subdit Rubeus, in bibliotheca Ursiana scribitur,) qui ejus essent „ ponderis, ut septeni unciam conflarent, quos non per legatos mitteret, „ sed ipse afferret; id si forte publice impeditus non posset, elapso im- „ pedimento efficeret. Quotiescumque autem archiepiscopo ad Romanam „ aulam proficiscendum esset, eum comitari, archiepiscopi tamen sum- „ ptu, teneretur. In Æmilia adversus hostes archiepiscopi cum cen- „ tum militibus veniret, ad obsidionem cum quinquaginta trecentis- „ que amplius peditibus, citra Padum vero cum viginti. Recepit autem „ Wibertus hanc locationem nepotibus se confirmaturum, si legitimi as- „ fuerint. Ipso vero comite ejusque filiis decedentibus, quicumque equi „ & quæcumque arma tunc penes ipsos reperirentur, mitterentur ad ar- „ chiepiscopum. “ Hæc ex Rubeo. Gerardus fuit pater vel avus Cavalcacomitis vel Cavalcæ, qui in possessionem ejus comitatus immissus fuit anno 1130. a Gualterio archiepiscopo Ravennate; quam investituram ex chartophylacio Ravennatis archiepiscopii publici juris fecit [d] Muratorius. Pro ejus animæ remedio facta fuit præsens, quam afferimus, donatio, quippe qui erat donatorum socer & avus. Anno 1142. „ Rainerius præfati „ Cavalcacontis filius eidem Gualterio archiepiscopo in plebe sancti Fa- „ miani, teste eodem Rubeo, sacramentum dixit, sacrosanctisque tactis „ evangeliis juravit nihil contra eum moliturum, neque molientibus as- „ sensurum, ejus vitæ incolumitatem pro viribus servaturum, *pro eo*, in- „ quit, *quod vos investistis mihi, ac confirmastis totum, quod patri meo*

[a] *T. II. pag.* 67.

[b] *Ibid. pagg.* 167. 281.

[c] *Lib. V. p.* 269.

[d] *T. I. col.* 634.

Ann. Chr. 1153.

„ *de locatione castri Brittonorii fecistis* , *& promittis mihi tuo studio &* „ *tuorum episcoporum de genere Franpanorum dare uxorem mihi* . " Is fuit Rainerius senior in hac nostra charta nominatus, cui revera juncta fuit in matrimonium Altruda ex nobilissima & potentissima familia Romana Frangipanum, quæ anno præsenti pro anima ejusdem Rainerii viri sui defuncti, & soceri sui Cavalcacomitis, una cum impubere filio Rainerio ex primo Rainerio suscepto Camaldulensibus donavit monasterium sanctissimæ Trinitatis de Monte-herculis . In vivis adhuc erat Altruda anno 1172. vel 1174. tempore obsidionis Anconitanæ factæ a Christiano Moguntino archiepiscopo duce & archicancellario Friderici I. imperatoris, in cujus urbis auxilium venit Altruda cum pluribus militibus , & cum fortissimarum viraginum stolo , conjungens copias suas cum copiis Guilielmi Marchesellæ nobilissimi civis Ferrariensis. Appellatur ipsa *comitissa de Berthenora* a Romualdo Salernitano archiepiscopo in chronico , *comitissa autem de Berthenor* ab Andrea Dandulo in suo pariter chronico . Boncompagnus autem Florentinus, qui vivebat initio seculi sequentis , in libello *de obsidione Anconæ*, quem inter scriptores rerum Italicarum e tenebris ereptum publicavit [a] Muratorius, hæc speciatim de ipsa comitissa habet capite XXI. *Surrexit postmodum comitissa de Brittonoro* , *quæ Aldruda vocabatur* , *pollens nobilitate* , *nempe quæ originem contraxerat in Urbe de nobili prosapia Fragapanum* , *curialitatis & largitatis titulo adornabatur* , *quia universis & singulis extitit liberalis* , *& animo libentissime indulgebat ; specie quippe & forma corporis ita inter Dominas emicuit* , *sicut appropinquante aurora præ ceteris stella matutina relucet* . *Etenim vidua & animosa plurimum* , *pro quibus poterat similari* , *videlicet quæ Olofernem interfecit & populum Israeliticum liberavit* . Tum ipsam inducit ad Anconitanos orationem facientem, in qua inter cetera habet, *quod post mariti sui decessum* , *licet mœrens toti comitatui dominatur sine contradictione ; quod castellis* , *villis* , *burgis ac possessionibus taliter abundat* , *quod vix propria custodire valet*. *Demum quod ad succurrendum consumptis fame* , *diuturnis bellis oppressis* , *in omni labore & periculo positis* Anconitanis *venit ipsa cum unico filio in pupillari ætate relicto* , *qui licet puer sit & pupillus*, *altitudinis tamen paternæ recordans*, *animositatem jam gerit in auxiliis & protectionibus amicorum*. Vigesimum tamen jam superabat suæ ætatis annum Rainerius ejus filius tempore obsidionis Anconitanæ, cum hoc anno 1153. in vivis esset, & una cum matre donationem prædicti monasterii confirmasset . Denique narrat Boncompagnus liberationem factam Anconitanæ urbis ab obsidione, & quomodo *comitissa cum exercitu suo revertens plurimos reperit inimicos* , *quos bellando magnifice superavit*, *& in primo bello extitit victoriosa*, *quod eos fugando & capiendo retrusit usque in mœnia Senogalliæ* , *sicque rediit ad propria cum triumpho*.

Decesserat tamen Altruda anno 1177. quo etiam anno absque liberis apud Venetias defunctus est Rainerius ejus filius , qui videtur aliud præterea nomen obtinuisse Cavalcacomitis ab avo suo , teste Nicolao Aragonio cardinale [b] in vita Alexandri III. qui ipsum litera tantum C. designat , immo teste ipso Alexandro III. in literis , quas mox referemus . Rainerius, *absque filiis moriens pro remissione peccatorum suorum* , *suorumque parentum castrum Brectanorum* , *quod alio nomine vocabatur Susubium* (Cesubeum dictum vidimus in chartis vetustissimis , quas tomo I. attulimus) *& totam terram suam* , *licet ab antiquo juris beati Petri fuerit* , *sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ in propriam hæreditatem donavit* , *& ad majorem donationis ipsius firmitatem domno Alexandro papæ suisque successoribus*

a T. VI. p. 942.

b Script. rer. Italicar. T. III. pag. 472.

bus publicum exinde instrumentum fieri fecit . Quamobrem pro recipiendis investituris ipsius castri , quod est caput & sedes totius comitatus , pontifex absque mora misit illuc R.. diaconum cardinalem , R.. subdiaconum , & P.. Saracenum dapiferum suum , per quos cum investitura possessionem illius comitatus in potestatem & dominium sedis apostolicæ recepit , atque detinuit ; licet Fridericus imperator contra pacta anno sequenti castrum occupaverit, & jus in ipsum prætendens sibi tributarium fecerit , ut pluribus enarrat idem cardinalis Aragonius , ex quo ista hausimus . Illud tamen miratur Muratorius, qua ratione comitatum Brittonorii , qui juris erat Ravennatis ecclesiæ , a qua investituram etiam acceperant Rainerius comes , & ejus majores, legare & distrahere valuerit, & qua ratione Romanus pontifex & imperator de ipso inter se digladiati fuerint . Sed admirationem omnem tollunt sequentes ex chartis Rangonianis Alexandri III. literæ eodem anno datæ Gerardo archiepiscopo Ravennati , quas libenter , quia nondum editas, ad rei illustrationem subjicimus . *Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri G.. Ravennati archiepiscopo, & dilectis filiis archidiacono , preposito & choro Ravennati salutem & apostolicam benedictionem. Novimus & tenemus ex privilegiis nobis representatis , quomodo quidam predecessores nostri ecclesie vestre exarchatum & ducatum Ravenne dederunt , & plerique alii predecessores nostri , qui eis successerunt , ipsorum donationem privilegiis confirmarunt . Unde quia castrum & comitatus de Br tonorio infra eumdem exarchatum consistere dicitur , sicut apparet ex publicis instrumentis , nos fervorem devotionis , quam ecclesia & civitas vestra circa nos & Romanam ecclesiam exhibuisse dinoscitur , diligentius attendentes, & credentes, quod eadem ecclesia & civitas magis ex hoc debeat in nostra & ecclesie devotione fervere , quod ecclesiam vestram in predicto castro & comitatu ex illa antiqua donatione contingit , eidem ecclesie confirmamus, & quod nobis & Romane ecclesie in eodem castro & comitatu pervenit ex testamento bone memorie C.. quondam comitis ejusdem comitatus , & ex donatione progenitorum suorum tibi frater archiepiscope & ecclesie tue apostolica auctoritate concedimus , & presentis scripti patrocinio communimus . Statuentes , ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis & concessionis infringere , vel ei aliquatenus contraire . Si quis autem hoc attemptare presumpserit , indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejusdem noverit incursurum.*

Datum Venetiis in Rivoalto VIII. *Idus octobris.*

Pendet funiculus sericeus sigilli deperditi.

Cavalcacomitem primum hujus nominis vidimus adstitisse placito Mathildæ reginæ uxoris Henrici V. imperatoris anno 1118. pro monasterio sanctæ Mariæ foris portam urbis Faventiæ . Cavalcacomes, ejusque castrum Gazium nominatur in diplomate Ottonis IV. imperatoris ad annum 1210. pro cœnobio sancti Apollinaris in Classe, & in privilegio Friderici II. in gratiam monasterii sancti Severi in Classe anno 1220. mentio fit testamenti Cavalcæ comitis , quo reliquit aliqua bona eidem cœnobio , quod etiam quadam libertate donavit . Pariter in privilegio Conradi episcopi Metensis & Spirensis legati ejusdem Friderici sub anno 1221. concesso eidem sancti Severi cœnobio confirmatur villa Sclova posita in diœcesi Popiliensi *cum omnibus honore & districtu, & cum omnibus exactionibus & fodris, & cum omni jure , quod ad Cavalcaconte noscitur pertinuisse* . An in his nostris chartis Cavalcacomes intelligatur , qui investituram accepit anno 1130. a Gualterio Ravennate archiepiscopo, an vero alius Brittono-

ANN. CHR. 1153.

Ann. Chr. 1153.

rii comes, qui præter proprium nomen, aliud commune Cavalcacomitis obtinuerit, ignoramus. Hæc de comitibus Brittonorii non inutiliter, neque injucunde occasione monasterii sanctissimæ Trinitatis de Monte-herculis.

VII. Privilegium Eugenii III. pp. pro Camaldulensibus.

Præfato Rodulpho II. Camaldulensi priori gratiosum diploma hoc anno concessit Eugenius Romanus pontifex, qui inhærens vestigiis felicis memoriæ Paschalis papæ II. præcepit, ne clericus ullus, monachus vel laicus auderet congregationes illas & ea loca, quæ Camaldulensis cœnobii aut eremi disciplinam & ordinem susceperant, quæque sub illius regimine continebantur, ab ejus unitate dividere. Loca more solito nominantur; hæc vero sunt, quæ in prædecessorum Romanorum pontificum bullis non leguntur. In episcopatu Montis-feretrani monasterium Montis-herculis, de quo mox diximus. In episcopatu Foro-popiliensi hospitale Almerici; idem est ac hospitale de Cava de colle, de quo anno præterito. In episcopatu Pisaurensi monasterium sancti Decentii & eremus Sajoli, de quibus aliqua inferius. In episcopatu Bononiensi, præter monasterium sancti Archangeli juxta castrum Britti, adjicitur etiam illud sancti Felicis. In episcopatu Fesulano ecclesia sive canonica sanctæ Margaritæ de Tosina. Subscribunt post Eugenium quatuordecim S. R. E. cardinales; inter eos Ugo Ostiensis ex abbate Trium-fontium cardinalis & episcopus creatus ab Eugenio III. Oddo diaconus sancti Nicolai in carcere Tulliano, Gerardus sancti Stephani in Cœlio monte, & Johannes sanctorum Johannis & Pauli. *Datum Rome apud sanctum Petrum per manum Rolandi presbyteri cardinalis & cancellarii* XVI. *kalendas julii indictione* I. *incarnationis Dominice anno* M. C. LIII. *pontificatus vero domni Eugenii* III. *pape anno* VIII. Ipsum edimus ex tabulario sancti Blasii de Fabriano, in quo extat authentica bulla.

VIII. De monasterio Montis-subasii Camaldulensibus tradito.

Commiserat idem Eugenius, anno facile præcedenti, eidem Rodulpho priori Camaldulensi reformationem alterius monasterii sancti Silvestri de Monte-subasio, quod situm erat in diœcesi Spoletana, quia *peccatis exigentibus*, inquit, *religio in eo cenobio valde erat imminuta*, & statuerat, ut ibidem ordo monasticus secundum beati Benedicti regulam & Camaldulensium fratrum constitutiones restitueretur. Spoponderant reapse aliquot monachi ejusdem cœnobii in præsentia pontificis obedientiam. Anno vero præsenti, ut nulli non innotesceret suum decretum, mandavit præfatus pontifex monachis omnibus ejusdem loci, ut tam in spiritualibus, quam in temporalibus Camaldulensi priori obedirent, ad hoc ut prædictum cœnobium pristinum religionis statum reciperet. Hanc quoque bullam ex tabulario Fontis-boni producimus. Monasterium sancti Silvestri de Monte-subasio, dictum etiam de Monte-suavi, a Fortunio vero de Monte-sudivo, duobus milliaribus aberat ab Hispello prope castrum Collis-lupini. Ejus ædificatio tribuitur sancto parenti nostro Romualdo. Plures sub se obtinebat cœnobium hocce ecclesias, & etiam cœnobia alia, unum inter cetera sancto Andreæ apostolo dicatum intra mœnia Hispelli, regimen insuper habebat asceterii sanctæ Mariæ Vallis-gloriæ, uno milliari distantis ab illo sancti Silvestri, & uno pariter ab Hispello. Intra oppidum Hispellate recensentur ecclesiæ sanctæ Mariæ, sancti Laurentii, sancti Ruffini & sancti Severini, in territorio autem ecclesiæ sancti Petri, sancti Claudii, sancti Ruffini in Catrano, sancti Fortunati, sancti Nicolai & altera sancti Nicolai Vici. In bulla Alexandri III. ad annum 1178. quam penes se extitisse scribit [a] Jacobillius, confirmantur Guittoni abbati ejusdem monasterii præfata cœnobia & ecclesiæ, & adjiciuntur insuper ecclesiæ

[a] T. III. p. 306.

siæ sancti Petri de Forzano, sanctæ Mariæ de Patono, sancti Johannis de Balneo, sanctæ Mariæ Papiani, sancti Angeli Ruitæ, sancti Angeli de Polvese, sancti Petri Fractæ, sancti Silvestri de Bevania, sanctæ Mariæ castelli Ermentani, sancti Felicis in massa Reola, sancti Silvestri Casalis, omnes in territorio Spoletano; & in diœcesi Perusina ecclesiæ sancti Savini de Caliano, sancte Mariæ de Orbe, sancti Facundini, sanctæ Mariæ de Colle-prepo, sanctæ Mariæ in colle Bernero, sancti Feliciani de Bucchiano, & sanctæ Mariæ in Cassano. De varia fortuna hujus cœnobii aliqua sequentibus seculis.

IX. Testamentum Bonifilii Pilati pro monast. S. Michaelis Pisarum.

Ex chartario sancti Michaelis de burgo Pisarum edimus etiam testamentarias tabulas Bonifilii Pilati filii Leonis Pilati, qui gravi infirmitate jacens in lecto concessit ecclesiæ præfatæ & monasterio, cui præerat Ildebrandus abbas, terras cum oliveris & vineis in finibus & districtu Calci, & in valle sancti Donati. *Actum intra claustrum monachorum dicte ecclesie & monasterii beatissimi Michaelis archangeli in domo infirmorum*; ex quibus verbis intelligimus non solum peregrinos & pauperes consuevisse recipi in hospitalibus monasteriorum, sed etiam cives & nobiles viros, qui gravi infirmitate pressi monasticam vestem *ad succurrendum* exposcentes eligebant in monasteriis intra claustra mortem oppetere, quam in domibus propriis. Lumen addit huic mori bulla Alexandri III. vel IIII. data Anagniæ XIII. kl. februarii plebanis & capellanis circumpositis nostro monasterio Lucensi sancti Petri de Puteolis, in qua declarat illud sane movere se & gravare plurimum, *quod quidam* ipsorum *parochianos suos ad predictum monasterium non permittunt deferri, nisi illuc vivi portent, qui vel monasticas vestes accipiant, vel ibi elegerint sepeliri. Quod quidem*, subdit, *iniquum est & detestabile, & ecclesiastice honestati penitus inimicum; & ideo si ulterius fuerit ab aliquo vestro presumptum, gravissima noveritis animadversione plectendum*. Bonifilii tabulæ datæ sunt *anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo quarto*, stilo Pisano, VIII. *idus augusti indictione* I.

Grandius [a] affert insuper in sua Monumentorum appendice ad epistolam de Pandectis divisionis chartam hoc ipso anno auctoritate publica facta ab Ugone Familiato de quibusdam terris inter eumdem Ildebrandum abbatem sancti Michaelis, & Teditium, Henricum atque Ugolinum germanos fratres. Ex ipso insuper & ex alia pagina venditionis, quam ibidem producit, intelligimus Ubertum fuisse abbatem sancti Zenonis ejusdem urbis hoc anno.

a Pag. 197. & 200.

X. Combustio ecclesiæ S. Vigilii Senarum.

Ecclesia sancti Vigilii in urbe Senensi, quæ Camaldulensibus parebat, membrumque erat monasterii Berardingorum, hoc anno incendium passa est, bellorum facile occasione, quæ vigebant inter Senenses & Florentinos. Extat monumentum hujus rei [b] in ms. codice Operæ cathedralis Senensis his verbis: *Die* X. *maji anno* M. C. LIII. *combusta est ecclesia sancti Vigilii Senensis, & suburbana igne incensa sunt*. Reædificata postea fuit cum adjuncto cœnobio in meliorem formam, & sub regimine Camaldulensis congregationis ad plura secula perduravit.

b *Num.* 116.

Donato priori eremi sancti Johannis-baptistæ inter ambas Paras successerat Bernardus, quem in tabulario Fontis-boni reperimus [c] hoc anno die II. septembris libellum emphyteusis scripsisse cuidam Vigilanti filio Gregorii.

c §. *Invalidæ. n.* 19.

XI. Obedientiæ præstitæ ab Anglariensibus Camalduli eremo.

Legitur in excerptis Baroncinii [d] sub hoc eodem anno „ homines „ de Montorio & de Anglari obedientiam præstitisse Rodulpho priori Ca„ maldulensi. Item promisisse Burgenses se pro excommunicato habituros „ quem-

d §. *Recordationes. n.* 25.

ANN. CHR. 1153.

„ quemdam Ranuccinum, nec illum suscepturos, nec auxilium ipsi præ-
„ stituros, si domno priori ita videbitur. Ordinationem pariter hospitalis
„ (hoc erat in Burgo ædificatum) ad arbitrium stare prioris Camaldulensis.
„ Redditus denariorum, grani, *spallarum*, *cintarum*, hoc est candelarum
„ ex cera, & piperis de cetero soluturos abbatiæ, præter ea, quæ do-
„ mno priori ostendere poterunt, plateas & terras domorum esse ordinan-
„ das juxta mandatum abbatiæ Anglariensis vel Burgensis, de quibus om-
„ mnibus fidejussores dederunt. Item professi fuere juris-patronatus eccle-
„ siarum sancti Pauli de Monna, & sancti Petri de Perello pervenisse in
„ abbatiam Anglariensem ex quinque partibus unam, abbatiam autem De-
„ cianensem jus habere in medietatem unius quintæ. " Adnotatur quo-
que in iisdem summariis anno 1147. mense julio „ Azonem priorem Ca-
„ maldulensem quarumdam dissensionum ratione, causa consulatus inter
„ Anglarienses & inter priorem monasterii Anglarii ad castrum præfatum
„ accessisse, ibique honorifice susceptum fuisse, cum juramento omnium
„ hominum de Anglario & de Montorio. " Et in membrana [a] tabularii
sanctæ Mariæ in Gradibus reperimus sub eodem anno „ Azonem priorem
„ concessisse consulibus Anglariensibus tertiam partem omnium lucrorum
„ pertinentium ad dominium & ad consulatum terræ Anglariensium, sci-
„ licet de placitis & de locamentis terrarum curtis Anglaris, exceptis lu-
„ cris, quæ fiunt pro anima, & pro correctione clericorum, privatis ta-
„ men hoc beneficio iis consulibus, qui male se gesserint in magistratu. "
Plura id generis alia referuntur in chartis tabularii Fontis-boni, & in sum-
mariis Baroncinii, quæ declarant jurisdictionem prioris Camaldulensis in
castra Anglarii & Montorii, & jus abbatiæ Burgensis in Burgum-sancti
Sepulcri.

a *Num.* 59.

XII. Juramentum consulum Anglariensium.

SUBJUNGIMUS juramentum factum hoc eodem anno ab iisdem con-
sulibus & a communibus Anglaris, & Montorii, Planetuli & Vallialæ
Quintavalli, de quo egimus ad annum 1142. & Cæciliæ ejus uxori,
de non inferendis damnis & molestiis, & de ipsis tuendis contra
omnes homines, excepto priore Camaldulensi & priore monasterii de An-
glario, qui erant domini communis Anglariensium, & exceptis etiam Bur-
gensibus, qui Camaldulensi abbatiæ ejusdem loci parebant, ex autogra-
pho [b] Camaldulensis archivi; quod est hujusmodi:

b §. *Recordationes. n.* 27.

*Breve recordationis, qualiter consules & commune de Anglare & de Mon-
torio juraverunt Quintavalli & suis . . . Cecilie, quod ipsi non erunt in
facto, neque consilio, ut ipsi perdant vitam aut membra, neque capitulari-
ter pro eorum danietate, neque pro dat . . . quod ipsi habent & tenent pro
se & suis, & si evenerit, quod aliqua persona .... excepto Quintavalle &
Cecilia incipiat eis facere vim ex hoc, quod ipsi habent, aut in antea ha-
buerint, ipsi adjuvabunt eos per se & per suos sine fraude per bonam fi-
dem, postquam ipsi inquisiti erunt a Quintavalle aut Cecilia . . . consu-
lum de Valianla & de Planetole sacramentum absque omni impedimento.
Et si aliqua discordia evenerit inter Quintavallem & commune de Angla-
re & de Montorio, & illis, qui sunt in ipso commune, erit emendata ad
comandamentum consulum de Anglare, & de Planetole & Valianla, atque
ipsius Quintavallis, aut unius sui homini, qui juret illam discordiam stu-
diose & sine fraude trahere, postquam inquisita erit per sacramentum infra
XXX. dies a Quintavalle & Cecilia, aut consulibus. Insuper nullum finem
& nullam treyguam facient, quod per duos dies teneantur sine eorum pa-
rabola data per amorem ex omnibus rebus, ex quibus inquisiti erunt a Quin-
tavalle aut Cecilia per sacramentum, aut consulibus. Hec omnia supradicta*

consu-

consules & commune de Anglare , & de Montorio jurant Quintavalli & Cecilie & suis firmiter tenere per bonam fidem sine fraude contra omnes homines, excepto priore de Camalduli , & priore de Anglare, qui pro eo ibi manet, & exceptis Burgensibus , & quale credentia Quintavallis aut Cecilia, & consules crediderint consulibus de Anglare, per sacramentum ipsi non pandent pro eorum danietate secundum suam conscientiam , & si commune de Anglare & de Montorio non tenuerint Quintavalli & Cecilie & suis omnia, que eis juraverunt, postea commune de Anglare & de Montorio non sint eis in sacramentum.

ANN. CHR. 1153.

Actum Valianla M. C. LIII. *mense januarii , & quantum consules de Anglare & de Planetulo addiderunt huic sacramento firmiter teneant.*

Ego Johannes notarius scripsi & complevi.

XIII. Historia monasterii SS. Decentii & Germani Pisauri.

MONASTERIUM sanctorum Decentii & Germani in Pisaurensi episcopatu præsenti primum anno nominatum inter subjecta eremo Camaldulensi ab Eugenio III. in suprarelato privilegio concesso Rodulpho priori antiquissimum creditur , ipsumque fuisse , in cujus ecclesia noviter consecrata vetavit olim Felici episcopo Pisaurensi [a] sanctus Gregorius M. *ne imposterum ipse Missas publicas decantaret* , multoque minus *cathedram in ipsa poneret , sed si Missas celebrari oporteret, presbyter ibidem ab eo dirigeretur.* Erectum siquidem fuerat monasterium hocce & constructum sub Romano pontifice Gregorii prædecessore Pelagio a quodam Johanne , & idem Pelagius inter alia mandaverat , ut locus ipse sine publicis Missis consecraretur, ad hoc ut monachorum tranquillitati provideretur, neve fieret in monasterio magnus populi concursus. Felix autem episcopus, cathedra posita, sacra illic publice Missarum sollemnia celebraverat , de qua re Johannes monasterii constructor querelas apud apostolicam sedem deportaverat. Sanctos Decentium & Germanum Pisaurensis ecclesiæ regimen tenuisse reperimus seculis IV. & V. non tamen iisdem vixisse temporibus. Quædam propterea acta vetera Decentium dumtaxat episcopum , Germanum vero ejus fratrem diaconum , diversumque a Germano episcopo referunt , eosque passos fuisse anno 308. vel 313. sub Galerio Maximiano imperatore, atque sub horum invocatione conditum fuisse deinceps præfatum cœnobium produnt. Subdimus hic brevissima ea acta ex quodam Pisaurensi chronico, quod extabat olim apud Marcum-antonium de Gozze . *Tunc Tarsus proconsul jussit militibus, ut sanctos Decentium & Germanum extra civitatem ducerent, nescientibus Christianis , in tantum eos cæderent ferreis virgis & lapidum percussionibus , quousque mortui deficerent , & corpora eorum in mare præcipitarent. Milites vero media nocte ligaverunt sanctos martyres , & duxerunt extra civitatem , & ut jussum fuerat , fecerunt. Mare vero Sanctorum corpora ejecit in litore inter rivum , qui vocatur Gelica, & montes. Mane autem facto divulgata sunt omnia , quæ gesta fuerant erga sanctos martyres: Tunc insurrexerunt Christiani contra Tarsum proconsulem, & interfecerunt eum cum triginta militibus suis, & domum ejus castri superius & exterius, muros magnæ altitudinis a fundamentis destruxerunt . Christiani vero susceperunt corpora sanctorum martyrum Decentii & Germani , & condierunt ea cum aromatibus , & sepelierunt in arca marmorea non longe procul a civitate juxta stratam majorem . Martyrizati autem sunt sancti martyres Decentius & Germanus* V. *kalendas novembris in civitate Pisauria, regnante domino Jhesu Christo, cui est honor* &c. *Mortui autem sunt Decentius & Germanus martyres anno Christi* CCC. XIII. *tempore Galerii Maximiani imperatoris, & Melchiadis papæ anno* V. *die* XXVIII. *octobris in civitate Pisauri, & in loco, ubi nunc ædificata est ecclesia sanctorum Decentii*

[a] *Lib. VI. ep. 46. edit. noviss.*

Ann. Chr. 1153.

tii & Germani, quæ ecclesia tertia feria post festum Dominicæ Resurrectionis fuit Deo & Sanctis consecrata, & dictis sanctis martyribus dicata. Tum refertur in eodem chronico Pisaurensi post ea acta bulla Alexandri papæ IV. data *Laterani* IIII. *kal. januarii pontificatus anno* II. quo prædicti monasterii ecclesia indulgentiis ditatur certis anni diebus, & III. feria post festum Dominicæ Resurrectionis, *in quo festum dedicationis noscitur celebrari*. In aliis adnotationibus apud eumdem Marcum-antonium de Gozze legitur anno 1575. die XVI. augusti Hieronymum Arditium, dum colligeret vetera monumenta ejusdem urbis, Pisaurense confalonerio Simone Bonamino, ad palatium communis detulisse plures lapides cum inscriptionibus. Cum autem vellet asportare marmoreum monumentum, quod reperiebatur sub fornice ecclesiæ sancti Decentii extra urbem, & inserviebat pro veteri sepulcro, ipsum scripsisse ad cardinalem Lomellinum, ad quem præfata ecclesia spectabat, qui cardinalis episcopo Pisaurensi Julio Simonetto commisit, ut prædictum sepulcrum reseraret; episcopum autem reperiisse capsulam ligneam coopertam lapide ophite, & refertam pluribus Sanctorum reliquiis; ea propter urnam non fuisse loco dimotam. Anno pariter 1578. die XXII. augusti Robertum Sassatellum episcopum itidem Pisaurensem easdem reliquias inibi existentes recognovisse.

Corpora sanctorum Decentii & Germani antiquo tempore asservabantur in confessione ad planum ecclesiæ, sed seculo præterito anno 1625. mense junio abbas noster Pisaurensis Thaddæus Tertius ea transtulit super planum presbyterii, ad quod ascenditur duabus utrimque scalis. Extant apud nos monumenta hujus sollemnis translationis. Ipsorum lipsana custodiuntur in magno sarcophago ad instar Classensium, sed mollioris marmoris. Urna est vetusta, cruce & Christi monogrammate adornata, quæ sculpta sunt intra coronam ad instar disci, & ad latera duo pavones conspiciuntur. Ad confessionis locum, ubi jamdudum erant eorum corpora, erecta fuit ara dicata sancto Vitali aliisque Sanctis, quorum reliquiæ coluntur intra urnam sub eodem altari, quæ urna ad usum gentilium fuisse videtur. Ecclesia modo calce obducta tota picturis olim decorabatur, immo tribus vicibus super veteres picturas aliæ applicitæ picturæ. Nulla hodie monasterii vestigia conspiciuntur, ecclesia tantum superest vetus tribus navibus distincta, & columnæ ecclesiæ dimidia sua parte terra & solo cooperiuntur. Anno 1186. monasterium sanctorum Decentii & Germani subjectum erat cœnobio sancti Apollinaris de Classe, quod inter cetera eo anno confirmat in bulla concessa Berardo Classensi abbati Urbanus III. Romanus pontifex. Abbas sancti Decentii nominatur anno 1195. in privilegio Henrici Pisaurensis episcopi, qui rata habens omnia bona capituli canonicorum suorum, *similiter*, ait, *etiam ea, que abbas sancti Decentii in ipsa curte pro vobis detinet, vobis confirmamus*. Deinceps abbates hujus monasterii reperiuntur usque ad seculum XV.

XIV. De Monasterio S. Margaritæ de Tosina & de eremo Sajoli.

ALTERUM monasterium sive canonica sanctæ Margaritæ de Tosina, quam inter ecclesias Camaldulensis congregationis recenset sub hoc anno Eugenius, sita erat in diœcesi Fesulana. Ipsius ecclesiæ vetus monumentum occurrit in his nostris Annalibus ad annum 1062. quo donationem factam eidem sacro loco retulimus. Controversias & lites seculo sequenti ratione subjectionis ejus canonicæ sustinuere Camaldulenses, quas suis locis proferemus. In posterioribus tum pontificiis, tum imperialibus privilegiis recensita & adjudicata semper reperitur congregationi Camaldulensi; modo vero appellatur prioratus de Borsellis perpetuo unitus monasterio sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia.

Ere-

Ann. Chr. 1153.

Eremus Sajoli in episcopatu Pisaurense, quam Camaldulensibus idem Romanus pontifex confirmavit, ubinam fuerit, & quis ejus fundator, ignoramus, ignoravit & Baroncinius in chronico Camaldulensi, sed & docti viri Pisaurenses ignorant. Cl. V. Annibal Oliverius a nobis per literas expostulatus conjicit ipsam forte fuisse prope hospitale *sancti Claudii*, dicti inde *sancti Clodii*, postea *sancti Glorii*, & hodie *San-Jore* vel *Sajore*, quod est inter fines Pisauri & Fani. Verum jam a temporibus Eugenii III. eremus Pisaurensis appellabatur Sajoli vel de Sajolo. Facile constructor ipsius hoc nomen gerebat, ut constructor eremi Raynaldi in diœcesi Æsina, qui fuit hoc eodem seculo Raynaldus episcopus Æsinus, ut ædificator hospitalis Cavedecollis, qui fuit Almericus, nomen fecere tum eremo tum hospitali *eremus Raynaldi*, *hospitale Almerici*. Eremus Sajoli confirmata fuit congregationi Camaldulensi a Romanis pontificibus Adriano IV. ab Alexandro III. a Gregorio IX. ab Alexandro IV. a Friderico I. ab Ottone IV. a Friderico II. a Carolo IV. Romanorum imperatoribus usque ad annum 1355. Exinde nulla ipsius memoria superest in chartis tabularii Fontis-boni, neque quid de ea factum fuerit, vel quæ ipsius fuerit fortuna, compertum est.

Ann. Chr. 1154.

XV. Privilegium Anastasii IV. pp. pro Agnani monasterio.

OPTIMUS pontifex Eugenius III. dignus certe, qui diutius viveret, obierat die VII. julii anni elapsi, vix postquam monasterium sancti Silvestri de Monte-subasio Rodulpho priori Camaldulensi, altero monachis ejus loci præcepto edito, reformandum tradiderat; suffectus fuerat in ejus locum post biduum Corradus episcopus Sabinensis, qui assumpto nomine Anastasii IV. hoc *anno incarnationis Dominice* M. C. LIII. (more scilicet Florentino, hoc est initio præsentis anni) *idibus januarii indictione* II. *anno primo* sui *pontificatus* privilegium concessit Saxoni abbati monasterii sanctæ Mariæ de Agnano, quo sub beati Petri patrocinio recepit præfatum cœnobium cum suis omnibus adjunctis, inter quæ hæc recensentur: Monasterium sanctæ Mariæ in Graticciata juxta civitatem Arretinam; ecclesia sancti Blasii in ipsa civitate; monasterium sancti Gaudentii; ecclesia sancti Quirici; ecclesia sancti Quirici de Vicione; hospitale ipsius loci; ecclesia sancti Michaelis de Caphajora; ecclesia sancti Michaelis de Tuntinano; ecclesia sancti Stephani de Crovule, & ecclesia sanctæ Cæciliæ de Ferrata cum earum pertinentiis; curtis de Vertige; curtis de sancto Lotherio, quidquid juris habebat Agnaniense cœnobium in castrum de Pergine; molendinum in flumine Arni juxta montem de Valle; molendinum in flumine Ambræ de Poce, & molendinum in flumine Elsæ de Pedemontis. Insuper sancivit, ut sepultura ipsius loci libera esset, neque eorum, qui se illic sepeliri deliberaverint, devotioni & extremæ voluntati ullus obsisteret, salva justitia matricis ecclesiæ. Subscripserunt post Anastasium quatuordecim S. R. E. cardinales. Privilegium datum Laterani per manum Rolandi S. R. E. presbyteri cardinalis & cancellarii ex tabulario sanctæ Mariæ in Gradibus exstat in Appendice.

XVI. Ildebrandini comitis refutatio facta monasterio Berardingorum.

ILDIBRANDINUS comes filius comitissæ Donnisiæ refutavit hoc anno abbatiæ sancti Salvatoris de Berardingis & Nicolao abbati ejusdem loci terras, quas Piciavene de Asciano testamento suo præfato monasterio olim reliquerat, quas terras hactenus Ildibrandinus contra justitiam occupans detinuerat. Ob hanc refutationem monachi ejusdem cœnobii consortem ipsum fecerunt omnium orationum suarum & divini servitii, quod noctu dieque Deo persolvebant. Immo exorati ab eodem comite onus trium annorum susceperunt de pœnitentia, quam illi imposuerat Arretinus epi-

Ann. Chr. 1154.

scopus Hieronymus. De pœnitentiæ satisfactione, quam unus pro altero complebat, exstat epistola Petri Damiani, de qua diximus tomo antecedenti, & is usus erat, ut qui pœnitentiam aliquo impedimento obligatus complere nequiret, alios precaretur, ut pro se complerent. Dictam refutationem fecit prius Ildibrandinus coram monachis ejusdem abbatiæ, & coram plebano de Rapollano, secunda autem vice ante plebem sanctæ Agathæ de Asciano, in præsentia Nicolai abbatis Berardingorum, & Petri olim prioris de Rantessa, & plebani de Asciano & aliorum: *Anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo quarto mense novembris indictione ......* quæ erat secunda, *tempore Anastasii pape & Hieronymi Aretini episcopi. Ego frater Nicolaus peccator monachus, & solo nomine non opere dictus abbas predicti monasterii, hec omnia vidi, & interfui, & omnia suprascripta descripsi, & manu propria sic denotavi.* Subrogatus fuerat Nicolaus in locum Martini abbatis anno antecedenti vel anno 1152. Martinus autem ejus antecessor, cujus nomine signatæ extant in chartulario ejusdem abbatiæ paginæ annis 1148. 1149. & 1150. successerat Durizo, quem memoravimus ad annum 1136. Ildibrandini refutationis paginam protulit Muratorius [a] tomo V. antiquitatum medii ævi, nos ipsam iterum edimus ex codice *delle coppe* cancellariæ Montis-politiani ab Uberto Benvoglientio olim descriptam.

a Col. 757.

XVII. Aliæ chartæ ejusdem cœnobii.

In eodem abbatiæ Berardingæ chartulario adnotatur sub hoc anno [b] conventio statuta inter præfatum Nicolaum abbatem & inter Aldiardam abbatissam sancti Iusti in Retinnano, nimirum, ut ambo communiter tenerent ecclesiam sanctæ Christinæ, & abbatissa quotannis pro pensione decem & octo denarios Lucenses persolveret. Ecclesiam sanctæ Christinæ, quæ erat in castro Liciniano, Petrus episcopus Arretinus seculo X. concesserat monialibus sancti Justi, & circa hæc tempora confirmaverat Hieronymus alter Arretinus episcopus. Anno præterito [c] eidem Nicolao abbati Kensus & Cuccia jugales, & Guinildus frater Kensi donaverant omnia jura sua, quæ obtinebant in plebem sanctæ Mariæ ante Serram, in castrum quoque Montis-alti & in plebem sancti Felicis. In alia conventione [d] ejusdem anni 1153. canonicos Senenses inter, & inter abbatiam Berardingæ causa molendini in flumine Arbiæ nominantur post Nicolaum abbatem Donatus prior ecclesiæ sancti Vigilii, Johannes prior de Querciagrossa, Ildebrandus camerarius, Lambertus, Carius, Gatia, Corbolus, Dietesalvi & Compagnus monachi, & presbyter Aldobrandus, Ugo de Monte-aperto, Fridericus, Rustichellus, Brunectus, Juncta, Pierius, Matthæus, Deotoviva, Jacomuzzus, Ubertellus, alter Jacomuzzus, Jacobus, Orlandinus, Johannes & Rufus conversi.

b Num. 1099.

c Num. 257.

d Num. 456.

XVIII. Privilegium Gerardi ep. Bononiensis pro parthenone S. Christinæ.

Gerardus Bononiensis episcopus Luciæ abbatissæ sanctæ Christinæ de Septem-fontibus in territorio Bononiensi ejusque ecclesiæ scripto suo roborat, quidquid comes Ubaldus & ejus uxor Julitta eidem ecclesiæ olim reliquerant. Concedit præterea, quidquid præfatum asceterium obtinebat de jure Bononiensis ecclesiæ. Omne etiam quod possidebat in curiis Ozani, Monte-tenligi, Septem-fontium, Clagnani, Medicinæ & castri de Brittis. Confirmat insuper, quidquid comitissa Beatrix præfatæ ecclesiæ anteacto tempore dilargita fuerat. Demum salvo privilegio & reverentia Bononiensis ecclesiæ decernit sepulturam ejusdem loci liberam fore. Post Gerardum episcopum nomen suum apponunt Albertus archipresbyter, Guido presbyter, magister Ansaldus diaconus & Albericus diaconus: *Anno Domini M. C. LIIII. indictione II. die III. ingrediente junio*, ut ex charta, quam proferimus ex tabulario ejusdem parthenonis.

Eo-

Ann. Chr. 1154.

XIX. Diploma Friderici I. regis pro Camaldulensibus.

Eodem anno Fridericus rex Romanorum, qui in locum Conradi regis electus fuerat ante biennium, Camaldulensium monasterium sancti Donati, & eremum sancti Salvatoris donat sua regia protectione una cum omnibus locis, quæ ipsi subjiciebantur, quorum aliqua tantummodo monasteria recenset, nempe illa sancti Bartholomæi de Anglari, sancti Apollinaris de Classe, sancti Archangeli juxta castrum Britti, sancti Savini prope Pisanam urbem, & sancti Zenonis in ipsa urbe Pisana, de quibus districte vetat, ne audeat quis *fodrum regis* exigere, sed Camaldulenses monachi ipsum fodrum colligant, & cui tunc manifeste dandum fuerit, persolvant, nisi forte ab Romanorum rege ipsis remittatur. Ex regali quoque beneficio vult, ut liceat eisdem monachis Camaldulensibus facere aquæ-ductus in competentibus locis, undecumque illis melius & opportunius visum fuerit pro utilitate molendinorum, quæ habent in villis de Viajo, sanctæ Crucis, & Montionis, & in curte de Lorenzano, in fluvio Arno, & sub castello de Biblena, & in fluvio de Larciano. Testes privilegii interfuere Peregrinus patriarcha Aquilejensis, Hillinus Treverensis archiepiscopus, Guerardus Ravembergensis episcopus, Ordilus Basileensis, Hermannus Constantiensis, Corradus Wormatiensis episcopi, Marquardus Fuldensis abbas, Wibaldus Corbejensis atque Stabulensis abbas, Henricus dux Saxoniæ, Bertholdus de Zeringa. Arnoldus Coloniensis archiepiscopus & Italici regni archicancellarius privilegium recognovit. *Datum Roncalie* III. *nonas decembris anno Dominice incarnationis* M. C. LIIII. *indictione* II. *regnante Friderico Romanorum rege glorioso anno vero regni ejus* III. Descenderat siquidem in Italiam hoc anno mense octobri Fridericus cum florentissimo exercitu, & in pratis Roncaliæ pro more imperatorum constiterat, ubi omnes principes Itali regi fidelitatem jurare solebant. Privilegium hocce deduximus ex pervetusto codice membranaceo archivi sancti Michaelis in Burgo Pisarum. Laudat hoc Friderici privilegium & Campius [a] in historia ecclesiastica Placentiæ.

a *T. II. pag.* 6.

XX. De Rodulpho & de Rustico prioribus Camaldulensibus.

Cum sub hoc anno mense decembri in summariis instrumentorum tabularii Fontis-boni confectis a Rainerio & a Simone monachis [b] legatur Moysem abbatem monasterii sancti Fidelis Strumi cum consensu suorum monachorum dedisse Rustico priori eremi Camaldulensis Albertinum filium Rodulphini olim suum hominem cum filiis & hæredibus suis, & cum suis bonis in perpetuum, manu Alberti notarii, dicendum est vel Rusticum appellatum fuisse priorem Camaldulensem, idest majorem eremi & priorem ejus loci, quandoquidem per hæc tempora, præter prioris generalis officium, aliud erat recens institutum apud Camaldulum munus illius, qui appellabatur Major, quique curam specialem eremi gerebat, eratque quodammodo prioris vicarius, dum visitationibus aliisque negotiis congregationis distentus erat prior generalis; vel dicendum Rainerium & Simonem pro Rodulpho legisse Rusticum, cum charta facile solam initialem literam R.. exhiberet communem Rustico & Rodulpho. Nam sicut singulis annis antecedentibus, sic præsenti & anni sequentis initio & mense etiam majo hujus anni in quadam transactionis [c] charta inter ipsum & Aldibrandum plebanum Partinæ, nec non annis posterioribus usque ad finem anni 1158. constanter in tabulis Camaldulensibus perdurat nomen Rodulphi Camaldulensis prioris; quæ duo melius a nobis affirmantur, quam putaverit Fortunius scribens duos eodem tempore fuisse priores Camaldulenses, Rodulphum & Rusticum, & Rusticum quidem humiliter de se sentientem onus deposuisse, & illud in Rodulphum rejecisse.

b *Pag.* 10.

c *Arch. Fontis-boni Transf.* 3. *A.* 2. 26.

Ann. Chr. 1154.

XXI. Ecclesia S. Martini de Fracta data Valle-castrensibus.

Ecclesiam sancti Martini de Fracta in territorio Perusino copulavit hoc anno monasterio Valle-castrensi sancti Salvatoris & sancti Romualdi Petrus, qui abbas ejus loci erat post Guilielmum. Chartam manu Brunacii ea de re confectam laudat [a] Fortunius. Berardus minister ejusdem ecclesiæ sancti Martini reperitur in excerptis nostris sub anno sequenti.

Hoc primum anno in chartis, quarum participes nos voluit domnus Petrus-aloysius Gallettus doctissimus monachus Casinensis sancti Pauli de Urbe, monasterium sancti Salvatoris de Popano sive de Saxo in territorio Arretino altero etiam titulo sancti Johannis-decollati adnotatum legitur, in membrana scilicet, qua Ugoni abbati ejusdem cœnobii Rodolphinus offert omnes res proprietatis suæ, quas habebat in villa & curte de Garzano, & juspatronatum ecclesiæ ejusdem villæ. Ugo abbas legitur etiam ad annos 1132. & 1140. in aliis paginis ad eamdem abbatiam spectantibus.

XXII. Rainerius monachus Avellanensis fit ep. Calliensis.

Rainerius piissimus monachus cœnobii sanctæ Crucis de Fonte-avellana postulatus fuit hoc anno episcopus Calliensis, ut refert etiam Ughellius. Junctus erat amicitia Rainerius cum Ubaldo episcopo Eugubino, cujus etiam funeri adstitisse post quinquennium videbimus. Plura de Rainerio, sanctissimo postea etiam martyre, afferemus ad annum 1175. quo ab Alexandro III. Rom. pont. ex Calliensi ecclesia translatus fuit ad archiepiscopalem Spalatensem in Dalmatia cathedram. Illud interea scimus Rainerium, cum jus diceret Calliensibus, *plures controversias cum clericis suæ ecclesiæ habuisse super juribus, stetisseque ambas partes diu in curia infatigabiliter litigantes*, ut habet anonymus in historia ms. Spalatensium præsulum ex bibliotheca Barberina apud eumdem Ughellium. [b]

XXIII. Privilegia Anastasii IV. pp. pro variis monasteriis Camaldulensibus.

Ex summariis Fontis-boni digestis a Baroncinio [c] Anastasius IV. Romanus antistes pontificatus sui anno secundo, hoc est post diem VIII. julii, qua complebat primum annum, Rodulphum priorem & eremum Camaldulensem amplissimo privilegio apostolico communivit, ut testantur etiam in privilegiis annorum 1183. & 1187. Lucius III. & Clemens III. Romani pontifices, enumerans & confirmans loca & monasteria subjecta, ut in consimilibus antecessorum Romanorum pontificum, cum subscriptione plurium cardinalium. Die pariter XVIIII. [d] novembris, duodecim dies antequam supremum obiret, annuens precibus Gregorii abbatis & fratrum monasterii sanctissimæ Trinitatis de Sacargia in Sardinia suscepit sub apostolica protectione præfatum cœnobium cum suis ecclesiis adnexis, videlicet ecclesias sancti Simeonis in Salvenero, sancti Johannis in Contra, sanctæ Mariæ in Altasar, sanctæ Mariæ in . . . . sancti Georgii de Ovio, & ecclesiam de Vanari, quas vetavit, ne quisquam posset subtrahere unquam a regimine prioris Camaldulensis, vel perturbare aut vexare, sed omnia præcepit conservari in sumptum monachorum. Statuit itidem, quod nullus posset ad episcopatus honores transire sine licentia prioris Camaldulensis, neque valeret quivis episcopus aut archiepiscopus monachos inde removere, nec aliquis haberetur in abbatem, nisi foret electus a præfato priore. Permisit, ut ordinationes a quocumque catholico episcopo suscipi quirent; quæ collata a quibusvis personis fuerant, vel in futurum conferrentur, confirmavit, decimas præsertim & omnia, quæ donaverat olim Azo Turritanus episcopus dicto monasterio, in quo mandavit in perpetuum ordinem monasticum, juxta Camaldulensium formam, esse servandum. Datum est privilegium Laterani, & nomen suum apponunt sex cardinales. Gregorius in abbatia Sacargiensi suffectus fuerat Benedicto, cui extat Innocentianum diploma, quod illustravimus ad annum 1137.

Testimonio quoque Clementis III. in bulla anni 1188. idem Anastasius

a Par. II. lib. I. cap. XXIII.

b T. II. col. 812.

c §. *Amissæ*. n. 197. A. 221.

d §. *Privilegia* n. 34. A. 2. 24.

sius IV. ecclesiam & monasterium sancti Michaelis Arretii privilegio pontificio decoravit, parochiæ etiam finibus confirmatis, *quemadmodum*, ait, *in authentico scripto Hieronymi Aretini episcopi continetur*. Demum, ut fidem facit Lucius III. in privilegio anni 1183. præfatus Romanus pontifex confirmavit eremo Camaldulensi villam de Montione, quam eremitæ recens emerant ab abbate sanctarum Floræ & Lucillæ de Arretio.

Ann. Chr. 1154.

Ann. Chr. 1155.

XXIV. Obitus Benedicti ep. Fulginatis.

OBIIT hoc anno Benedictus episcopus Fulginas de ecclesia sua optime meritus, quam gratiosis Innocentii II. & Anastasii IV. Romanorum pontificum privilegiis communierat, cujusque majoris templi dedicationem honorificentissime procuraverat. Ejus decessus dies adnotatur in veteri necrologio Avellanensi ad diem XIX. octobris his verbis: *Obiit domnus Benedictus Fulginensis episcopus monachus nostræ congregationis*. Distinguendus est a Benedicto priore Avellanensi, cujus postrema dies est decima aprilis in eodem necrologio: *Obiit domnus Benedictus prior heremi monachus nostræ congregationis;* & hic insuper decesserat post annum 1139. & ante annum 1143. quo chartæ tabularii ejusdem loci notantur nomine Sabini prioris, qui in ejus locum successit. In necrologio etiam Galeatensi sub hoc anno ad diem octavam aprilis legitur: *Obiit Rusticus presbyter & monachus atque abbas hujus cenobii* V. *idus aprilis*, de quo abbate, præter annum & diem emortualem, nulla nobis supersunt monumenta, nisi bellica, quæ suppresso nomine legi possunt apud Tonduccium in historia Faventina.

XXV. Adriani IV. pp. privilegium pro Camaldulensibus.

ADRIANUS Romanus Pontifex electus post brevem sedem Anastasii die III. decembris anni præcedentis benefico diplomate Rodulphum priorem & eremum Camaldulensem sub sancti Petri protectione recipit. Recenset eadem monasteria, quæ leguntur in bullis Eugenii III. & Anastasii IV. & postremo loco addit: Villam præterea de Mojona, quam emistis ab Henrico præposito & reliquis canonicis cum omnibus pertinentiis suis. Villam de Montione, quam emistis ab abbate sanctæ Floræ, quemadmodum in vestris chartulis continetur, & vobis a prædecessore nostro bonæ memoriæ papa Anastasio mediante justitia adjudicata est, & scripti sui sententia confirmata. Subscribunt post Adrianum octo S. R. E. cardinales. Reperitur in iis Henricus presbyter sanctorum Nerei & Achillei Pisanus ex familia Moricotta & ex abbate Trium-fontium creatus cardinalis ab Eugenio III. Johannes etiam de Mercone similiter Pisanus tituli sanctorum Silvestri & Martini, qui postea Victori IV. & Paschali III. adhæsit. *Datum Rome apud sanctum Petrum per manum Rolandi S. R. E. cardinalis & cancellarii* II. *idus martii indictione* III. *incarnationis dominice anno* M. C. LIIII. *pontificatus domini Adriani pape* IIII. *anno* I. quod edimus ex authentico tabularii sancti Blasii de Fabriano. Usurpatur in diplomate Adriani annus Florentinus, ut nos docet indictio III. Anno enim 1154. mense martio Anastasius, & nondum Adrianus, ecclesiam Romanam regebat.

XXVI. Aliud ejusdem pro monasterio S. Michaelis Pisarum. Variæ ejus monasterii controversiæ.

IDEM Adrianus Ildebrandum abbatem monasterii sancti Michaelis de Burgo Pisarum apostolica bulla favoribus prosequitur, & ipsius monasterium, cujus ecclesias & bona subjecta enumerat. In his nominat ecclesiam sancti Laurentii de Rivolta cum hospitali, ecclesiam sanctæ Cæciliæ, & jus in ecclesiam sancti Christophori de Colignola, cum integris parochiis & diœcesibus suis. Quidquid monasterium præfatum possidebat in villis de Ghezzano, de Colignola, Mezzana, Leona, Bottano & Marceto. Quidquid habebat in ecclesia sancti Petri in Gradu, salvo solito censu archiepiscopo Pisano persolvendo, & quidquid obtinebat juxta muros civitatis, tam in terris, quam in vineis. Præter alia privilegia quæ concedit

Ann. Chr. 1155.

cedit eidem cœnobio sancit, *ut nullus intra terminum parochie vestre*, ait, *vel ecclesiarum vestrarum edificare presumat sine consensu diecesani episcopi & vestro. Datum* est privilegium *Ferentini per manum Rolandi S. R. E. presbyteri cardinalis & cancellarii* IIII. *nonas octobris indictione quarta incarnationis Domini anno* M. C. LV. *pontificatus vero domini Adriani pape* IIII. *anno primo*. Indictio IIII. mutata fuit mense septembri. Privilegium edimus ex autographo archivi ejusdem monasterii, cui post Romanum pontificem subscripserunt duodecim S. R. E. cardinales.

Quoad ecclesiam sancti Christophori de Colignola extat in præfato archivo sententia emanata hoc eodem anno M. C. LVI. more Pisano *indictione* III. *juxta ecclesiam sancti Georgii*, & lata a Villano archiepiscopo Pisano in causa vertente inter abbatem sancti Michaelis & inter plebanum sanctæ Juliæ de Caprona. *Allegabat siquidem sancti Michaelis abbas ecclesiam sancti Christophori de Coloniola suam esse, quoniam in suo allodio edificatam eam esse dicebat, unde publicum afferebat instrumentum, eaque ratione se illius ecclesie patronum esse affirmabat. Preterea sacerdotes a quinquaginta annis retro ibidem a suis antecessoribus esse collocatos, & abstractos, & in delictis correptos, & quidquid ex illa ecclesia habere voluisset, accepisse. Asserebat quoque, quoniam capella de Mezzano destructa est, quod inde lapides & ligna, & Sanctorum reliquias sui antecessores abstulerunt, & in ecclesia de Coloniola tamquam in sua posuerunt. Et de his abbas cum juramento suos protulit testes. Plebanus vero sancte Julie de Caprona ex sua parte affirmabat, quod sui antecessores cum voluntate populi illius loci in prefata ecclesia de Coloniola sacerdotes tamquam in sua ponebant, & illi sacerdotes plebanis, qui pro tempore in plebe sancte Julie de Caprona erant, in letaniis & in collectis & in mortuorum obsequiis, & in his, in quibus sacerdotes ex suo officio subjectionem suis majoribus prestant, reverentiam exhibebant. Et exinde plebanus testes protulit cum juramento.* His itaque utriusque partis auditis allegationibus, & causa in suo conspectu ventilata, cum consilio canonicorum & assessorum suorum, videlicet Carpini, Manfredi & Burgundii, hujusmodi dedit sententiam Villanus archiepiscopus. *Ut abbas sancti Michaelis capellanum, cum in illa ecclesia de Coloniola intromittendus est, inveniat, & eum plebano representet. Plebanus vero, si eum canonice recusare non poterit, parochie curam cum abbatis consilio illi sacerdoti committat. Et sacerdos ipse de temporalibus ad monasterium specialiter pertinentibus respondeat abbati. Plebano vero de spiritualibus respondeat. Spiritualia autem intelligimus*, subdit, *vivorum & mortuorum oblationes, decimas & primitias & alia, que sunt spiritualia*. Integram sententiæ paginam ex tabulario ejusdem monasterii edidit Grandius [a] in sua monumentorum appendice. Ceterum Ildebrandus, qui abbas erat sancti Michaelis Romam adiens hoc anno, ut grates referret Adriano, qui suprarelatum privilegium sibi concesserat, in itinere obiit, & locum fecit Uberto, cujus nomen legitur in chartulis annorum sequentium.

XXVII. Tertium ecclesiæ Biblenensi.

Ante quinque menses aliud privilegium dilargitus fuerat idem Romanus pontifex Adrianus Antonio plebano sancti Hippolyti de Biblena recipiens sub apostolicæ sedis protectione ejus ecclesiam. Nominatur inter ceteras ecclesias subjectas plebi sancti Hippolyti ecclesia de Lontrina. Ipsa dicata erat in honorem sancti Andreæ in eodem Biblenæ oppido, nunc vero parthenone adjuncto incolitur a sanctimonialibus Camaldulensibus. Reperimus in excerptis Baroncinii [b] anno 1149. subscribente Hieronymo episcopo Arretino, Galienam filiam Rodulphini & Sorrentinam filiam Raynerii

a Pag. 202.

b §. Emptio 191. A. 2. 49.

Ann. Chr. 1155.

nerii cum conſenſu virorum ſuorum vendidiſſe Nicolao monacho vice Azonis prioris Camaldulenſis recipienti omnia bona ſua poſita in curte de Biblena, ubi dicitur *Lontrille*. Hæc facile primordia ſunt ejus parthenonis. Recenſentur pariter in dicto privilegio Adriani eccleſia ſancti Ægidii de Fraxineto, cujus collatio pertinet modo ad patres eremitas eremi Camaldulenſis. Data eſt hæc Adriani bulla *Rome apud ſanctum Petrum per manum ejuſdem Rolandi* VI. *nonas maji indictione* III. *incarnationis Dominice anno* M. C. LV. *pontificatus vero domini Adriani pape* IIII. *anno primo*. Subſcribunt quatuordecim cardinales; Cencius epiſcopus Portuenſis, Gregorius nepos Anaſtaſii IV. Sabinenſis, Bernardus ſancti Clementis presbyter, præter alibi recenſitos leguntur in diplomatibus hujus anni. Biblenenſem Adriani bullam exſcripſimus ex apographo ejuſdem eccleſiæ Biblenenſis, quam ſubſequentibus privilegiis confirmarunt Innocentius papa III. anno M. CC. XII. pontificatus ſui quinto-decimo III. idus octobris indictione XI. Viterbii, & Marcellinus epiſcopus Arretinus nonis januarii anno M. CC. XXXX. Arretii, qui inſuper veſtigia profitetur ſe ſequi Theodaldi, Conſtantini, Hieronymi, Amadei & Martini epiſcoporum Arretinorum.

XXVIII. Chartæ Valle-caſtrenſes & S. Chriſtinæ de Septem-fontibus.

Bonizo de Ugone de Bonizone de Johanne una cum matre ſua Aldiviſia vendidit hoc anno eccleſiæ ſancti Martini de Fracta-filiorum-Bonizonis de Johanne, quæ erat ædificata in comitatu Peruſino, ac ſubjiciebatur monaſterium ſancti Romualdi Vallis-caſtri, & presbytero Berardo miniſtro dictæ eccleſiæ ſancti Martini ſilvam, quam habebat in eodem comitatu. Charta exſcripta a nobis eſt ex tabulario ſancti Blaſii de Fabriano.

Ex illo autem ſanctæ Chriſtinæ de Bononia Albertus filius Johannis Boni de Alberto donat Luciæ abbatiſſæ ſanctæ Chriſtinæ Septem-fontium terras ſitas ad pedem montis Argili: *Anno Domini milleſimo centeſimo quinquageſimo quinto* XV. *kal. decembris indictione* III. continuata etiam poſt menſem ſeptembrem. Teſtes interfuerunt Ubertus presbyter ſanctæ Mariæ-ſpecioſæ, presbyter Teutius de Clagnano, & presbyter Ildebrandus ſanctæ Chriſtinæ. Subjunguntur hi duo verſus:

Hanc ego notarius, qui dictus ſum Criſtianus,
Chartam deſcripſi velud hec per carmina dixi:

XXIX. Rotenſes & Berardingi commendati ab Adriano IV. pp. Wibaldo abb. Stabulenſi.

Cum Fridericus Romanorum rex exercitum duceret hoc anno per Thuſciæ provinciam, idem Adrianus Wibaldo Stabulenſi & Corbejenſi abbati epiſtolam ſcripſit datam Romæ apud ſanctum Petrum IIII. *kal. aprilis*, qua ipſi mandat, ne ullo modo permittat, ut monaſteria Berardingorum & ſancti Petri de Rota, in quibus *religioſi viri Camaldulenſes fratres aſſidue ſtudent Domino deſervire, qui licet ſint rebus temporalibus pauperes, theſauro tamen indeficienti locupletes eſſe creduntur*, a præfato exercitu moleſtentur, neque aliquam ſuſtineant jacturam, ſed potius cum apud chriſtianiſſimum principem de aliquo querelam protulerint, plenariam valeant ab ipſo juſtitiam obtinere. Intelligimus ex hac epiſtola florentiſſima olim monaſteria bellorum tumultu & furore, quæ tunc vigebant in Thuſcia, ad extremam paupertatem redacta. Ipſam epiſtolam edidere Martene & Durandus in ſua ampliſſima collectione veterum monumentorum, quam ab ipſis in noſtram Appendicem derivamus, qui eam conſignant ad annum 1157. Ad eumdem annum refertur etiam in tomo VI. Annalium Benedictinorum. Verum cum eo anno Fridericus imperator in Germaniam moras trahens in Italiam non venerit, potius pertinet epiſtola ad annum præſentem, quo per Italiam exercitum ducebat, cum ab octobri anni antecedentis in eam deſcendiſſet, coronam imperii ſuſcepturus a Romano pontifice, qua inſignitus fuit ab eodem Adriano XVIII. junii hujus anni.

Sed

Ann. Chr. 1155.

Sed antequam ad Romanam urbem accederet, per Thuſciam tranſierat cum exercitu, in urbe Piſana aliquantiſper conſtiterat, ac teſte Roberto de Monte in chronico adierat poſſeſſionem caſtrorum & bonorum comitiſſæ Mathildæ. Ad hunc annum propterea præfata epiſtola Adriani potius ſpectat, præſertim cum in ipſa Fridericus illuſtris quidem & catholicus Romanorum rex appelletur, non imperator, qua dignitate ſuprema præfulgebat anno 1157.

XXX. Ejuſdem Adriani bulla pro Carcerum monaſterio.

Obierat die XXVI. novembris anni 1149. impie obtruncatus a Thoma Capite-nigro invaſore bonorum eccleſiæ Patavinæ, Chriſti martyr & ejuſdem urbis epiſcopus Bellinus, cujus præclara mors ad eam diem refertur in vetuſto necrologio monaſterii Carcerum, cui ſingularia beneficia contulerat, his verbis: *Die* XXVI. *novembris obiit dominus Bellinus epiſcopus Paduanus, qui obtulit monaſterio Carcerum decimas novalium Scudaſiæ & eccleſiam ſancti Andreæ de Curtarodulo*. Suffectus in ejus locum fuerat Johannes Cacius; hujus precibus exoratus Adrianus IV. monaſterium præfatum ſanctæ Mariæ ad Carceres & Dominicum ejus priorem in protectionem hoc anno recipit apoſtolicæ ſedis, privilegium concedens, & in recenſione bonorum ejus monaſterii nominans præ ceteris eccleſiam ſancti Andreæ de Curte-roduli, decimas in Caracetulo, in Aguciano, in Scudaſia, in Fracta, Montaniana ac Vigizolo, & quæcumque epiſcopi Sinibaldus & Bellinus olim dilargiti fuerant, corroborans demum judicatum dicti Bellini pro monaſterio Carcerum contra archipresbyterum ſanctæ Theclæ de Atheſte. Nomina ſeptem cardinalium ſubſcribentium privilegio leguntur poſt nomen Adriani. *Datum* autem eſt ipſum *Viterbii per manum Rolandi S. R. E. presbyteri cardinalis & cancellarii ſecundo nonas junii indictione* III. *incarnationis dominice anno* M. C. LV. *pontificatus vero domini Adriani pape* IIII. *anno* I. quod proferimus ex exemplis ejuſdem monaſterii penes nos exiſtentibus.

Ann. Chr. 1156.

XXXI. Miraculum Pariſii quinquennis.

Quinquennis cum eſſet hoc anno Pariſius, & ſub nutrice conſtitutus, quæ primis religionis rudimentis ſanctum puerum imbuebat, divina omnipotentia ſimile prodigium per ipſum operata fuit, quod operata olim erat per Benedictum ſanctiſſimum parentem noſtrum, dum in eadem puellari ætate eſſet conſtitutus. Sitiente nimirum puero, atque expoſcente aquam ad bibendum, caſu contigit, ut vas e manibns elaberetur ipſius, & comminueretur in fruſta. Dolentem feminam ut conſolaretur Pariſius, multis videntibus, fragmenta calicis collegit, atque indito ſuper ipſa vivificæ Crucis ſigno, priſtinæ integritati calicem reddidit, reſtituitque magiſtræ ſuæ. Non ingratus divinæ beneficentiæ Pariſius, ætate ſimul & pietate adolevit, a vitiis pueritiæ & ſeculi abhorruit, ſoliſque religionis operibus intentus viam ſibi ſternebat maturioribus operibus, quæ inde geſſit, & jam mundum faſtidiens cogitabat de vita monaſtica capeſſenda, de qua dicemus ad annum 1165.

XXXII. Eccl. S. Andreæ de Ozano data monialibus S. Chriſtinæ.

Anno *ab incarnatione Domini milleſimo centeſimo quinquageſimo ſexto ſub die* XV. *menſis februarii indictione* IIII. Gregorius abbas eccleſiæ ſancti Michaelis-archangeli de caſtro Brittorum, conſenſu fratrum ſuorum, & juſſione Rodulphi prioris Camaldulenſis, donat Luciæ abbatiſſæ & eccleſiæ ſanctæ Chriſtinæ ſitæ in loco Paſteno eccleſiam ſancti Andreæ cum terris, vineis & ædificiis, & cum annuo cenſu unius tobaleæ quinque brachiorum. *Actum in domo juxta eccleſiam ſancti Andree Baſiliani*, quæ ita etiam appellabatur, quia erat in maſſa dicta Baſiliana, vocata deinceps quoque *Ultiani* vel *Ozani* a proximo caſtro ejuſdem nominis. In charta con-

conventionis anni 1197. monasterium sancti Michaelis dicitur habuisse nomine permutationis a monasterio sanctæ Christinæ ecclesiam sancti Johannis de Fontana in terra Medicinæ, pro qua dedit prædictum monasterium sancti Michaelis monasterio sanctæ Christinæ ecclesiam sancti Andreæ in Basiliano. De ea permutatione agemus ad annum 1176. Paginam Gregorii abbatis edimus ex tabulario monialium sanctæ Christinæ de Bononia.

ANN. CHR. 1156.

XXXIII. Adriani IV. pp. bulla pro monast. Balnei.

EODEM *anno pontificatus* sui *secundo idibus augusti indictione* IIII. Adrianus papa IV. Alberto, qui successerat Johanni, Balneensis ecclesiæ archipresbytero ejusque fratribus, atque ecclesiæ Balneensi privilegium dilargitur, recipiens locum sub beati Petri tutela, volens, ut in eo loco regula sancti Augustini conservetur, institutio scilicet canonicorum sancti Frigdiani, ac inter cetera confirmat definitivas sententias, quas prædecessor suus felicis memoriæ Innocentius II. papa tulerat ante viginti annos super controversia, quæ de capellis, decimis, oblationibus tam vivorum, quam mortuorum, & de reliquo parochiali jure vigebat inter Balneensem ecclesiam & Triviensem abbatiam, quam Innocentianam sententiam integre in suam bullam transfert. Consulantur, quæ protulimus ad annum 1136. Data est Adriani bulla *Narnie per manum Rolandi S. R. E. presbyteri & cancellarii* cum subscriptione quindecim S. R. E. cardinalium, quam ex autographo archivi Balneensis exscripsimus.

XXXIV. Donatio facta Camaldulo Florentino Declaratio pro finibus S. Michaelis Pisarum.

EX illo vero sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia edimus donationem factam a Tullitta filia Brunitti & uxore Baroncini filii Ildebrandi vicedomini Johanni massario ad utilitatem ecclesiæ & monasterii sancti Salvatoris ad Pedem-montis, *in quo domnus Ugo monachus Dei dono venerandus presidet prior*, donat autem quæcumque ei evenere per chartulam donationis & concessionis, & per scriptum *morgincap* a præfato Ildebrando & a Baroncino viro suo. *Factum est hoc anno dominice incarnationis* M.C.LVI. *quarto idus octobris indictione* IIII. Ugo in locum Teuderici suffectus fuerat.

Scribit Fortunius [a] sub hoc anno ædificatam fuisse Pisis quamdam ecclesiam infra terminos ecclesiarum sanctæ Cæciliæ & sancti Laurentii, quæ subjectæ erant monasterio sancti Michaelis de Burgo-Pisarum. Id contra libertatem privilegiorum factum animadvertens abbas sancti Michaelis, Ranuccium, qui ipsam ædificaverat, ad jus dicendum evocavit. Sententiam tulere duodecim civitatis consules, ut Ranuccius solveret cœnobio annuum censum unius libræ thuris in perpetuum. „ Tunc itidem declaratum fuit parœciam sancti Laurentii esse id totum, quod est a latere suo ad portam urbis usque supra „ castellum, & a latere viæ usque ad terram Hebraici, & ultra terram „ filiorum Aurificis. Confines vero sanctæ Cæciliæ tendere in finem do„ mus solariatæ terræ Hebraici per viam novam, sicut trahit ex utraque „ parte viæ, & usque ad metam cum puteo sancti Laurentii per lineam „ transversalem. Actum manu Opizonis XVIII. kalendas septembris. “ Hæc Fortunius, qui chartam ea occasione confectam legere potuit.

a *P. II. lib. 2. pag. 67.*

XXXV. Obitus Luciæ sanctimonialis S Christinæ Septem-fontium. Ejus sanctitas.

MEMORAVIMUS superius Luciam abbatissam parthenonis sanctæ Christinæ de Septem-fontibus, neque ulterius post hunc annum nomen ejus apparet in paginis alterius asceterii sanctæ Christinæ de Bononia, quod in jus successit primi; immo ad annum 1158. nomen legitur Adelasiæ abbatissæ. Quare ad hunc vel ad sequentes duos annos revocandus est obitus Luciæ abbatissæ. Luciam, quæ Beatæ titulum & cultum obtinet apud Septem-fontes, apud Ozanum, & etiam Bononiæ apud sanctæ Christinæ cœnobium, loco præsedisse & fuisse abbatissam nullo quidem argumento suaderi poterit; illud unice præfidenter potest dici, Luciam fuisse hujus par-

ANN. CHR. 1156.

thenonis monialem, antequam sacræ virgines locum Septem-fontium desererent, & intra urbem Bononiensem se reciperent anno 1247. Ractius quoque nullo fundamento nixus eam arbitratur fundatricem ejusdem veteris monasterii; ex sequenti inscriptione, recenti quidem, colligitur ipsam extitisse unam ex primis sanctimonialibus, quæ præfatum locum condecoravere. Inscriptio est hujusmodi: *Hic jacet corpus beatæ Luciæ virginis Stifontinæ ex primariis primæ mulieribus, quæ moniales Camaldulenses sanctæ Christinæ instituere anno Domini* M.C.XXV. *translatum* M.DC.XXXXII. Et jam superius vidimus Mathildam primam fuisse & quidem ad multos annos loci abbatissam, sub qua florere potuerit Lucia. De Lucia itaque vel abbatissa, vel saltem moniali asceterii sanctæ Christinæ de Bononia [a] in antecessum ex Ambrosio Camaldulensi ejus obitum, & quæ subsecuta fuere, enarremus. *Interea virgo felix migravit ad Dominum. Cum juvenis,* is scilicet, *qui forma speciosa ipsius captus eam adamabat, a Saracenis captus fidem negare, aut mortem oppetere cogebatur, inclusus carceri, & compedibus vinctus, ut solet intellectum dare vexatio, recordatus est Luciæ sacratissimæ virginis, compunctusque corde: O, inquit, Lucia virgo Christi, si quid ad Deum prævales, adjuva me, atque his necessitatibus libera. In his verbis somno corripitur; experrectusque prope monasterium ferme ad jactum lapidis, vinctus compedibus, consueti signi sonum haurit auribus. Apparuit illi per visum virgo Christi, & ille ad ejus aspectum admiratus: Vivisne, inquit, Lucia? Et illa: Vivo veram vitam, ait. Vade & compedes istos ad sepulcrum defer; Deoque gratias age, qui te de imminenti periculo liberavit. Paruit ille jussis. Eos nos compedes vidimus; neque desunt, qui asseverent, eos nulla unquam ratione inde potuisse amoveri.* Sigonius id contigisse sub Gerardo Gisella episcopo Bononiense scribit, „ quo sedente [b], „ inquit, Lucia virgo in monasterio sanctæ Christinæ mira floruit sancti„ tate, quam, ut narrat in itinerario suo Ambrosius Camaldulensis, cum „ multis aliis signis, tum hoc maxime declaravit. Adamaverat Luciam „ *&c.* hoc vero evenire potuit anno millesimo centesimo nonagesimo, „ quo res male gesta est adversus Saracenos a Christianis, adversus quos „ tunc duo millia juvenum Bononiensium contendisse memoriæ proditum „ est. “ Ad quæ verba hæc adnotat Carolus-constantius Rabbius: „ Lu„ cia obiit circa annum 1199. & ex chronico miscellaneo edito in tomo „ XVIII. rerum Italicarum observat in expeditione anni 1188. fuisse ju„ venes 2000. ære publico donatos libris 20000. Bononeorum. “ Cum tamen plures adversus Saracenos hoc seculo factæ fuerint ex Europa & ex Italia in Orientem expeditiones, non cogimur ad hanc anni 1188. referre juvenis Bononiensis Luciæ peramantis capturam.

De beata Lucia agunt præter laudatum Sigonium Fortunius [c] lib. II. cap. V Silvanus Ractius [d] in vitis Sanctorum & Beatorum Camaldulensium, Ghirardaccius [e] in historia Bononiense, Antonius Pauli Masinius [f] in Bononia perlustrata, Andreas Vallemannius [g] in synopsi Sanctorum Camaldulensium, Gaspar Bombacius [h] in Bononiensibus illustribus, Germanus Botta in synopsi mss. vitarum sectatorum sancti Romualdi [i], Thomas Minius [k] in catalogo, Wion in Ligno vitæ, catalogi autem omnes officiorum & breviariorum veterum ordinis Camaldulensis. Et post omnes copiosissime sanctissimus Pont. Max. Benedictus XIV. in lib. II. cap. XVIII. n. 11. &c. [l] de Canonizatione Sanctorum, qui etiam in eam rem laudat Johannem-franciscum Nigrum in suis annalibus Bononiensibus mss. qui asservantur in bibliotheca instituti Scientiarum Bononiensis urbis, a quo ad annum 1198. præfatum miraculum refertur.

a Hodœporic. p. 37.


b Lib. II. de episc. Bonon.

c T. I. Pag. 148.
d Pag. 59.
e Pag. 106.
f Pag. 512.
g Pag. 27.
h Pag. 54.
i Pag. 124.
k Pag. 24.

l Pag. 96. edit. Patav.

Memo-





beata lucia de lozdene de scà christina

Memorat Ractius veterem imaginem beatæ Luciæ ævo suo extitisse, quæ cappa erat contecta. Hanc nullibi vidimus, cum permittente eodem sanctissimo pontifice maximo Benedicto, perlustravimus omnes angulos monasterii sanctæ Christinæ de Bononia, & ecclesias Ozani ac Septem-fontium. Conspeximus equidem alteram vetustam imaginem ejusdem Beatæ in prædicto monasterio tabulæ applicitam, & priscorum modo, vulgo *a tempera*, coloribus expressam, quæ opinione peritorum characterem redolet seculi XIV. & putatur opus Simonis de Avantiis, qui floruit circa annum 1370. Literæ vulgo expressæ ad oram tabulæ habent: BEATA LUCIA DEL ORDENE DE SCA CHRISTINA. Consistit Beata ibidem intra cellam suam, in qua visuntur duæ fenestræ, id quod corroborat suprarelatam Ambrosii narrationem, Beatam nimirum se continuisse intra parietes cellulæ suæ, ne se conspiciendam præberet juveni eam videre percupido. Velo nigro redimitur ejus caput, candelam accensam dextera & librum gestat, læva autem Crucem. Præter hanc vetustam imaginem aliæ in eodem parthenone, & alibi visuntur, sed posterioris ætatis. Antiquam imaginem hic exhibemus.

Veri speciem præfert tempore Ambrosii præsidis generalis anno 1433. non solum venerationem obtinuisse, sed potiori cultu super aram positum fideles populos honorasse corpus beatæ Luciæ, quam *Sanctam* ipse appellat, & pictor præcedenti seculo ante ipsum *Beatam*. Octuaginta annis post Ambrosium Lucia titulum fecerat ecclesiæ Septem-fontium, in qua etiam ejus festa dies peragebatur, ut liquet ex literis Francisci tituli sanctæ Cæciliæ S. R. E. cardinalis Papiensis in civitate Bononiæ, exarchatu Ravennæ & tota provincia Romandiolæ apostolicæ sedis legati a latere generalis in spiritualibus & temporalibus, qui VI. idus novembris anni millesimi quingentesimi-octavi, pontificatus domini Julii papæ II. anno V. indulgentiam concedit adjuvantibus reparationem ecclesiæ seu monasterii sanctæ Christinæ de Fundatia Bononiensis ordinis Camaldulensis, necnon *ecclesiæ sanctæ Luciæ de Stiffunto Bononiensis diœcesis eidem monasterio perpetuo unitæ*, & visitantibus sanctæ Christinæ in ejusdem Sanctæ, & Dominicæ palmarum, ac *præfatam sanctæ Luciæ ecclesias* in ejusdem *sanctæ Luciæ festivitatum diebus*. Id ipsum constat ex decreto Angeli Perutii vicarii generalis episcopi Bononiensis, qui anno 1572. permittit monialibus sanctæ Christinæ *ecclesiam sub vocabulo beatæ Luciæ*, „ quam super suo „ prædio rustico in communi Stiffunti diœcesis Bononiensis sito habent, „ &c. destruere, & residuum cum uno altari reparare &c. & ad aliam „ ecclesiam sub vocabulo sancti Andreæ &c. deferre, ossaque & reliquias „ ex dicta ecclesia beatæ Luciæ &c. ad dictam sancti Andreæ Ozani ec„ clesiam transferre &c. “ idque auctoritate Brevis Gregorii XIII. ejusdem anni die X. septembris ven. fratri episcopo Bononiensi, sive dilecto filio ejus in spiritualibus vicario generali directi.

Translato corpore ex Stiffuntina ad Ozanensem ecclesiam, & loco veteris ecclesiæ Stiffuntinæ erecto oratorio, super utriusque ecclesiæ altare coloribus fuit expressa imago beatæ Luciæ captivum liberantis. Sacrum autem corpus prius ad aram majorem ecclesiæ Ozanensis depositum est; post restaurationem autem ejusdem ecclesiæ factam anno 1639. ex legato Vincentii Parrocchetti erectum fuit anno 1642. sacellum, in quo super altare loco sublimi cum statua beatam Luciam repræsentante condita fuere sacra lipsana, apposita super urnam ea inscriptione, quam superius attulimus. In hac ecclesia sancti Andreæ festiva dies beatæ Luciæ assignata est ad VII. idus novembris, quæ fuit dies translationis. In ecclesia sanctæ Christinæ Bononiæ alterum visitur altare, in cujus icone picta a Francisco

Ann. Chr. 1156.

cisco Salviati conspicitur Virgo Deipara, & ad ejus dexteram sanctus pater Romualdus, ad lævam autem beata Lucia cum vinculis, a quibus captivum solvit. Pluribus aliis in locis diœcesis Bononiensis in honorem beatæ Luciæ altaria erecta. Omittendum nequaquam est imagines omnes hujus Beatæ nimbo vel splendoribus circa caput redimitas esse. Compedes ferrei, qui extabant tempore Ambrosii, pendent etiamnum ad ejus sepulcrum Ozanense. Prope Stiffuntium fons emanat, ex quo hauriunt populi, & bibunt devotionis gratia, appellaturque fons beatæ Luciæ. Postremo non longe a veteris monasterii situ columna erigitur in via, quæ ad castrum Septem-fontium ducit, quam oppidanorum traditio fert positam fuisse in monumentum ejus situs, in quem captivus meritis beatæ Luciæ liber & solutus fuit translatus; deficit modo crux, quæ conspiciebatur paucis ab hinc annis super eamdem columnam, ipsam quoque in sui summitate nonnihil abscissam.

Ann. Chr. 1157.

XXXVI. Monachi Subasiani compulsi ad obedientiam prioris Camaldulensis.

ROMANUS pontifex Adrianus hoc anno idibus martii sua bulla data Romæ apud sanctum Petrum monachis cœnobii sancti Silvestri de Monte-suavi, sive de Monte-subasio præcepit, ut quandoquidem sanctæ memoriæ prædecessor suus Eugenius III. monasterium præfatum ad Camaldulensium fratrum consuetudinem deduxerat, ipsum tradens priori Camaldulensi, quia tamen ipsorum aliqui renuebant eidem priori se subjicere, & respuebant Camaldulensem disciplinam, studerent humiliter obedire Camaldulensi priori in omnibus secundum Deum & beati Benedicti regulam & Camaldulensium consuetudinem, innodans eos excommunicationis vinculo, si infra unius mensis spatium parere detrectaverint.

XXXVII. Prataliense monast. confirmatum ab Adriano IV. pp. Camaldulensibus.

IDEM pontifex Rodulphi prioris Camaldulensis petitioni annuens monasterii de Pratalia donationem & concessionem eremo Camaldulensi factam a Hieronymo Arretino episcopo auctoritate apostolica confirmat, & una cum omnibus ecclesiis & pertinentiis præfati cœnobii ipsum subjicit apostolico decreto Camaldulensi congregationi. Supersunt subscriptiones tredecim S. R. E. cardinalium. Occurrunt in hoc privilegio nominati Aldibrandus presbyter cardinalis tituli sanctorum XII. Apostolorum anno 1150. ab Eugenio creatus cardinalis ex familia Bononiense Crassorum. Bonadies, qui ex titulo sancti Angeli ab Adriano fuerat ad illum sancti Chrysogoni promotus, & Boso nepos Adriani IV. ex monacho Anglo a patruo cardinalis electus, præter ceteros cardinales alibi illustratos. Privilegium *datum* est *Laterani per manum Rolandi S. R. E. presbyteri cardinalis & cancellarii* XVII. *kal. julii indictione* V. *incarnationis Dominice anno* M. C. L. VII. *pontificatus* vero *Adriani pape* IIII. *anno* III. Utramque Adriani bullam ex apographis tabularii Camaldulensis exhibemus. Testatur insuper Innocentius papa III. in privilegio concesso anno 1202. monasterio sancti Vigilii de urbe Senarum eumdem Adrianum sub protectione apostolica præfatum cœnobium, ecclesiam & bona suscepisse. Reædificata itaque erant Adriani tempore monasterium & ecclesia, quæ igne vastata fuerant anno 1153.

XXXVIII. Chartæ Pisanæ, Vallecastrenses, Bifurcenses.

MONASTERII sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia abbas erat hoc anno Bernardus, qui successerat Uberto, de quo ad annum 1152. ut liquet ex quadam donationis charta, quam ex tabulario ejusdem monasterii proferimus, una cum alia ad monasterium sancti Michaelis de urbe Pisarum & ad ejus hospitale spectante, scripta in ecclesia sancti Petri ad Curtem-veterem. Ubi impræsentiarum visitur ecclesia divo Roccho dicata, eo loci sita erat, ait Troncius, antiquissima sancti Petri in Curte-vetere, seu ad Curtem-veterem ecclesia. Addimus etiam querimoniam Bonfi-

Bonfilii monachi ejusdem loci, qui plura legaverat prædicto monasterio, antequam ordinem monachalem susciperet. Inter cetera, quæ Bonfilius cœnobio commodaverat, legitur pecunia data abbati Ildebrando pro *tufis* altaris sancti Andreæ; memoratur etiam capitulum abbatum Camaldulensium celebratum ante hæc tempora apud civitatem Florentinam, & mors Ildebrandi abbatis sancti Michaelis, quæ contigerat ante festum sanctæ Mariæ mensis augusti.

ANN. CHR. 1157.

De ecclesia sanctæ Mariæ de Verzaja in Perusina urbe verba fecimus ad annum 1101. quo tradita fuit monasterio sancti Salvatoris Vallis-castri, & Ugoni abbati. Sub hoc anno in excerptis Baroncinii legitur monasterium sancti Salvatoris de Verzaja, cui refutatæ fuere aliquot terræ ab Alligranza filio Macchiavelli cum Berta matre & Berga uxore. An cœnobium hoc idem fuerit cum ecclesia sanctæ Mariæ, quæ in monasterium erecta fuerit, vel aliud cœnobium, forte in territorio Arretino, non satis clare constat.

Tabularium canonicorum sancti Laurentii de Florentia continet donationem factam hoc anno a Guidone Werra comite & a Trotta ejus uxore aliquot terrarum Ugoni abbati monasterii sancti Benedicti de Bifurco & Alberto priori. Ugonis abbatis nomen legitur etiam ad annum 1148. Successerat is Macario abbati, cujus nomine signatur charta anni 1142. qui electus fuerat in locum Theodorici, ut liquet ex membranis ejusdem imperialis & collegiatæ basilicæ.

ANN. CHR. 1158.

XXXIX. Turbę in eremo Camaldulensi.

CUM turbæ aliquæ exortæ fuissent in eremo Camaldulensi, forte ratione præfecturæ ejusdem loci, plenam dilectionis & benevolentiæ epistolam priori G.. idest Gregorio, & universo capitulo Camaldulensi dedit hoc anno Adrianus IV. Rom. pont. ad eas dissolvendas, pacemque firmandam. Verisimiliter Rodulphus cesserat prioratui Camaldulensi, factus abbas Prataliensis, ut in processu anni 1216. pro libertate eremi Camaldulensis testatur Rainerius prior sancti Michaelis Arretii. Nam de monasterio Prataliæ interrogatus dixit, quod *domnus Rodulphus primo fuerat prior Camaldulensis, & abbas de Pratalia* &c. *quia dicebatur ipse domnus Rodulphus retinuisse ipsum monasterium ad suam manum, & faciebat ipsum regi per domnum Petrum, & ideo querebat ab eo de spiritualibus & temporalibus, & de continentia rerum ipsius monasterii, quem domnum Petrum, asserit, se vidisse promittere obedientiam domno Ildebrando priori Camaldulensi pro monasterio Prataliæ; dixit idem domnus Petrus: Ego promitto tibi Ildebrando obedientiam in iis, quæ ad Deum spectant secundum regulam beati Benedicti, & consuetudinem Camaldulensis ordinis, & tunc fuit osculatus manus ipsius Ildebrandi* &c. Porro scimus quanto zelo eremitæ Camaldulenses caverent, ne quando monastica pro eremitica vita introduceretur in eremum Camaldulensem, & quam sollemnes interminationes factæ fuissent tum ab episcopis Arretinis, tum a beato Rodulpho I. hujus nominis priore, ne quis auderet eremum ad cœnobium transferre. Metuerint propterea, ne Rodulphus prior Camaldulensis, simul & abbas Pratalìensis majorum disciplinam immutaret, & cœnobiticam disciplinam in eamdem eremum inveheret. Quare prius mussitaverint, tum in apertum prosiluerint, nullique labori pepercerint, ut idem Rodulphus regimen eremi dimitteret, contentus abbatia Pratalìensi, ne prior simul & abbas esset, vel sponte etiam sua ob pacis studium Rodulphus magistratu se abdicaverit. Re enim vera hoc anno Rodulpho suffectus fuit in priorem Camaldulensem Gregorius, cui inscripta est Adriani epistola data hoc anno, non sequenti, quo

Ann. Chr. 1158.

quo Adrianus mense novembri fato jam functus erat. Anno pariter 1158. mense januario more Florentino, initio scilicet anni sequentis, reperitur in tabulario Fontis-boni [a] donatio facta ab Aldiprando olim Ugonis Gregorio priori manu Ugonis notarii. Subinde Gregorii nomen [b] legitur ad annum 1159. mensibus februario & martio, ad annum 1162. [c] sub die XXXI. martii & ad annum etiam 1163. Ad annum 1180. rursus in scenam prodit Rodulphus prior Camaldulensis, ob dimissionem facile abbatiæ Prataliensis iterum creatus prior Camaldulensis ad paucos menses, translatus deinde ad Anconitanum episcopatum. Sin vero tribuenda non sit hæc repetitio electionis in priorem Camaldulensem Rodulpho II. sed Rodulpho III. quem, ut nonnulli admittunt, ita & nos adstruimus fuisse Camaldulensem priorem circa annum 1164. post Gregorium & ante Ildebrandum, alia fuerit nobis ignota occasio turbarum eremi Camaldulensis, ad quam sedandam epistolam dederit Romanus pontifex Adrianus. Ipsam interea epistolam encomiasticam sanctitatis eremi Camaldulensis, & paræneticam ad pacem restituendam, ex autographo tabularii Fontis-boni libenter subjicimus in perenne monumentum amoris tanti pontificis erga Camaldulenses.

a §. Donatio. n. 323. A. 2. 36.
b §. Locatio. 204. 205.
c §. Donatio. 324.

XL. Epistola Adriani IV. pp. ad Camaldulenses.

([d]) ADRIANUS *episcopus servus servorum Dei dilectis filiis G.. priori & universo capitulo Camaldulensi salutem & apostolicam benedictionem.*

d §. Brevia. n. 1.

Monasterium vestrum, in quo vos ad Dei estis servitium congregati, ut confiteamini nomini sancto suo, & gloriemini in laude ejus, quantum ex anteacta priorum vita & honestate ac religione ipsorum tam spiritualibus, quam temporalibus profecerit incrementis & nos ipsi plenarie novimus, & hoc ipsum celebri est circumquaque fama vulgatum. Quandiu enim ejusdem monasterii fratres in quiete, unanimitate & concordia perstiterint, non sua, sed ea potius, quæ sunt Christi, querentes, quamdiu monasticam regulam habitu, vita & moribus tenuerint, spiritualium redolebant gratia & jucunditate bonorum, rerumque temporalium copiis habundabant, & tantus erat odor bonæ opinionis, quem de ipsa congregatione manabat, quod minores ad perfectiora exemplo simili traherentur, itaut dicerent: Trahe nos post te, curremus in odorem unguentorum tuorum. Tanta etiam in eodem loco quies, tanta pax & unitas habebatur, ut illud de eo merito dicerent, quod scriptum est: Vere non est hic aliud, nisi domus Dei & porta cœli. Ne igitur Camaldulense monasterium, quod olim tanta religione & honestate pollebat, tanta virtutum excellentia præeminebat, tempore vestro a suo statu, quod absit, aliquatenus imminui videatur, hortamur vos, rogamus & obsecramus in Domino, ut relictis omnino carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, & concupiscentiis seculi conculcatis, ad æterna & sine fine mansura per bona opera suspiretis ad summum bonum, & ad præmia felicitatis æternæ piæ conversationis studio intendatis, atque ita stabiles in obsequio conditoris permanere curetis, & in ejus devotione ferventes, ut nihil sit, quod jam vos a caritate Christi valeat aliquatenus separare. Sed pro laudabili conversatione vitæ illud sacræ Scripturæ testimonium vobis possit merito adaptari, quo dicitur: Laudabilis populus, cui Dominus exercituum benedixit dicens: Opus manuum mearum tu es, hæreditas mea Jerusalem. Vobis siquidem solertissime intuendum est & attentius cogitandum, ne adversarius vester diabolus, qui tamquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret, veneno astutiæ, & consuetæ & antiquæ fraudis insidiis a Sponsi amplexibus, & a servitio, quod absit, vos retrahat conditoris. Quanto enim amplius humani generis inimicus Christi fideles legi mandatorum Dei conspicit inhærere,

hærere,

hærere, & ejus salubribus monitis diligentius obedire, tanto magis ad callida se argumenta convertit, & sollicitius elaborat, ut eos de virtutum faciat arce corruere, & a sancto proposito resilire. Ceterum confidimus de vobis in Domino, si bene novimus vestri interioris hominis caritatem, qua prædecessorum vestigia imitantes, cum non sapiatis, quæ vestra sunt, sed quæ Jesu Christi, qui de tenebris & umbra mortis vocavit vos in admirabile lumen suum, inimici astutia in vobis minime prævalebit, neque ab ejus obsequio, cui estis indissolubili caritate devincti, ipsius vos poterit iniqua persuasio retardare. Confortamini ergo in Domino, & in potentia virtutis ejus, state fortes in fide, abjiciatis opera tenebrarum, & induimini armis lucis, atque omnes antiqui hostis insidias divino comitante præsidio superantes, calcate vitia, inhærete virtutibus, invicem diligentes, invicem supportantes, & mutuam in vobismetipsis caritatem habentes. Ita quidem, ut in nullo juxta Apostolum præsumatis, sed tantum in Domino & de Domino gloriari; sicut scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur, non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. Dicitur autem, unde queramur plurimum & doleamus, quod inter vos murmur, quod est detestabile vitium, habeatur, & quod alterutrum, ultra quam debeatis, murmuretis, quod vitium ipsum in tantum jam de vobis insonuit, quod plerisque referentibus ad apostolicæ sedis audientiam usque pervenit. Unde monemus vos, & exhortamur attentius, ut a tam mortifera peste cessetis ..... a murmure, pacatam habentes mentem de cetero, & tranquillam, ne in æterni conditoris aspectu & divinæ majestatis oculis pro tanto debeatis crimine displicere; scitis enim, ut credimus, & pro certo cognoscitis, qualiter Maria soror Aaron, pro eo quod adversus Moysen murmurabat apud Dominum, contemptibilis sit effecta, & quam gravis lepræ sit macula & fœditate percussa, quæ se a murmure minime continebat. Unde & tamdiu extra castra est conversata, quousque caro ejus pristinæ fuit reddita sanitati. Ne igitur invalescente eodem vitio in conspectu Altissimi contemptibiles, & in oculis hominum debeatis abominabiles apparere, corda vestra, qua convenit vigilantia, observetis, ne hac fæditate valeant ulterius deturpari. Ut autem hæc omnia, quæ superius dicta sunt, facilius valeatis auctore Domino adimplere, tu, dilecte fili prior, fratribus tuis mansuetum patrem atque tractabilem te exhibeas, & salubria eis documenta proponas, plus semper amari appetens, quam timeri; negotia quoque monasterii tuæ gubernationi commissi juxta consilium fratrum religiosorum & timentium Deum, secundum quod in beati Benedicti regula continetur, disponere studeas & tractare. Vos vero, dilecti filii monachi, priori vestro tamquam proprio pastori & rectori animarum vestrarum debitam in omnibus subjectionem atque obedientiam impendatis, & neque in reformatione ordinis secundum antiquam & rationabilem Camaldulensium fratrum consuetudinem, nec in quolibet alio, quod ad ipsius monasterii & vestram utilitatem pertineat, rebelles ei vel contumaces existere præsumatis. Nos autem, qui ex injuncto nobis Apostolatus officio universis Christifidelibus existimus debitores, si divina cooperante gratia, & in fide fueritis stabiles, & in opere efficaces, vobis paterno providebimus caritatis affectu, & in opportunitatibus vestris, quantum Deo donante poterimus, vobis & monasterio vestro absque intermissione curabimus subvenire. Datum Laterani VIII. *kalendas decembris.*

XLI. Cessio ecclesiæ de Colignola facta Villano archiep. Pisano ab Uberto abb. S. Michaelis.

UBERTUS abbas sancti Michaelis de Burgo Pisarum, qui successerat Ildebrando, litem diutinam habens cum parœcianis ecclesiæ positæ in loco Colignola sub vocabulo sancti Christophori, itaut *animi*, inquit, *illorum adeo*

Ann. Chr. 1158.

adeo in nos impii efficerentur, quod fere animæ eorum periclitarentur, & ob cessationem illorum non domus orationis, sed ad secularem statum redacta videretur, ad tollendam omnis litis & discordiæ materiam, optimum factu duxit eam ecclesiam tradere Villano archiepiscopo Pisano, & per fustem, quem in manu tenebat, ipsam cessit, eidem præsuli cum omnibus juribus, actionibus, patronatu, cœmeterio & utensilibus, pœna sibi imposita librarum CC. argenti optimi. Actum in camera curiæ jam dicti domini archiepiscopi, præsente inter ceteros priore . . . . . sancti Pauli de Horto. Vidimus ad annum 1155. controversias Ildebrandi abbatis sancti Michaelis occasione ejusdem ecclesiæ cum plebano sanctæ Juliæ de Caprona. Eæ cum recruduissent, nec aliqua videretur compositionis via, opportunum putavit Ubertus abbas archiepiscopo Pisano ecclesiam resignare. Monasterium sancti Pauli de Horto hoc tempore erat domicilium canonicorum regularium, nunc vero asceterium monialium ordinis sancti Dominici prope monasterium sancti Michaelis, diversum ab alio sancti Pauli ad ripam Arni, quod tunc detinebatur a monachis Vallis-umbrosæ, nunc autem commenda est illustris ordinis equestris sancti Stephani.

XLII. Chartę S. Christinę de Septem-fontibus.

Adelasiam suffectam abbatissam monasterii sanctæ Christinæ in agro Bononiensi in locum Luciæ intelligimus ex sequentibus donationum & venditionum chartis: *Anno* M. C. LVIII. *imperante Frederico die* XV. *mensis maji indictione* VI. *ego quidem in Dei nomine Ubaldinus filius Adolini vendo & trado tibi presbytero Ildebrando receptori honore Dei & ecclesie sanctæ Christinæ & domne Adelasie abbatisse sancte Christine, & cunctarum sororum & fratrum, duas petias terre, que sunt infra plebem sancti Johannis de Pasteno in loco, qui vocatur Basiliano. Actum in castro Olziani indictione predicta sexta*; Item eodem *anno die* XV. *mensis februarii indictione* VI. *ego nos quidem Bennus & Rodulphi germani filii Rodulphi de Ventana hoc donationis instrumento presenti die damus & concedimus tibi presbytero Ildebrando receptori honore Dei & ecclesie sancte Christine, ac domne Adalasie abbatisse & sororibus & fratribus, qui vel que nunc sunt, aut deinceps erunt in perpetuum, petias duas terre in Basiliano* &c. *Actum in vico Pozale prope castro Olziani indictione predicta* VI. *Johannes notarius hec scribere rogatus*. Ex quibus etiam in notitiam venimus in eodem loco sanctæ Christinæ, præter sorores, congregatos fuisse fratres monachos & conversos, diversisque habitationibus idem monasterium & eamdem ecclesiam inserviisse pro hominum & feminarum domicilio & usu.

XLIII. Charta Sangregoriana.

Anno *Dominice incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo octavo anno vero quarto pontificatus domni Adriani pape* IIII. *indictione* VI. *mensis martii die* XXIIII. Petrus abbas sanctorum Andreæ & Gregorii ad Clivum-scauri, consensu suorum monachorum, concedit Octaviano Alberici de Fusco & filiis ejus locationis nomine stagnum majus, quod domina Silvia mater sancti Gregorii magni monasterio præfato donaverat, situm in campo majori, licentia facta piscandi ipsi, quem priorem scholæ constituit, filiis ejus & aliis hominibus Scholensibus, nempe piscatorum scholæ, cum pensione, ut nona pars piscium persolveretur monasterio, cui arbitrium piscandi reservat, sicut etiam monacho Obedientiæ sive cellæ de Mola-rupta pro utilitate monasterii, vetito etiam iis, qui non esset Scholenses, usu piscationis. Chartam locationis edimus ex codice Gregoriano.

RE-

Ann. Chr. 1159.
XLIV.
Servitia consueta præstari Avellanensibus.

Referri possunt ad hæc tempora monumenta quædam mss. de obsequiis & exeniis, quæ præstari debebant eremo Font-avellanensi a locis & ab hominibus eidem cœnobio subjectis. Eorum exemplum scripsimus ex autographo codice Vaticano signato 3797. & seculum XII. redolente, quod ad Appendicem remittimus. Nominantur inter loca subjecta *Obedientia sancti Fortunati*; ea erat in comitatu Castellano; alia *de Ripalta*; hæc erat in comitatu Eugubino; alia *de Monte-sicco* in comitatu Calliense; *de Loreto*, *de Calcinaria*; hæ duæ in comitatu Senogalliense; *de Rotundo*; ecclesia sanctæ Mariæ de Rotundo erat in episcopatu Nucerino; *de Valentana*, *de Gunzo* & *de Sorteceli*. Hæc postrema videtur fuisse monasterium sancti Angeli de Sorticulo in comitatu Calliensi. Nominatur etiam inter Obedientias *cambium de sancto Gerontio*. Vidimus ad annum 1133. Benedictum priorem sanctæ Crucis de Fonte-avellana bona & ecclesias dedisse Bernardo abbati sancti Geruntii, qui in permutationem facile dederit alias ecclesias & terras. Et eæ quidem vocantur Obedientiæ *sub montibus*. Sermo postea fit de Obedientiis *super montes*. In iis nominantur Obedientiæ *de Summo*, *de Villa-majori*, *de Insula*. Monasterium sancti Angeli de Insula-Manfredi erat in comitatu Eugubino, cujus mentionem facit etiam bulla Innocentii papæ II. ad annum 1139. Obedientia *de sancto Apolenario*, forte de Nartianula. Alia *de Monte-majori de Castello*. Mons-major in eadem bulla ponitur in episcopatu Fanensi, sed cum hic addatur *de Castello* significatur hujus nominis obedientia in comitatu Castellano, recensita etiam ipsa inter bona eremi Avellanensis ab eodem Innocentio. Obedientia demum *de Castillone* & *de Scorclano*. Hæc obedientia de Scorclano sita erat in Calliensi episcopatu, in quo monasterium Avellanense obtinebat possessionem Guidonis Actonis *in Surclano*. *Vallis Sorclani* in episcopatu Calliensi enumeratur ab Honorio III. in bulla anni 1218. Si hæc monumenta ad præsentem circiter annum pertinent, prior Font-avellanensis eremi erat Theobaldus, Sabini successor post annum 1158. de quo plura anno sequenti.

Alexander papa III. qui hoc anno legitima electione suffectus fuerat in locum Adriani IV. defuncti die prima mensis septembris, ut monachorum quorumdam petulantiam suprema auctoritate deprimeret, præcipit hoc anno ex Tusculano III. *nonas aprilis pontificatus* sui *anno primo*, ut nullus monachus ordinis Camaldulensis pro disciplina evitanda appellare a generalis vel prælati sui judicio aut correctione audeat; quod si quispiam pertinax fuerit, appellatio hujusmodi irrita omnino & invalida censeatur, nisi ad generalem ordinis fortasse appellaverit. Bullam hanc confirmavit Honorius papa III. & extendit etiam ad prælatos monasteriorum alia bulla data Laterani *idibus maji anno pontificatus* sui *octavo*, hoc est anno 1224. Hæc leguntur in privilegiis nostris editis.

Ann. Chr. 1160.
XLV.
Obitus S. Ubaldi ep. Eugubini.

Mortuo hoc anno die decima-sexta maji Ubaldo sanctissimo Eugubino episcopo sufficitur in ipsius locum Theobaldus Font-avellanensis prior, & non ex canonicis regularibus assumptus, ut cum Ughellio existimarunt multi, idem, qui scriptor vitæ Ubaldi ipsam hoc eodem anno, quo sanctus vir obiit, Friderico I. Œnobarbo imperatori dicavit, quique tantummodo electus, consecrationem numquam accepit, facile quia a schismaticis ipsam obtinere detrectavit, & vix sex mensium spatio Eugubinam cathedram tenens, locum fecit Bonacto, qui creditur fere communiter, sed falso, immediate suffectus Ubaldo. Prædixerat sanctus episcopus Ubaldus eumdem Theobaldum & non alium futurum ipsius in ec-

Ann. Chr. 1160.

clesia Eugubina successorem. *Ut prophetia sancti viri*, inquit idem Theobaldus electus, qui nomen suum supprimit, & super quem cadunt ipsa verba, *de eo, quem post ipsum essent electuri, cito compleretur, eadem hora, immo eodem momento, quo Sanctus ponitur in tumba, qui eligendus erat, adveniens ingreditur ecclesiam, atque ita omnium voluntas prophetiæ sancti viri famulatur, ut nullus prorsus, qui aliud sentiret, inveniretur. Et cum pauci essent, qui scirent, quid Sanctus prædixerat, omnes omnino, qui aderant, illud dicunt, illud affirmant. Sæpius quippe sanctus Ubaldus dicere consueverat, & sciscitantibus se aliquantis non præcipiendo, sed prophetando dicebat: Quia ille reget Eugubinam ecclesiam. Sicque factum est, ut dum ille, quem Sanctus prædixerat, sine mora eligitur, etiam prophetiæ spiritu sanctus Ubaldus claruisse videatur.* Quod vero Theobaldus electus post Ubaldum Eugubinus antistes alius non fuerit a Theobaldo priore Avellanensi, qui hoc anno eremi Avellanensis prior reperitur, & verisimiliter etiam sequentibus annis eidem eremo præfuit, demonstrare videtur sequens ipsius scriptoris Theobaldi narratio, quam subjicimus. *Totus ille annus*, subdit, *fit Eugubinis jubilæus, totus plenus lætitia & gaudio, fit annus ille gratus omnium bonorum ubertate, fit dulcis & amabilis concordia & pace. Quod enim priori Fontis-avellanæ ante fuerat intimatum, hoc totum completum est in depositionis ejus anno. Nam cum idem prior, qui post ipsum electus est, esset Æsii quinta-decima nocte ante migrationem sancti viri, hoc sæpissime verbum cœpit in ejus ore, tam dormientis, quam vigilantis, frequentari: Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis. Quod cum duobus fratribus suis Fontis-avellanæ mane retulisset, responsum est ab eis, quia in partibus illis ipse pacem faceret. Sed sicut postea evidentissime claruit, de diebus beati Ubaldi & Eugubina civitate tunc significatum fuit, in cujus depositionis diebus & abundantia pacis est orta, & justitia, quæ deberetur pauperibus nata, de qua scilicet propheta dicit: Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in seculum seculi. Nam in illo die & anno reformata est inter civitatem & comitatum pacis concordia, & guerra, quæ per multum temporis inter eos fuerat, ad integrum est sedata. Misericordia etiam in pauperes tam large fiebat, ut contra consuetudinem non haberent necesse inopes rogando postulare, sed magis ipsi rogabantur, ut dignarentur accipere. Peregrini autem ad hospitandum, non solum invitabantur, sed etiam trahebantur. Dulce satis spectaculum erat videre ducentos & tercentos, interdum quadrigentos pauperes in ecclesia comedere, & omnibus, quæ necessaria erant, affluenter abundare. Afferebantur eleemosynæ de omni genere ciborum, & quæcumque necessaria erant sanis & infirmis afferebantur copiose de villis & castellis. De Eugubinis civibus non est necesse aliquid dicere, quomodo pro Sancti sui amore parati erant omnia dare. Tunc ergo cœpit devotum illud pauperum obsequium, quod Eugubini* Caritatem *vocant, tunc in veritate cœpit pacis & justitiæ pollere abundantia.*

XLVI. Successio Theobaldi ex priore Avellanensi. Plura de ipso.

Suffectus itaque Ubaldo in Eugubinum episcopum Theobaldus prior Fontis-avellanæ, vitam & miracula tam quæ ante obitum, quam post obitum contigerant, collegit sui sanctissimi antecessoris, & lucubrationem suam inscripsit imperatori Friderico, quam contexuit *ex relatione fidelium, qui veraciter noverant de* Ubaldi *ortu, vita & obitu; de miraculis* autem, *quæ post vitalem ejus mortem propter eum Dominus fecit, ea tantum scribere voluit, quæ vel propriis oculis videre, vel eorum relatione, in quibus patrata sunt, potuit agnoscere.* Vitam conscripsit, non ipsis statim diebus ab obitu Ubaldi, sed post aliquot hebdomadas, cum

narret

narret miraculum, quod contigit die festivitatis sancti Johannis-baptistæ, in cujus sollemnitate Electus sermonem faciebat ad populum inter sollemnia Missarum. Electum insuper Eugubinæ ecclesiæ contra votum & meritum, & non consecratum, se nominat in ipsa ad Fridericum nuncupatoria epistola Theobaldus, quia exordiente eo ipso anno ejusdem imperatoris schismate numquam ipsi licuit consecrationis munus suscipere. Immo mense novembri hujus anni Electus adhuc appellatur in instrumento cathedralis ecclesiæ, relato a Vincentio Armanno apud Papebrochium, & confecto a Petro notario, quo Rustichellus quondam Theobaldi Rainerii filius ampla latifundia donavit Theobaldo *electo sancti Mariani*, & Benedicto ecclesiæ Eugubinæ priori. Neque officit, quod Theobaldus Fridericum imperatorem laudet, quem schismaticum ipse schismati non favens nequaquam laudasset; laus enim tota in eo sita est, quod *divinæ bonitatis clementia tantam gratiam contulerit* Friderico, *ut ejus*, Ubaldi viventis *& suavissimo alloquio perfrui, & sacris meruerit benedictionibus roborari, cujus etiam pietas divinitus edocta sanctitatem ejus & reverentia obsequii, & oblatione protestata est muneris, & nondum viderat eum majestas* imperatoris *coruscantem miraculis, & tamen devotissime venerata est ejus gloriam sanctitatis, unde gloriari poterat in Domino & exultantius gaudere, quia divini muneris fuit gratia, quod eum, qui tantis modo fulget mirabilibus vivifice mortuus, sanctum meruerit intelligere mortaliter vivum.*

Quare vel ob excitatas turbas causa schismatis numquam consecratus, vel ab Eugubinis civibus expulsus, vel demum otium contemplationis amissum recuperare gestiens nuntium remisit Theobaldus ecclesiæ Eugubinæ post sex menses, vel saltem ante annum 1163. quo Bonactus reperitur Eugubinus & ipse *electus*, immo eremum suam Avellanensem repetiit ante annum 1162. quo anno in tabulario ejusdem monasterii chartulæ existunt Theobaldi prioris nomine signatæ. De Theobaldi assumptione ad archiepiscopatum Jaderensem suo loco. Monemus interim Bonactum Theobaldi in episcopatu Eugubino successorem, sicut ab aliquibus scriptoribus ejusdem urbis putatur immediatus Ubaldi successor, putari etiam ex Avellanensi præfectura ad Eugubinam ecclesiam evectum, sed id falsi convincitur, quia nullus per hæc tempora Avellanensis prior Bonactus, & erroris occasio, ut animadvertit noster Sartius, non alia fuit, quam quod cum constaret Ubaldi successorem fuisse Avellanæ priorem, ii qui existimarunt Bonactum statim ab obitu Ubaldi episcopum esse factum, consequi crediderunt Bonactum ipsum Avellanæ fuisse priorem. Liquet autem immediatum Ubaldi successorem extitisse Theobaldum priorem Avellanensem & scriptorem vitæ ejusdem Ubaldi. Si tamen Bonactus Avellanensis eremi regimen non tenebat, abbas certe erat monasterii sancti Donati de Polpiano, quod juxta Jacobillium legibus Avellanensibus regebatur, & parebat disciplinæ ejusdem eremi. Bonacti abbatis sancti Donati nomen legitur in sequenti veteri instrumento apud eumdem Sartium [a]. *In nomine Domini amen. Anno* M. C. LXXIX. *Frederico imperatore imperante mense octobris indictione* XIII. *Eugubii. Ego quidem in Dei nomine Kisius Johannis volendo ratificare concordiam optatam ab eterne bone memorie & beatissimo viro domno Ubaldo episcopo olim Eugubine civitatis inter abbatem & monachos sancti Donati & inter me, mediante patrocinio dominorum .... consulum Eugubinorum interposito ab imperiali majestate Frederici augusti & invictissimi imperatoris, in causa definiendi infrascriptam diuturnam litem narro &c. Unde Bonactus tunc ejus ecclesie abbas ejusdem monachi renuntiarunt mihi ob instantiam & petitionem ipsius episcopi* &c. Bonactus igitur

a De episc. Eugub. pag. 112.

ANN. CHR. 1160.

igitur sancto Ubaldo ecclesiam Eugubinam moderante sancti Donati monasterio præerat. De quodam Bonacto abbate sancti Donati vel idem, vel alter ejus nominis fuerit, egimus etiam ad annum 1131. Ughellius Bonactum abbatem facit monasterii sancti Bartholomæi de Campo-regiano, quod similiter seculo præterito, præsenti & sequentibus subjectum erat Avellanensi eremo, immo arbitratur sancti Bartholomæi & sancti Donati cœnobia tunc fuisse unita, a qua opinione non dissentit etiam Sartius. Hac ratione poterit Bonactus dici assumptus ad episcopatum Eugubinum ex Avellanensi præfectura, nempe ex præfectura monasterii subjecti Avellanensi cœnobio. Idem Bonactus anno 1163. appellatur Electus; cum enim adhæreret schismati Friderici, a Romano pontifice Alexandro consecrationem obtinere non meruit. Quod autem Friderici partes sequeretur Bonactus, argumentum desumitur ex privilegio, quo ipso anno 1163. ab eodem imperatore donatus fuit. Addit Piccottus apud eumdem Sartium, Bonactum fuisse fratrem Salinguerræ viri apud Eugubinos clarissimi & bellica virtute præstantissimi. Ipsius Salinguerræ opera ait potissimum factum fuisse, ut Bonactus a Friderico ad episcopatum Eugubinum postularetur, eumdemque asserit vix anno elapso postquam a Friderico redierat (Bonactus enim ad Fridericum in Langobardia degentem iverat) ex hac vita migrasse, electum quidem, minime inauguratum Eugubii episcopum, propterea quod ejus electionem Romanus pontifex aperte improbavit. Suspicatur itaque idem Sartius Bonacto vel sponte cedente, vel expulso, vel fortasse etiam e vivis sublato, Theobaldum ex suo Avellanensi recessu secunda vice accitum, denuoque receptum, & tamdiu apud Eugubinos in episcopum retentum, quamdiu a Jaderensibus postulatus Offredo alteri Eugubino episcopo locum fecit.

Ceterum funeri sancti Ubaldi adstitisse plures episcopos fatetur idem Theobaldus in ejus vita. Episcopos hos fuisse Perusinum, Calliensem & Tiphernatem asserit Oliverius in vita ejusdem sancti Ubaldi; Rodulphum scilicet Perusii, Petrum Tipherni, & Rainerium Callii præsules, cui postremo utpote sibi magis familiari apparuisse etiam in somnis dicitur sanctus vir, rogasseque ut parentalibus suis interesse dignaretur. Erat Rainerius ex monacho Font-avellanensi factus episcopus Calliensis anno 1154. Paulo post erectum fuit in ecclesia Avellanensi altare sancto episcopo Ubaldo, qui vivens peculiari devotione venerabilem recessum illum prosequebatur. Tempore dedicationis ecclesiæ Avellanensis, quæ contigit ante finem hujus seculi, memoratur inter cetera consecratum *altare sancti Ubaldi*. In Sanctorum canonem relatus fuerat anno 1192. a Cœlestino III. & anno 1194. translatum fuerat ipsius sacrum corpus a Bentivolo episcopo Eugubino.

a T. III. *Junii pag.* 421.

Obiit hoc eodem anno 1161. [a] stilo Pisano sanctus Rainerius vulgo appellatus ab Aqua familiæ Pisanæ de Scacceriis, qui post multos peregrinationis annos ad sepulcrum Domini, septennio vixit tamquam oblatus in monasterio sancti Viti ejusdem Pisanæ urbis, ubi innumeras curationes & miracula præstitit, quorum aliquibus refertur interfuisse etiam abbas Montis-Christi cum duobus suis monachis. Ipsius vitam scripsit Benincasa canonicus Pisanus distinguendus ab alio Benincasa itidem Canonico, qui intrusus fuit circa annum 1167. contra Villanum archiepiscopum in cathedra Pisana. Occasione vitæ Rainerii Benincasa sermonem instituit etiam de beato Alberto Corso, cui agnomen *Lingens-pecum*, strenuo milite, qui habitabat apud eosdem monachos sancti Viti.

XLVII. De eccl. S. Andreæ Ariminensis urbis.

b *Pag.* 309.

LEGITUR in historia Ariminensi [b] Cæsaris Clementinii episcopum Ariminensem Albericum permutasse hoc anno mense septembri cum Rainerio abba-

Ann. Chr. 1160.

abbate sancti Gregorii de Conca (cœnobium hocce fundatum fuerat a Petro Damiani) ecclesiam & demolitum monasterium sancti Andreæ extra muros urbis, cum omnibus possessionibus, & bonis suis, ea addita conditione, ut prope ecclesiam monasterium construeret, & e contra traderet ipse abbas episcopatui ecclesiam sancti Michaeli de Murciano cum decimis & redditibus suis, ut liquet ex instrumento transactionis asservato in tabulario monachorum Montis-oliveti cœnobii Scholchæ ejusdem Ariminensis urbis. Ecclesia & monasterium sancti Andreæ post integrum seculum a Jacobo episcopo Ariminense tradita fuere regenda abbatiæ Classensi sancti Apollinaris. Albergum episcopum Ariminensem pro Alberico nominat [a] Ughellius. Ferunt monasterium sancti Andreæ idem esse, cujus abbas erat tempore Gregorii M. Luminosus, de quo ipse meminit epistola XLI. lib. II. ad Castorium episcopum Ariminensem, & post monasterii hujus demolitionem in ecclesia sancti Donati sancto apostolo Andreæ capellam excitatam, ex quo tempore præfata ecclesia denominata fuerit sanctorum Andreæ & Donati extra muros, quam inter alias Ariminensis ecclesiæ recenset anno 1144. Lucius papa II. in privilegio [b] concesso Rainerio episcopo Alberici antecessori. Videatur ipse Clementinius fuse loquens de ea sancti Andreæ ecclesia.

a *T. II. col.* 423.

b *Ibid. col.* 421.

XLVIII. Ecclesia S. Andreæ de Zagonaria confirmata monasterio S. Hippolyti de Faventia.

RADULPHUS episcopus ecclesiæ sancti Cassiani, seu Foro-corneliensis aut Imolensis cum consensu suorum canonicorum largitur *anno dominice incarnationis* M. C. LX. *temporibus Alexandri* III. *& Federici imperatoris die quinta intrantis mensis septembris indictione hoctava* Alberto abbati monasterii sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia ecclesiam & populum sancti Andreæ de Zagonaria, ut prædictam ecclesiam regat in temporalibus & spiritualibus, & faciat eam *officiari* pro voluntate sua per monachum vel conversum sacerdotem, per vel alium sacerdotem ab ipso abbate electum, & in ea ecclesia positum, liberans eam ab omni exactione, *salvo jure plebis Barbiani in baptisterio, in letaniis, in reverentiis, que fiunt in festivitatibus plebis, & in causis de matrimonio;* cum onere, ut monachi sancti Hippolyti orent pro dicto episcopo. Actum Bagnariæ, quod castrum erat ejusdem comitatus. Paginam edimus ex tabulario ejusdem monasterii.

Ex autographo autem monasterii Rosæ Senarum habemus Pericciolum filium quondam Asulfi de Seggiano & Spallancannam filium olim Ranucii de Castillione, Spinellum quoque cum fratribus suis, & Albertum filium quondam Guerruccii concessisse monasterio sancti Benedicti de Vivo per manus venerabilis prioris domni Rustici, quidquid juris habebant in possessionibus & rebus mobilibus ecclesiæ sanctæ Mariæ de Seggiano usque ad castellare, & medietatem castellaris, *quia heredes*, inquiunt, *& successores sumus eorum, qui ecclesiam sancte Marie de Seggiano veteri fundaverunt*, pœnam sibi imponentes librarum quinquaginta purissimi argenti persolvendarum, *per manus piissimi augusti*, præfato monasterio sancti Benedicti de Vivo: Anno *ab incarnatione Domini* M. C. LX. *indictione nona* VIII. *decimo kalendas februarii*, anno scilicet Florentino, idest initiis anni sequentis, quo decurrebat indictio IX.

XLIX. Charta monasterii S. Victoris de Clusis.

DEMUM ex autographis archivi sancti Blasii de Fabriano intelligimus Perfectum abbatem monasterii sancti Victoris de Clusis voluntate suorum monachorum concessisse Rolando Bernardi ejusque filiis, quidquid prædictum monasterium habebat, vel quidquid pro monasterio tenebat Rolandus *intra istas sinaitas; videlicet prima sinaita currit per fossatum Vellani ad Saxum reum, & vadit per ravem Surtis ad summitatem Montis-fani* (cele-

Ann. Chr. 1160.

(celebris locus incolatu, morte & corpore sancti Silvestri, qui seculo sequenti congregationem a suo nomine dictam in ordine sancti Benedicti instituit) *& mergit ad foveam, & vadit ad summitatem Colcilli de Lunatru, & mergit in ripam Rubeni usque ad flumen, & de flumine exit sursum per vallem Zanci usque ad summitatem montis Ergitori & mergit in planum de Porcario, & vadit per montem Porcarium per viam transversam in castellarem de Muris, & mergit in fossatum, & vadit per stratam super insulam Filelu, & vadit per stratam ad Trivium plebis Fresse, & exit de castellare Raparie & mergit in puteum, & mergit in vadum Mortarii, & venit per stradam usque Isceletum, & venit per stratam infra ambo castra Fabriani, & vadit per stratam ad serram Loza, & mergit per stratam in fossatum Vellani, que est prima finis*. Quæ omnia, cum ad jus, usum & *usanciam* pertinerent præfati monasterii sancti Victoris concedit Perfectus abbas eidem Rolando, reservata sibi decima *& mortorio*. Adduntur insuper fructus & usus ecclesiæ sancti Angeli de Vellane cum suis rationibus, & terra de Pratali; excipiuntur tamen aliqua bona, inter quæ ecclesia sancti Petri Venbricelli, & pars, quam habet monasterium sancti Victoris in canonicam Fabriani. Non injucundæ erunt hujusmodi notitiæ, quibus illustratur topographia medii ævi, pluresque ecclesiæ monasteriis subjectæ deteguntur, quo fine potissimum chartas hujus generis non infrequentes publici juris fecimus hucusque in nostra Appendice.


In privilegio hoc anno XVI. *kalendas madii* ex urbe Laude a Friderico imperatore concesso Guidoni a Blandrate Ravennati archiepiscopo in locum Anselmi suffecto, inter cetera bona ecclesiæ Ravennatis confirmatur *monasterium sancti Illari in Galiata cum districtu & placito suo*. Quod imperiale præceptum a Rubeo per compendium allatum integrum produxit Ughellius ex Vaticano codice cum suscriptionibus episcoporum & aliorum nobilium virorum, nosque authenticum apographum possidemus ex dono nobilissimi marchionis Bonifacii Rangonii.

Martinum abbatem monasterii sancti Savini Pisarum adhuc viventem exhibet nobis tabularium secretum archiepiscopi Pisani, qui [a] hoc anno una cum Villano archiepiscopo Pisano factus fuit executor testamentarius Norberti medici filii Alberti Rotti.

a Num. 272.



APPEN-



APPENDIX
TOMI TERTII
ANNALIUM
CAMALDULENSIUM

Vetera Monumenta & Diplomata complectens.

I.

Bulla Adriani II. papæ Johanni episcopo Arretino pro fundatione monasterii sanctæ Mariæ in Balneo in Æmilia.

Anno 871. idus novembris.

Ex codice abbatiæ Balnensis seculi XV. *signato A.* Censi *pag.* 138.

Ad lib. XXVIII. n. 5.



HOC est exemplum cujusdam privilegii ex authentico copiati per manum publici notarii, ut infra patebit; quod quidem exemplum ne forte quandoque pereat, visum est mihi fratri Benedicto de Galeata abbati Balnei iterum manu propria in hunc librum transcribere ad perpetuam memoriam.

ADRIANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio Johanni reverentissimo sancte Aretine ecclesie episcopo diebus vite tantummodo, & post obitum abbatibus venerabilis monasterii sancte Dei genitricis Marie siti Balnei in Massa in perpetuum. Quoniam semper sunt concedenda, que rationabilibus congruunt desideriis, oportet, ut devotio conditoris pie constructionis oraculi in privilegiis prestandis minime denegetur. Igitur quia postulasti a nobis, quatinus baptismalem ecclesiam Dei genitricis semperque virginis Marie honore constructam in Massa, que vocatur Balneum, juris sancte Romane, cui Deo auctore deservimus ecclesie, tibi ad monasterium edificandum regendumque cum Dei timore dispensandum, missa preceptione mutatis videlicet fontibus in ecclesiam Domini Salvatoris in medio predicte Masse loco constructam, ubi facilior populi concursus esse videtur, concedere deberemus. Nos autem inclinati precibus tuis alacri devotione impertimur assensum, ut ex hoc lucri potissimum premium a conditore omnium Deo possimus promereri, si venerabilia loca opportune ordinata per vos ad meliorem fuerint statum perducta. Per hujus itaque precepti paginam jam supra memoratam ecclesiam Dei genitricis cum contiguis hedificiis & tanto terre ac vinearum spatio in circuitu, quantum jamdicta ecclesia Domini Salvatoris habere dignoscitur, itaut, quod residuum fuerit, predicte ecclesie Domini Salvatoris pertineat, a presenti sexta indictione in integrum ad monasterium construendum, donec Deo juvante advixeris, tibi concedimus: simulque & silvam in territorio Aretino juris tue proprietatis, quam tu ipse beato Petro apostolo per donationis paginam contulisti, quam etiam tuo studio ad cultum ex parte perduxi-

duxiſti cum caſis ibidem conſtructis & Deo propitio conſtruendis, terris, vineis, campis, pratis, paſcuis, rivis & fontibus, cultis vel incultis tibi intra fines denominatos largimur diebus vite tue; ideſt ab una parte de Petra ficta ad Jugum majus, inde in Caſtellione, atque iterum a ſummo Montionis, inde ad Thetolitium, & inde ad ſtilum Filioli: dimiſſo ſtilo a manu dextera per viam ambulantem per pontecellum, & ab alio latere territorium & maſſa, que vocatur Balneum, juris ſancte Romane eccleſie. Poſt diſceſſum vero tuum eidem monaſterio in perpetuum confirmamus, eadem dumtaxat ratione, ut abbas, qui pro tempore inibi ex eadem congregatione electus, & ordinatus fuerit, ſervos Dei monachos, quos in eodem monaſterio aggregare potuerit, ſub caſtitate & modeſtia regulari atque monaſtica diſciplina regule ſcilicet ſancti Benedicti, ut paterfamilias Dei timorem præ oculis habens exinde foveat atque gubernet. Hoc etiam preſenti ſtatuto decernimus, ut nullius alteri eccleſie dictionibus juris conditione, niſi ſancte noſtre, cui Deo auctore preſidemus, eccleſie, conſtitutum monaſterium ſubmittatur. Quamobrem & omnem cujuslibet eccleſie ſacerdotem quamlibet habere dictionem preter ſedem apoſtolicam prohibemus; ita ſane ut niſi ab abbate monaſterii fuerit invitatus, nec Miſſarum ibidem ſollemnia quiſpiam celebrari preſumat. Epiſcopo vero ſancte Ficoclenſis eccleſie, cujus dieceſis eſſe videtur, cum ab abbate ipſius monaſterii fuerit invitatus ibi Miſſas canere, altaria conſecrare, dignoſque viros ad ſacerdotale miniſterium promovere, licentiam non denegamus; nec liceat alicui ſucceſſorum noſtrorum pontificum in monaſterium beneficiario jure cuilibet homini largiri, quod ſedis apoſtolice defenſione decernimus proprii tantum abbatis regimine pollere feliciter. Abbate ſcilicet ab hac luce migrante, ſubceſſor ei de propria congregatione communi omnium conſenſu de eo dignus eligatur, & ad noſtram vel ſucceſſorum noſtrorum preſentiam veniens conſecrationis munus abſque dilatione percipere mereatur, a quo tunc non majus quam unius libre argenti exenium exigatur, ita ſane ut ab eis ſucceſſoribuſque eorum ſingulis quibuſque indictionibus penſionis nomine & rationibus eccleſiaſticis viginti auri ſolidi Lucani difficultate poſpoſita perſolvantur. Res autem omnes, quas nunc predictum monaſterium habere videtur, vel Dominus eidem conferre dignatus fuerit, & ex predictis rebus juris hujus noſtre ſancte Romane eccleſie ſalaritiis videlicet, atque colonotiis, tam mobiles, quam immobiles abbas ipſius monaſterii diligenter laborare & gubernare, atque cum Dei timore diſpenſare procuret non propria lucra ſectando, alicubi aggregare, ſibi uſurpare, & fratribus auferre preſumat. Neque de immobilibus locis quipiam donare, vendere vel quolibet modo obligare ſeu alienare pertentet, ſed omnia in proprii monaſterii uſu ſaliarioque jure pro monachorum ibidem Deo famulantium ſubſtentatione, luminarium concinnatione, hoſpitum & pauperum receptione integriter ſalva in perpetuum & immutilata perſiſtant. Igitur, qui hujus apoſtolici privilegii ſanctionem parvipendere & in aliquo violare preſumpſerit, ac malitioſe ipſius monaſterii res vel familiam tractare aut diripere vel auferre preſumpſerit, ſeu ipſos monachos de fontium immutatione moleſtaverit, aut extraneum cujuslibet ordinis clericum ſeculari potentia virtuteve in prefato monaſterio abbatem eligere conatus fuerit, in quem omnis ipſius monaſterii monachicus cetus elegerit pariter cum eo, qui ſibi nomen abbatis uſurpare temptaverit, ſacroſancti corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti participatione, donec reſipiſcat, alienus exiſtat. Si quis autem judiciorum Dei immemor contra hoc noſtrum apoſtolicum preceptum quocumque tempore agere temptaverit, & non in omnibus conſervator extiterit, perpetuo anathematis vinculo manea innodatus. Qui vero cuſtos & conſervator fuerit, celeſtis benedictionis gratiam Chriſto Domino largiente conſequi mereatur.

BENE VALETE.

Scriptum per manum Pauli ſcriniarii ſecundicerius ſancte ſedis apoſtolice idus novembrias indictione VI. imperante domino piiſſimo Lodoico a Deo coronato anno XXIII. regni ejus anno ab incarnatione Domini octingenteſimo octuageſimo ſeptimo.

II.

II.

Charta repromissionis, quam fecit Pinno Petronis Gothifredo & Taido germanis de aliquibus castris & ecclesiis in Mucello diœcesis Florentinæ.

Anno 995. XIII. kl. decembris.

Ex chartario parthenonis S. Petri de Luco caps. k. n. 8.

Ad lib. I. n. 37.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi nongentesimo nonagesimo quinto tertiodecimo kalendas decembris indictione nona feliciter.

Manifestus sum ego Pinno filius b. m. Petronis ex natione Langobardorum, qualiter per hanc cartulam repromissionis, & per meam bonam ac spontaneam voluntatem, & pro mea convenienda re promitto vobis Gottifredo & Taido filiis b. m. Gottifredi, & Taido & Sigifredo filiis b. m. Pinni integre duas portiones de omnibus integris casis, curtis cum omnibus rebus pertinentibus, & de omnibus castellis, & ecclesiis & cappellis cum omnibus suis pertinentiis, que fuerunt b. m. Petronis genitoris mei cum omne id, quod est michi pertinens infra Mucellum & in Alpe, scilicet curtem cum ecclesia sancti Georgii, castellum supra se habentem de Luco cum ecclesia sancti Nicolai, & sancti Laurentii, castellum de Riofrido cum ecclesia beatissime sancte Marie, & castellum de Riocornoclario cum omnibus eorum pertinentiis, & curtes de Casanova & de Frena, & totum id quod habeo in Fortuni, in Larciano, & in Prata, & ubicumque pertinenda eorum esse inveniuntur cum supradictis vocabulis, quam pro aliis vocabulis, que in Mucello & in Alpe de ipsa reduta sunt pertinentes esse de predictis duobus portionibus, que supra leguntur .... Et nullo tempore habeamus licentiam & potestatem nec ego Pinno, neque mei filii & heredes, neque summissa persona, quam nos antea miserimus aut micti potuerimus, agendi, causandi, contendendi, aut molestandi, nec in litibus causam transmittendi ante judices vel principes tractandi, nec in quolibet loco, sed omnique tempore ad vestram proprietatem omnia supradicta habeatis & teneatis sine ulla contradictione ex parte mea, & de meis filiis & heredibus. Et si quocumque tempore apparuerit de mea parte, vel de meis filiis & heredibus per quodlibet ingenium, cui nos dedissemus contra vos agere, contendere, retollere vel minuare, aut intentionare presumpserimus aut eos nos ab omni homine & femina defendere non potuerimus & non defensaverimus, tunc dupla tanta & talis jam dicta nostra promissio sit, qualis tunc ipsa fuerit sub extimatione in consimilibus locis de nostris propriis rebus vobis restituere debeamus.

Actum Luci judiciaria Florentina.

Signa manus Pinni supradicti, qui hanc cartulam, sicut superius legitur, fieri rogavit.

Signa manuum Tagidi, Sigifredi, & Tagidi, & Gottifredi, qui omnia, ut supra, fieri rogaverunt.

Signa manuum Enrichi & Gottifredi rogatorum testium.

Ego Gherardus judex & notarius sacri palatii post traditam complevi.

III.

Guido Rolandi vendit Moricotto Rolandi itidem filio suam portionem castri de Luco in Mucello & castri Rivi-frigidi cum ecclesiis.

Anno 1013. mense aprili.

Ex eodem archivo caps. k. n. 2.

Ibidem.

ANno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo terciodecimo die mensis aprilis indictione undecima feliciter. Manifestus sum ego Guido Rolandi filius, michi Guidoni Guido & Sigifredus fratres & tutores mei consentientes, per han cartulam seu contractum venditionis vendo atque trado tibi Moricoto filio Rolandi Langobardi, idest integram meam portionem, sicuti aliquo modo mihi pertinet ex parte patris mei & matris, vel alio modo de castello Luci cum curte & ecclesia sancti Nicolai, & suis pertinentiis ubicumque inveniuntur in integrum. Insimul vendo & concedo per hanc cartulam integram meam portionem de castello, quod vocatur Riofridum cum ecclesia sancte Marie, & sua curte & cum pertinentiis suis omni jure omnique actione quoquomodo mihi pertinente a fluvio Seve usque alle Valle una cum accessionibus & ingressionibus, seu cum inferioribus & superioribus suis in integrum. Pretium vero pro ipsa venditione mea recepi ego predictus Guido venditor a Moricoto filio Rolandi emptore inter argentum & alias mobilias

bilias pro valienre libras decem & octo. Hanc venditionem facio pro debito, quod michi reliquit avus meus & pater meus; unde ex eodem pretio amplius mihi reddere nihil debere dixi. Et si forsitan jamdictus Guido vel mei heredes aut aliqua persona a nobis submissa vel per factum, quod nos factum habeamus, aut in antea faciamus contra dictum emptorem vel suos heredes agere, causare, tollere, contendere, contradicere, intentionare vel minuere presumpserimus: vel si ab omnibus hominibus utriusque sexus non defensaverimus, tunc in duplum de suprascriptis rebus cum meliorationibus vobis jure proprio induplabimus, & liberam potestatem habeatis per predictam cartulam agendi, tenendi, causandi & faciendi exinde quid volueritis ex nostra plenissima largitate, & quid exinde facietis, firmum & stabile sit semper.

Actum infra castrum, quod nuncupatur Paternum judiciaria Florentina, Feliciter.

Signum manus predicti Guidonis, qui omnia, ut superius legitur, fieri rogavit, & firmavit per sacramentum tactis evangeliis deinceps sic ratum habere, ut superius legitur, nec occasione etatis, nec aliquo modo rumpere promisit, & Gherardus filius Suavizzi vel ejus nepotes per se vel suos missos infra septuaginta dies inquisiti fuerint post inquisitionem, & postquam legiptimam etatem habuerint, cartulam facere super defensione dupli sive dando, sive omnia per bonam fidem jurando promisit.

Signa Martini, Guidonis, & Sigifredi germanorum filiorum Guidonis consensum dantium nepoti suo.

Ego Teuzo judex, in cujus presentia hoc factum est, dico.

Signa manuum Soderini filii Petri, atque Uberti filii Raginerii, atque Rustici filii Guidonis, necnon Bernardi Aczonis filii testium rogatorum.

Ego Gherardus judex atque notarius sacri palatii quidquid est in hoc complevi.

IV.

Rainerius filius Johannis vendit Gottifredo & Gotizino germanis suum jus in castris Gragnani, Luci, Rivi-frigidi &c.

Anno 1016. mense decembri.

Ex supranotato tabulario capſ. E. n. 21.

Ibidem.

IN nomine individue Trinitatis. Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi sextodecimo post mille domno Enrico gratia Dei imperatore augusto anno imperii ejus III. mense decembri indictione quartadecima feliciter. Manifestus sum ego Rainerius filius b. m. Johannis ex natione Langobardorum per cartulam seu contractum hunc venditionis vendo & trado vobis Gottifredo & Gotizino filio Gottifredi, qui Gotizino fuit vocatus, idest integram meam portionem de omnibus casis, terris, donnicatis, castellis, curtis, ecclesiis, cassinis, vineis, sortibus, & de omnibus rebus meis, & massaritiis, que mihi habui de parte genitoris mei & mihi per successionem debentur, & que sunt mihi pertinentes infra comitatum Florentinum & Fesulanum cum suis vocabulis, idest integram meam portionem de curte & castello Monte rainaldi, de curte & castello Gragnani, de curte & castello Luci, de curte & castello posito in loco, qui dicitur Riofridum, & de curte Friene ac Casanove, vel per alia loca & vocabula cum suis pertinentiis ubicumque inveniuntur, & cum omnibus que sunt infra territorium pebium sancte Felicitatis Faltone, & sancti Johannis majoris. Ideo prenominatas terras, castella, vineas, sortes, donnicatas, turres cum omnibus supra se & infra se habentibus, & cum omni jure & actione, & pertinentiis earum ubicumque per loca & vocabula, & appendices de omnibus predictis rebus juris mei mobilibus & immovibiles seu semoventibus ad predictam meam portionem pertinentibus esse inveniuntur, vobis Gottifredo & Gottizino filiis Gottifredi do, trado, atque vendo, ut omni tempore ad vestram proprietatem habeatis. Pretium vero pro ipsa venditione mea recepi a vobis supradictis emptoribus libras centum bonorum denariorum Lucensium finito pretio, unde nihil reddere debere dixi. Et quia fieri non credo, si forsitan ego predictus Rainerius vel mei filii & heredes *&c.*

Actum

Actum infra castrum montis Rainaldi judiciaria Fesulana.

Signum manus Rainerii filii Johannis, qui omnia, ut superius legitur, fieri rogavit.

Signum manus Petronis rogatus testis.

Signum manus Taidi filii b. m. Petronis rogatus testis.

Signum manus Johannini filii b. m. Rodulfi rogatus testis.

Ego Rainerius notarius post traditam complevi.

V.

Grimoaldus filius Anselmi vendit Grimoaldo filio Landolfi suam portionem de rebus positis in loco Lusciano.

Anno 1017. III. augusti.

Ex eodem chartulario capsf. E. n. 89.

Ibidem.

IN nomine Domini Dei nostri Jesu Christi. Anno ab incarnatione ejus decimo septimo post mille, & anno Domini Henrici regis gratia Dei imperatoris augusti quarto, tertio mensis Augusti indictione quintadecima. Manifestus sum ego Grimoaldus filius b. m. Anselmi ex natione Langobardorum, quia per hanc cartulam vendo & trado tibi Grimoaldo, qui Dagontius fuit vocatus, filio b. m. Landolfi, qui Aldo fuit vocatus, idest integram tertiam portionem, sicuti mihi in hereditatem & successionem de parte genitoris mei vel genitricis mee de sortis & domnicatis & rebus illis, quæ sunt posite in loco, ubi dicitur Lusciano, sicut antea recta & tenuta fuerunt a Romano & Martino filiis b. m. Venerandi, & de ipsa sorte, & terra, & donnicato, & rebus infra territorium de plebe sancti Johannis majoris. Ideo predictam integram tertiam portionem de jam dictis sortis & donnicatis, & rebus, que, ut superius legitur, cum edificiis seu solamentis, curtis, arboribus pomiferis, fructibus, fenis, ecclesiis, rebus cultis & incultis, divisis & indivisibilis, mobilibus & immobilibus, omnia & in omnibus, ubicumque per loca & vocabula & appenditiis, aut ubicumque de predictis sortibus ac donnicatis & rebus, que ad illam sunt pertinentes in integrum illam tertiam portionem, sicut superius legitur, eam tibi Grimoaldo, qui Dagontius vocatur, vendo ac trado possidendam, pretium vero pro ipsa supradicta mea venditione recepi ego supradictus venditor a te supradicto Grimoaldo, sicuti manifestum est, & inter nos conventum est, inter aurum & argentum, & alia mobilia in valiente solidos sexaginta finito pretio tantum suppletus sum, unde ex eodem pretio amplius nihil exinde reddere debere dixi. Et quia fieri non credo, si forsitan ego &c.

Actum in loco, qui dicitur Bibbianum, judiciaria Florentina.

Signum † manus Grimoaldi venditoris, qui hanc cartulam venditionis, sicut superius legitur, fieri rogavit.

Signum † manus Caroli filii b. m. Bentii rogati testis.

Signum † manus Raimberti filii b. m. Raimberti rogati testis.

Signum † manus Petronis filii b. m. Amichi rogati testis.

Ego Gherardus notarius & scriptor post traditam complevi.

VI.

Venditio Moricotti filii Rolandi facta Gherardo Suavizzi & aliis de sua portione castri Luci, & castri Rivi-frigidi & ecclesiarum.

Anno 1021. kl. julii.

Ex archivo parthenonis de Luco n. 26.

Ibidem.

ANno ab incarnatione Domini nostri Jesu christi millesimo vigesimo primo calendis julii indictione quarta. Manifestus sum ego Moricottus filius b. m. Rolandi per hanc cartulam venditionis seu contractum vendo, trado, concedo, & corporalem vestitionem facio vobis Gherardo filio quondam Suavizzi, Langobardi, idest integram medietatem, aliam medietatem tibi Teberche, & Guiccardo, & Pellavacce filii quondam Ubaldi vendo per libras triginta & sex denariorum bonorum Lucensium de integra mea porcione de castello Luci, atque ejus curte, & ecclesia ibi edificata in honorem sancti Nicolai cum eorum pertinentiis, & de castello Riofridi cum ejus curte, & ecclesia ibi edificata in honorem sancte Marie cum eorum pertinentiis. Insuper vendo vobis omne jus atque omnes actiones, sicuti aliquo modo sunt mihi pertinentes, de ipsis castellis, & eorum curtis & ecclesiis cum eorum pertinentiis ubicumque inveniuntur in integrum, sicuti mihi pertinent, & mihi evenerunt ipsa castella, seu curtes, & ecclesie cum eorum pertinentiis, necnon jus & actiones

nes aliquo modo sunt mihi pertinentes a fluvio Seve usque ad Radicosam, per quandam cartulam, quem mihi fecit Teberga filia b. m. Guidonis, & relicta quondam Orlandi filii b. m. Aczonis, & Orlandus, qui nunc ejus est vir, & Guido filius ipsius Aczonis, seu Teczonis Teberche, sicut in ipsa cartula legitur, & continere videtur, taliter vobis concedo ac vendo. Nam predicta castella & curtes atque ecclesias una cum accessionibus & ingressionibus, seu cum superioribus & inferioribus suis ab hac die vobis Gherardo, & Teberche, & Guiccardo, seu Pelavacce per presentem cartulam habendas & tenendas confirmo, nulli alio venditas, donatas, obnoxiatas, vel traditas a mea parte, nisi vobis duo; faciendum exinde vos vestrique heredes, ac cui vos jure proprietatis quidquid volueritis sine omni mea meorumque heredum contradictione. Quidem promitto & spondeo ego predictus Moricottus una cum meis heredibus vobis Gherardo, & Guiccardo, seu Pelavacce, & Teberche vestrisque heredibus predictam venditionem ab omni homine & femina defendere. Quod si defendere non potuerimus, vel per quodvis ingenium subtraere quesierimus, tunc predictam venditionem, qualiter superius legitur, in duplum componamus de nostris propriis rebus vobis restituere debeamus, tali vero pacto, si ex mea parte apparuerit nullum factum, si ex mea parte apparuerit nulla firmitas de predictis rebus, non promitto defendere neque restituere.

Actum Riocornoclario comitatu Florentino.

Signa manus predicti Moricotti, qui hec omnia, ut superius legitur, fieri rogavi.

Signa manuum Ildebrandi filiis quondam Aczonis, & Benedicti filii quondam Alberti, necnon Remberti filii Johannis testium rogatorum.

Ego Gherardus notarius & judex sacri palatii quidquid est supra, post traditam complevi.

VII.

Altera Gherardi filii Suavizzi, & Lisardæ ejus uxoris facta Seniori filio Pagani de juribus ab ipsis adquisitis in eadem castra & ecclesias.

Anno 1025. x. kl. octobris.

Ex præfato chartulario capf. k. n. 21.

ANno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi M. xxv. decimo kalendas octobris indictione nona. Manifesti sumus nos Gherardus filius quondam Suavizzi, & Lisarda jugalis filia quondam Bruni, ipso namque viro meo & mundualdo mihi consentiente, juxta legem Langobardorum, in qua nata sum, una cum notitia domini judicis Gherardi sacri palatii, in cujus presentia certam facio professionem, nullam me pati violentiam a quovis homine, sed mea bona voluntate per hunc venditionis contractum vendimus, tradimus, concedimus, & corporaliter in tenimentum mittimus tibi Seniori filio quondam Pagani de sancto Georgio per libras viginti duo bonorum denariorum Lucensium, finito precio pro integra mea porcione, sicuti aliquo modo pertinet nobis de successione Tozii, & nobis evenit per quandam cartulam factam a Moricotto & sicuti ipse Moricottus conquisivit a nuro ipsius Tozii, & a nepote ejus nomine Guidone filio Rolandi de castello Luci, & curte cum suis pertinentiis ubicumque inveniantur in integrum cum ecclesia ibi edificata in honorem sancti Nicolai. Preterea vendimus & concedimus tibi Seniori castellum de Riofrido; scilicet meam portionem de predicta successione Tozii cum curte & suis pertinentiis ubicumque inveniuntur in integrum cum ecclesia ibi edificata in honorem sancte Marie. Nam insuper concedimus nos jugales tibi Seniori jus & actionem aliquo modo pertinentem a fluvio Seve usque ad Radicosam de predictis castellis, & curtis, & ecclesiis cum eorum pertinentiis. Nam predictas res, sicuti nos habemus & possidemus, una cum accessionibus & ingressionibus, seu cum inferioribus & superioribus suis ab hac die tibi Seniori per hanc cartulam abendas confirmamus nullo alio venditas, donatas, obnoxiatas, vel traditas, faciendo exinde tu &c.

Ibidem.

Actum Riocornoclario comitatu Florentino.

Signa manuum prefatorum jugalium, qui omnia, ut superius legitur, fieri rogave-

gaverunt, & predictum pretium accepimus, & ipse Gherardus consentit predicte sue uxori.

Signa manuum Ildebrandi de Castagnolo, & Ubaldi de Lezano, atque Orlandi Bacherelli de Guzano testium rogatum.

Ego Gherardus judex & notarius sacri palatii interrogatus dicte Lizarde, nec non quod est pro nostra dictione complevi.

VIII.

Charta bonorum, quæ nomine dotis dedit Aldina filia Adoaldi Landolfo filio Gottifredi comitis.

Anno 1043. mense novembri.

Ex eodem archivo capſ. G. n. 41.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus quadragesimo tertio post mille mense novembris indictione duodecima. Manifestus sum ego Landolfus filius b. m. Gottifredi comitis, quia lex & tenor edicti contemptus in hac pagina, sicut Langobardus mos requirit, vult nuptias ante parentes & amicos & coram testibus ostendere, ideo ita decerni, ut hac die, nuptias nostras ante parentes & amicos, & coram testibus demonstrarem. Et in Dei omnipotentis nomine ecce alia die nuptiarum nostrarum, quando te Aldinam filiam Adoaldi tibi Landolfo filio Gotidii comitis in conjugem associare providi, dare & ostendere atque reddere providi tibi dilectionis tue affectu secundum legem nostram Langobardorum nomine dotis ante parentes & amicos, atque coram testibus, idest integram quartam portionem de integris casis, curtis, & domnicatis, & turris, & ecclesiis, sortibus, & rebus, & massariciis meis, excepto monte & podio & castello de Gregnano cum omni edificio suo, & monte & podio & castello de vocabulo Monte Rainaldi cum omni edificio suo, & omnibus rebus meis movilibus & immovilibus, quas habere, tenere & possidere visus sum infra regnum Italie, & finibus Tuscie vel Romanie, seu infra comitatum Florentinum, & Fesulanum, Aretinum, Senensem, Mutinensem, scilicet quartam portionem de curte & castello & turre de Canprato cum ecclesia beatissimi Angeli, que est posita ibique; de alia curte mea, que est in vocabulo sancta Maria novella; seu de terris & vineis & rebus meis de vocabulo Monte Rainaldi, excepto quod supra exceptuavi; seu de terris, & vineis, & rebus meis de Gregnano, excepto quod supra exceptuavi; seu de curte mea de Ricavo cum ecclesia beati Stefani, que est posita ibique; seu curte mea, que est posita in loco, qui nominatur Monte Sanctus; seu de curte mea, que est posita in loco, qui nominatur Fulignanum; seu & curte mea, que est posita in loco, qui nominatur Decimo, cum ecclesia beatissimi sancti Petri, que est posita ibique; seu de casa & curte mea, que est posita in civitate Florentie; seu curte mea, que est posita in loco, qui nominatur Campi; seu de curte & castello meo, quod est positum in loco, qui nominatur Luco, cum ecclesia beatissimi sancti Bartholomei, que est posita ibique; seu de curte mea & castello de Riofrido cum ecclesia beatissime sancte Marie, que est posita ibique; seu de curte mea, que est posita in loco, qui nominatur Casa nova, & sunt omnes supradicte res infra territorium dicte plebis sancti Marcellini sito a Vana, & sancti Petri sito a Vanano, & sancte Marie, que dicitur a Novella, & sancti Paulini sito Floſciano & sancti Paulini sito Collina, & sancti Donati sito in Podio, & sancti Pauli & sancti Petri sito Bustile, & sancte Cecilie sito Decimo, & sancti Stefani sito Campi, & sancti Johannis, qui dicitur Major, & sancte Marie, que dicitur Riocornoclario: ideo tam de casis, quam edificiis seu solamentis, quam de curtis, sortibus, terris, vineis, campis, pratis, pascuilis, silvis, salectis, & tam de sortibus, perangariis, quam de libellariis, seu tributariis, aquis, aquarumque cursibus, molendinis, piscariis, hac paludibus, montibus, alpis, planis seu auro & argento, riccamentis, armis, cavallis, jumentis, bovibus, vaccis, seu servis & ancillis, movilibus & immovilibus, omnia & in omnibus, ubicumque de ipsa quarta portione esse invenitur, sicut superius legitur, excepto quod supra exceptavi in integrum, eas tibi supradicte Aldine & tuis filiis heredibus habendas confirmo. Neque a me supradicto Landolfo, neque a meis filiis & heredibus, neque a nullo quoque contra dictam donationem venire aut aliquam vexationem aut quamlibet generatam molestiam facere presumserimus, sed omni tempore hanc dationem tibi predicte Aldine firmo defendere, & stabilem permaneat semper.

Actum

Actum loco dicto Glacardulo judiciaria Modinense.

Signum manus Landulfi, qui hanc cartulam conjugii, ut superius legitur, scribere rogavit.

Signum manus Vuidi filii Petronis rogati testes.

Signum manus Ciculi filii Rainerii rogati testis.

Signum manus Alberti filii b. m. Almerici rogati testis.

Signum manus Petronis filii b. m. Alberti rogati testis.

Ego Teuzo filius b. m. Landolfi hanc paginam donationis, sicut superius legitur, transcribere vidi & rogatus scribere scripsi.

Ego Aldebrandus notarius & scriptor post traditam complevi.

IX.

Johannes filius Guidi comitis vendit Henrico filio Henrici comitis suum jus in castra Luci, Castellionis & Vicii.

Anno 1044. mense julio.

Ex supracitato chartario Lucensi.

Ibidem.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus quadragesimo quarto post mille mense julio indictione decima III. Manifestus sum ego Johannes filius Guidi comitis, quia per cartulam hanc venditionis, & pro mea convenienda re vendo & trado tibi Enrico filio Enrici comitis ex natione Langobardorum, idest integram meam tertiam portionem, sicut in hereditatem & successionem mihi quidem Johanni a Federico b. m. Ubaldi, & a Guilla jugali venit de omnibus integris castellis, sortibus, curtis, domnicatis, & rebus omnibus, scilicet integram meam tertiam portionem de curte & castello de Luco, de curte & castello, quod nominatur Castilione, de curte & castello, quod vocatur Vicium, cum omnibus suis edificiis & pertinentiis ubicumque inveniuntur per loca & vocabula & appendices in integrum, sicut manifestum est, & inter nos conventum est, vendo & trado ad possidendum. Pretium vero pro ipsa venditione mea recepi ego supradictus venditor a te suprascripto Enrico inter argentum & alia mobilia in valiente solidos ducentum finito pretio tantum & suppletus sum, unde ex eodem pretio amplius exinde reddere debere dixit, & quia fieri non credo, si forsitan ego suprascriptus Johannes venditor, vel mei filii & heredes aut summissa persona, quam nos miserimus, vel cum quolibet nostro facto veniat & per quodlibet ingenium, cui nos illam tertiam meam portionem dedissemus, aut in antea dederimus quoad tibi supradicto Enrico vel tuis filiis heredibus, aut cui nos ipsa venditio mea tradita vel venumdata fuerit in aliquid exinde vobis contendere, contrariare, retollere, aut intentionare vel minuare presumpserimus, aut si eam vobis ab omni homine masculo vel femina defendere non potuerimus, & non defensaverimus, tunc dupla tanta & talis sit ipsa venditio nostra de supradicta tertia mea portione, qualis tunc ipse fuerit sub extimatione in consimilibus locis de meis propriis rebus vobis restituere & persolvere debeamus. Et si vobis opportunum fuerit, licentiam & potestatem habeatis una cum ista cartula causam exinde agendam, finem ponendum, responsum reddendum & usque ad veram legem perducendum, quam melius potueritis, sicuti & ego facere debeo.

Actum in loco dicto Castilione judiciaria Aretina.

Signa manuum supradictorum, qui omnia, ut superius legitur, fieri rogaverunt.

Signa manum Henrici b. m. Guidi, & Rolandi b. m. Taidi rogatorum testium.

Ego Petrus scriptor & notarius post traditam complevi.

X.

Albizo filius Bonamichi comitis vendit Rainerio filio Guidi comitis suam portionem castri S. Justi de Porcari cum ecclesia S. Andrea, & curtem ac ecclesiam S. Michaelis de urbe Luca.

Anno 1047. III. id. martii.

Ex eodem archivo caps. D. n. 59.

Ibidem.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus quadragesimo septimo post mille tertio idus martii indictione quintadecima. Manifestus sum ego Albizo filius Bonamichi comitis ex natione Langobardorum, quia jam ante hos annos per cartulam venditionis sic venumdavit & tradidit mihi Rainerius filius b. m. Guidi comitis, qui Bacherello

lo fuit vocatus, integram suam portionem de castello sancti Justi, qui Porcari vocatum est, cum ecclesia illa, que est ibi edificata in honorem sancti Andree apostoli, seu integram suam portionem de curte tua illa, quam habebat intus & infra civitatem de Luca cum ecclesia illa, que ibi edificata est in honorem sancti Michaelis archangeli, proinde modo ego supradictus Albizo & Imilia jugalis manifesti sumus, quia consentiens mihi predictus vir meus, uti intervenire videtur noticia Widonis judicis, a quo secundum legem Langobardorum interrogata sum, & cognita sum, nullam me esse passam violentiam, sed pura & integra mea bona & spontanea voluntate hanc cartulam fecisse dixi. Unde per hanc cartulam venundamus tibi Rustichello filio b. m. Lamberti comitis, idest integram meam portionem de castello & ecclesia & domnicatis & sortibus ac rebus in predictis locis & vocabulis, quibus superius legitur, & sunt in ipsa cartula scripta per manum Azzi notarii. Jamdictam ergo meam portionem de omnibus, que superius legitur, tibi Rustichello eas vendo & trado omnia & in omnibus quantum in predicta cartula legitur, pro quibus pretium recipimus nos predicti jugales vice tui Rustichelli a Petro presbytero denarios solidos centum finito pretio. Unde repromittimus nos supradicti jugales cum nostris heredibus tibi Rustichello & tuis heredibus aut eidem homini, cui vos predictam nostram venditionem dederitis, defendere; & si nos vobis eas subtrahi tempore aliquo exinde intentionaverimus, aut retolli, vel subtrahi quesierimus nos vel ille homo, cui nos antea dedissemus pro quolibet ingenio, tunc spondemus vobis componere de omni nostra supradicta venditione in duplum sub extimatione, qualis tunc ipsa fuerit ab his omnibus, vobis exinde nec actores, nec defensores esse debeamus, nec esse promittimus, si hoc non ex causa nostra accidat cum suprascripta cartula, cum jam memorata cartula a vobis defendere debeatis, & in tali ordine hanc cartulam Petrum notarium & judicem scribere rogavimus.

Actum in loco dicto castello de monte Vultraso judiciaria Lucensi feliciter.

Signa manuum de predictis jugalibus, qui hanc cartulam, ut superius legitur, fieri rogaverunt.

Ego Wido sacri palatii notarius interfui, & manu mea subscripsi.

Signum Albizi filii b. m. Anselmi rogatus testis.

Signum manus Johannis Matuli filii b. m. Widi rogatus testis.

Signum manus Francisci filii b. m. Widi rogatus testis.

Ego Petrus notarius & judex post traditam complevi.

XI.

Farolfus filius Bernardi comitis & Letiga filia Gottifredi comitis vendunt omne suum jus in castra & ecclesias, que fuerunt Rolandi filii Landolfi, Betto dicto Morando.

Anno 1076. id. octobris.

Ex præfato tabulario sacc. G. n. 82.

Ibidem.

IN nomine Dei eterni. Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi septuagesimo sesto post mille idus octobris indictione quartadecima, feliciter. Manifesti sumus nos Farolfo, qui Pagano vocatur, filius b. m. Bernardi comitis, & Letiga jugalis filia Gottifredi comitis, sed ego quidem Letiga interrogata sum ab Johanne judice sacri palatii, qui Bellondus vocatur, ut si ego per alicujus hominis virtutem, aut de ipso viro meo, vel per meam bonam voluntatem hanc cartam fecisse secundum legem Langobardorum. Quapropter ego manifesta dixi, quod per nullius hominis virtutem, neque de ipso viro meo eam facio, sed per meam bonam & spontaneam voluntatem facio, & ipse vir meus mihi consensit, & commiatum dedit. Predicti nos communiter jugales per hanc cartulam vendimus, tradimus tibi Betto dicto Morando, idest integram nostram portionem de omnibus curtis, castellis, turribus, ecclesiis, casis, casinis, terris, vineis, sortibus, & domnicatis, que fuerunt Rolandi filii Landolfi, & mihi predicte Letighe per cartulam aut scripturam, & per successionem, aut aliquo alio modo mihi dedit & renuntiavit, & sunt posite ipse res intra territorium Florentinum, Fesulanum & Senense, videlicet nostram portionem de curte & castello, quod vocatur Gregnano, de curte & castello quod vocatur Cantamerula, de curte & castello, quod vocatur Luco, cum curte de Larziano, & Frena, de curte & castello de Riofrido, de curte & castello de Falignano & de Pancule, de curte de Monte sancto, de curte

te & castello, quod vocatur Riocornoclarium, de curte & castro de Grezano, & de Monte Rainaldi, & de curte & castello de Camprato, & de curte de Casanova, & per alia vocabula & loca cum omnibus rebus positis infra plebes sancte Felicitatis a Larciano, & sancti Johannis Majoris, & sancti Stephani de Ricavo, & sancte Cecilie de Gragnano, & sancti Donati de Campi, & sancti Leonis Facilliani, & sancte Marie a Novella, & sancti Marcellini, vel per alias plebes cum omnibus domnicatis, curtis & omnibus adjacentiis suis, & cum omnibus rebus ubicumque inveniuntur, cum omnibus supra se & infra se habentibus, concedimus & vendimus ad possidendum. Pretium vero pro ipsa venditione nostra a te Betto recipimus inter argentum & alias mobilias pro valiente libras centum finito pretio, unde nihil amplius reddere debere diximus. Et quod fieri non credimus, si forsitan nos predicti jugales vel nostri heredes aut submissa persona, quam nos miserimus vel cum quolibet nostro facto veniat per quodlibet ingenium, cui nos eam dedissemus aut dederimus in aliquid exinde vobis contendere, retollere, minuare vel intentionare presumpserimus, aut si eam nos ab omni homine masculo & femina defendere non potuerimus & non defensaverimus, tunc in duplum tanta & talis sit jam dicta venditio nostra, qualis tunc ipsa fuerit sub extimatione in consimilibus locis de nostris propriis rebus vobis restituere & persolvere debeamus. Et si vobis opportunum fuerit, licentiam & potestatem habeatis una cum ista cartula causam exinde agendam, finem ponendum, responsum reddendum, & usque ad veram legem perducendum, quam melius potueritis, sicut & nos facere debuimus. Actum in castro de Monte Rainaldi judiciaria Fesulana feliciter.

Signa manuum supradictorum jugalium, qui omnia, ut superius legitur, fieri rogaverunt.

Signa manuum Alberti filii Raimberti, & Rainerii filii Rainerii, & Odoaldi filii Landolfi rogatorum testium.

Signum manus Rainerii filii Albizi rogatus testis.

Ego Gherardus judex & notarius post traditam dedi completionem.

XII.

Charta donationis terrarum facta Leoni abbati S. Michaelis in burgo Pisarum ab Ugone filio Ughi.

Anno 1080. xv. kl. aprilis.

Ex archivo ejusdem monasterii.

Ad lib. XXI. n. 16.

IN nomine Domini nostri Jesu Kristi Dei eterni. Anno ab incarnationis ejus mille octuagesimo quintodecimo kalendas aprilis indictione tertia. Manifestus sum ego Ugo filii b. m. item Ughi, quia per hanc cartulam pro anime mee remedio offero, dono, ac trado ecclesie & monasterio sancti Michaelis archangeli, quod est fundato, & edificato foras civitate Pisa prope porta, que dicitur Samueli, ubi nunc domnus Leone abbas preesse videtur, idest meam portionem ex integra de duo petiis de terris, que sunt positas in loco, & finibus Mezana. Que unam ex supradicta petia de terra videlicet Albari est tenens uno caput in terra Ughi judex quondam Beriti, & alio caput tenet in terra Homodei filio bone memorie Cunitie, latus uno tenet in via Cararicia, & alio latus tenet in terra Eldibrandi, & Alcheri filii b. m. Eldibrandi, & de suorum consortibus, & est insuper totas pro mensura stariorum septem, & tertiam portionem de uno panoro. Et ille alia petia de terra, ubi dicitur Casajo, que uno capo tenet in via publica, & alio caput tenet in terra sancti Ambrosii, latus unus tenet in terra de supradicto monasterio sancti Michaelis, & alio latus tenet in terra ecclesie, & episcopatus sancte Marie, & in terra ecclesie & monasterii sancti Angeli da Verruca, & est insuper totas pro mensura ad justa seminatura stariorum tres & panorum octo, & duas portiones de uno panoro de supradictis duo petiis de terris, qualiter ab omnis parte circumdati, & mensurati sunt per designatas locas com..... ...am portionem, ipsa vero meam portionem ex inde integram cum inferioribus, & superioribus suis .... cum accessionibus, & ingressoras suas tibi omnipotenti Deo, & supradicta ecclesia, & monasterio sancti Michaelis, idest meam portionem ex integram de una petia de terra illa, que est posita in supradicto loco, & finibus Mezzana prope ecclesia sancti Johannis, que uno caput tenet in via publica, & alio caput tenet cum uno latus

tus in terra Alboni filii b. m. Eldibrandi, & alio latus tenet in terra Imelde relicte b. m. Enrighi, dicta supradicta petia de terra cum cassina & curte, seu orto, qualiter ab omni parte circumdata est per designatas locas, quod est insuper totas per mensuras ad justa seminatura stariorum uno, & panorum septem, & sextam portionem de uno panoro competenti exinde mihi quartam portionem exinde integram cum inferioribus & superioribus suis, seu cum accessionibus & ingressoras suas omnipotenti Deo, & pro dicta ecclesia, & monasterio sancti Michaelis offero, dono, ac trado, & per presentem paginam offertionis ibidem ad habendum confirmo, ut sit jure predicti monasterii ad usum, & sumptus, ac stipendia cunctorum monacorum, qui ibi modo militant, quamque in antea militare videbuntur sine omni mea, meorumque heredum contradictione vel repetitione. Si quis vero, quod futurum esse non credo, & si ego, qui supra Ugho, quod apsit, vel meus heres, seu quislibet nostra opposita persona contra hanc cartulam offertionis venire, quandoque tentaverint, vel si eam infrangere vel disrumpere quesierint, & si non permiserimus permanere, sicut supra decrevimus, vel si eam a pars supradicte ecclesie, & monasterii ab omnis homine defendere non potuerimus, & non defensaverimus, spondeo ego qui supra Ugo una cum meis eredibus componere a pars supradicte ecclesie & monasterii sancti Michaelis suprascripta res in duplum in ferquidem loco sub estimatione quales tunc fuerit & insuper penam arientum optimum libras decem: sic tamen si nos rectores de supradicto monasterio nos exinde auctores, nec defensores querere, nec dare voluerit, licentiam abeant absque nostra persona exinde causas agendi, responsum reddendi, finem ponendi modis omnibus vobis eas defensandi cum cartula ista, vel qualiter justa lege melius potueritis, quia in tali ordine hanc cartulam offertionis Bonio notarius domni imperatoris scribere rogavimus. Actum infra claustra de supradicto monasterio.

Signum de manibus supradicti Ughi, qui hanc cartulam offertionis fieri rogavit.

Signum de manibus Pagani filio b. m. Eldibrandi testes.

Signum de manibus Lamberti filio b. m. Bonaldi testes.

Signum de manibus Ughi filio b. m. Gherardi testes.

Signum de manibus Uberti filio b. m. Petri testes.

Ego Bonio notarius domni imperatoris post traditam complevi, & dedi.

XIII.

Venditio Rigi & Supponis filii ejusdem Rodolpho filio Johannis.

Anno 1080. XI. kl. aprilis.

Ex archivo Fontis-boni. §. Emptio n. 102.

Ad lib. XXI. n. 11.

IN nomine Domini Dei eterni salvatoris nostri Jesu Christi anno ab incarnatione ejus millesimo octuagesimo undecimo kalendas aprilis regnante Henrico rege indictione tertia. Constat me Rigum filius Ugonis de . . *&c.* . Manifestus sum ego Suppo filius de suprascripto Rigo, qualiter per ejus consensum & datam licentiam nos ambo insimul vendidimus atque tradidimus tibi Rodolfo filio Johannis . . . . le decem & octo tabulas de terra, que sunt posite in plebe sancte Marie sita Miciano, & in avocabulo a la Cruce & Centine, que sunt a la Cruce, sunt isti finis, de una parte est terra de monasterio de Deciano, de secunda de hominibus de Bivigliano, de tertia filiorum Raginerii, de quarta Majanesi, & in Centine sunt isti fines, de una parte est terra de monasterio de Deciano, de secunda Maiinesi, de tertia terra suprascripti hentoris, & de tuis consortis, de quarta est via, que autem suprascripta nostra venditio cum omnibus *&c.* Actum Arizio feliciter.

Signa manuum suprascriptorum venditorum, qui anc cartam vendizionis scribere, & manu eorum firmare rogaverunt.

Signa manuum Bonizi filii quondam Petri, Farolfi filii quondam Barunci, & Guidonis filii ejus de Valle, qui rogati testes manus suas scribere rogaverunt.

Rusticus notarius scriptor hujus curte venditionis post traditam scripsit & complevit.

XIV.

Præceptum Henrici IV. regis pro VVigberto archiepiscopo, & ecclesia Ravennate.

Anno 1080. VI. kl. julii.

Ex autographo Cl. V. Bonifacii Rangonii marchionis.

Ad lib. XXI. n. 32.

IN nomine sancte & individue Trinitatis Henricus divina favente clementia rex. Si locis divino cultui mancipatis imperiali juvamine proficimus divina remuneratione id nobis recompensandum vere scimus. Cunctis igitur Deo nobisque nunc & in posterum militantibus pateat, nos pro nostre anime recompensatione, & interventu nostre dilecte jugalis Berhtæ atque Chuonradi dilecti nostri filii confirmasse & penitus corroborasse jure perpetuo sancte Ravennati ecclesie, cui vocabulum est agia Anastasis & domno Wigberto sancte predicte ecclesie venerabili archiepiscopo nobisque dilectissimo & summe sedis electo apostolico, sicut antecessores nostri reges & imperatores suo antecessori Gebehardo suisque successoribus & nos domno Wigberto suisque successoribus in sede Ravennati attribuisse & confirmasse omnes res mobiles & immobiles seu quecumque ab antecessoribus nostris regibus & imperatoribus, nec non sedis Romane apostolicis sancte Ravennati ecclesie suisque presulibus preceptali institutione seu confirmatione sunt attributa. Siquidem episcopatus, monasteria, ecclesias, civitates & castella, famulos & famulas, comitatum etiam Feretranum cum episcopatu suo, & cum monasterio sancti Salvatoris in ipso comitatu posito, comitatum Cesenatem cum castro vetere & novo, & turribus ac omnibus sibi pertinentibus, comitatum Ficoclensem cum episcopatu suo & ripa, episcopatum Regiensem cum dono & consecratione, sicut Otto noster antecessor imperator stabili manu constituit, simulque comitatum Decimanum, comitatum Traversarie, comitatum Immolense, comitatum Cumiaclensem cum ripa & piscariis suis, comitatum Ferrarie cum ripa & piscariis suis, nec non districtum Ravenne cum portis, ripa, portubus, muris, publicaliis, & omnibus teloneis & moneta publica, quam hinc inde .... ibi fieri precipimus sub potestate sancte dicte ecclesie superius ejusque presulum. Concedimus etiam omnem potestatem in omnibus infra & extra civitatem Ravennam, sicut nostri antecessores scilicet reges & imperatores antea constituerunt. Massa etiam, que vocatur Fiscalia, cum Cornu cervino. Monasterium sancte Marie in Pomposa cum omnibus rebus & pertinentiis suis. Portum Volane integriter cum piscariis suis & omni littore vestris & portubus usque ad portum Cervie & usque ad fluvium Punctarii. Simulque donamus juxta auctoritatem nostrorum antecessorum abbatiam sancte Marie positam in loco Bangaritie cum dono & consecratione abbatum, & cum omnibus pertinentiis inter Padum & Atisam fluvios sitis in territorio Adriensi, & ubicumque sunt vel invente fuerint ejusdem abbatie proprietates. Preterea confirmamus monasterium sancti Hilarii in Caligata cum omni districto & placito suo, castellis & curtibus & pertinentiis suis; monasteria sancti Thome apostoli & sancte Eufemie infra civitatem Arimini cum omnibus pertinentiis suis, seu omnes res, quas diaconus Petrus filius Martini ducis Ravennati ecclesie contulit, & omnia que Ingelrata tenuit comitissa a mari Adriano usque ad alpes, & a fluvio Reni usque Potentiam, sicut maximus Otto imperator in placito per leges investivit Petrum Ravennatem archiepiscopum suamque ecclesiam. Itemque omnia, que Lambertus comes cum uxore vel filiis habuit & tenuit a mari usque ad alpes, & a Rheno usque ad Folium, sicut precessor noster tertius Octo cesar sepe dicte pro eorum culpis donavit ecclesie, nominatim vero comitatum Bobii, Forolivii, Foropopilii, aliisque civitatibus & districtibus eorum, & omnibus ad easdem pertinentibus. Ad hec omnia confirmamus, stabilique gradu corroboramus ipsi ecclesie omnia, que antiquitus .... pertinent in tota marchia Camerini per diversos comitatus & territoria, videlicet Auximanum, Anconitanum, Senogalliensem & Fani, aliosque comitatus, & nominatim ea omnia, que predictus domnus Gebehardus archiepiscopus ad jura ipsius ecclesie revocavit, massam scilicet Afranianam, que Auximana, in qua est castrum Huboldi, quod nunc vocatur Gebehardi, castellum Osanie, & massam Ruffiani, massam Merolanam, que de Senegallia, curtem Montonis, massam Victoriadam & massam Salam territorii Fani, castrum Tuderiani territorii Pupiliensis. Hec omnia cum omnibus rebus possessionibus & pertinentiis suis emissa nostra preceptione atque imperiali edicto sepefactam ecclesiam habere firmiterque tene-

tenere precipimus. Si quis igitur hujus nostre preceptionis violator extiterit, sciat se compositurum mille libras auri purissimi, medietatem camere nostre, & medietatem predicte ecclesie. Quod ut verius credatur, & ab omnibus diligentius observetur manu propria roborantes hanc cartam sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum Heinrici quarti regis invictissimi.



Burchardus episcopus & cancellarius vice Sigevvini archicancellarii recognovi.

Data anno Dominice incarnationis mille LXXX. indictione III. VI. kalendas julii anno autem ordinationis domni Heinrici quarti regis XXV. regni XXV. Actum Brihssinur.

XV.

Donatio prædii facta ab Imelda uxore Ughi monasterio S. Michaelis Pisarum.

Anno 1080. prid. kl. aprilis.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Ad lib. XXI. n. 10.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnationis ejus mille octuagesimo primo pridie kalendas aprilis inditione tertia. Manifesta sum ego Imelda mulier Ughi, & filia b. m. Tebaldi, quia consentientes mihi supradicto Ugo vir meus, ubi interesse videtur notitia Widi judex sacri palatii, ad quibus secundum legem interrogata & cognita sum ego quod nulla me passa sim violentiam, set pura & integra mea bona voluntas sequentes dicti pagina, consentientes mihi supradicto vir meus, per hanc cartula pro anime mee remedio offero, dono, ac trado omnipotenti Deo & ecclesie & monasterio sancti Michaelis archangeli, qui est fundata, & edificata foras civitate Pisa prope porta Samueli, ubi nunc domnus Leone abbas preesse videtur, idest meam portionem ex integra de una petia de terra illa cum cassinis, & curte, & orto totas insimul comprensa, que est positas in loco, & finibus Mezzana prope ecclesia sancti Joannis prope justo fluvio Arno, qui uno capo tenet in via publica & alio capo cum uno lato tenet in terra Albonis filio quondam Ildebrandi, & alio lato tenet in terra Imelde relicte quondam Enrighi. De as suprascriptas petia de terra cum cassinis ac curte, & orto totas insimul comprehensa qualiter ab omnis parte circumdata est per designatas locas, quod est per mensuras ad justa seminatura sistariorum uno, & panorum septem, & sextam portionem de uno panoro & competit exinde mihi quartam portionem, ipsa vero meam portionem que mihi pertinet per cartula aut .... morg in cap de pars supradicto vir meus, sive per qualecunque ordinem exinde integra cum inferioribus & superioribus suis, seu cum accessionibus & ingressoras suas omnipotenti Deo & predicte ecclesie & monasterio sancti Michaelis archangeli offero, dono, ac trado. Item offero omnipotenti Deo & supradicte ecclesie & & monasterio sancti Michaelis, idest meam portionem ex integra de duo petiis de terris illis, quibus sunt positas in supradicto loco & finibus Mezzano Metitiana, quas mihi pertinet de pars supradicto viro meo, qui una petia de terra, ubi dicitur Alboni & tenentes uno capo in terra Ughi judex quondam Beriti, & alio capo tenet in terra Omidei filio quondam Cunitie, lato uno tenet in via Cararicias, alio lato tenet in terra Ildebrandi judex & Alcherii germanorum filii b. m. Ildebrandi, & de suorum consortibus, & est per mensuras ad justa seminatura sistariorum quatuor, & panorum septem, & tertiam portionem de uno panoro, & illa alia petia de terra, ubi dicitur Catulo, qui uno capo tenet in via publica, & alio capo tenet in terra sancti Ambrosii, lato uno tenet in terra ecclesie, & monasterio sancti Michaeli de la Veruca, & est per mensuras ad justa seminatura sistariorum tres, & panorum tres, & tertiam portionem de uno panoro de as supra dicta duo petiis de terris, qualis ab omnis parte circumdati sunt per designatas locas competit exinde mihi octavam portionem, ipsa vero meam portionem exinde integra cum inferioribus & superioribus suis seu cum accessionibus & ingressoras suas omnipotenti Deo, & predicte ecclesie, & monasterio sancti Michaelis offero, dono, ac trado, & per presentem paginam offertionis ibidem abendum confirmo, ut sit jure predicto monasterio ad usum sunctum, seu stipendia cunctorum monachorum, qui ibi modo militant, quamque in antea militare videbuntur, sine omni nostra, nostrarumque eredum contradictio-

ctionem, vel repetitionem. Si quis vero, &c. Actum loco & finibus Frontiole prope ecclesia sancti Ilarii.

Signum de manibus supradicte Imelde, qui hanc cartula offertionis fieri rogavi.

Signum de manibus supradicti Ughi viro supradicte Imelde consentientes.

Ego Vvido judex sacri palatii interfui.

Signum de manibus Ughi filio b. m. Gherardi testis.

Signum de manibus Rocti filio b. m. Socci testis.

Signum de manibus Omodei filio Alberti testis.

Signum de manibus Vvidi filio b. m. Actii testis.

Ego Ildebrandus notarius sacri palatii Lateranensis post tradita complevi & dedi.

XVI.

Privilegium Gregorii papæ VII. pro monasterio S. Zenonis Pisarum.

Anno 1081. IIII. nonas martii.

Ex eodem chartulario S. Michaelis.

Ad lib. XXI. n. 21.

GRegorius episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo filio Leoni abbati monasterii sancti Zenonis in Pisana urbe, ejusque successoribus. Superne miserationis respectu ad hoc universalis ecclesie curam suscepimus, & apostolici moderaminis sollicitudinem gerimus, ut justis postulantium votis attenta benignitate faveamus, precipueque ad venerabilium locorum quietem stabiliendam nostre auctoritatis munimen conferre debeamus. Proinde prelibatum monasterium, cui tu preesse dignosceris, juxta petitionem tuam sub apostolice sedis defensione recipimus, & presentis privilegii decreto cuncta, que hactenus jure possidere visum est, vel deinceps Domino largiente juste acquiret, concedimus atque firmamus, insuper etiam consentiente Pisano episcopo decimationes omnium terrarum, quas ad domnicatum vestrum laborare feceritis, annuimus, adjicientes, ut fidelium oblationes accipere, & eos, qui se devoverint in cemeterio vestro sepelire, nec non etiam quicumque seculo renuntiantes ad vestram conversationem venire voluerint, licitum sit vobis sine alicujus contradictione admittere. Que ut omnia, sicut scripta habentur, ut memoratum cœnobium suum per succedentium temporum curricula secure ac sine inquietudine firmiter & inconvulse obtineat, apostolica auctoritate corroborantes, statuimus nullum regum, vel imperatorum, antistitum, nullum quacumque dignitate preditum, vel quempiam alium audere de his, que eidem venerabili loco a quibuslibet hominibus de proprio jure jam donata sunt', vel in futurum, Deo miserante, conferrent, sub cujuslibet ausu, occasionisve specie minuere, vel auferre, sive suis usibus applicare, vel aliis quamvis piis de causis pro sue avaritie excusatione concedere. Si quis vero regum, sacerdotum, clericorum, judicum, & secularium personarum hanc constitutionis nostre paginam agnoscens, contra eam temerario ausu venire tentaverit, admonitus semel & iterum usque tertio per convenientes indicias, si non resipuerit, atque predicte ecclesie non satisfecerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reumque se Divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. Ac nisi ea, que ab illo sunt male ablata, restituerit, vel digna penitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore, & sanguine Domini redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in eterno examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant.

Datum Laterani IV. non. martii per manus Petri S. R. E. presbyteri cardinalis, & bibliothecarii anno VIIII. pontificatus domni Gregorii septimi pape indictione IV. anno M. LXXXI.

XVII.

Refutatio facta abbatiæ S. Hippolyti de Faventia, & ecclesiæ S. Andreæ de Zagonaria.

Anno 1081. XVI. julii.

Ex archivo ejusdem abbatiæ.

Ad lib. XXI. n. 16.

IN nomine patris & filii & spiritus sancti. Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo octuagesimo primo tempore Victoris pape, & Enrici imperatoris die sexto decimo mensis julii indictione duodecima. Dum adessem ego Albertus Faventine urbis tabellio apud ecclesiam sancti Andree in Zagonadi venit Farulfus filius Alberti de Paulo,

Paulo, & Ugo cum uxore sua Constantia nomine ad predictam ecclesiam sancti Andree, & rogaverunt domnum Jeronimum abbatem monasterii sanctorum Laurentii & Ipoliti una cum suis monachis, ut sublevaret eos a pena peccatorum suorum, & eos orationum, & elemosinarum, & sacrificiorum, que in predicto monasterio & in ecclesia sancti Andree fierent, participes faceret. Domnus autem predictus abbas ivit in supradicta ecclesia cum monachis ac laicis, quorum nomina inferius dicenda sunt, prefati vero Farulfo, & Ugo atque Constantia accipientes librum & virgam in manibus suis, & ponentes in manu abbatis dixerunt: Nos refutamus, postponimus atque alienamus, transcribimus atque subducimus omne jus omneque dominium & potestatem, omnem usum, omnemque reditum, omnem actionem, que vel quos modo habebamus in predicta ecclesia sancti Andree, sive in terris, vel vineis, vel in aliquibus rebus ad eandem ecclesiam pertinentibus, seu a parentibus nostris, vel ab aliquibus hominibus predicte ecclesie traductis vel concessis, sive per proprietatem, seu per enfiteosin, aut per pactum, aut aliquo modo sive titulo, tam in oblationibus, quam in decimis, quamque in testamentis, & omnibus rebus mobilibus & immobilibus monasterii sancti Laurentii & Ipoliti tibi venerabili domno Jeronimo abbati tuisque successoribus in perpetuum, tam per nos, quam per nostros heredes vel successores. Quod si contra hec agere nos aut nostri heredes seu successores esse daturos predicto monasterio nomine pene auri obrizi libras duas & soluta pena maneat firma hec refutatio & postpositio, alienatio, subductio atque transcriptio. Scripta per manum Aberti Faventini tabellionis. Tunc domnus predictus abbas per librum investivit eos de remissione peccatorum & de participatione orationum & eleemosinarum, & omnium sacrificiorum, qui semper fierent in predictis ecclesiis, & insuper pro benedictione dedit eis unam pellem de collo suo. Hec namque omnia sunt facta in presentia Romani, Ilari, Dominici monachorum, & presbiteri, Martini de castro Giullarini, & Ugonis Dominici, & Alberti Dominici, & Alberti filii Johannis de Petro, & Guidonis & aliorum plurium.

Et ego Gerardus Faventine urbis tabellio hanc cartulam exemplavi, & in ea nec minus plusve posui, nisi quod in autentica re leguntur. Hoc factum est in presentia Guidonis Pauli, & Paucidenarii, necnon Lugarelli.

XVIII.

Charta venditionis terrarum in loco dicto Murro comitatus Camerinensis.

Anno 1082. mense februario.

Ex autographo chartarii S. Blasii de Fabriano.

IN nomine Domini Dei salvatori ab incarnacione Domini nostri Jhesu christi anni sunt millesimo octuagesimo secundo & facto est in mense februarie per indicione quinta regnante dono Irigo imperatore & Raineri dux & marchio sede anno ejus primo. Ideoque ego Breconius Grima odierno die propria bona & per spontanea mea voluntate per cartula vendicionis vindo & trado a vobis Borso, & Adalbertu, & Atto, & Murico viri germani filii mei, vel a vestris eredis de proprietate a possidendo, idest de mea ren, quam abeo pro meo ..... parente, & ego abeo in comitato Camerinense, & in loco qui dicitur a Murro, qui est ipse res a vocabulu lu vebre, & illo prato & in pratale, quod est ipse res, a primo latere via, que venit da la Serra, & perveniente illo flume, & a tercio lato via que venit da le bosca, e perveniente in prima sinatea *&c.* *Ad lib. XXI. n. 20.*

Tertioso judice scripsi & complevi.

XIX.

Divisio bonorum inter Albericum & Bernardum de Galbina fratres.

Anno 1082. XII. martii.

Ex autographo Fontis-boni §. Emptio n. 105.

IN Dei nomine. Anno Dominice ab incarnationis ejus millesimo octuagesimo secundo duodecimo die ingrediente mense martium indictione quinta feliciter. Manifesti sumus nos Albericus filius Raginerius de Galbine, & manifesta sum ego Tederanda filiam quondam Bosonis conjux de suprascrito Albericus, quia per consensum & largietate & data licentia de suprascripto viro jugali, & mundualdo meo, & una cum notitia de Ubaldo judex, a quo diligenter interrogata *Ad lib. XXI. n. 19.*

gata

gata vel inquisita sum secundum legem, cujus presentia vel testium certam facio professione, quod nulla violentia me passa esse dico a quopiam omine, nec ab ipso viro jugale & mundualdo meo, set certa mori, que supra mulieris bona & ex pontanea voluntate nos ambo jugales insimul venditor & venditrix vendidimus atque tradidimus tibi Bernardo Rainerii filius entore, hoc est castello de Angrare, & curte cum suis pertinentiis, & cum ecclesiis & pertinentiis earum, excepto & antepono tenementum & manso, quod detinet Barunciello & Saracino in Forclare qui dicitur Grazano, & hoc quod detinet Tigrimo de manso Beninno & Faber, & frater ejus, quam per illas fines, quas Ugolino & Raginuccio miser.... & curte de Albiano cum plebe sancte Marie de Miciano, & cum ecclesiis & pertinentiis earum, excepto manso de Cicarello & per illas fines, quas Albericus & Bernardo miser... a fossa Lupaja mergente in Suara & regrediente per viam de colle ad Crucem de Castillione, & directo per viam de colle de val Devitrice per illa termina, que habet mis. ... a Raginuccio & Ugolino veniente per fossatum de supto casa de Graniolo exiente ad viam ad summum campum Rocisi, sicut currit via de colle, & sicut est signata, & apeduata per Albericum, & Bernardum, & Ugolino & Reginuccio, sicut via per colle de Cantagnito, & casa Johannis Roisi, excepto manso de Girba de colle, sicut habet Albericus & Bernardus adlocatum inter se, cum curte de Vivario, & ecclesiis, & pertinentiis eorum, & cum curte de casa proinde cum ecclesia & pertinentiis ejus & curte de sancta Cruce cum ecclesia & pertinentiis eorum, & oc quod mihi pertinet in Campiano & Vajana, castello Gilione & Perello cum ecclesiis & pertinentiis eorum, & curte de Manna cum ecclesiis & pertinentiis earum, & castello de Traciana, & castello de Caprisa, & castello de Suagio & Planorum & Tramuscana cum ecclesiis & pertinentiis eorum, & omnia quantum abeo infra plebes sancti Cassiani usque Singerna, sicut currit de Gragnano per illas fines, quas Albericus, & Bernardus, & Ugolino, & Raginuccio miser... anteponimus monasterio sancte Marie de Diciano, sicut fines, quas antepofuerunt eum in rigo & castello de Ciritolo, & ec cum sua pertinentia, que a nostra pars pertinet, & oc quod nobis pertinet de Fizano, quod Ragineri de castro, aut de ipsa res, quam nobis dedit ubicumque invenire potueritis per causas, & oc quod nobis pertinet in castello & in curte de Bivilliano, & est ipsa suprascripta res cum castellis, & ecclesiis, & plebis, & villis, & curtis, & mansis cum casamentis, & sortis Marie curtis, & ortis, vineis, pratis, campis, silvis, rivis, pascuis, cultis vel incultis, rivis, aquis, aquimolis, cum molendinis, & cum omnia quantum a suprascripta nostra pars infra suprascripte finis pertinet omnia & in omnibus, sicut superius legitur, & predicta tota suprascripta res cum finis & accessionibus suis, & cum omnia infra se & super se abente, nos suprascripti venditoribus tibi suprascripto entore nostro in integrum, & ad finitum venditores vendidimus atque tradidimus tibi, & per istam cartulam venditionis tibi exinde ad proprium investimus *&c.* & pro suprascripta vendictione *&c.* precium recepimus nos suprascripti venditoribus de Guidone notario vice tibi suprascripto entore nostro aurum & movilia invaligente per libras tricentum a finito & deliberato pretio, sicut inter nos bona voluntate convenit, quatenus ab odiernu die abeatis & possideatis *&c.* Actum Aritio feliciter.

Signo manibus de suprascripto venditores ego suprascriptus Albericus, qui a predicta Tederanda consensi, qui hanc cartam vendictionis scribere rogaverunt, & manibus illorum firmare jusserunt.

Ego Ubaldus judex donni regis, cum cujus notitia factum est ss.

Signo manibus Petrus filius quondam Raynerii, qui Paganus vocatus fuit, & Gualberto de Casale, & Ugo de Cumrado, & Raginerius filius quondam Ragineri argenti, & Ragineri filius quondam Joculo, & Suppo filius quondam Rodolfi de Gricignano rogati sunt testes, & manibus illorum firmare jusserunt.

Ego Guido notarius ex .... descripsi, & post tradita complevi.

XX.

XX.

Landulfus comes cum ejus uxore Aldina donat Zabulinæ filiæ bona & jura in castra & ecclesias Luci, Montis-rainaldi, Rivifrigidi &c.

Anno 1082. mense julio.

Ex archivo parthenonis S. Petri de Luco.

Ad lib. XXI. n. 37.

IN nomine Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus octuagesimo secundo post mille mense julio indictione quinta feliciter. Manifesti sumus nos Landulfus comes filius b. m. Gotidii comitis, ac Aldina uxor ejus & filia b. m. Landolfi filii Gotifredi comitis. Sed ego Aldina interrogata sum ab Johanne judice sacri palatii secundum preceptum Langobarde legis, si ego per alicujus hominis virtutem, aut de ipso viro meo, vel per per meam bonam voluntatem hanc cartam fecisse aut non, quapropter manifesta dixi, quod nullam virtutem hominum, nec de ipso viro meo, sed per meam bonam & spontaneam voluntatem facio, & ipse vir meus mihi consensit, & ejus commiatum dedit. Communiter nos predicti jugales per hanc cartulam donationis donamus & tradimus tibi Zabuline filie nostre, idest integram nostram portionem de integris curtis, castellis, & turribus, & ecclesiis, casis, cassinis, terris, vineis, sortibus, & domnicatis rebus, mobilibus & immobilibus, & familiaribus, que nos habere, tenere & possidere visi sumus, vel alii pro nobis, que sunt nobis pertinentes infra totum regnum cum omnibus curtis, castellis, turribus, ecclesiis, casis, cassinis, vineis & rebus ipsis, scilicet nostram portionem de curte & castello, quod vocatur de Monte Rainaldo, atque curte & castello quod nominatur Gragnanum, curte & castello, quod nominatur Luco, atque curte & castello, quod nominatur Riofridum, vel per alia loca & vocabula ejus ubicumque de ipsis curtis, castellis, turribus & ecclesiis, casis, cassinis, terris, vineis, & rebus reperiuntur, scilicet, que sunt in territorio de plebe sancte Marie a Novella, & sancti Leonis sita in loco, qui dicitur Falcianum, vel infra alias plebes. Ideo de prenominatis curtis, castellis, casis, cassinis, terris & rebus cum suis edificiis super se & infra se habentibus cum omnibus adjacentiis & pertinentiis eorum, ubicumque per loca & vocabula dicte res sunt, & de predictis mobilibus, & immobilibus, & familiaribus ad illam integram quartam portionem nostram pertinentibus esse inveniuntur in integrum. Exceptamus tamen & anteponimus terras & res, que mihi Aldine venerunt per successionem, que sunt posite in loco qui nominatur Romagna, atque anteponimus curtem, & terras, & res in loco, qui vocatur Decimo, seu anteponimus curtem, terras, & res in loco, qui dicitur Campi, cum aliis omnibus, sicut superius legitur, tibi Zabuline & tuis heredibus concedimus, & sit in vobis potestas ad habendum, tenendum & faciendum quidquid vobis placuerit, & quod a vobis exinde factum fuerit, firmum & stabile permaneat semper. Et quia fieri non credimus, si forsitan nos predicti jugales vel heredes nostri, aut submissa persona, quam nos miserimus cum quolibet nostro facto veniat per quodlibet ingenium, cui nos eam dedissemus aut dederimus tibi supradicte Zabuline vel tuis heredibus, & cui a vobis ipsa nostra donatio data aut tradita, vel adjudicata fuerit, exinde vobis contendere, retollere, vel minuere aut intentionare presumpserimus, aut eam nos vobis ab omni homine & femina defendere non potuerimus, & non defensaverimus, tunc dupla tanta & talis jamdicta donatio nostra sit, qualis tunc ipsa fuerit sub extimatione in consimilibus locis de predictis mobilibus & familiaribus de nostris propriis rebus, & de nostris propriis ancillis proprietario jure vobis restituere & persolvere debeamus. Et si vobis opportunum fuerit licentiam & potestatem habeatis per istam cartulam caussam exinde agendam, finem ponendum, responsum reddendum, & usque ad veram legem perducendum, quam melius fit, sicuti & nos facere debuimus. Et quia pro illa nostra donatione, traditione, launechil exinde a Teuderico filio b. m. Ugonis vice tui Zabuline recipimus inter argentum & alias mobilias pro valiente libras centum. Actum in castello Montis Rainaldi judiciarie Fesulane.

Signa manuum supradictorum jugalium, qui hanc cartulam, sicut superius legitur, fieri rogaverunt, & ipse Landolfus ad supradicta consensit, ut supra.

Signa manuum Ugonis filii b. m. Gherardi, & Ardimanni filii Johannis, & Seniorelli filii b. m. Johannis rogatorum testium.

Ego Johannes judex sacri palatii predicta

dicta Aldina a me interrogata fuit, ideo subscripsi.

Ego Ugo notarius ac scriptor post traditam complevi.

XXI.

Albericus & Selza ejus conjux tradunt monasterio S. Victoris de Clusis terras in Rosinga, in Carpeneta &c.

Anno 1082. mense septembri.

Ex autographo tabularii S. Catharinæ de Fabriano.

Ad lib. XXI. n. 20.

IN nomine Domini & factum est in anni Domine mille octuajesimo secundum regnante Einrico imperatore, & temporibus domno Raineri dux & marchio & die mense september per indiccione quinta. Ideoquem ego Alberico, qui Fusco vocatur, filius quondam Acto, & Selza mulierem sua per consensu & voluntate de Alberico viro suo, & nobis ambi insimul comuniter nostra bona propria voluntate secundum nostra lege Langubardorum dedimus & tradimus per ista cartula tibi beatu sanctus Victore, qui est edificatu in fundo Victurianum, & a Murico abbas, qui est de ipso monasterio, & a Petrus, qui est prior de ipso monasterio & ad eorum successoribus usque in perpetuum, ide est aliquis de terra nostra, & de nostra parcione, que est possita infra territorium castellu Petrosum in locu, qui dicitur Rosinga, & locu Carpeneta, & in monte Letino, & in Mianum & in lu castellare de Planum de Serra, & in loco, qui dicitur monte Muriani, est ipsa terra primo latere fluvio Sentino veniente a rave de Clusa, & veniente a sua summo monte Muriani, & secundum latus valle de rava veniente a la Besilica, & veniente a sanctum Ansovinum della fossa, tertio latere ipsu riu, qui pergit dalla fossa de Buomoricum veniente in riu Gaidoni, & quarto latere rigu Gaidoni perveniente in Sensino, qui est in primo latere, infra istis lateribus *&c.*

Ego Adamo judice & notarius scripsi, complevit & clausit.

XXII.

Ugo filius Carli tradit Leoni abbati S. Michaelis in Burgo Pisarum possessionem terrarum Ghetiani prope Pisas.

Anno 1083. VI. id. februarii.

Ex autographo ejusdem monasterii.

Ad lib. XXI. n. 24.

IN Christi nomine. Breve pro modernis & futuris temporibus securitatem ac firmitatem ad memoriam abenda vel retinenda qualiter infra claustra de ecclesia & monasterio sancti Michaelis, quod est fundato & edificato foras civitate Pisa prope porta, que dicitur Samuelis, presentia bonorum ominum, corum nomina supter leguntur, Ugo filio b. m. Carlli per fuste, quas in sua manum tenebat, investivit & dedit in sortem & in divisionem Leoni abati de supradicto monasterio sancti Michaelis de illis casis & terris, seu rebus cultis vel incultis, adque vineis, que sunt positis in loco & finibus Ghetiano, quas detinet Bonaccio massario ad manum sua ad laborandum, & de una alia lentia, que est ibi posita, & est tenens uno latus in terra Ughi judex filius quondam Elibrandi, & sunt omnes petie de terra decem & nove, quas Imelda socrus predicti Ughi dedit a predicto monasterio, & insuper spopondit se jam dicto Ugho, & suos eredes adversus predicto Leoni abbati, & suos successores, quod si unquam in tempore agerit, aut causaverit, vel intentionaverit, seu per placito fatigare presumpserit supradicta terris, & rebus cultis, vel incultis, adque vineis contra predicto monasterio, vel ejus rectores, quod componere debet ipse Ugho & suos eredes ad predicto abbate, & suis supcessoribus a parte predicte ecclesie omnibus supradictis rebus in duplum in ferquidem loco sub estimatione quales tunc fuerit, & pro supradicta investitionem & jam dicta sponsionem fecit egidem supradicto abbati ad predicto Ugho merito & launechile anulo de auro uno ipsa divisione, seu jam dicta sponsione firmam & stabilem permaneat semper adque persistat, presentia Theoderici judex sacri palatii Lateranensis, Pandulfi notarii, Mainfredi filio Vvillelmi judex, Gerardi filio Modanelle, Benedicti filio b. m. Boniti. Oc factum est anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi mille octogesimo tertio, sexto idus Februarii indict. sexta.

Ego

Ego Theodericus judex sacri palatii Lateranensis ibi fui. Supradicto Mainfridi ibi fuit. Supradicto Gerardus ibi fuit.

Supradicto Benedicto ibi fuit.

Ego Bonio notarius domini imperatoris, qui ibi fui, & oc breve scripsi.

XXIII.

Fundatio monasterii Camprianensis in agro Arretino.

Anno 1083. mense augusti.

Ex autographo S. Petri-minoris de Arretio.

Adlib. XXI. n. 21.

IN nomine Domini. Anno Dominice incarnationis millesimo octuagesimo III. regnante Henrico rege mense augusti ..... superne miserationis intuitu ad hoc christiane religionis cultus exercetur, ut magis eterna quam transitoria diligantur, totisque cordis visceribus totaque devotione, non quod mortale est, aut fugitivum, sed quod sine fine permanet illud ineffabile ac celeste gaudium, quod Christus suis fidelibus veraciter promisit, a christianorum sollicitudine sine defectu desideretur. Proinde nos quidem Ugo quondam Raineri filius una cum Guillia chonjuge mea, & Ugo bone memorie Guidonis proles pariter cum Theberga uxore mea, & Gualfredus cum Gisla legati matrimonio mihi copulata, & Ildibrandus cum Purpura affectione maritali mihi sociata, pariterque ambo fratres prescripti cum Rainerio & Thuscano olim Pagani proles, & Rainerius quondam Rainerii soboles cum Zabulina uxore mea, & Paganus ejusdem Rainerii liber cum Madalerta chonjuge mea talia cognoscentes, nostrorumque parentum obitum hujusque seculi chalamitates prospicientes, sancti Martini ecclesia, in qua nostri parentes humati erant, non rigulariter a kanonicis recta in monasterii titulo destinavimus construere, nulli alteri ecclesie, neque episcopo, neque monasterio subjiciendam, domnum Gebizzonem episcopum & religiosum virum & heremi inter ambas Paras prepositum obnixis precibus rogantes accersivimus, a quo tandem impetravimus, ut predictum oratorium in cenobii regula construatur. His igitur ita peractis consilio sapientum, atque cum notitia & interrogatione Johannis judicis domni imperatoris nos prescripte uxores per consensum & data nobis licentia virorum nostrorum, a quo scilicet Johanne interrogate & inquisite sumus secundum edictum legis Langobardorum, in cujus presentia & testium subscriptione professe sumus nullam violentiam pati, sed bona & spontanea nostra voluntate una cum prefatis viris nostris, ceterisque superius comprehensis pro redemtione peccatorum nostrorum, nostrorumque parentum concedimus, largimur & damus Deo & tibi ecclesie sancti Martini, que est constructa in loco, qui vocatur Camprianus, ad usum & sumptum fratrum monachorum ibidem Deo assidue famulantium, idest chastrum unum, qui vocatur Camprianus, cum castagneto suisque designatis pendiciis & sibi coherentibus designatis terris & cum silva una sita in advocabulo Vallis alta usque in viam plubicam cum omni dote ecclesie de advocabulo Matrignanello, & cum duobus mansis positis in villa, que dicitur Roziano, ex quibus prior detinetur per Martinum massarium, secundus detentus fuit a patre sacerdotum prefate ecclesie sancti Martini, & mansum unum in casalibus Monticellum, & regitur per Aritium filium quondam Stefani, & per Aritium chlericum, & per suos chonsortes, quod a nobis detinet Venerandus dux in fundo, qui vocatur caput prati, & mansum unum in villa, que dicitur Pisciule, & regitur per Rainerium & Venerandum germanos proles Guidonis, & per eorum chonsortes, & trium mansuum in Fasinaria, rectus per Fusconem massarium suosque chonsortes. Quartus mansus in Campriano veteri detentus per Petrum filium Venerandi & per suos chonsortes, horum autem mansuum & terrarum prescriptarum proprietatem dicte ecclesie beati Martini una cum solo, in quo constructa est, proprietario nomine damus servis servorum Domini perpetualiter habendam, fruendam, possidendamque absque molestia aliqua & tibi domno Gebizzoni episcopo tuisque posteris successoribus heremitis inter ambas Paras prioribus damus regimen dispositionem atque institutionem prepositi vel abbatis tam nostrorum nostrorumque heredum consilio & chorrectionem ejus, monachorumque, qui ibi pro tempore fuerint secundum Deum, eorumque regulam. Insuper quidem nos donatores & donatrices spondimus & promittimus & obligamus nos, & nostros filios & heredes jam dicto venerabili loco, & tibi Gebizzoni episcopo tuisque posteris successoribus nullo tempore a nobis ecclesie donatas res vel in futuro donaturas a nobis vel a quibuslibet personis, neque nos, neque filii neque heredes nostri studialiter

ter aliqua persona a nobis submissa non tollemus, nec contendemus, neque minuemus, sed omni tempore securo & quieto ordine quicquid infrascripta ecclesia sancti Martini habet & tenet aut in antea sibi detentum fuerit, sinemus habere & tenere & fruere famulis Domini ibi commorantibus, nihil in nobis retento nisi juspatronatus, & quod absit & minime fieri credimus, si nos vel quivis ex heredibus nostris seu aliqua persona a nobis submissa contra hunc propositum ire quandoque temptaverimus, & post inquisitionem in nos factam triginta dierum spatio transacto, si non emendaverimus, caput tantum, si recipere volueritis, amissione patronatus multatus, & habeat, qui non offenderit, vel qui emendaverit, & insuper pena xxx. librarum argenti optimi compositurum tibi domno Gebizzoni episcopo, tuisque successoribus ad jus proprietatis sacre ecclesie, & si quidem aliquis ex infrascriptis subjectis servis vel liberis studialiter ibi offenderit, inquisito eo, cujus ditioni subpositus erit, si non emendari fecerimus infra primos xxx. dies inquisitionis, caput tantum obligamus nos compondituros furtim ablatas vel vi subrettas res in duplum sub extimatione pretii. Et quidem quicumque venienti vel redeunti a sancto prescripto oratorio injuria vel molestia intulerit sive de persona, seu de rebus secum vectis vel revectis anatematis vinculo subjugetur, & sit deputatus cum Pylato, & Herode & Juda Domini proditore in eterna damnatione. Earum habeat bonum propositum omni tempore in sua firmitate valiturum taliter a nobis.

Actum in comitatu Aretino, Feliciter

† Signa manuum suprascriptorum donatorum & donatiarum, qui hanc cartulam fieri rogaverunt.

† Signa manuum Teuzonis filium quondam Uberti, & Ubertini filius Ugonis, & Bernardini filius Gualfredi rogati testes.

† Ego Johannes judex domni imperatoris huic ordinationi interfui, & infrascriptas mulieres interrogavi, ut supra, & subscripsi.

† Ego Aritius notarius scripsi & complevi.

XXIV.

Donatio ecclesiæ S. Apollinaris de Nartianula facta monasterio Fontis-avellanæ a Tebaldo de Nartianula.

Anno 1084.

Ex apographo tabularii Classensis.

Ad lib. XXI. n. 27.

IN nomine Domini. Temporibus domni Gregorii summi pontificis anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo octogesimo quarto, regente Henrico filio quondam Henrici imperatoris indictione septima, Egubio. Ego in Dei nomine Tebaldus filius quondam Pagani de Nartianula refutationem, & transactionem, & definitionem facio ecclesie sancte Crucis eremi fontis Avellane & tibi Johanni priori, tuisque successoribus in perpetuum, idest de ipsa ecclesia sancti Apollenaris posita in Nartianula, & predia sibi pertinentia, & muribus & altaribus, & paramentis & de omnibus patrociniis Sanctorum, que ibi sunt, que fuit de jure sancti Apollenaris in Classe de Ravenna, tam de ipsa parte, quam ego tenebam ex parte genitoris mei jure infictioticario, aut meo jure, & omni alia portione, quam ego tenebam jure episcopii sancti Mariani, atque qualicumque modo ego tenebam, aut qualiscunque homo meo jure & medietas unius modioli de mea proprietate de silva majore. Omnia superius scripta res & ecclesia confirmo ad habendum, firmiterque possidendum jam dictam ecclesiam sancte Crucis, sicut superius diximus, pro redemptione anime mee & genitoris mei & genitricis, & fratrum meorum, & pretio quod recepi equum unum, & denarios quantos simul convenimus pro hac superius dicta causa. Obbligo me, meosque heredes nullam molestiam inde facere, nec nullam actionem movere, sed semper tacere. Et si omnia non obserbavero, & non adimplevero cuncta, que superius promisi, obligo me meosque heredes dare & componere pene nomine de argento libras decem jamdicte ecclesie, & suis rectoribus in perpetuum, & post pena soluta hec pagina finitionis & transactionis firma & stabilis permaneat omni tempore.

Signo manu ego Tebaldus, qui hanc paginam finitionis & securitatis scribere rogavi.

Ego Ubertus filius Uberti judicis testis sum.

Ego

Ego Peccinellus testis sum.
Ego Adamulus testis sum.
Ego Johannes scripsi & complevi.

XXV.

Johannes episcopus Foro-livienfis concedit decimas & jura plebis S. Reparatæ Johanni abbati S. Mariæ Foris-portam Faventiæ.

Anno 1084. XXVI. januarii.

Ex archivo ejusdem monasterii & apud Ughellium T. II. c. 576.

Ad lib. XXI. n. 29.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ab incarnatione ejus ejus M. LXXXIIII. tempore Gregorii pape apostolice sedis anno XI. regnante vero Henrico II. imperatoris filio die XXVI. mensis januarii indictione VII. Ravenne. Divina religio maxime sublimatur, si Deo honor & reverentia detur, & privilegiis sancte ecclesie semper, & ubique a rectoribus earum digne, & laudabiliter tractantur. Qua de re ego quidem in Dei nomine Johannes episcopus sancte Liviensis ecclesie ...... per consensum & auctoritatem canonicorum ejusdem ecclesie per presentem hujusmodi decreti paginam presenti die concedo & largior, seu confirmo tibi presenti in Christi nomine Johanni abbati monasterii sancte Marie, quod vocatur Foris portam, tibi tuisque successoribus, qui in antedicto monasterio tibi successerint, idest quodcumque presbiter Albertus habuit & tenuit de plebe sancte Reparate per scripturam de oblationibus vivorum & mortuorum, & insuper quartam partem de decimis & primitiis, vel de aliis beneficiis, que per ipsum decretum habuit, habendam, tenendam, reservandam & in omnibus meliorandam ...... quadraginta ad renovandum in perpetuum. Itaut in matutinas & vespertinas horas, & missarum solemnia, ceteraque Dei mysteria in predicta plebe facere debeat per se vel per suos sacerdotes mea voluntate ibi ordinandos, & redditum & obedientiam & viginti solidos monete Venetie pensionem per singulos annos mihi, meisque successoribus tuique successores persolvere debeatis, secundum quod presbiter Albertus mihi facere consuevit, pro eo orare debeatis, pro anima mea, meorumque successorum & precessorum, in omnique anno in die depositionis mee mihi Missa canere debeatis pro anima mea, & ego prefatus ordinatus una cum meis successoribus tibique prenominato Johanni abbati tuisque successoribus authorare & defensare promitto, & hoc decretum observare, & modis omnibus inviolabiliter conservare & custodire promitto, & si contra hoc egero, & omnia, que superius leguntur, non observavero vel adimplevero, daturum & compositurum me esse promitto, & ego predictus Johannes episcopus una cum meis successoribus ante omne ..... aut interpellare pene nomine auri optimi libra una, & soluta pena hoc decretum maneat firmum.

Quod vero decretum scriptum per manus Petri Faventini tabellionis scribendum rogavi sub die & mense & indictione suprascripta.

Ego Johannes nutu divino episcopus in hoc decreto, prout supra, salvo inter nos constituto a me facto.

Ego Johannes archipresbiter sancte Liviensis ecclesie in hoc decreto, ut supra, consensi.

Ego Andreas archidiaconus sancte Liviensis ecclesie, quod supra est vicedomini in hoc decreto, ut supra consensi & ss.

Ego Leo subdiaconus sancte Liviensis ecclesie consensi & subscripsi.

Ego Johannes filius Johannis de Utro in hoc decreto rogatus ss.

Ego Albertus de .... interfui & ss.

Ego Bonushomo filius quondam Balduini rogatus ss.

Ego Ugo archipresbiter rogatus ss.

Signum manus Teusi & Berardus Germa ..... testibus.

Ego Petrus Faventinus tabellio scriptor suprafactum decretum, ut supra legitur, post roborationem testium complevi & absolvi.

XXVI.

Johannes VVidonis donat Rodulpho priori eremi Camaldulensis terras, ubi ecclesia & hospitium SS. Martini & Frigdiani Pisarum sunt constructa.

Anno 1084. V. nonas martii.

Ex autographo archivi Fontis-boni. §. Donatio. n. 184.

Ad lib. XXI. n. 25.

IN eterni Dei nomine. Actum anno dominice incarnationis millesimo octuagesimo quarto quinto nonas martii indictione VII. Quoniam in humanibus rebus

rebus &c. Nos jugales scilicet Johannes filius quondam Widonis, & Gasdia filia quondam item Widonis, & Pandulfus germani filii suprascripti Johannis] & Ghisla conjux Pandulfi & filia Ugonis, communiter & legaliter dato consensu etiam nobis Gasdia & Ghisla sub notitia Enrighi judicis sacri palatii interrogatis & cognitis, quod nullam passe sumus ipsis faciendis violentiam, tibi Deo & ecclesie sancti Salvatoris hedificate in heremo, ubi dicitur Campus amabilis, offerimus, donamus &c. pro remedio animarum nostrarum, in qua heremo domnus Rodulfus prior nunc preesse videtur, omnia videlicet quecumque obvenerunt per cartulas scriptas ex manibus Rainerii & Teuperti notariorum in instrumento Widoni genitori nostro qui supra germani, & parte Fralmi, qui Rusticus vocabatur, & Gerardi, & e partes Milie uxori sue filie b. m. Rodilandi, & sunt posite infra civitatem Pisam, ubi hospitium & ecclesia sanctorum Martini & Frigiani infra est constructa, in predicta omnia cum casis, & casinis vel cassalinis, atque terris &c. sunt jure proprietario predicte ecclesie sancti Salvatoris &c. in hoc videlicet ordine, ut predictus domnus Rodulfus prior vel alii, quem congregatio fratrum in supradicta heremo Deo militantium priorem sibi ordinaverint cum fratribus suis constituat ad supradictam ecclesiam sanctorum Martini & Frigiani, qui secundum monachicam regulam Deo serviant, & in sua sit potestate ordinandi priorem quemcumque secundum Dominum elegerint, & sine contradictione alicujus ominis liceat ei regulariter disponendi, quod optimum eis visum fuerit &c. Actum Pisa.

Ego Johannes in anc cartula a nos facta consensi predicte cojus mea ss.

Signum de manu suprascripte Gasdie & Ghisle, qui hanc cartulam fieri rogaverunt.

Signum de manu Cuniti quondam Balduvini, & Ughi quondam Balduvini tt.

Ego Pandolfus in anc cartula a nos facta consensi pred. con. &c. ss.

Henricus judex sacri palatii interfui.

Sismundus interfui & ss.

Andreas notarius domni regis post traditam complevi & dedi.

XXVII.

Idem facit de juribus suis Leo presbyter.

Anno 1084. v. nonas martii.

Ex autographo ejusdem archivi. §. Donatio. n. 185.

Ibidem.

IN eterni Dei nomine. Actum anno Dominice incarnationis mill. octuagesimo quarto quinto nonas martii indictione VII. Quoniam in humanis rebus &c. Ego quidem Leone presbyter filius b. m. Walprandi tibi Deo omnipotenti & ecclesie sancti Salvatoris edificato in eremo, ubi dicitur Campus amabilis, offero, dono &c. pro remedio animabus meis, in qua eremo domnus Rodulfus prior nunc preesse videtur, omnia videlicet quecumque obvenerunt mihi per cartulas scriptas ex manibus Rainerii & Teuperti & Widonis notariorum ex parte Fralmi, que Rusticus vocatur filius quondam Gherardi, & ex parte Imilie uxori sue filie quondam Rodilandi, & ex parte Donichi quondam Albizie, & sunt posite infra civitatem Pisam, ubi hospitium & ecclesia sanctorum Martini & Frigiani infra est constructa, ut predicta omnia cum casis, & casinis, vel casalinis, atque terris &c. sint jure proprietario predicte ecclesie sancti Salvatoris in hoc videlicet ordine, ut predictus domnus Rodulfus prior &c. *ut in alia superiori edita hoc eodem anno & die.*

Actum Pisa.

† Ego Leo presbyter in ac cartula a me facta ss.

Henricus judex sacri palatii interfui.

Sismundus interfui & ss.

Singnum de manu Cuniti filius b. m. Balduvini, & Ughi quondam Balduvini testis.

Andreas notarius domini regis post traditam conplevi & dedi.

XXVIII.

XXVIII.

Constantinus episcopus Arretinus tradit terras in emphyteusim præfato priori Rodulpho.

Anno 1084. VII. kl. aprilis.

Ex archetypo ejusdem tabularii Fontis-boni.

Ad lib. XXI. n. 26.

IN Dei nomine anno Dominice incarnationis millesimo octogesimo quarto regnante Henrico rege mense martio, septimo kalendas aprilis indictione septima. Et ideo ego Costantinus sancte Aretine ecclesie episcopus, qualiter libellario nomine dedi tibi domno Rodulfo de heremitorio Campus Malduli, idest integrum mansum, quam ex nostra parte retinet presbyter Leo Calboli cum fratribus suis, & Johannes filio Martini, & Martino filio Pesi, & Teuzo filio Bonidie, & est infra plebe sancte Marie in Partina. Et similiter libellario nomine do tibi in integrum ipsum tenimentum, quam ex nostra parte retinet presbyter Reginerius, & Johannes frater ejus cum nepote suo, & Rodulfo presbyter filius predicti Johannis, & est infra plebe sancti Yppoliti de Biblena in avocabulo Campora. Supradictum vero mansum cum jam dicto tenimento eo tenore, & pacto do tibi predicto priori de jam dicto heremitorio, ut tu cum tuis successoribus habeatis & teneatis; & fruatis ad sumptum fratribus heremitis in jam dicto heremitorio in communi vita Deo famulantium, & mihi jam dicto episcopo, meisque successoribus episcopis pro eis reddatis, & persolvatis per omnem annum in nativitate Domini censum denarii duodecim de Lucensi moneta bonos & expendibiles, & nihil amplius vobis super imponatur. Sic ego suprascriptus Rodulfus prior predicti heremi adimplere promitto cum meis successoribus heremitis omnia, que suprascripta sunt. Quod & si non adimpleverimus, aut si predictum mansum, & tenimentum dimiserimus, vel apejoraverimus, & si predictum censum in jam dicto termino vobis per omnem annum non persolverimus, tunc simus vobis compondituri & componamus penam bonorum denariorum Lucensium solidos duocentum, & ego suprascriptus episcopus obligo me, & meos successores episcopos tibi supradicto Rodulfo priori, tuisque successoribus, qui pro tempore in predicto heremitorio Deo servieritis, si predictum mansum, & tenimentum vobis presumpserimus tollere vel minuere, aut superfluum imponere supra id quod supra legitur, ut componamus vobis similem penam solidos duocentum. Unde hoc libellum inter nos factum est, qualiter supra legitur. Actum infra domo sancti Donati Aretini episcopii feliciter.

Ego Constantinus episcopus & comes ss.

Signa manuum Rodulfi filii quondam Guidonis de Partina & Taizi filii Pagani, & Ugoni filii quondam Minuti rogati testes.

Hoc libellum cum rebus in eo scriptis loco pignoris positum pro solidis centum bonorum denarios Lucensium sine lucrum debent esse. Terminum positum est inter predictum episcopum, & jam dictum Rodulfum priorem predicti heremitorii usque in nativitate Domini proxima veniente, eo pacto, & tenore, quod si ad istud terminum, vel antea non reddidero ego predictus episcopus tibi prenotato Rodulfo prior, vel in jam dicto heremitorio prenominatis centum solidos boni & expendibiles, tunc hoc libellum cum rebus in eo scriptis in vestra remaneat potestate ad vestrum usum & sumptum, nisi in antea induciatum fuerit inter nos. Et si ego supradictus episcopus predicti denarii per nos vel per nostros missos persolverimus vobis, hoc libellum cum rebus in eo scriptis in nostra redeat potestate.

Ego Teuzo notarius scriptor scripsi & complevi.

XXIX.

Guido filius Guinicti donat terras Johanni abbati S. Benedicti in Bisurco.

Anno 1084. VII. madii.

Ex autographo archivi S. Laurentii Florentiæ.

Ad lib. XXI. n. 28.

IN nomine Domini nostri Jhesu Christi anno ab incarnationis ejusdem millesimo octuagesimo quarto tempore Gregorii pape, & Henrici secundi regis die septimo mensis madii indictione sexta. Cum aliquid gratis datur & donari promittitur, contractus donationis nominatur. Ex quo non sola volunptatis ostensione donatur, obligatur si scriptis fieri promittatur. Itaque ego quidem Dei nomine Guido Guinicti quondam filius .... per hoc instrumentum donacionis largimur & donamus in perpetuum, itaut secure & libere pleno jure habeas tu tuique successores pro veritate, locum-

que

que jure & loco habere tibi presenti quidem in Christi nomine Johanne abbate monasterii sancti Benedicti in Besurci . Quasdam res, quas abere & possedere & a nostris manibus nostroque jure detinere videmus . Item totas & integras res illas , quas a nobis pertinet in curte , que vocatur monte Bonelli domnicati & colonicati , que detinere videtur Martinus Aczi filius cum suis consortibus, & filius Martinus Johannis, atque Ugo Johannis filius , & Urso & Petrus filius quondam Teuczi atque Johannes filius Aczi cum suis consortibus & Petrus Johannis filius, simulque Bonizo & Johannes nepotes Vitalis cum illorum consortibus, & infra detinet Johannes Ursi filius in loco , qui dicitur Monte , atque Johannes Berte cum suis consortibus , & filii qui supra Johannis Berte cum suis consortibus , ibique in perpetuum in curte Noville domnicata & colonicata, scilicet Aczo & Brunello ....& filii Johannis Mauri .... & Rigolus Jacobi filius, & de ecclesia predicta curte , terris & vineis seu dificiis cum ruttis, casis & omnibus sibi pertinentibus territorio Florentino plebes sancte Jerusalem sitas in contrata sancti Laurentii proprias ..... presenti die aut quandoque volueris liceat sibi suprascriptus abbas suprascriptas res accipere & ingredi per traditum vel consensum istius mei missi nomine Ugo, quem de meis manibus in tuas mitto in presentia testium , qui hic scripti sunt , ut illic tecum veniat , & suprascriptas res tibi corporaliter tradat , atque inde instituat , & in vacuam possessionem inducat: itaut habeatis, teneatis , possideatis atque defendeatis , & in perpetuum potestatem habeatis vos vestrique successores .... ad quos predicte res pervenerint . Si vero apparuerit me non proprietarie , sed aliud jus in predictis rebus abuisse . Similiter jus ipsum transfero tibi per hunc eundem contractum donacionis, & spondeo quod ab odiernum diem numquam nos suprascriptus Guidonis ... factam questionem aut ullam molestiam generabimus contra te , vel contra tuos successores vel alios, ad quos pervenerit de predictis rebus pro parte vel ex toto, nec ego, neque mea ehredes, neque submissa vel summittenda persona a me vel a meis ehredibus , & si quis predictas res vel earum partem sive servitutem petendo aut tenendo controversiam & litem fecerit tibi vel tui successores , vel is ad quos pervenerit a te vel a tuis successoribus, ego vel mei heredes si nobis de nobis denuntiatum fuerit vobis auctores erimus, causamque defendemus, sive possideatis , sive contra possidentes agatis, sine dolo & fraude , que si omnia , que superius leguntur , non observaverimus, vel adimpleverimus nobis vel nostri heredes aut successores attestatione confirmo, quia daturum me meosque heredes vel successores esse promitto tibi suprascripto abate vel tui successori ante omne litis initium, aut interpellationem pene nomine auri uncias decem , & solutam penam maneat firmus contractus scriptum per manum Gerardi notarii Homodei Volat... scribendum rogavit sub die & mense indictione suprascripta sexta.

Signis manibus ss. Guido . . . . . jamdictus donatori & transfactori hec pagina rogaverunt scribere attestatione his , qui hic scripti sunt.

Signis manibus Yffo Michael quondam filius, & Rustico atque Guido atque Petrus ehs in hanc paginam rogati supra testes.

Ego Rainerius quondam Rodulfi filius in hac pagina donacionis transfactionis testis fui.

Ego Gerardus presbyter in hac pagina donacionis & transsacionis testis fui.

Eeo Gerardus notarius hoc .... post roborationem testium complevi & absolvi.

XXX.

Constantinus episcopus Arretinus tradit Ugoni abbati S. Mariæ de Pratalia terras in Alfaito.

Anno 1084. mense augusto.

Ex autographo chartularii Fontis-boni.

IN nomine Domini Dei eterni . Anno ab incarnatione ejus octogesimo quarto post mille mense augustus indictione septima. Et ideo ego Constantinus episcopus de ecclesia , & episcopato sancti Donati sita Arizio, qualiter pro Dei timore & amore , & remedium anime mee , meorumque posteris successoribus, judico, trado, offero in ecclesia & monesterio sancte Marie virginis de loco Pratalia , ubi donnus Ugone extat presbyter & abbas , idest integra una petia de terra cum silva , que est posita in territorio de plebe sancte Marie site Partina in loco, qui dicitur Alfaito, & est inter hos fines supradicta petia de terra, ex uno latere est campo Ventoloso, ex alio latere est erede ..... ex tertio latere

Ad lib. XXI. n. 26.

re eſt foſſato, ex quarto latere, ſicut currit via de monte Acutum infra ipſa deſignata loca. Integra ipſa petia de terra una cum omnia ſupra ſe, & infra ſe abentes ..... ſicut ſupra legitur, in predicta & de predicta terra dare, tradere & offere atque confirmare providi, ut omni tempore ſupradicta terra cum silva in proprietate de predicta eccleſia permanead, &, quod fieri non credo, ſi ego qui ſupra Conſtantinus vel meis poſteris ſucceſſoribus, aud ſummiſſa perſona, que nos miſerimus, vel qui cum quolibet noſtro facto veniad per quolibet ingenium, cui nos eas dediſſemus aud dederimus, qui a predicta eccleſia vel ad partem predicta eccleſie in aliquid exinde contendere aud retollere, vel minuare, aud intentionare preſumpſerimus, aud ſi eas nos ad partem predicte eccleſie ab omni homine, & femina defendere non potuerimus, & non defenſaverimus, tunc dupla tanta talis jam dicta terra, qualis tunc ipſa fuerit ſub eſtimatione in conſimili loco de noſtris propriis rebus proprietario jure ad partem predicta eccleſia reſtituere, & perſolvere debeamus, & ſi oportum fuerit ad partem ejuſdem eccleſie licentiam, & poteſtatem abeant cuſtodes eccleſie una cum iſta cartula cauſa exinde agendum, finem ponendum, reſponſum reddendum, & uſque ad veram legem perducendum, quam melius potueritis, ſicut & ego facere debui.

Actum in Caſtro de Marciano.

Ego Conſtantinus epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Gerardus primicerius ss.

Signum manus Guilelmi vicedomino, & Raneri filii olim Griffi, Guillelmus fil. olim Corbizi, & Ugo fil. olim Rolandi, & Guido fil. olim Raneri rogati teſtes.

Ego Ildebrandus notarius ſcriptor poſt tradita complevi.

XXXI.

Donatio terrarum facta Murico abbati S. Victoris de Cluſis.

Anno 1084. menſe auguſto.

Ex tabulario S. Catharinæ de Fabriano.

Ad lib. XXI. n. 23.

IN nomine Domini. Et factum eſt in anni ab incarnacione Domini noſtri Jeſum Criſtum, quod ſunt anni Domini mille octuajeſimo quarto, & rennante Inrico imperatore, temporibus donno Raineri dux & marchione & die menſe guſtum per indicione ſeptima ....ʼ Ideoque ego Johannes filius quondam Johannis & Maria mulierem ſua per conſenſu & voluntate de Johannis viro ſuo, & Johannes, qui Paganellu vocatur, filius, preſente Stephanum & Fuſca muliere ſua per conſenſu de Johannis viro ſuo, & Murico filius quondam Ubertum, & Berta mulierem ſua per conſenſu Murico viro ſuo, & Supo filius quondam Adamo, & Berta mulierem ſua per conſenſu & voluntate de Supo viro ſuo, & Johannes filius de Johannis, & nos toti inſimul communiter cum noſtra bona propria voluntate ſecundum noſtra lege Langubardorum propter Dei timore & indulencia de anime noſtre, & de parentibus noſtris, & propter preciu, quem tullimus cum bono animo, & Dominum noſter Jeſum Criſtum facia ei indulencia ante tribunal Chriſti, dedimus & tradimus per iſta cartula tibi beata ſancta Maria & a beato ſancto Victore, qui ſunt edificato in locu, qui dicitur in fundo Victorianum, & a Murico abbas, qui eſt de ipſo predicto monaſterio, & a veſtriſque ſupceſſoribus uſque in perpetuum, idem eſt aliquis de tera, que eſt poſita infra territoriu caſtellu Petroſu in locu qui dicitur Colle, & in locu, qui dicitur Lacontria, & in locu qui dicitur Lubaca, qui vocatur Plano, eſt ipſa ſerra de colle ſtaura veniente a lu cerquetu de plaja de tilia, & veniente a planu de Serra &c.

Ego Adamo judice & notario ſcripſi & complevit & clauſit.

XXXII.

Albertus & Ligarda jugales donant Johanni abbati S. Benedicti in Biſurco eccleſiam S. Caſſiani & latifundia.

Anno 1084. xxv. novembris.

Ex autographo imperialis collegiatæ S. Laurentii de Florentia.

Ad lib. XXI. n. 28.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti anno ab incarnationis milleſimo .... quarto temporibus domini Clementi pape, rengnante domino Enrico...... quondam Enrici imperatoris diem viceſimo quinto menſi november indic. octava juſta baſilica ſancti Caſiani, que vocatur in Apenino teritorio Livienſi. Profitens profitemus nos quidem in Dei nomine Alberto, qui vocatur de Reparata filius quondam Dindo qui vocabatur

tur Rabia, & Ligarda, que vocatur Data, jugale per ujus paginam nostre voci profersionis donamus & corporale tradicionis & perpetuale transactionis a presentem diem nostre paginam tibi presente in Christi nomine domno Venerando monachus accipiente pro persona domni Johannis abbatis monasterii sancti Benedicti sibi suisque successoribus in perpetuum jure basilica sancti Casiani promittimus, dans damus, & donamus, & donario jure nostroque dominium nostrisque filiis heredibus alienamus & transferimus, seo & subducimus in jure & dominium suprascrito abbati suisque successoribus nos quod abere anc possidere, & a nostris manibus nostro jure nostroque dominium detinere videmus, idest omnes res & pertinentias nostras integrum quantascumque nos abemus, detinemus & nobis pertine in Busiano, & in Plaulo, & in Aveneri, & in Casale, & in Canale, & in Sasso, & in Isclito, & que nobis pertine de Casaro, qui vocatur Monte vecclo, & in Latrova, & in Rotitula, & in Galbentino, ec omnia cum terris & vineis seo edificiis, campis, pascui, silvi, salecti, sacionalibus, arbustoriis, arboribus, aquis, aquimolis, de culto & inculto, suo donicato & colonicato, & cum ingresso & egresso suo, & cum omnibus sibi pertinentibus sitas territorio Pupiliensi & Liviensi plebem sancte Marie, que vocatur in Busiano, & plebem sancte Marie, que vocatur in Casaro novo, & plebem sancti Petri, qui vocatur in Otantula & suprascripta plebem sancti Casiani, que vocatur in Apenino una cum suarum justis & certis in terra finibus, ut in omnibus recte liceat ad suprascriptum abbatem infrascriptas res ibidem introire, & preocupare, adque ingredere, & potestatem tamquam per legitima & mea corporale tradicione, quamque ecciam & pro infrascripto nostro misso nomine Martinus, qui vocatur Pagano, qui de mea manu in tua do & mitto, ut illuc tecum veniat ad suprascriptas res, & corporaliter tibi eas tradat, adque investia in nostra vice quietum tramite abendi dominisim & potestate abere, tenere, & posidere in predicta basilica, que vocatur sancti Casiani, promittimus per remedium anime nostre, & de quondam parentibus nostris propriis juris in perpetuum, & quod de conduticii licentia abeatis innovandi, & salva pensio persolvendi a jure, unde ex suprascripta quantum exinde pertinuerit, & hab odie aliquam aliquando numquam licead nobis suprascripti donatori ullo unquam in tempore quamvis exinde facere questione, repeticione aut causacione, vel interpellacione ullamque molestia jenerare contra suprascripto abbatem, neque contra suisque successoribus non per nos, neque per nostris filiis heredibus, neque per nostra sumissa, vel sumitenda persona, pro nulla ocasione, neque ingenium, & si quoquam tempore quispia persona ominum insureserit, que eis exinde es parte vel es totum espellere aut qualibet calunie jenerare voluerit, nos suprascripti donatori una cum nostri filiis heredibus ad suprascripto abbate suisque successoribus suprascriptas res ab omni omine cum eis stare & autoriare, seo & defensare promittimus, quod si, quod absi & avertas divina potencia, & omnia que supra legitur, non observaverimus, quod a daturi & compostituri esse promittimus nos suprascripti donatori cum nostris filiis heredibus ad suprascriptum abbatem suisque sucessoribus ante omnis litis inicium aut interpellacionis pene nomine auri uncias tres, & pos pene solucionis maneat ec pagina donacionis, transactionis in sua firmitate, quam vero paginam Wido in Dei nomine tabellio, ujus territorio Liviensi scribendum rogavi sub die & mensi indictione suprascripta octava territorio Liviensi.

†. Signum manus suprascripto Alberto filius quondam Dindo & Ligarda, que vocatur Data, jugale jam dicti donatori de omnibus, ut superius legitur, cui relectum est.

†. Signum manus Rolando filius quondam Rodo, & Martinus qui vocatur Cando, filio Petri de Prato, & Martino, qui vocatur Pagano teste rogati ss.

Noticiam	testium	id est
Rolando	filius quondam	Rodo
Martinus	qui vocatur	Cando
Martinus	qui vocatur	Pagano

† Et ego Wido in Dei nomine tabellio ujus territorio Liviensi scribsi, complevit.

XXXIII.

Rodulphus filius Ungani cedit Rodulpho priori Camaldulensi omnes terras suas, quas habebat ab ecclesia Arretina jure emphyteutico.

Anno 1084. mense novembris.

Ex autographo archivi Fontis-boni, §. Cessio n. 2.

Ad lib. XXI. n. 28.

IN Christi nomine. Breve securitatis hac firmitatis prefatis temporibus ad memoriam abendam vel tenendam, qualiter factum est in loco Condolisi in presentia Ugonis filius olim Minuti & Tadigi filii olim Pagani & Teudici filii olim Tebaldi & Raneri filii olim Gkiberti, & alii plures in eorum presentia Rodolfo filius olim Ungani per pergamena, quam suam detinebat manu, investivit pro Dei timore & remedium anime sue, & de parentibus suis Rodulfus propositum de ecclesia & ermitorio sancti Salvatoris de Campo amabilis ad vice de suprascripta ecclesia de omnibus integris casis, cassinis, terris, & vineis, sortis, & donicatis, quem ipse detinebat per feudum ex parte sancti Donati infra territurio de plebe sancti Antonini sita Socana in curte de Valenzano, & infra territurio de plebe sancti Luteri; * in curte de Vegognano & infra territurio de plebe sancti Martini sita Caliano, in casale Lorito, vel pro aliis locis infra infrascripte plebes ubicumque de suprascriptis, seu esse inveniuntur in quibuslibet locis, ideo prenominatis casis, casinis, terris, & vineis, sortis, & donicatis una cum omnia jacentia & pertinentia sua cum omnibus suorum edificiis supra se & infra se abentibus &c. in perpetuum. Sic ipse Rodolfo de jam dictis rebus ad habendum &c. exinde ipse Rodulfus suisque posteris subcessoribus quicquid eorum placuerit absque predicto Rodulfo suique heredibus contradictione &c.

* l. Eleutherii.

Factum est hoc in presentia de jamdictis hominibus anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi octogesimo quarto post mille mense november indictione septima.

Ego Ildebrandus notarius, qui ibi fui, & hunc brevem scripsi.

XXIV.

Constantinus episcopus Arretinus copiam facit eidem Rodulpho aliisque donandi bona sua eremo Camaldulensi.

Anno 1084.

Ex autographo ejusdem archivi.

Ibidem.

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis millesimo octuagesimo quarto, imperii vero domni Henrici tertii anno primo, indictione octava. Constantinus Dei gratia Aretinus episcopus. Notum esse omnibus volumus presentibus & futuris, quod intuitu caritatis, precibus domni Rodulfi prioris Camaldulensis, & petitionibus annuentes pro anime nostre, decessorumque nostrorum remedio liberam facultatem Rodulfo filio Ungani dedimus, & concessimus cum omni beneficio & tenimento, quod ex parte sancti Donati habet ad Camaldulensem eremum eundi & ad usus fratrum conferendi. Eandem quoque licentiam & facultatem concedimus aliis Aritinorum, qui ad eandem venerabilem heremum sancte conversionis intuitu cum omni beneficio & tenimento, quod ex parte sancti Donati habuerint, properare voluerint. Quod si ego, aut aliquis successorum meorum, permissionem istam violare, infringere, & prohibere voluerit, sit perpetui anathematis & eterne damnationis vinculis alligatus, & cum Juda traditore sine fine damnatus. Compositurus insuper pro hujus nostre preceptionis transgressione libras centum argenti optimi. Quod ut certius credatur, & diligentius observetur, literas istas sigilli nostri impressione jussimus roborari.

Ego Constantinus episcopus.

Ego Jocundus archidiaconus & prepositus ss.

Ego Gerardus primicerius ss.

Signum manus Rainerius filius Grifi de Montagnano, & Gulielmi filii Saffi, & Ildibrandi filii Ugonis de Monte-jovis, & Rodulfo filii Supponis de Gaginne, & Guilielmus filius Guilielmi filii Corbizoni rogati testes.

Ego Guido notarius scripsi & complevi.

Loco ✠ sigilli.

XXXV.

Promissio de terris facta Guinizoni abbati S. Petri minoris de Arretio.

Anno 1085. mense januario.

Ex autographo monasterii SS. Floræ & Lucillæ Arretii. Q. 14.

Ad lib. XXI. n. 40.

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis millesimo octuagesimo quinto mense januarii regnante Henrico rege indictione octava. Manifestus sum ego Alberti ..... filius quondam Guidonis, qualiter per hanc cartam promissionis & convenientie spondeo & promitto & obligo me, meosque filios & heredes tibi domno Guinizo abbate tuisque posteris successores abbates pro integra una petia de terra aratoria scilicet fossis infra se tamen in unum continentes, quod hodie vobis ad jus & proprietatem ecelesie sancti Petri, qui nuncupatur Picculo per cartulam venditionis concessi, unde accepto pretio & investitura facta ad opus jamdicte ecclesie & est infra comitatu Aretino infra plebe sancte Marie sita Gradis in advocabulo plano de Pullia, ex ea que fuit Mainilde, & Amati de Mulina &c.

Actum in civitate Arretina feliciter. Signum &c.

Petrus notarius scripsit & complevit.

XXXVI.

Idem Guinizo abbas recipit Guidonem ad ordinem monasticum.

Anno 1085. mense januario.

Ex autographo præfati archivi SS. Floræ & Lucillæ Q. 5.

Ad lib. XXI. n. 40.

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis millesimo octogesimo quinto Henricus Dei gratia Romanorum imperator augustus anno vero imperii ejus primo mense januario indictione octava. Consta me Guinizo abbatem de monasterio sancti Petri, quod vulgo Piculo dicitur, spondo & promitto, & obbligo me, & meos successores abbates ejusdem monasterii tibi Gerardo filius quondam Guidonis, & tibi Ildibrando filio quondam Uberti, idest de totis & integris ipsis rebus, quas pertinere videntur Guidi filii quondam Tebaldi, quem hodie ad ordinem monachicum recepi, antepositum mansum & tenimen, quem pro eo per cartam judicati & offertionis hodie michi dedistis, qui est positus in advocabulo Misisciano, & in loco Noscitelle, nam omni aliis rebus mobilibus & immobilibus, quas predicti Guidi pertinere videtur quocumque modo, sive per conquisito, sive per successione infra domo sancti Donati, & in loco Sinla, & Forgnalla, & Campo majore, casis, terris, vineis ubicumque invenitur &c. Factum est qualiter supra legitur, ac infra domo sancti Donati Aretini episcopii in ecchlesia sancti protomartyris Stefani feliciter.

Ego Guinildus filius Gizonis rogatus testis.

Ego Teuzo notarius scripsi & complevi.

XXXVII.

Gotidius comes & Cuniza ejus uxor donant Tagido comiti suam portionem castrorum Luci, & Cantameruli, cum ecclesiis &c.

Anno 1085. mense februario.

Ex archivo parthenonis de Luco.

Ad lib. XXI. n. 37.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus octuagesimo quinto post mille mense februario indictione octava. Manifesti sumus nos Gotidius comes filius olim Gotidii comitis, & Cunizza jugalis filia olim comitis Origani. Ego quidem Cunizza secundum edicti Langobardorum tenorem interrogata sum a Guinidio judice, ut si ego per alicujus hominis virtutem, aut de ipso viro meo vel per meam bonam voluntatem hanc cartulam fecissem aut non, ego manifesta dixi, quod per nullius hominis virtutem, neque de ipso viro meo eam facio, sed per meam bonam voluntatem facio, & ipse vir meus mihi consensit & commiatum dedit, & communiter nos predicti jugales ambo insimul per hanc cartulam donationis donamus ac tradimus Tagido comiti filio olim Pagani comitis, idest integram meam portionem de duobus castellis Luci & Cantameruli cum omnibus integris curtis, ecclesiis, casis, cascinis, terris ac domnicatis, silvis, alpis, pratis, campis & etiam cultis & incultis, divisis atque indivisis, omnia & in omnibus ubicumque reperiuntur & ad ipsa castella pertinent. Donamus atque concedimus etiam omnia mobilia atque immobilia posita infra territorium de ple-

plebe sancti Johannis majoris, & infra territorio de plebe sancte Marie site Fania, & sancte Felicitatis site Faltona cum curtis, castellis, turris, & ecclesiis, casis, cascinis, terris, vineis, sortibus, ac domnicatis cum omnibus rebus mobilibus atque immobilibus, una cum omnibus adjacentiis & pertinentiis, & cum omnibus eorum edificiis super se & infra se habentibus. Et quia fieri non credimus, si forsitan nos jugales vel nostri heredes aut submissa persona, quam nos miserimus vel cum quolibet nostro facto veniat per quolibet ingenium, cui nos eas dedissemus aut dederimus, tibi supradicto Taido vel tuis heredibus aut quia ipsa donatio nostra data aut tradita, vel judicata fuerit in aliquid exinde vobis contendere, retollere, vel minuere presumpserimus, sive contentionare, aut si eas nos vobis ab omni homine & femina defendere non potuerimus, & non defensaverimus, tunc dupla tanta & talis jam dicta donatio nostra sit, qualis tunc ipsa fuerit sub extimatione in consimilibus locis, de nostris propriis rebus proprietario jure vobis restituere ac persolvere debeamus. Et si vobis opportunum fuerit, licentiam & potestatem habeatis una cum ista cartula causam exinde agendam, finem ponendum, responsum reddendum, & usque ad veram legem perducendum, quam melius potueritis, sicuti & nos facere debemus, & pro illa nostra donatione & traditione, & merito exinde a te Tagido recipimus solidos ducentum de bonis denariis de Lucca. Cartula ista eo tenore facta est, & ea fide ac conditione scripta est, ut si Dominus dederit filium masculum filie mee Matilde de viro suo comite Bernardo, & ipse filius legitimam etatem pervenerit, tunc prefatus Tagidus debeat firmare aut in possessionem ponere predictum nostrum nepotem in prefatis rebus, itaut ego Gotidius & Cunizza jugales, Rodulfus prior & Rodulfus filius comitis Origani insimul idem facere ac laudare debeamus. Quod si unus ex nobis mortuus fuerit, ille qui supravixerit cum eo predicto priore vel cum alio, qui presenti tempore eremo Camaldulensi preesse videbitur, una cum Rodulfo filio Origani concordare ac consentire tali facto debeant, similiter prefatus Tagidus firmam de hoc cartulam faciat. Quod si ipsi, qui denominati sunt, in unum non consenserint, tunc prefatus Tagidus debeat firmare de hoc cartulam sine omni inducia pro prefata ecclesia sancti Salvatoris sita eremo Camalduli, ut de predictis rebus sit in jure & proprietate prefata ecclesia, & fratres ibidem Deo servientes in perpetuum pro remedio animarum nostrarum omniumque parentum nostrorum.

Actum in loco, qui dicitur Fonte buona.

Signa manuum supradictorum jugalium, qui hanc cartulam, ut superius legitur, fieri rogaverunt.

Signa manuum Rainerii filii holim Ghiberti, & Rainerii filii olim Ardingoli rogatorum testium.

Ego Guinidius judex predictam feminam interrogavi.

Ego Ildebrandus notarius, ac scriptor post traditam complevi.

XXXVIII.

Iidem vendunt præfato Tagido suum jus in castra & in ecclesias Montis-rainaldi, Gragnani, Ricavi, Camprati &c.

Anno 1085. mense februario.

Ex eodem archivo S. Petri de Luco.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus octuagesimo quinto post mille mense februario indictione octava. Manifestus sum ego Gottidius comes filius olim Gotidii comitis, & Cunizza jugalis filia olim comitis Origani, sed ego Cunizza secundum edicto Langobardorum interrogata sum a Guinidio judice *&c.* (*ut in superiori carta ejusdem anni & mensis*) nos predicti jugales ambo insimul per hanc cartulam venditionis vendimus & tradimus tibi Tagido comiti filio olim Pagani, ad resarciendam donationem eodem anno, mense eque a nobis factam, omnia jura de omnibus castellis & ecclesiis, curtis & domnicatis, terris, vineis, quas habere & tenere visi sumus infra comitatum Florentinum, Fesulanum, Aretinum ac Senensem vel infra totam Marchiam & Tusciam, excepta curte de Campi, & curte de civitate Florentie, & de Decimo, & de Corella, & curte & castello de Luco, & curte & castello de Cantamerulo, & curte de Macerata cum omnibus eorum pertinentiis. Nam omnes alias res, quas habere & tenere visi sumus infra totam Marcham & Tusciam, in integrum tibi vendimus & tradimus ad proprietatem nominative, scilicet jus de castello & villa de monte Rainaldi cum ecclesia sancti Martini ibidem edificata, de castello & curte de Gragnano cum

Ibidem.

ecele.

ecclesia sancti Laurentii & sancti Nicolai, de castello & curte de Ricavo cum ecclesia sancti Stefani, de castello & curte de Comprato cum ecclesia sancti Angeli, de castello & curte de Riofrido cum ecclesia sancte Marie, de castello & curte de Riocornoclario justa plebem sancte Marie, & de curte de Castro, & de curte de Frena. Ideo predicta castella & curtes jus & actiones cum omnibus integris eorum casis, cassinis, terris, vineis & sortibus & domnicatis, campis cultis & incultis, divisis & indivisis, omnia & in omnibus ubicumque de prenominatis rebus esse inveniuntur, in quibuslibet locis cum omnibus suis edificiis supra se & infra se habentibus, sicuti superius legitur, eas tibi supradicto Tagido vendimus & tradimus ad possidendum. Pretium vero pro ipsa venditione nostra recipimus nos suprascripti jugales venditores a te Tagido emptori, sicut manifesti sumus, & inter nos convenit, inter argentum & alias res mobiles pro valiente de bono argento libras ducentum finito pretio tantum expletus sum. Unde ex eodem pretio amplius nulla exinde reddere debere dixi. Et quia fieri non credimus, si forsitan nos supradicti jugales vel nostri heredes aut submissa persona, quam nos miserimus, vel cum quolibet nostro facto veniat per quodlibet ingenium, cui eas nos dedissemus aut dederimus, quod tibi Tagido vel tuis heredibus, aut cui vobis ipsa venditio nostra data aut tradita vel judicata fuerit, in aliquid exinde vobis contendere aut retollere, vel minuare, vel intentionare presumpserimus, aut si eas nos vobis ab omni homine aut femina defendere non potuerimus, & non defensaverimus, tunc dupla tanta & talis jam dicta venditio nostra sit, qualis tunc ipsa fuerit sub extimatione in consimilibus locis de nostris propriis rebus proprietario jure vobis restituere & persolvere debeamus. Et si vobis opportunum fuerit, licentiam & potestatem habeatis una cum ista cartula, causam exinde agendam, finem ponendum, responsum reddendum, & usque ad veram legem perducendum, quam melius potueritis, sicut & nos facere debuimus &c.

Actum in loco Fontebuona.

Signa manuum supradictorum jugalium, qui hanc cartam, sicut superius legitur, fieri rogaverunt.

Signa manuum Sichelmi filii b. m. Tedaldi & Sichelmi filii b. m. Grossi, & Rainerii filii olim Ghiberti rogatorum testium.

Ego Guinidio judex predictam feminam interrogavi.

Ego Ildebrandus notarius ac scriptor post traditam complevi.

XXXIX.

VVilla uxor Bruni donat monasterio S. Michaelis in Burgo Pisarum terras in villa Mezzanæ.

Anno 1085. IIII. id. martii.

Ex autographo ejusdem monasterii.

Ad lib. XXI. n. 40.

IN nomine Domini nostri Jesu Cristi Dei eterni. Anno ab incarnationis ejus millesimo octuagesimo quinto, quarto idus martii indictione octava. Manifesta sum ego Vvilla mulier Bruni, & filia b. m. Cuniti, quia consentiente mihi predicto viro meo, ubi & secundum legem interesse videtur notitia Ughi judex sacri palatii ab eo secundum legem interogata & cognita sum eo quod nulla me passa sim violentiam, sed pura & integra mea bona voluntas sequente, edicti paina, consentiente mihi supradicto viro meo, per hanc cartulam pro anime mee remedium offerimus, donamus, & tradimus omnipotenti Deo, & ecclesia, & monasterio sancti Michaelis archangeli, quod est fundato, & edificato foras civitate Pisa prope porta, que dicitur Samueli, ubi nunc domnus Leone abbas preesse videtur, meam portionem ex integra de una petia de terra illa, quod est vinea, que est posita in loco & finibus Mezana, ubi dicitur Scandicio, quas ipsa petia de terra, quod est vinea, que uno capo cum uno lato est tenentes in terra Legi filio b. m. Gherardi, & alio capo tenet in terra Martini presbitero filio b. m. Corbi, & alio lato tenet in terra supradicte ecclesia & monasterio sancti Angeli de ascripta petia de terra, quod est vinea in eodem loco, qualiter ab omnis partes circumdata est per designatas locas competit exinde mihi medietatem, ipsa vero mea portione exinde integra, & cum inferioribus & superioribus suis, & cum accessionibus, & ingressoras suas tibi omnipotenti Deo, & pro dicta ecclesia & monasterio sancti Michaelis archangeli offerimus, donamus, & tradimus, & per presentem painam offertionis ibidem ad habendum confirmamus, ut sit in perpetuum dicti monasterii ad usum, & sumptum seu stipendia cunctorum monachorum, qui ibi modo

modo

modo militant, quique in antea militare videbuntur, sine omni nostra, nostrorumque heredum contradictione, vel repetitione. Si quis vero &c. Actum in loco, & finibus Mezzana.

Signum manibus predicte Vville que hanc cartulam fieri rogavi.

Signum manibus supradicti Bruni viri predicte Vville consentientes.

Ego Hugo judex sacri palatii interfui.

Signum manibus Pagani b. m. Ildebrandi testis.

Signum manibus Belloni filio b. m. Gherardi testis.

Signum manibus Martini filio b. m. Petri testis.

Signum manibus Martini filio b. m. Boni testis.

Ego Joannes notarius sacri palatii post tradita complevi & dedi.

X L.

Ardingus filius Bernardi confirmat oblationem factam de silva Venerando abbati S. Petri in Argiano a Gualfredo Raineris.

Anno 1085. mense martio.

Ex codice delle coppe *cancellariæ Montis-politiani pag.* 126.

Ibidem.

IN Dei nomine anno incarnationis millesimo octuagesimo quinto mense martii indictione octava. Manifestus sum ego Ardingus filius quondam Bernardi, qualiter per hanc cartam convenientie & promissionis spondeo, & promitto & obligo me & meos heredes a monasterio sancti Petri sita Argiano, & abbas Venerandus, & ad suos posteros successores de integra illa parte de Cajo cum campo & silva, que olim pater meus per cartam concessit ad Gualfredus filius Ranieri, & postea Gualfredus per carta judicati & offersionis concessit ad predicto monasterio, quod est in comitatu Clusino infra plebem sancti Victorini sita Aquaviva, que de una parte currit via Stabia usque in fluvio Clane, & da secunda parte est ei terra Ranieri filius Marchisi, & desuper currit fluvio Clane, & desuper est ei Corbaria, exinde unde spondeo & promitto, & obligo me, & meos filios & heredes ad predicto monasterio & ad suos rectores, ut exinde permaneamus omni tempore taciti contenti seu remoti, & vos exinde securi quieti & indemnes, & eam vobis promittimus omni tempore defendere ab omnibus hominibus utriusque sexus, & ecclesiastica publica, vel privata persona, quod si eam vobis presumpserimus tollere, minuere, intromittere, intentionare, querere vel molestare, aut per placitum litigare temptaverimus per nos vel interpositam personam a nobis, etsi eam vobis omni tempore ab omnibus hominibus defendere, quarentare, auctoriare non potuerimus, si vos me vel meos heredes auctorem quesieritis, tunc promittimus & obligamus nos & nostros heredes a predicto monasterio & abbas Venerandus, & suos posteros successores persolvere, & concordare, & componere, & componam penam argenti optimi libras xxx. & pro hac promissione & promissa pena recepi a te abbas Venerandus & Johannes monachus, & a tuo monasterio orationem diebus vitæ illorum, sicut inter nos convenit. Unde & carta promissionis a me, qui supra Ardingo, rogata est, & præcepi Johanni notario, ut eam scriberet.

Signo manus de predicto Ardingo, qui hanc cartam manus suas scribere rogavit.

Signo manus Rolandi filius quondam Rolandi, & Petri filius quondam Effi, & Guidi filius quondam Ildebrandi rogati testes manus suas scribere rogaverunt.

X L I.

Donatio facta monasterio Vangaticiensi.

Anno 1085. VIII. aprilis.

Ex autographo tabularii ejusdem monasterii.

Ibidem.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnacione Domini nostri Jesu Christi millesimo octuagesimo quinto, septimo die introheunte mensis aprelis indictione octava. Monasterio sancte Marie, quod est situm justa Atexim, ubi corpora sanctorum Primi & Feliciani, & beati Theobaldi confessoris Christi requiescunt, & ubi donnus Petrus venerabilis abbas esse videtur. Nos quidem in Dei omnipotentis nomine Dominicus filius quondam Vitalis, & Albina femina filia quondam Martino, qui dicitur Casalancea, de loco Carpi, qui professi sumus nos ex natione nostra lege vivere Romana; ipso namque suprascripto Dominico nepote & advocato meo, mihique suprascripto Albina consentiente & subter confirmante ofertores & donatores

ipsius

ipsius monasterii propterea diximus. Quisquis in sanctis &c. Ideoque nos qui supra Dominicus & Albina femina donamus & oferimus in eodem monasterio sancte Marie eo ordine, ut supra legitur, pro anime nostre & quondam parentum nostrorum mercede, idest de casis & omnibus rebus teritoreis juris nostri, quas nos habere & possidere visi sumus in comitatu Veronensi, & in predicto loco & fundo Carpi, tam infra ipso vico, quamque de foris in ejus finibus & territorio, ut dictum est, tam casis cum sediminibus, & terris cum vineis seu terris aratoreis seu vigris, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, ac stelareis, rivis, rupinis ac paludibus, cultis & incultis, divisis & indivisis, una cum finibus, terminationibus, accessionibus, piscationibus, venationibus, & usibus aquarum, aquarumque ductibus, erbatico, escatico, cum omni jure adjacenciis & pertinentiis earum rerum per loca & vocabula ipsis predictis casis & omnibus rebus pertinentibus. Quas autem suprascriptas casas &c. hanc enim cartam ofertionis nostre paginam Johanni notario tradidimus & scribere rogavimus. In qua hic subter confirmantes testibus obtulimus ad roborandum.

Actum infra predictum monasterium feliciter.

Signa †† manuum suprascriptorum Dominico & Albina femina consentiente predicto Dominico, qui hanc cartam oferfionis fieri rogaverunt, ut supra.

Signa ††† manuum Ardezone, & Adam, qui dicitur Barisella & Martino de Cavazana viventes lege Romana testes.

Signa †† manuum Zeno & Adelberto testes.

Ego Johannes notarius rogatus, qui hanc cartam oferfionis scripsi post tradita complevi & dedi.

XLII.

Comites Rainerius Gotidii, Ugo & Zabulina vendunt sua jura in castra Luci, Rivi-frigidi, Rivi-cornoclarii &c. comiti Tagido Pagani.

Anno 1085. VI. id. aprilis.

Ex autographo parthenonis S. Petri de Luco. Sacc. k. n. 18.

Ad lib. XXI. n. 37.

IN nomine Dei eterni. Anno ab incarnacione ejus octuagesimo quinto post mille sesto idus aprilis indictione octava feliciter. Manifesti sumus nos Rainerius filius Gotidii comitis, & Rainerius filius ipsius Rainerii, & Zabulina jugalis filia comitis Henrici, & Ugo filius ipsius Rainerii. Nos quidem Rainerius & dictus Ugo una per consensum & commiatum de ipso genitore nostro, & ego quidem Zabulina interrogata sum ab Guinidio judice domini regis, si ego per alicujus hominis virtutem hanc cartam fecissem aut non. Quapropter ego manifesta dixi, quod per nullius hominis virtutem, neque de ipso viro meo violentiam non sum passa, sed mea bona ac spontanea voluntate facio cum viro meo, qui & ipse mihi consenpsit & commiatum dedit, quapropter per hanc cartulam venditionis tradimus & concedimus cum nostris filiis & jugalibus tibi Taido filio Pagani integram nostram portionem de omnibus casis, cassinis, terris, vineis, castellis, curtis & ecclesiis, quas mihi Rainerius dedit cum omni jure & actione & proprietate nobis competentibus, nominative, sicut currit fluvium Arni de fine illius usque ad civitatem Boninie, excepta curte in civitate Florentie, cum curtis, casis, ecclesiis, vineis, sortibus & domnicatis cum omnibus rebus illis, scilicet integram nostram portionem de curte & castello Luci in Mucello in loco dicto Luco, de curte & castello dicto Riofrido, de curte & castello dicto Riocornoclario, de curte & castello de loco Frena, de curte, que nominatur Casa nova, de curte & castello, quod dicitur Cantamerulus, & de omnibus predictis curtis, castellis, terris, vineis, sortis, domnicatis & omnibus rebus in territoria plebium sancti Stephani de Campi, sancti Johannis majoris de Mucello, & sancte Felicitatis de Larciano & sancte Marie de Frena, & sancte Marie site Cornoclario, vel infra alias plebes. Ideo de predictis curtis, castellis, vineis, terris, sortibus, domnicatis, campis, pratis & aliis rebus cultis & incultis, divisis atque indivisis, mobilibus & immobilibus, omnia & in omnibus ubicumque reperiuntur ad nostram portionem pertinentibus, omnia in integrum tibi Taido vendimus & tradimus ad possidendum. Pretium vero pro ipsa venditione nostra recepimus nos Rainerius, & filii, & jugales a te Tagido emptore, sicuti manifesti sumus, & inter nos conventum est pro valiente inter argentum & alias mobilias centum libras finito pretio supleti sumus. Unde ex eodem Tagido amplius nihil

nihil exinde reddere debere diximus. Et quia fieri non credimus, si forsitan nos vel nostri heredes, & filii & jugales, aut submissa persona, quam nos miserimus, vel cum quolibet nostro facto veniat per quodlibet ingenium, cui nos dedissemus aut dederimus tibi Tagido vel tuis heredibus in aliquid exinde vobis contrariare, retollere, vel minuare, aut contendere presumpserimus, aut si eas nos vobis ab omni homine & femina defendere non potuerimus, & non defensaverimus, tunc dupla tanta & talis sit ipsa conditio nostra, qualis tunc ipsa fuerit sub extimatione in consimilibus locis de nostris propriis rebus proprietario jure vobis restituere ac persolvere debeamus. Et si vobis opportunum fuerit, licentiam & potestatem habeatis una cum ista cartula causam exinde agendam, finem ponendum, responsum reddendum, & usque ad veram legem perducendum, quam melius potueritis, sicut & nos facere debemus.

Actum infra castellum, quod nominatur Monte Reginaldus judiciaria Fesulana.

Signa manuum supradictorum jugalium & filiorum, qui hanc cartulam, sicut superius legitur, fieri rogaverunt.

Ego Guinidius judex predictam feminam interrogavi.

Signa manuum Petri filii Rodulfi, & Petri filii Petri, & Rolandi filii Taidi & Rustichelli filii Adolardi rogatorum testium.

Ego Rodulfus scriptor post traditam complevi.

XLIII.

Johannes abbas S. Adalberti in Pereo concedit ad emphyteusim terras Arardo filio Alberti.

Anno 1085. xv. maji.

Ex autographo tabularii canonicorum Faventiæ.

Ad lib. XXI. n. 10.

IN nomine Domini nostri Jesu Cristi anno ab incarnatione ejus millesimo octogesimo quinto, regnante Enrico quondam Enrici imperatoris filio die quinto decimo mensis madius indictione octava Faventino territorio in loco qui vocatur Tilia veria. Contractus causa meliorationis greco vocabulo enphiteosis solet vocari, quia semper scriptura indiget, ut optineant ea que contrahentibus placent.

Et ideo ego quidem in Dei nomine donnus Johannes presbiter & monachus atque abbas monasterii sancti Adalberti cum consensu monachorum ejusdem monasterii jure enphiteutico concedo tibi presenti in Christi nomine Arardo quondam Alberti de Demetrio filio emphiteutici petitori pro te, & pro tuis filiis ac nepotibus medietatem de re, quam inferius declarabitur sub potestate & dominio Elie matris tue, donec vixerit; aliam vero medietatem concedo vobis presentibus Guidoni de Marzani pro te & pro Adalasia uxore tua, nec non tibi Brandoni Rainerii filio petitori pro te, & pro Ubaldino germano tuo, atque Gisla & Bonafilia uxoribus vestris, seu filiis & nepotibus vestris a presenti die, idest hoc quod habetis & tenetis jure suprascripti monasterii in massa Tilia veria a media collina usque ad viam collis, & usque ad viam que pergit ad lacunam Centi, & usque ad roncum Sigizonis, & usque ad Calcinariam. Et tibi super concedo vobis medietatem de scopito meo, quod habeo & teneo ad meam manum in eadem massa Tilia verie territorio Faventino plebe sancte Marie in Sarna. Dum vobis superius nominatis petitoribus atque filiis & nepotibus vestris divina gratia in hac luce concesserit permanere, concedo eam rem, que superius legitur habendam, tenendam, fruendam, defendendam etiam omnibus meliorandam. Pro eo quia vos suprascripti enphiteute constituistis mihi suprascripto abbati calciarii nomine libram unam pro decem libris monete Venetie. Et ego suprascriptus abbas meique successores vobis suprascriptis petitoribus atque filiis & nepotibus vestris de predicta re vel ejus parte contra homnem personam hominum auctores erimus & defensores. Et ex vestris propriis expensis seu meliorationibus nihil vobis vestrisque filiis & nepotibus, nisi inferius adfixam pensionem exigemus. Pro stantibus eque vobis atque filiis & nepotibus vestris indesinenter super paginam petitionis vestre nomine pensionum omni marcio mense aut infra indictionem denarios Veneticos sex. Post transitum vestri suprascriptorum petitorum, vestrorumque filiorum & nepotum munimine expleto, quando Domino placuerit, tunc predictam rem, sicut erit culta & laborata, & in omnibus meliorata, vel quicquid a vobis inibi additum melioratumque fuerit ad suprascriptum monasterium modis omnibus revertatur. Promitto preterea nullis diebus nullisque temporibus vite vestre vestrorumque fi-

liorum & nepotum ego vel mei succesſores textum hujus pagine enphiteofis a me vobis facte & tradite minime valere contendere. Quod si omnia ſupraſcripta non ſervaverimus, ſi contra hec agere preſumpſerimus, tunc promitto me daturum meoſque ſucceſſores vobis veſtriſque filiis & nepotibus ante omne litis initium aut interpellationem pene nomine auri libram unam, & ſoluta pena maneat firmus contractus. Scriptum per manum Petri Faventini notarii rogatu mei ſupraſcripti abbatis.

† Ego donnus Johannes monachus & abbas monaſterii ſancti Adelberti in hac enfiteoſin manu mea ss.

† Ego Johannes presbiter & monachus teſtis ss.

† Ego frater Leo monachus & camerarius conſenſi & ss.

† Ego frater Ugo monachus & diaconus conſenſi & ss.

† Tedaldus teſtis ss.

† Ego Rainerius rogatus tt. ss.

Signum † manus Leonis de Attone teſtis.

Signum † manus Fantinelli de Morondo teſtis.

Signum † manus Alberici de Ugone Longobardo teſtis.

Signum † manus Guidonis de presbitero Ugone teſtis.

Signum † manus Nigoli de Bentio teſtis.

† Ego Petrus Faventinus notarius hunc enphiteoſeos contractum complevi & abſolvi rogatu ſupraſcripti abbatis.

XLIV.

Donatio terrarum in Rosinga facta Murico abbati S. Victoris de Clusis.

Anno 1085. menſe majo.

Ex autographo archivi S. Blasii de Fabriano.

Ibidem. IN nomine Domini & facta eſt in anni Domini mille octuageſimo quinto & regnante Inrico inperatore & die menſe madii per indictione octava. Ideoque ego Gozo filius quondam Uvo, & Frau mulierem ſua per conſenſu & voluntate de Gozo viro ſuo & nobis ambi inſimul comuniter cum noſtra bona propria voluntate ſecundum noſtra lege Langubardorum dedimus & a preſente die tradimus tibi beatu ſanctus Victore, qui eſt edificatu in fundo Victurianum & a Murico, qui eſt de ipſo predicto monaſterio & a ſuiſque ſupceſſoribus uſque in perpetuum idem eſt aliquis de terra noſtra, que eſt noſtra parcione, eſt poſita ipſa terra infra territoriu caſtellu Petroſu in locu qui dicitur Roſinca, eſt ipſa terra primo latere ipſa via, que venit da li cerri, & ſecundum late riu aqua currente percurrit da le gotize, & tertio lat. terra de li filiis de Girardu, & quartu lat. via plubica que percurrit da ſanctus Petrus de Roſinga perveniente in ipſa via, que eſt primo lat.) infra iſti ſupra jam dicti lateribus per nomina de finis, quod eſt ipſa terra de noſtra parcione modiori duo & ſtarla ſex eſt ipſa tera cum teris & omnis pomis & arboribus ſuis & cum omnia, que infra ſe vel ſuper ſe abentes in integrum, ita ut ab odiernum die firmiter valeatis abere & poſſidere tu ſuper jam dicta da & ad te ſuper jam dictu abbas & veſtriſque ſupceſſoribus ad juris proprietatis in perpetuum poſſidendum, & faciendi quiquid volueritis ſine omnis calunnia & dedimus tibi vinditori precium valiente ſolidos quindeci & tantum quod inter nobis bene complacuit, in tali ordine obligavimus vobis vinditor, & veſtris eredis ad te beatus ſanctus Victore, & ad te ſupra jam dictu abbas, & a veſtriſque ſupceſſoribus uſque in perpetuum, quod ſit contra iſta cartula vindicione ire agere vel retollere aut falſare volueri per quamlibet hocaſione quicumque homo dicere vel contrare poſſit veniamus in obligacione, & ſiamus compoſſituri de bono ariento libre tres, & ſi da omis homine non voluerimus auctoriare aut defendere, ſicut les eſt, duppla & meliorata reſtituamus in ipſu locu cum omnia, que infra ſe vel ſuper ſe abentes in integrun &c.

† Sinu manum de ipſi vinditori, qui iſta cartula vindicionis ſcrivere rogavit. † Sinum manum de Acto de Uvo, † & Gualfredus filio ſuo † & Acto de Ongarello rogati teſtes ſumus.

Ego Adamo judice & notarius ſcripſi complevi & clauſi.

XLV.

XLV.

Eriprandus donat Petro Abbati Vangaticienſi domum in urbe Verona prope eccleſiam S. Salvatoris in Curte-regia.

Anno 1085. menſe majo.

Ex Eccleſiis Veronenſibus illuſtratis J. B. Blancolinii T. III. pag. 275.

Ibidem.

IN nomine Domini Dei eterni anni ab incarnatione Domini noſtri Jheſu Chriſti milleſimo octuageſimo quinto ſexto kalendas junii indictione octava. Monaſterio beatiſſime Sancte Marie ſito, & conſtructum in loco, que vocatur Vangadiza, in quo preſenti tempore domnus Petrus abbas cuſtos & rector ipſius monaſterioque preeſſe videtur, & ubi multe res a bonis ominibus delegate ſunt, ego quidem in Dei omnipotentis nomine Eriprando frater abitator in civitate Verona, qui viſo ſum ex nacione mea lege vivere Lungobardorum offertor & donator ipſius monaſterio, propterea dixi quiſquis in ſanctis, ac venerabilibus locis ex ſuis aliquit contulerit rebus juxta Hoctoris vocem in hoc ſeculo centuplum accipiet, & inſuper quod melius eſt vitam poſſidebit eternam. Ideoque ego qui Eriprando dono, & aufero in ſupraſcripto monaſterio ſancte Marie per remedium anime mee, & quondam parentum noſtrorum mercedem, id eſt pecia una de terra cum caſa terranea juris proprietatis mee, quibus eſſe videntur infra ſupraſcripta civitate Verona non multum longe ab eccleſia Domini Salvatoris abe.... in longum & uno latus parte .... de alio latere..... de uno capite da via parte una, de alia parte .... coeret ei de uno latere...... de uno capite via percurrente ſic ſi ibique alii ſunt coherentes.... petia de terra cum caſa juris mei ſupradicta una cum acceſſione, & ingreſſo, ſeu cum ſuperioribus, & inferioribus ſui, qualiter ſuper legitur in integrum, ab ac die in eodem monaſterio ſancte Marie dono, cedo, confero, & per preſentem cartam offerſionis ibidem confirmo faciendum & poſſidendum a preſenti die pras iam dicto monaſterio, vel cui pras ſupraſcripto monaſterio dederit predicta pecia de terra cum caſa jure proprietario nomine quiequid voluerint ſine omni mea & eredum meorum contradicione de ſacerdotes in ſacerdotes uſque in perpetuum, ita ut ipſi monachi, qui ibidem modo ſunt, vel pro temporibus ibidem morati fuerint talem exinde abead poteſtatem ad regendum, & gubernandum ſeu & diſponendum ſicut de aliis rebus ipſius monaſterio facere viſi ſunt juſta Deum, qualiter melius providerit pro anima mea mercede, exinde expondeo atque promitto me ego qui ſupra Eriprando una cum meis heredes ad pras ſupraſcripto monaſterio, vel cui pras jam dicto monaſterio dederit de petia de terra cum caſa qualiter ſupra legitur in integrum ab omni homine defenſare, quod ſi defenſare non potuerimus, aut pats jamdicto monaſterio exinde aliquit pro ſuis ingenium ſubtrahere queſierimus &..... jam dicta offerſione, ut ſupra legitur, ad jam dicto monaſterio reſtituamus, ſicut pro tempore fuerit meliorata, aut valuerit ſub eſtimatione in conſimile loco hanc ... cartam offerſionis mee, ſicut ſupra legitur, omnique tempore firma ac ſtabilis permaneat atque perſiſtat ſine omni contradicione .... Actum in civitate Verona feliciter.

Signum ✠ per manus impoſitionem Eriprandi, qui hanc cartam offerſionis fieri rogavit, ut ſupra.

Signum per manus impoſitionem Brici, & Manifredi ſeu Johannis viventes lege Langobardorum teſtes.

Ego Peregrinus Notarius rogatus, qui hanc cartam offerſionis ſcripſi, & poſt tradita complevi.

XLVI.

Donatio terrarum facta Murico abbati S. Victoris de Cluſis a Murico & Bonezo & eorum conjugibus.

Anno 1085. menſe majo.

Ex autographo archivi S. Catharinæ de Fabriano.

Ibidem.

IN nomine Domini. Et factum in anni Domini mille octuajeſimo quinto, & rennante imperatore.... Raineru dux & marchione, & dien menſe madius indictione octava. Ideonque ego Muricus & Bonezo & Franca mulierem ſua per conſenſu & voluntate de Muri coniugis ..... ambo ſimul communiter cum noſtra propria bona voluntate ſecundum noſtra legem Langubardorum dedimus & tradimus per iſta cartula tibi beatu ſanctus Victore ad te Murico abbas, qui eſt de ipſo mona-

nasterio & a suisque supcessoribus usque in perpetuum, idem est aliquid de terra nostra... que est posita infra territorium castellu Petrosu in locum qui dicitur Valle.... & in loco qui dicitur Lupuccium de valle Araldi & in loco qui dicitur campu Guandali est ipsa terra de Trecia veniente in fluvio Castella, & veniente ala isula de Capuani, & veniente ad ipsa via, que pergit de sancto Donatu, & secundum latus ipsa via, que pergit da Bolso veniente ad ipsa via, que pergit da sancta Lucia, & tercio latere via veniente a primo latere, infra istos lateribus *&c.*

Ego Adamo judice scripsi complevit & inclausit.

XLVII.

Breve recordationis Rodulphi prioris Camaldulensis de institutione S. Petri de Luco.

Anno 1085. mense junio.

Ex archivo ejusdem parthenonis Sacc. E. 336.

Ad lib. XXI. n. 37.

BReve recordationis pro futuris temporibus ad memoriam habendum, ac retinendum factum in presentia Landolfi comitis filii Rainerii comitis, & Gotidii filii Pagani comitis anno Dominice incarnationis millesimo octuagesimo sexto mense junio indictione octava. Ego Rodulphus indignus prior sacre eremi Camaldulensis, necnon totius religionis miseratione divina generalis quartus. Propter possessionem multorum bonorum relictorum ecclesie sancti Salvatoris site Campo amabili a Gotidio filio Gotidii comitis & a Cuniza jugali sumendam Lucum venissem, & apud ipsum castrum in aliquo parvo sacello dicato sancto Petro apostolo distanti quasi brachia sexcenta gratia precuum apud Altissimum fundendarum ingressus fuissem. Dum in oratione sistebam vocem de celo mihi dicentem audivi: O Rodulphe hec Domini tui voluntas est, ut hic quamprimum sanctimonialium feminarum monasterium primum instituas, in quo perpetuo vitam ducant secundum sacre eremi Camaldulensis consuetudinem, & omnium bonorum ad predictum eremum in Mucello pertinentium donationem predicto monasterio perpetuam facies.

Actum prope Lucum.

Ego Ildebrandus notarius ac scriptor rogatus a supradicto Rodulpho scripsi.

XLVIII.

Petrus abbas S. Petri de Muscheto commutat cum præfato Rodulpho ecclesiam & terras S. Petri de Luco cum aliis terris.

Anno 1085. mense julio.

Ex eodem archivo Sacc. D. n. 8.

Ibidem.

IN nomine Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus octuagesimo sexto post mille, mense julio indictione octava feliciter. Commutatio bone fidei dignoscitur ex contractu, ut invicem emptionis obtineat firmitatem, eodemque nexu se obligant contrahentes. Placuit, atque convenit inter Petrum abbatem & rectorem de ecclesia & monasterio sancti Petri siti Muscheto, nec non Rodulphum priorem & rectorem de ecclesia & monasterio sancti Salvatoris siti Campo amabili inter se terrarum, & rerum cambium, & commutationem facere debere. Itaque factum est, quod ego quidem Petrus abbas predictus rector predicte ecclesie sancti Petri una cum consilio, & adsensu confratrum ipsius monasterii, videlicet Guidonis & aliorum dare, atque commutationis nomine dare, atque tradere providi tibi predicto Rodulpho vice jam dicti monasterii recipienti, idest unam petiam de terra cum ecclesia, domo & vinea super se habente, cujus vocabulum est sancti Petri, que est posita in loco, qui vocatur Lusciano prope Lucum, tamen eam decernimus, de una parte decurrit ei via, de alia parte est finis terre de filiis Tazzi, de tertia decurrit ei similiter via, que est prope flumen, qui vocatur Busso, de quarta parte est finis terre de filiis Ildebrandi. Ideo predicta terra, & ecclesia, & vinea, & domus cum omnibus super se, & infra se habentibus a me tibi traditur, & quidem invicem recepit ipse Petrus abbas de predicta ejus ecclesia sancti Petri a predicto Rodulpho priore de ecclesia sancti Salvatoris cum consilio & consensu confratrum ipsius monasterii, videlicet Guinidi, & Gotizi, & Bonizi monachorum, recepit, dico, ipse Petrus abbas vice ipsius ecclesie ab eo, idest duas petias terrarum cum vinea super se habentes, que sunt posite in jam dicto loco Lusciano. Tamen eas decernimus, una ex ipsis de una parte decurrit ei via, de alia parte decurrit ei fossatus, de tertia parte est finis terre de filiis Tazzi, de quar-

quarta parte est finis terre Landolphi, alia tam ex parte vinee, quam in medio de una parte est finis terre de filiis Tazzi, de alia parte decurrit ei fossatus, de aliis duabus partibus est finis terre predicti Landolphi. Ideo predicte res & terre cum omnibus super se & infra se habentibus in integrum, sicut superius legitur, a me tibi traduntur, & has predictas res in predictis locis una pars ad aliam per hanc paginam commutationis inter se dederit, & tradiderit ad habendum & faciendum exinde a presenti die, tam ipse Rodulphus prior, quam sui successores ad partem predicte ecclesie & predictus Petrus abbas & sui successores ad partem ipsius ecclesie proprietario jure quidquid eis placuerit sine omni molestia, & contradictione una pars ad aliam, & insuper obligaverunt & promiserunt inter se ipsi commutatores tam per se ipsos, quam per omnes successores, vel partes predictarum ecclesiarum per se ipsos, vel per earum submittentem personam una pars ad aliam predictas res, agere, causare, tollere vel minuere, aut intentionare non presumpserit, aut si una pars ad aliam predictas res inter se ab omni homine & femina non potuerit defendere & non defensaverit, tunc componatur pars parti fidem servanti predictas res in duplum, sicut pro tempore fuerint meliorate, aut valuerint sub estimatione in consimili loco de propriis rebus ecclesie restituere, ac persolvere inter se, ut dictum est, debeat, unde duas cartulas commutationis inter se fieri rogaverunt unico tenore.

Actum prope predictam ecclesiam sancti Petri siti Lusciano judiciaria Florentina.

Ego Rodulphus prior scripsi. Ego Winizo peccator olim conversus, nunc monachus interfui & scripsi. Ego Petrus peccator monachus scripsi. Ego Johannes monachus scripsi. Ego Donatus monachus scripsi. Ego Albertus monachus scripsi. Ego Petrus abbas scripsi. Ego Guido monachus scripsi.

Signa ††††† manuum Azonis filii Albizi, & Ugonis filii Ugonis, & Ugonis filii Maginardi & Azzi filii Ildebrandi de Castagnuolo, & Ariguzzi filii Johannis rogatorum testium.

Ego Rodulphus judex, atque notarius post traditam complevi.

XLIX.

Traditio monasterii S. Petri de Funtiano cum aliis ecclesiis facta eremo Camaldulensi.

Anno 1085. VI. nonas julii.

Ex autographo archivi Fontis-boni. §. Donatio. n. 189.

IN nomine Domini & Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus hoctuagesimo quinto post mille sexsto nonas julii inditione hoctava feliciter. Christo auctore nos quidem Bulgarello filio b. m. Rodolfi & Ermingarda jugalibus filia b. m. Guititi & Teberto filio b. m. Guidi & Giolitta jugalibus filia b. m. Brittuli, & Lamberto filio b. m. Petronii & Cidarna jugalibus filia Petroni & Aldibrando filio b. m. Gerardi & Offemia jugalibus filia b. m. Rustichi & Guido filio b. m. Petroni & Ragineri filio b. m. Gerardi. Set nos quidem Ermingarda & Giolitta & Cidarna & Offemia sequentes edicti pagina, sic interrogate sumus ad Gerardo judex, si nos per cuique hominis virtutem hanc cartam offersionis fecissemus, aut non propter nos manifeste sumus, quod per nullius hominis districtionem, aut aliqua ab ipsium nostri patiente violentia non sumus passe, nisi nostra bona voluntas, decrevimus una cum consensum de ipsi jam dicti .... ad communiter nos suprascriptorum jugalibus & Guido & Ragineri. Quia pro Dei timore & remedium anime nostre, & anime genitoris & genitricis nostre per hanc cartula offersionis dare & tradere atque offerre providimus in ecclesia & monasterio sancti Salvatoris sito Camalduli, idest integra nostra portione, que nobis evinet per successionem aut per conquisitum de ecclesia sancti Petri sito Funtiano, & de ecclesia sancti Ilarii prope castello, quod vocatur Collemusculi, & de ecclesia sancti Angeli Michaelis sito Letitiano, & de ecclesia sancti Petri sito Libbiano, & de ecclesia sancti Cerboni sito Piaggia, una cum omnibus terris & rebus, que ad suprascripta nostra portione de jamdicte ecclesie est pertinentes, esse invenitur, ideo prenominate ecclesie cum eorum pertinentiis una cum casis, cassinis, terris, vineis, sortis & domnicatis, vel omnibus eorum edificiis super se & infra se abentibus in integrum in ipsa sancta ecclesia & mona-

Ad lib. XXI. n. 36.

naste-

sterio sancti Salvatoris dare & tradere, atque offerre providimus ea conditione, ut suprascripta ecclesia sancti Petri sito Funtiano usque in perpetuum monasterium esse debeat, & firmum & stabile permanead semper. Et quod facturum esse non credimus, si forsitan nos suprascriptorum jugalibus & Guido, & Regineri vel nostris heredibus aut submissa persona, quam nos miserimus, vel quod cum qualibet nostro facto veniad per quolibet ingenium, cui nos predicte ecclesie & terra & rebus offersionem nostram dedissemus aut dederimus, quod ab ipsa ecclesia & monasterio sancti Salvatoris retollere vel minuare, aut intentionare presumpserimus, aut si appartem ipsius ecclesie & monasterio sancti Salvatoris restituere & persolvere debeamus. Et si oportum fuerit ad illum priorem vel custodem, qui ibidem pro tempore fuerit, cum eorum avocatis licentiam & potestatem abeant una cum ista cartula causa exinde agendum, fine ponendum, responsum reddendum, & usque ad veram legem perducendum, quam melius potuerint, sicut & nos facere debuimus. Actum Funtiano territorio Volotorense.

Signa suprascriptorum jugalibus, & Guidi & Regineri, qui hanc cartula offertionis, sicut superius legitur, fieri rogaverunt, & prenominati Bulgarello, & Teberto, & Lamberto, & Aldibrando, qui ad suprascripte cognugi eorum consenserunt, ut superius.

Gerardo judex, quas supra mulieres interrogavi, & ic ss.

Signa manuum Petroni filio b. m. Rustichi, & Martini, & Petroni germani filii b. m. Petroni, & Rodolfi filio b. m. Cici, & Ughi, & Einrighi germani filii Bulgarelli, & Guidi filio b. m. Paganelli rogati testes ss.

Guido notarius scriptor post tradita complevi.

L.

Ugo filius Gherardi offert terras monasterio S. Michaelis in Burgo Pisarum.

Anno 1085. XI. kl. augusti.

Ex archivo ejusdem monasterii Pisani.

Ad lib. XXI. n. 10.

IN nomine Domini Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnationis ejus mille octuagesimo sexto undecimo kalendas augusti, indictione octava. Manifestum sum ego Ugo filio b. m. Gherardi, quia per hanc cartula pro anime mee remedio offero, dono, trado omnipotenti Deo, & ecclesia, & monasterio domni, & sancti Michaelis archangeli, qui est fundato, & edificato foras civitatem Pisa prope portam, que dicitur Samueli, ubi nunc domnus Leo abbas preesse videtur, idest meam portionem ex integra de una petia de terra illa, qui est positas in loco, & finibus Colugnola, ubi dicitur Casato, & vocitatur, della quas ipsa petia de terra tenentes uno capo in fluvio Arno, & alio capo tenet in terra Martelli & de suis consortibus lato uno tenet in terra sancte Marie Pisane, & alio lato tenet in terra sancti Savini, de as predicta petia de terra, qualiter ab omni parte circumdata est per designatas locas, competentia exinde mihi quartam portionem, ipsam vero meam portionem exinde integram cum inferioribus, & cum superioribus suis, seu cum accessionibus, & ingressora suas omnipotenti Deo & predicte ecclesie monasterio sancti Michaelis Archangeli offero, dono, trado per presentem paginam offertionis, ibidem habendum confirmo, ut sit jure de predicto monasterio, & ad usu suntum, stipendia cunctorum monachorum, qui ibi modo militant, quamque in antea militare debent, sine omni mea meorumque heredum contradictionem, vel repetitionem. Si quis vero &c.

Actum in loco & finibus .... nonî die prope ecclesia sancti Andree.

Signum de manibus supradicti Ughi, qui hanc cartula offertionis fieri rogavi.

Signum de manibus Vvidi, & Rainerii germanorum filii b. m. Boniti testes.

Signum de manibus Mascarelli filio b. m. Martii testis.

Ego Ildebrandus notarius sacri palatii Lateranensis post tradita complevi & dedi.

LI.

Bernardus comes filius Rainerii comitis confirmat monasterio S. Petri de Argnano silvam, in comitatu Clusino.

Anno 1085. sed melius 1084. mense augusti.

Ex codice vulgo delle coppe *cancellariae Montis-politiani* p. 126.

Ibidem.

IN nomine Domini. Anno incarnacionis millesimo octuagesimo quinto mense

se augusti indictione septima. Manifestus sum ego Bernardus comes filius quondam Rainerii comes per anc cartam convenientie & promissionis spondeo & promitto, & obligo me, & meos filios & heredes ad monasterio sancti Petri sito Arignano, & ad suos rectores de integra illa parte de Cajo, que fuit juris Gualfredo filius quondam Raineri, & olim per cartam offersionis concessi, & quod est in comitatu Clusino infra plebem sancti Victorini sita Aquaviva in vocabulo, quod dicitur Valle de Clane, quod de una parte est ecclesia predicta, & da secunda parte est ei terra & silva Raineri filiis quondam Marchisi, & desuper currit fluvio Clane, & desuper est ei Corbaja, & sicut currit via stabia usque in fluvio Clane, exinde autem spondeo, & promitto & obligo me, & filios meos & heredes a predicto monasterio & ad suos rectores, ut exinde permaneamus omni tempore taciti, contenti seu remoti, & vos exinde securi quieti & indepnes, & eam vobis promittimus omni tempore defendere ab omnibus hominibus utriusque sexus ecclesiastica publica vel privata persona, quod si eam vobis presumerimus molestare, vel si eam vobis ab omnibus hominibus non defensaverimus, aut per placitum fatigare temptaverimus per nos vel per interpositam aut summissam personam a nobis, aut si eam aliquis homo venerit; cui eam nos dedimus, aut in antea dederimus per aliquod ingenium, quod homo in se cogitare possit, & si eam vobis omni tempore defensare non potuerimus, tunc promittimus & obligamus nos & nostros heredes, aut jam dicto monasterio & suos rectores persolvere & concidere, & componere, & componemus penam argenti optimi libras decem, & in altario sancti Petri posuit restitutione de predicto Cajo, campo & silva post obligata pena, unde ec carta promissa a me, qui supra Bernardo, rogata est, & precepi Johanni notario, ut eam scribat. Actum inter ecclesiam sancti Petri.

Signa manus de predicto Bernardo, qui anc carta manus suas scribere rogavit.

Signa manus Ugi filius quondam Acti, & Gualfredi filius Ragneri, & Ugi filius quondam Lulli rogati testes manus suas scribere rogaverunt.

LII.

Donatio monasterio San-victoriano.

Anno 1085. mense septembri.

Ex autographo archivi S. Catharinæ de Fabriano.

Ibidem.

IN nomine Domini. Et factum est in anni Domini mille octuajesimo quinto & regnante Enrico inperatore, & temporibus dogno Raineri dux & marchione, & die mense septembris pro indicione octava. Tebaldus tradit Girardo rem de sua porcione positam infra territorium castellum Petrosum in loco, qui dicitur Larcianum, & in fundo Larcianum, & in la Pecoracicia & in Rosinca, & in fundo Gualdum, & in loco qui dicitur monte Muriani, a primo latere fluvius Sentinus, & veniente a rave de clusa, & veniente a summo monte Muriani, & veniente a valle de Rava, & veniente a sancto Ansovinus de la fossa, tercio latere ipsa ecclesia veniente a riu Gaidoni, & quarto latere riu Gaidoni veniente in fluvio Sentino *&c.*

Ego Adamo judice & notarius complevi & clausi.

LIII.

Alia eidem monasterio facta a Petro presbytero.

Anno 1085. mense octobri.

Ex autographo ejusdem monasterii.

Ibidem.

IN omine patris & filius & spirirum sanctus anno don pontificato dongno papa Clemencio sede in sede beatu principes apostolorum & sunt anni Domini mille octuajesimo quinto, & regnante Inrico imperatore & temporibus dongno Raineri dux & marchione & die mense octuber per indicione septima. Quoniam certus sum ego Petrus presbyter filius quondam Martinus & Bega filius quondam Petrus & nobis ambi insimul communiter cum nostra bona propria voluntate secundum sua Romana lege propter Dei timore & indullencia de anime nostre & de parentibus nostris, ut Deus & Dominus noster Jesum Cristum faciat nobis indullencia ante tribunal Cristi, dedimus per ista cartula vobis beata sancta

Maria

Maria & a beatu sanctus Victore, qui sunt edificati in fundo Victurianum a Murico abbas, qui est de ipso monasterio & a suisque successoribus usque in perpetuum aliquis de terra nostra, que est possita infra territoriu castellu Pretosum, in locu qui dicitur plaja de Tillia & in fundo de ripa de Musianu, & in locu, qui dicitur Aquaviva, & in locu qui dicitur li Plannioni, & in valle de sancto, & in loco, qui dicitur Alico &c.

Ego Adamo judice & notarius scripsi, complevit & clausit.

LIV.

Tertia pro eodem cœnobio.

Anno 1085. mense octobri.

Ex autographo ejusdem monasterii S. Victoris.

Ibidem.

IN nomine Domini. Et factu est in anni Domini, quod sunt anni Domini mille octuajesimo quinto, & regnante Inrico imperatore, & die mense octubris per indicione octava. Ideoque ego Petrus filius quondam Sasso & Burga mulierem sua per consensu & voluntate de Petrus viro suo & nos anbi insimul communiter cum nostra bona propria voluntate secundum nostra lege Langobardorum propter Dei timore & indullencia de anime nostre, ut Deus & Dominus noster Jesu Cristum faciat nobis ante tribunal Cristi, rogavimus ista cartula a vobis beata sancta Maria, & beatu sanctus Victore, & beatus sanctus Nicholaus, qui sunt edificati in fundo Victorianum, & a Murico abbas, qui est de ipso monasterio, & a suisque successoribus usque in perpetuum, idem est aliquis de terra nostra, quam nobis abemus nostra comparacione, est possita ipsa terra infra territoriu castellu Petrosum in locu, qui dicitur in fundo Scotane, & in locu, qui dicitur Rubiantem, & in locu qui dicitur li Cerri, & locu qui dicitur lu Casa, a primo latere lu Sassu de Rosinca veniente in Sentino, & veniente &c.

Ego Adamo judice notarius scripsi complevit & clausit.

LV.

Donatio ecclesiæ S. Quirici de Rosis facta eremo Camaldulensi.

Anno 1086. mense februario.

Ex autographo archivi Fontis-boni. §. Donatio. n. 190.

Adlib. XXII. n. 3.

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis millesimo octuagesimo sexto regnante Henrico rege mense februario indictione nona. Manifesta sum ego Germana filia quondam Pezitti conjux Uberti filius quondam Guinildi & Gisla filia quondam Rainerii & sum conjux Pagani filius prescripti Guinildi, seu & ego Adalasia filia quondam Pagani & sum conjux Tenzonis filius prefati Guinildi, qualiter per consensum & datam nobis licentiam virorum nostrorum, atque cum notitia & interrogatione Johannis judicis domni imperatoris, a quo interrogate & inquisite sumus secundum legem, in cujus presentia & testium subtuscriptorum professe sumus nos nullam pati violentiam, sed bona & spontanea nostra voluntate una cum predictis viris nostris, atque ego Henricus filius quondam Guinildi una cum patruelibus meis conjugibusque eorum pro mercede & remedio animarum nostrarum nostrorumque parentum judicamus, offerimus & damus Deo patri nostro omnipotenti, & ecclesie in honore Salvatoris omnium dedicate in advocabulo Campus amabilis ad usum & sumptum fratrum heremitarum seu monachorum ibi Deo famulantium integram unam ecclesiam dedicatam in honore sancti Quirici & aliorum Sanctorum in advocabulo le Rose cum terris, vineis &c. omnibusque pertinentiis ejus in quibuscumque locis & vocabulis invente fuerint, anteposita silva & fratta. Suprascriptam autem ecclesiam beati Quirici cum omnibus pertinentiis suis antepositis, que supra anteposuimus, ubicumque invente fuerint cum casis, vineis, campis, silvis, mansis & tenimentis, pascuis, aquis, aquarumque usibus, terris, cultis & incultis &c.

Actum in comitatu Aretino feliciter.

† Signa manuum prescriptorum jugalium, & Henrici, qui hanc cartulam fieri rogaverunt.

† Ego Johannes judex domni imperatoris suprascriptas mulieres interrogavi, ut supra & ss.

† Signa manuum Rolandi filius quondam

dam Bugatti & Johannis filius quondam Britti & Rainerii filius quondam Guidonis rogati testes.

† Ego Aritius notarius scripsi & complevi.

LVI.

Adelbertus episcopus Comaclensis renuntiat Johanni abbati S. Adalberti decimas & primitias de nonnullis ecclesiis.

Anno 1086. v. maji.

Ex autographo tabularii archiepiscopii Ravennatis. F. 2044.

Ad lib. XXII. n. 4.

IN nomine Domini. Anno ab incarnatione Domini millesimo octogesimo sexto. Anno tertio Deo propitio pontificatus domni Clementis pape in apostolica sacratissima sede beati Petri apostoli imperante vero Henrico filio quondam Einrici imperatoris anno .... die quinto mensis madii indictione nona Comiaclo. Ego domnus Adelbertus divina gratia episcopus sancte Comiaclensisheclesie, cum consensu meorum canonicorum ejusdem episcopii sancti Cassiani, facio finem & securationem pro me & meis successoribus episcopis in perpetuum. Videlicet .... donno Johanni venerabili abbati monasterii sancti Adelberti martyris Christi tuisque successoribus abbatibus & collegiis vestri monasterii presentibus & futuris in perpetuum. Id est de monasterio sancti Adelberti, & de decimis ac primitiis insule Perei ejusdem monasterii, tam de terris, quam de aquis omnibus rebus ad eumdem monasterium, & ad dictam insulam pertinentibus nomine diocesis vel aliquo alio modo. Insuper facio finem & diffinitionem de tota plebe sancte Marie de Pado vetere cum omnibus .... tibus de decimationibus, primitiis & oblationibus. Et insuper finem & securitatem facio de heclesia sancti Michaelis posita in prefato Pado cum omnibus sibi pertinentibus. Spondo, & promitto, & obligo me, quod ab hac ora in futurum ...... ego jamdictus domnus Adelbertus .... mei successores de predictis rebus non aliquam litem vel molestiam inferemus contra te jamdictum abbatem domnum Johannem, neque contra successores, vel collegium vestri monasterii, presentem & futurum, in placito vel extra &c.

Quam vero paginam securitatis ego Petrus Ravennas tabellio scripsi, post traditam complevi & absolvi.

Ego Adelbertus gratia Dei episcopus sancte Comaclensis ecclesie in hac obligatione a me facta ss.

Signum manuum Petri de Martina & Petri de Cristolo, & Johannes de Vitale de Calicario, & Johannes de Paulo de Aurelia, & Johan. de presbytero Martino rogatorum testium ad omnia suprascripta.

LVII.

Donatio facta Murico abbati S. Victoris de Clusis.

Anno 1086. mense majo.

Ex autographo archivi S. Catharinæ Fabriani.

Ibidem.

IN nomine Domini. Et factum est in anni Domini, & sunt anni Domini mille octuajesimo sesto, & rennante Inrico imperatore, & die mense madii per indicione nona. Ideoque ego Johannes filius quondam Fulco quondam Bucco cum bona propria voluntate &c. secundum mea lege Langubardorum & Nocia muliere sua de sua parcione per consensu de Johannis viro suo similiter rogavimus ista cartula, ac tibi beata sancta Maria, & a beatu sancto Victore, qui sunt edificati in fundo Victurianum, & a Murico abbas de ejus suprascripto monasterio, & a suisque supcessoribusque in perpetuum, idem est aliquid de terra nostra, que est possita infra territorio comitato Camerino, in locu qui dicitur Muro, est ipsa terra primo latere fluvio Camertule, & secundum est ipsa via, que pergit da busca de Senzanum, & tercio latere fluvio Castellano, & quarto latere terra de Rufano veniente a sanctus Stefanum, qui in fuit edificatu in monte Castellano, & veniente in fluvio Camertule, qui est primo latere. Infra finis isti &c.

Ego Adamo judice notarius scripsi complevi & clausit.

LVIII.

Promissio inter Petrum abbatem Muscheti, & Rodulphum priorem Camaldulensem.

Anno 1086. mense julio.

Ex autographo parthenonis S. Petri de Luco. Sacc. E. n. 54.

Ad lib. XXII. n. 3.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus octuagesimo sexto post mille mense julio indictione nona feliciter. Cum omnia, que contrahuntur in sui rectitudine jure donationis obligatione submissa per stipulationem & jure emptionis ad firmitatem eodem nexu obligare optime contrahentes certum est. Manifestus sum ego Petrus abbas, & rector de ecclesia & monasterio sancti Petri de Luco siti Muscheto una cum consilio, & adsensu confratrum meorum, videlicet Guidonis, & Ugonis monachorum ipsius ecclesie & camerariorum, per hanc cartulam promissionis & obligationis promitto tibi domno Rodulpho priori & rectori de ecclesia & monasterio sancti Salvatoris sito Campo amabili, vice & utilitate vestre ecclesie sancti Petri de Lusciano, duas petias terre, que sunt posite in loco, qui vocatur Lusciano, quas petias terre ego predictus Petrus abbas a te Rodulpho priore commutationis causa recepi. Taliter quod a modo in antea ego Petrus abbas, vel mei successores non habemus licentiam, neque potestatem, hoc videlicet tenore, nec donandi, neque vendendi, neque pignorandi, neque commutationem aliquam faciendi, neque per libellum dandi, nec aliquo modo alienandi, nisi predicto monasterio sancti Salvatoris, & si vendere voluerimus, solidos XL. minus a vobis, quam ab aliis hominibus, postea quam vobis inquisitum fuerit, recipere debeamus. Et si ego predictus Rodulphus prior, vel mei successores distulerimus comparare, & comparare noluerimus, tunc liceat predicto monasterio & abbati sancti Petri de Muscheto & suis successoribus venundare, & per libellum dare cuicumque sibi placuerit sine jam dicti Rodulphi prioris, vel suorum successorum contradictione. Quod si ita omnia non observaverimus, & observare noluerimus, & bene adimpleverimus, ut dictum est superius, tunc pene nomine numero duas libras auri purissimi dare debeat, & componere pars parti fidem servanti, medietas cujus camere imperatoris, & alia medietas parti servanti fidem vadat. Et post penam datam hec carta firma, & stabilis permaneat semper. Et insuper licentiam & potestatem habeat predictus prior ingrediendi & usufructuandi jure pignoris has predictas petias terre sine predicti Petri abbatis, & ejus successorum contradictione. Et pro ipsa promissione, & securitate, atque obligatione facta per obligationem dico per stipulationem launechil recepi ego predictus abbas sancti Petri a te predicto Rodulpho priore vice & utilitate predicte ecclesie birrum unum sive vestimentum monasticum valientem solidos centum, & centum missas, & totidem psalteria.

Actum prope predictam ecclesiam sitam Lusciano in viam publicam judiciaria Florentina.

Ego Petrus peccator & monachus subscripsi.

Ego Donatus monachus ss. Ego Albertus mon. ss. Ego Petrus abbas ss.

Signa ††† manuum predicti abbatis, qui hanc cartulam, sicut superius legitur, fieri rogavit, & Guidonis & Ugonis camerariorum monachorum.

Signa ††† manuum Azzi filii Albizi, & Pantii Enrici, & Ugonis filii Ugonis, & Gherardi filii Ildebrandi de Filiano rogatorum testium.

Ego Gherardus notarius ac scriptor huic cartule promissionis & obligationis post traditam dedi complementum.

Ego Restaurans damnum judex gloriosissimi Federici imperatoris hujus exemplaris authenticum vidi, ac legi, ideoque subscripsi.

Ego Benedictus victoriosissimi Federici imperatoris judex atque notarius autenticum hujus exemplaris vidi ac legi, ideoque subscripsi.

Ego Baldovinus judex serenissimi Federici imper. Romanorum authenticum hujus exemplaris vidi, ac legi, ideoque subscripsi.

Ego Rodulphus judex ordinarius imperialis aule domini Frederici hujus exemplaris authenticum vidi ac diligenter inspexi, ideoque ss.

Ego Azzo judex serenis. Frederici hujus authenticum exemplaris vidi ac legi, & quidquid in eo reperi fideliter exemplavi.

LIX.

LIX.

Rodulphus prior Camaldulensis concedit Alberto plebano Montis-fenarii terras pro hospitali ædificando.

Anno 1086. mense julio.

Ex originali ejusdem parthenonis k. 4.

Ad lib. XXII. n. 2.

BReve recordationis pro futuris temporibus ad memoriam habendum, ac retinendum factum in loco, qui dicitur Lusciano, prope ecclesiam sancti Petri de Lusciano, in presentia Ugonis plebani de plebe sancti Johannis majoris, & Petri abbatis de monasterio sancti Petri de Muscheto, & Guidonis monachi ejusdem monasterii, & Gherardi presbiteri de ecclesia sancti Stephani de Grezzano, & Guidonis presbyteri de Riofrido, & Guidonis, & Gherardi de loco Favale, & in aliorum plurium presentia. Rodulphus prior de monasterio sancti Salvatoris sito Campo amabili per consensum fratrum suorum, videlicet Gotidii, Guinidii, & Bonitii concessit Alberto plebitaneo de plebe sancte Marie de colle Montis Fenarii, nominative integram medietatem de una sorte, que est posita in loco, qui dicitur Latere, sive id quod habet Guinidius filius Barueci, & sui consortes, ubicunque invenitur, cum pacto, ut in ipsa terra ospitale ad opus Dei faciendum, & edificandum ad honorem sancti Salvatoris Camalduli faciat ad pauperes ibidem recreandos. Quod si predictus plebanus, vel aliquis successor ejus jam predictam terram, vel ejus usufructus de ipso ospitali subtraxerit, vel ospites non direxerit, tunc sit obnoxius pene centum solidorum. Et dictus prior, & ejus successor faciat de ipsa sorte & terra quidquid sibi placuerit, & si supradictus prior, vel ejus successor ospitio manente in religione, & utilitate pauperum, jam dictam terram & sortem exinde subtraxerit, tunc pene decem librarum sit obnoxius restitutioni. Et ego pro hac concessione jam dictus plebitaneus pensionem XII. denariorum Lucensium per quodlibet annum in octava epiphanie Domini daturum se, suosque successores in perpetuum eremo Camalduli promisit atque obligavit. Qui vero contrafecerit viginti solidorum pena daturum se promisit. Factum est hoc anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi octuagesimo sexto post mille, mense julio, indictione nona. Unde duo brevia inter se fieri rogaverunt.

Ego Gerardus notarius, ac scriptor ad hec interfui, & hoc breve scripsi.

L X.

VVido comes & Hermellina ejus uxor sub protectione suscipiunt ecclesiam S. Petri prope castrum Luci.

Anno 1086. id. julii.

Ex autographo ejusdem parthenonis.

Ad lib. XXII. n. 1.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Anno Dominice incarnationis millesimo octuagesimosesto, idus julii indictione nona. Nos Vvido comes filius b. m. item Vvidonis olim comitis, & Hermellina conjux ejus filia Alberti comitis, sed ego Hermellina per consensum & comiatum predicti viri mei comuniter nos cum voluntate Tegrini & Vvidoni nostrorum filiorum pro Dei timore, & remedio animarum nostrarum, & interventu hac petitione Rodulfi prioris Camaldulensis heremi, adheratque cum eo Lambertus archipresbyter de civitate Luca cum suis fratribus, suscepimus in nostra defensione in perpetuum ecclesiam, que consecrata est in honore beatissimi Petri apostoli sita prope castellum, quod vocatur Luco, que noviter monasterium ad usum feminarum est ordinatum, vel ordinabitur, te absolvimus ex nostra parte nostrorumque heredum in perpetuum ab omni seculari usu, ita ut neque nos, neque nostri heredes, aut nostri vicecomites, vel castaldiones, aut aliqua a nobis suposita persona de terris & rebus, que predicto monasterio sancti Petri ex parte predicti prioris concesse sunt, vel ab eo aut suorum successorum concesse fuerint, cum nostro consilio nostrorumque heredum ad secularem usum non retrahantur, nec homines predicti monasterii per placitum fatigentur. Hec omnia observabimus, usquedum ipsum monasterium secundum sacrum ordinem steterit. Preterea obligamus nos predicti jugales, ut si nos, vel nostri heredes usque in perpetuum hec, que dicta sunt observabimus, vel predictas res ab parte jam dicti monasterii tollere vel contendere presumpserimus, aut si predictum monasterium in alium statum evertere presumpserimus, tunc daturos & composituros esse debeamus nos predicti jugales vel nostri heredes ad partem predicti mo-

monasterii, suisque rectoribus penam de bono argento libras centum & insuper hoc scriptum in suo robore permaneat. Actum prope castello, quod vocatur Cerrito judiciaria Lucense.

Signa manuum supradictorum jugalium, qui hoc scriptum, ut supra legitur, fieri rogaverunt, & ipse Vvido comes predicte conjugi sue consensit.

Signa manuum predictorum Tegrini, & Vvidonis, qui in hoc scripto assensere.

Signa manuum Gerardi, qui vocatur Caput in sacco filii b. m. Florentii, & Rolandi filio Ingoli, & Segnorelli filio b. m. Rainerii de Greve rogati testes.

Ego Johannes notarius scriptor post traditam complevi.

LXI.

Rodulphus prior Camaldulensis assignat bona, & cedit eamdem ecclesiam S. Petri sanctimonialibus Camaldulensibus ab se institutis.

Anno 1086. mense augusto.

Ex archivo monasterii Fontis-boni.

Ibidem.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Placuit mihi Rodulfo non meis meritis, sed gratia Dei Camaldulensis heremi priori, atque fratribus meis in unum collectis providere. Si is, qui pro suis tantummodo actibus rationem redditurus creditur, oculis plenum esse oporteat, incomparabiliter multo amplius necesse est oculorum plenitudine sese providere, qui non solum pro se, verum etiam pro multis judicium Dei imminere probatur. Nos itaque, qui vel paucorum animas sub fidei nostre sponsione ad Deum ducendas suscepimus, quique sine nostrarum animarum periculo illarum salutem negligendam non credimus, si predictum judicium effugere volumus, providendum est, quod unicuique nostrum conveniat, & sic singulis secundum evangelium in tempore cibum largiri, ut saltem exactione judiciaria mereamur non affligi, & si tales non sumus, qui juxta evangelicam pollicitationem in gaudium Domini intrantes per omnia illius bona constitui mereamur. Sed sicut locus & personarum societas multis expeditissimum ad Deum cursum demonstrat, ita locorum & personarum indiscreta communio a spe vite eterne multos retractat. Sic ergo providenda atque longe ad invicem constituenda sunt loca quomodo nobis commissi seorsum viri, seorsum nobis commisse, Deoque dicate mulieres, omnipotenti Deo militare probentur, quatenus alter non impediatur ab altero. Est siquidem locus juris & proprietatis nostre heremi in Mucello intra territorium Florentinum, & ultra alpium juga prope confinia Florentini atque Bononiensis comitatus, ubi monasterium possimus condere puellarum. Est quedam ecclesia in Mucello sita prope castrum nomine Lucum; ubi Deo dante predictum monasterium constituimus in perpetuum permansurum, reservata nobis atque nostris successoribus, qui in perpetuum fuerint, omni potestate atque dominio tam ex eo, quam ex cunctis rebus vel a nobis, vel a quibuscumque collatis, vel in perpetuum ibidem conferendis. Constituimus ei, que in Mucello modo habemus, atque id quod ultra alpium juga prope confinia Florentini atque Bononiensis comitatus tenemus, ubi nunc abbatissam seo prepositam ceteris sororibus, eandemque non absque nostra nostrorumque in perpetuum successorum constitutione proponendam in quolibet tempore decernimus atque firmamus, quibus videlicet prepofite, atque sororibus non liceat terras, quas ibi concedimus, vel quas locus ille in antea habiturus est, vendere, donare, commutare, libellare, vel aliquo modo alienare, sed neque in quocumque tempore mulierum personas, quas nos vel nostri successores, qui in perpetuum fuerint, miserimus, liceat renuere, neque sine nostra, nostrorumque successorum licentia sororem denuo liceat ibi aliquam deputare, sane sicut eis predicta licere non censemus, ita constituimus atque firmamus, ut ex his, que recta & fructuosa esse perspeximus, assensum & licentiam ei prebere salubriter debeamus. Preterea quicumque homo vel masculus vel femina agros aut vineas, campos aut silvas predicto monasterio dare voluerit, eo modo danda constituimus, ut scriptum juris & proprietatis in hac nostra heremo fieri rogetur. Prefatum vero monasterium eo modo in perpetuum mansurum firmamus, ut neque mihi, neque meis successoribus liceat illud destruere, nec terras, quas ibi concessimus, liceat minuere, usque dum sorores, que ibi vel modo, vel in quocumque tempore habitaverint sub nostro nostrorumque successorum perpetuali dominio atque precepto spiritaliter atque regulariter ac monastice vixerint. Si vero predicte sorores, sicut predictum est, permanserint, & aliquis prior hujus nostre

ſtre heremi malitioſe, & non ſecundum Deum, quod firmatum habemus, irruperit, videlicet ſi monaſterium illud puellarum deſtruxerit, ſeu campos atque ſilvas, agros atque vineas, quas nos ibi in preſentiarum conceſſimus, ſine illarum voluntate imminuerit, tunc in omnipotentis Dei judicio rationem redditurum ſe ſciat, & ex noſtra auctoritate excommunicatum, ſi non emendaverit, & prefate ſorores licentiam habeant ad Apoſtolicum, & ad Aretinum atque Florentinum epiſcopos tantum ex predicti monaſterii deſtructione contra illos declamationem facere, quatenus prefatum monaſterium puellarum, ſicut in preſenti pagina conſtituimus, permaneat. Si vero ſorores, que ibi, vel quolibet tempore in perpetuum fuerint, regulariter, atque monaſtice non vixerint, nos vel ſucceſſores noſtri, qui in perpetuum fuerint, poteſtatem habeant eas arguendi, obſecrandi, increpandi atque excommunicandi. Quod ſi poſt excommunicationem ſe non emendaverint, tunc poteſtatem habeamus nos, vel noſtri ſucceſſores, qui in perpetuum fuerint, predictum monaſterium puellarum, & res quecumque ibi collate ſunt, vel quocunque tempore fuerint, ſine earum contradictione, vel quantumcumque poteſtatum ſpiritualium vel ſecularium, vel quorumcunque hominum reducere ad uſum hujus noſtre heremi, atque fratrum noſtrorum qui nunc ſunt, vel qui in perpetuum fuerint, ſicut nobis melius viſum fuerit. Actum loco Camalduli feliciter. Anno Dominice incarnationis milleſimo octuageſimo ſexto indictione nona menſe auguſto.

Ego Rodulfus prior huic ſcripto a me facto ss.

Ego Vivenzo monachus ss.
Ego Petrus monachus ss.
Ego Ubertus monachus ss.
Ego Petrus monachus ss.
Ego Johannes monachus ss.
Ego Andreas monachus ss.
Ego Johannes monachus ss.
Ego Vvido monachus ss.

LXII.

Altera charta ejuſdem Rodulphi.

Anno 1086. xv. auguſti.

Ex archivo parthenonis Luci k. 40.

Ibidem

IN nomine ſancte & individue Trinitatis. Placuit mihi Rodulpho non meis meritis, ſed gratia Dei Camaldulenſis eremi priori, atque fratribus meis in unum collectis providere. Si eum, qui pro ſuis actibus rationem redditurus creditur oculis plenum eſſe oporteat, multo amplius neceſſe eſt oculorum plenitudinem veram quilibet ſe providere, quia non ſolum pro ſe, verum etiam pro multis incomparabiliter judicium Dei imminere probatur. Nos itaque, qui paucas animas ſub fidei noſtre ſponſione ad Dominum ducendas ſuſcepimus, ſine noſtrarum animarum periculo illarum ſalutem negligendam non debemus, ſi predictum judicium Dei effugere volumus. Credendum eſt, quod unicuique noſtrum conveniat, & ſic ſingulis ſecundum evangelii interpretationem cibum largiri, ut ſaltem exactione judiciaria mereamur non affligi, quamvis tales non ſimus, quod juxta evangelicam pollicitationem in gaudium Domini intrantes ſuper omnia bona illius mereamur conſtitui. Sed ſicut locus & perſonarum ſocietas multis expeditiſſimum curſum demonſtrat, ita locorum ac perſonarum indiſcreta communio a ſpe vite eterne multos retineat. Sic ergo providenda atque longe ad invicem conſtituenda ſunt loca, in quibus nobis commiſſe, Deoque dicate mulieres omnipotenti Domino militare perhibentur, quatenus aliter non impediantur ab alio.

Eſt quedam eccleſia in Mucello ſita prope caſtellum nomine Lucum, ubi Domino dominante predictum monaſterium conſtituimus in eternum permanſurum, inceptum menſe julio preterito, reſervata tamen omni poteſtate atque dominio nobis atque noſtris ſucceſſoribus, qui in perpetuum fuerint tam ex prefato monaſterio, quam ex curtis & rebus a nobis vel a quibuſcumque collatis, vel in perpetuum ibique conferendis. Conſtituimus eum & ei donamus id quod modo in Mucello habemus, atque id quod ultra alpes, & intra comitatum & epiſcopatum Florentinum tenemus. Ibi enim abbatiſſa, ſeu prepoſita ſit ceteris ſororibus ſuperioriſſa. Eamdemque enim abſque noſtra, noſtrorumque in perpetuum ſucceſſorum conſtitutione atque licentia proponendam eſſe in quolibet tempore decernimus atque firmamus. Quibus videlicet prepoſitis atque ſororibus non liceat terras, quas ibi concedimus, vendere, donare, commutare, libellare, vel aliquo modo alienare, ſeu in quocumque tempore mulieres perſonas, quas nos, vel noſtri ſucceſſores, qui in perpetuum fuerint, miſerint, eis non liceat

renue-

renuere. Neque sine nostra, nostrorumque successorum licentia sorores non liceat ibi aliquas deputare. Sane sicut eis predicta licere non censemus, ita in iis, que recta atque fructuosa esse perspeximus, assensum, & licentiam eis prebere salubriter debeamus. Preterea quicumque homo, masculus vel femina, agros vel vineas, campos aut silvas predicto monasterio dare voluerit, dandas constituimus per scriptum juris & proprietatis, quod fieri rogetur in nostra eremo. Predictum monasterium eo modo perpetuum permansurum firmamus, ut neque mihi, neque meis successoribus liceat illud destruere, nec terras, quas ibi concessimus, liceat minuere, usque dum sorores, que ibi modo, vel in quocumque tempore habitaverint sub nostro, nostrorumque successorum perpetuali dominio, atque precepto, & spiritualiter atque regulariter & monastice vixerint. Si vero predicte sorores, sicut predictum est, permanserint, & aliquis prior hujus nostre eremi malitiose, & non secundum Dominum, quod firmatum habemus, videlicet monasterium illud destruxerit, seu campos & silvas, agros ac vineas, quas nos ibi in presentiarum concessimus, sine illarum voluntate imminuerit, tunc omnipotentis judicio Dei rationem redditurus se sciat, & ex nostra auctoritate excommunicatum declaramus, nisi emendaverit. Et prefate sorores licentiam habeant ad Apostolicum, & ad Aretinum, atque ad Florentinum episcopos tantum ex predicti monasterii destructione contra illum reclamationem facere, quatenus prefatum monasterium puellarum, sicuti in presenti pagina constitutum permaneat. Si vero sorores, que ibi vel modo, vel quolibet tempore in perpetuum fuerint, regulariter, atque monastice non vixerint, & sub nostro perpetuali dominio non permanserint, aut omnia, que a nobis in hac pagina constituta sunt, non observaverint, nos, vel successores nostri, qui in perpetuum fuerint, potestatem habeant eas arguendi, increpandi atque excommunicandi. Quod si post excommunicationem se non emendaverint, tunc potestatem nos vel nostri successores, qui in perpetuum fuerint, predictum monasterium puellarum, ac res omnes, que ibi collate sunt, vel quocumque tempore fuerint, sine earum contradictione, vel quarumcumque potestatum spiritualium, vel secularium, vel quorumcumque hominum reducere ad usum hujus nostre Heremi, atque fratrum nostrorum, qui nunc sunt, vel qui in perpetuum fuerint, sicut nobis melius visum fuerit. Actum loco Camalduli feliciter anno Dominice incarnationis millesimo octuagesimo sexto indictione nona mense augusto die decima quinta.

Ego Rodulphus prior subscripsi ac fieri feci. Ego Martinus monachus subscripsi. Ego Basilius mon. ss. Ego Teuzo monachus ss. Ego Johannes mon. ss. Ego Martinus mon. ss. Ego Johannes mon. ss. Ego Vincentius mon. ss. Ego Gregorius mon. ss. Ego Petrus mon. ss. Ego Johannes mon. ss. Ego Petrus mon. ss. Ego Andreas mon. ss. Ego Johannes mon. ss. Ego Guido mon. ss.

Ego Actavantius judex atque notarius huic instrumento imposui complementum ideoque subscripsi.

LXIII.

Adelbertus episcopus Comaclensis iterum renuntiat Johanni abbati S. Adalberti in Pereo jus suum super decimis & primitiis ejusdem monasterii.

Anno 1086. mense novembri.

Ex autographo archiepiscopii Ravennatis. G. 2790.

Ad lib. XXII. n. 4.

IN nomine Domini. Anno ab incarnatione Domini millesimo octuagesimo sexto anno tertio Deo propitio pontificatus domni Clementis pape in apostolica sacratissima sede beati Petri apostoli, imperante vero Enrico filio quondam Enrici imperatoris anno tertio die sexto exeunte novembre indictione nona Comiaclo. Ego donnus Adelbertus divina gratia episcopus sancte Comiaclensis ecclesie cum consensu canonicorum ejusdem episcopii sancti Cassiani facio finem & securitatem pro me meisque successoribus episcopii in perpetuum tibi donno Johanni venerabili abbati monasterii sancti Adalberti martyris Christi tuisque successoribus abbatibus & collegiis sui monasterii tam presentibus, quam futuris in perpetuum, idest de monasterio sancti Adelberti & de decimis ac primitiis insule Perei ejusdem monasterii tam de terris, quam de aquis, omnibusve rebus ad eumdem monasterium vel ad dictam insulam pertinentibus aliquo modo. Spondeo & promitto ac obligo me, quod ab hac ora in futurum nova gratia ego jam dictus donnus Adelbertus episcopus neque mei successores

de

de predictis rebus non aliquam litem inferemus vel molestiam contra te jam dictum abbatem donnum Johannem, neque contra tuos successores vel collegium vestri monasterii presentem & futurum in placito vel extra neque in concilio nomine diecesis vel alio aliquo modo seu ingenio, nec per me neque per submissam personam vel submittendam, nec a meis successoribus. Et si hæc omnia, que superius leguntur, non observavero vel adimplevero, & contra hec ire vel agere temptavero, aut contendere voluero ego vel mei successores, tunc daturum & compositurum me esse promitto meosque successores tibi jamdicto donno Johanni venerabili abbati tuisque successoribus vel collegio vestri monasterii ante omnem causam aut initium litis pene nomine auri obtimi libras quinquaginta & pena soluta hec obligatio & securitas firma permaneat in perpetuum. Quam vero paginam securitatis & refutationis ego Petrus Ravennas tabellio scripsi post tradita complevi & absolvi.

Signum manuum Petri de Michele, Gualterii de Frisone, Johannis Fuschi ...... Guegueri de capite Gauri, Ubertatis de Quinta, Johannis de Vitale caligario, Guirerii Fusconis de Ravenna, Johannis Blanchi de Ravenna rogatorum testium ad omnia suprascripta.

Notitia testium idest

Petrus de Michele
Gualterius de Frisone
Johannes Fuschi .....
Johannes de Gueguera de capite Gauri.
Ubertatis de Quinta.
Johannis de Vitale caligario.
Guirerii Fusconis de Ravenna.
Johannes Blancus de Ravenna.

LXIV.

Literæ Urbani pape II. ad Vallis-umbrosæ & Camalduli priores, ne a communione Pisani episcopi se alienent.

Anno 1089. II. idus julii.

Ex Quæstione Vallumbrosana IX. *V. Cl. Fidelis Soldanii* p. 144.

Ad lib. XXII. n. 13.

URbanus episcopus servus servorum Dei venerabilibus in Christo filiis R... Vallumbrosano, M.. Camaldulensi & congregationibus eorum regimini commissis salutem & apostolicam benedictionem. Religionis vestre zelum merito collaudamus & gratias agimus, quia contra simoniacam pravitatem immenso fervore ardetis, & alios etiam ardere compellitis. Illud autem in vobis miramur, illud arguimus, quod contra sanctorum Patrum constitutiones, ante probatam rem, ante negotium definitum sanctitatem vestram a communione confratris nostri Pisani antistitis suspenditis. Neque enim vos decet assidue divinis vacantes servitiis aliter agere, quam divinis instruimini disciplinis; ipse quippe occultorum cognitor Deus Sodomorum mala noluit audita judicare, priusquam manifeste, que dicebantur, agnosceret: Descendam, ait, & videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, unde beatus martyr & pontifex Evaristus ait: Mala audita nullum moveant, nec passim dicta absque certa probatione quisque umquam credat, sed ante audita diligenter inquirat, ne precipitando quis aliquid agat. Si enim Deus omnium Sodomorum mala, quorum clamor pervenerat usque ad celum, omnia sciens, nec credere prius, nec judicare voluit, quam ipse eam cum fidelibus testibus diligenter investigans, que audierat ex opere veraciter cognosceret, multo magis nos humani & peccatores, quibus incognita sunt occulta judicia Dei, hec precaventes, nullum ante veram justamque probationem judicare, aut damnare debemus, manifeste Apostolo dicente: Tu quis es, qui judicas alienum servum? Suo Domino stat, aut cadit. Quod capitulum Apostoli beatus Augustinus exponens ait: Noluit enim hominem ab homine judicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario usurpato judicio, sed potius ex lege Dei secundum ordinem ecclesie, sive ultro confessum sive accusatum, atque convictum; alioquin illud cur dixit: Si quis frater nominatur, aut fornicator, aut idolis serviens &c. nisi quia eam nominationem intelligi voluit, que fit in quemquam, cum sententia ordine judiciario, atque integritate profertur? Nam si nominatio sufficit, multi damnandi sunt innocentes, quia sepe falso in quoquam crimine nominatur. Decuit ergo vos die ac nocte in lege Domini meditantes ista & hujusmodi plura observasse; nec ante legitimam discussionem, aut a communione vos Pisani antistitis subtraxisse, aut tanta eum infamia denotasse. Quia tamen vos ex religionis merito veneramur, & ex amore justitie id egisse credimus, vestre in hoc simplicitati benignitate apostolica parcimus; maxime cum in literis vestris alios hujus criminationis auctores osten-

ostenderitis, & vos ab ejus intentione removeritis. Rogamus autem vos, & tamquam obedientie filiis precipimus, ut eos nobis ex nomine designare curetis, quatenus auctore Deo, accusatoribus cognitis, infamia hec aut comprobetur canonice, aut removeatur. Preterea notum vobis volumus ipsos jamdudum a nobis per communes Pisani populi literas evocatos. Si ergo necdum venire ceperunt, vos eos vice nostra, ut ad nos veniant, per apostolice sedis obedientiam admonete, & ne forte causentur ad priorem terminum non posse occurrere, usque ad proximam beate Marie nativitatem inducias protelamus; quod si vel tunc venire contempserint, canonica se noverint ultione plectendos. Si autem illi venerint, omnino volumus, ut ex vobis duos vel tres ad hujus rei diffinitionem perspiciendam cum eis pariter ante nostram presentiam dirigatis. Interim vos a confratris nostri diffamatione desistite, & ejus communionem nullo modo recusate. Quicumque etiam vestrum in Pisane ecclesie diecesi commorantur, debitam ei obedientiam impendere non recusent. De cetero obsecramus, ut vestris nos apud omnipotentem Deum orationibus commendetis.

Data Troje II. idus julii.

LXV.

Martinus prior Camaldulensis dat ad emphyteusim filiis Alberici terras Rodulphi quondam Ungani.

Anno 1089. VII. kl. februarii.

Ex archivo monasterii SS. Angelorum Florentiæ.

Ad lib. XXII. n. 15.

IN nomine Domini. Anno Dominice incarnationis M. octuagesimo nono regnante Henrico rege VII. kal. febr. indictione XII. Et ideo ego domnus Martinus prior & prepositus heremitorii Salvatoris omnium positam in advocabulo Campus amabilis, qualiter per hoc scriptum locationis consentientibus fratribus heremitis coadstantibus, do vobis Uberto & Ugoni & Alberico & Ildibrando germanis filii quondam Alberici integram partem illam de curte Vegoniano, que per cartulam offersionis ecclesie nostre data est & sancto heremitorio ab Ildibrando notario, & quam datam asserimus eidem venerabili loco in villa de Juliano & in Laurenzano, in curia de Valenzano, & Balneolo, & Calvenzano, & Acuna & sancta Reparata a Rodulfo confratre nostro atque ab uxore ejus, sicut eis devolute sunt jure successionis seu quolibet titulo, & ipsi tenuerunt vel alii qui per illos infra curtes vel villas prescriptas vel infra quibuscumque aliis vocabulis inditas esse reperiuntur, vel reperte habentur cum mansis, domibus, casis, mapalibus, magaliis, vineis, pratis, silvis, fructibus, lucis, stallariis, arboribus &c. ego qui supra domnus Martinus heremita & eorum prior vobis jamdictis fratribus do eo videlicet modo, ut vos & vestri liberi heredes eam habeatis & fruatis atque utamini, & per eam mihi meisque posteris successoribus prioribus ejusdem venerabilis loci annualiter infra mensem januarii persolvatis censum sol. XVIII. bonorum denariorum Lucensium & amplius vobis exinde non superponatur, quod si quocumque tempore seam vobis quesierimus tollere vel minuere &c. sic & nos qui supra fratres cum nostris liberis heredibus facere & adimplere promittimus vobis domno Martino priori, vestrisque posteris successoribus ejusdem sacratissimi loci prioribus, quod si non fecerimus, aut si eam diviserimus vel supradictam pensionem vobis annualiter non persolverimus, tunc obligamus nos & nostros liberos heredes nos qui supra fratres tibi jam dicto domno Martino priori tuisque posteris successoribus composituros, & componamus similem penam idest argenti optimi libras centum, sicut inter nos convenit, unde duo libelli pari tenore inter nos fieri rogati sunt, ut supra.

Actum in civitate Aretina feliciter.

Ego Martinus Camaldulensis prior in hoc libello a me facto ss.

Ego Rustico monachus manu mea scripsi & laudavi

Winizo monachus interfui & collaudavi ss.

Venerandus ss.

Ego Rodulfus peccator monachus ss. & laudavi.

Ego Bonizo monachus ss. & laudavi.

Ego Johannes ss. & laudavi.

Ego Gottizzo ss. & laudavi.

Ego Albertus ss. & laudavi.

LXVI.

LXVI.

Fundatio monasterii S. Mariæ de Morrona facta ab Ugone comite.

Anno 1089. mense martio.

Ex Deliciis eruditorum anni 1743. *V. Cl. Joh. Lamii* p. 1049.

Ad lib. XXII. n. 21.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi eterni. Anno ab incarnatione ejus millesimo octuagesimo nono mense martii indictione duodecima. Nos quidem debitores operum Dei ad faciendum ea ex innumeris beneficiis ejus in nos recognoscimus dicente propheta : Vovete & reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu ejus affertis munera. Idcirco nos Ugo comes filius quondam Bulgari comitis, & Cilia jugalis sub notitia duorum proximorum parentum meorum Ugolini & Rainuccini germani, interrogata me Cilia, & congnita nullam me passam violentiam, voluntarie hunc contractum celebrare communiter & legaliter dato consensu per hanc chartam offerimus tibi Domino ecclesiam sancte Marie de monasterio, & eidem ecclesie donamus, cedimus, tradimus omnia, que monachi predicte vestre ecclesie modo habere & detinere videntur, cum casis & terris, vineis, silvis, & buscareis, cultis & incultis omnibus, que eorum partem tenent, & nominative eorum casam & res massaritias, que detinuit Lambertus presbyter, & illam quam detinuit Gerardus castaldio, & aliam, quam detinuit Johannes Corado, que posite sunt prope ecclesiam sancti Petri. Et offerimus eidem ecclesie aliam casam & res massaritias positas in loco, qui dicitur Castaneola prope fluvio, qui dicitur Sera, & aliam casam & res massaritias .... cum sex cultis de silva in loco, qui vocatur Colleleoni prope Piscia .... eidem ecclesie illa molendina, que sunt in fluvio Caldana cum aquis & aqueductibus sive omnibus discursionibus suis, & cum omnibus, que nos .... Ugo comes & Cilia vel nostri heredes ...... predicte ecclesie Dei concesserimus, ut ea omnia, que supra scripta sunt sine vitiis, Dei & predicte ecclesie ad usum, sumptum & commodum dispensationemque Deo militantium proprietario nomine. Quam nostram offersionem si nos .... conjugales vel nostri heredes retollere vel diminuere seu in aliquo transmutare quesierimus per aliquod ingenium, aut si nos conjugales vel nostri heredes ea omnia ad honorem Dei & predicte ecclesie & monasterii in integrum non fecerimus de omnibus rebus ipsius ecclesie, & de personis ibidem Deo servientium & ministrorum suorum, tam de nobis & nostris, quam & de quocumque, qui res predicte ecclesie injuste rapuerit, spondemus nos jugales communiter & legaliter dato consensu, nos nostrosque heredes debere componere auri optimi libras centum, partim predicte ecclesie & monasterio. Et insuper supra violatores suprascriptorum omnis maledictio, ira & indignatio in omnes veniat contra omnia hec operantium, sitque super eos anathema maranatha, idest pereant cum Dominus advenerit. Et hec omni tempore ut vera appareant, Ildebrandum nomine domini imperatoris pro nobis hec scribere communiter nos jugales & legaliter dato consensu rogavimus.

† Signum suprascriptorumdem Uguccioni comitis & Cilie jugales, qui hanc oblationis paginam fieri rogaverunt & suprascripto comiti eidem uxori sue consensi.

Signum domini Ugolini & Rainuccini germani filii suprascripte comitisse Cilie.

Signum domini Lamberti filii domini Rustichi, & Bernardi filio domini Rocchi rogati testes fuerunt.

Signum domini Gherardi castaldio filio domini Lecci, & Ughi filii domini Sesmundi & Rainucci filio domini Vitalis rogati testes.

Dominus Ildebrandus nomine domini imperatoris post predicta complevi & dedi.

LXVII.

Leo & Berta conjuges donant monasterio S. Michaelis in Burgo Pisarum terras in loco vulgo la Rivolta.

Anno 1089. XIII. kl. septembris.

Ex archivo ejusdem monasterii S. Michaelis.

Ad lib. XXII. n. 17.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnationis ejus mille nonagesimo tertiodecimo kalendas septembris indictione XII. Manifesti sumus nos Leo filio b. m. Gherardi, ac Berta jugalibus & filia b. m. Bonerati, qui communiter & consentientes mihi supradicto vir meus, ubi interesse vide-

videtur Ildebrandus judex, per hanc cartula communiter, & consentientes offerimus omnipotenti Deo, & monasterio sancti Michaelis archangeli, qui est fundato & edificato foras civitate Pisa prope porta, que dicitur Samuel, ubi nunc domnus Leo abbas venerabilis preesse videtur, idest nostram portionem ex integram de una petia de terra nostra illa, que est campo, quam abemus in loco & finibus ubi dicitur a la Rivolta, quas ipsa petia de terra est tenentes uno capo in via publica, & alio capo in terra de supradicto monasterio, & lato uno tenet in terra Comicarum, & alio lato tenet in terra de supradicto monasterio, & de suis consortibus de as supradicta petia de terra, qualiter ab omni parte circumdata est per designata loca competit exinde integram cum inferioribus, & superioribus suis, seu cum accessionibus, & ingressoras suas omnipotenti Deo, & predicta ecclesia e monasterio offerre prevideor tali ordine, ut ab odierna die sit proprii juris de predicta ecclesia & monasterio sancti Michaelis, & si aliquo tempore nos, qui supra jugalibus, vel nostris eredibus supradicta medietatem de supradicta petia de terra agerimus aut causaverimus, seu minuaverimus, sive per placitum fatigare fecerimus, & ea a pars supradicte ecclesie, & monasterio ab omni parte defendere non potuerimus, & non defensaverimus, spondimus nos esse compósituros supradicta medietatem de predicta petia de terra a pars predicte ecclesie, & monasterio, & ad ejus rectoribus in ferquidem loco sub estimatione duplum, quales tunc fuerit, & insuper penam arientum optimum libras viginti, quia in tali ordine hanc cartula offertionis communiter e consentientes rogavimus scribere Folcheri notarii domni regis. Actum infra curte de ospitale de supradicto monasterio sancti Michaelis.

Signum de manibus supradicta Berte, qui hanc cartula offertionis communiter, e consentientes supradicto viro suo fieri rogavit.

Ego Leo in anc cartula a me facta ss.

Ego Ildebrandus judex sacri palatii interfui.

Signum de manu Uberti filio quondam Opiti, Enrigo fil. quondam Vuillelmi, qui fuit judex, Carbone quondam Stefani, Bonio filio q....

Ego Folcherius notarius domni regis post tradita complevi & dedi.

LXVIII.

Cuniza abbatissa S. Petri de Luco renuntiat heredibus Gotizii jura albergariarum & dationum.

Anno 1090. II. id. februarii.

Ex archivo ejusdem parthenonis. A. 35.

Ad lib. XXII. n. 23.

Hoc Breve actum est in presentia Aczonis archipresbiteri civitatis Florentie, & Aczonis filii b. m. Alberti plebani sancte Marie de Rivocornoclario, & Petri abbatis de monasterio sancti Petri sito Muscheto, & Alberti filii b. m. Ugonis, & Gherardi filii Azoni de Castagnuolo, & Agucci, & aliorum. Manifestum est, quod archimandidrissa de monasterio sancti Petri sito Luco Cunizza jure monasterii refutavit omnes albergarias & dationes pro se & pro omnibus rectricibus monasterii supradicti ad omnes homines, qui fuerunt de filiis Gotizzi de Riofrido & Casanova circa vassallatico, & ipsi homines investiverunt ipsam abbatissam vice dicti monasterii, & pro eorum posteris non solum dare septem stajora terre ad rectam mensuram de unoquoque manso, que datur a duobus triginta hominibus, sed etiam ipsi dare adjutorium personaliter ad monasterium ipsum in perpetuum pro rege, marchione, civitate, incendio & pro maximo conquesto. Hoc totum facere promiserunt sine fraude, quia ipsa archimandritissa & homines prefati sponderunt inter se. Qui hoc breve fregerit, dare debet pene nomine libras viginti bonorum denariorum Lucensium pars parti fidem servanti. Iidem ad hanc obligationem confirmandam launechildo inter se fecerunt, ut hec promissio semper firma persistat. Anno Dominice incarnationis millesimo nonagesimo, secundo idus februarii indictione nona feliciter.

Actum a Casanove comitatu Florentino.

Signa manuum prefate archimandritisse & omnium hominum omnia, ut superius legitur, fieri rogaverunt.

Signa manuum prefatorum hominum rogatorum testium.

Ego Gherardus notarius & judex hoc breve scripsi pro futura recordatione. Presbiter Albertus monasterii Luci, & Beatrix & Matilda filie Cunizze moniales ibi fuerunt.

LXIX.

LXIX.

Alia pro monasterio de Clusis.

Anno 1090. mense februario.

Ex autographo archivi S. Catharinæ de Fabriano.

Ad lib. XXII. n. 22.

IN nomine Domini. Et factum est in anni & sunt anni Domini millesimo nonagesimo, & regnante Inrico imperatore, & die mense februarius per indiccione tertia x. Ideoque ego Acto filius quondam Tecio & Johannes filius quondam Petrus & alius Johannes & ..... muliere ipsius per consensum & voluntatem de viri sui & nobis toti insimul communiter cum nostra bona propria voluntate secundum nostra lege Langubardorum propter Dei timore & indullencia de anime nostre & de parentibus nostris, ut Deus & Dominus noster Jehsus Cristus faciat nobis indullencia ante tribunal Christi rogavimus & tradimus, & investivimus per ista cartula tibi beata sancta Maria, & a beatu sancto Victore, qui sunt edificati in fundo Victurianum, & a Murico abbas de ipso predicto monasterio & a vestrique supcessoribus usque in perpetuum, idest aliquis de terra nostra que est de jura parentibus nostris, est posita ipsa terra infra territoriu castellu Pretosu *&c.*

Ego Adamus judice & notarius scripsi, complevit & clausit.

LXX.

Alia pro eodem monasterio.

Anno 1090. mense junio.

Ex autographo ejusdem tabularii.

Ibidem.

IN nomine Patris & Filii e Spiritus sancti ab incarnacione Domini nostri Jehsu Cristi, quod sunt anni Domini millesimo & nonagesimo rennante donnus Enrigo inperatore die intrante junius per indiccione terciadecima. Ideoque ego Moronto filio coda Stefanum, & Bona muliere ejus per consensu voluntate de Morontu viro meum nos ambo in simul communiter nostra propria spontanea nostra bona voluntate & de nostra legem Langubardorum damus, tradimus, transfactavimus ad vobis sancto Victore, & donnus Morico abbas damus ad juris proprietatis a vobis & a vestris subcessoribus in servum servorum Dei in perpetuum possidendum. Posita est ipsa tera in dugatu Spolentino in terretorio Castellu Petrosum loco, qui dicitur in fundo fonte Albella, & in fundo de lu busco de Bennino, & in loco, qui dicitur Cerretum, eidem terre, a primo latere tera de Offredu, a secundo la tera de li filiis de Acto, a tercio latere tera de Albrico de Ugo, & de Pagano, a quarto latere de Offre, & de sancto Victore provenientes in primo latere infra istis lateribus *&c.*

Ego Acto judice notario scripsi complevit omnia, sicut superius leitur.

LXXI.

Feralmus filius Corbitionis donat eremo Camaldulensi suum jus in ecclesiam SS. Nicolai & Prosperi de Soci.

Anno 1090. mense augusto.

Ex autographo chartularii Fontis-boni. §. Donatio n. 199.

Ibidem.

IN nomine Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus nonagesimo post mille mense agusto indictione tertia decima Christo auctore. Ego quidem Ferarmus filius olim Corbitionis, quia per hanc cartulam offersionis nomine a presenti die dare & tradere, atque offerre seu & confirmare previdi pro Dei timore & remedium anime mee, & de genitori meo & de genitrice mea in ecclesia & eremitorio sancti Salvatoris sitam Campus amabilis ad salva proprietate sancti Donati, idest omnia integram mea pras de integra una ecclesia, que est edificata & consecrata ad honorem Dei & sancti Nicholai, & sancti Prosperi sitam in loco Soci, & est inter hos finis predicta ecclesia, ex duobus lateribus currit ei via plubica, ex tertio latere est finalis & sepe viva, ex quarto latere desuper foris murum predicte ecclesie pedes unum infra ipse desinates locas integra mea pras, que mihi pertinet ex parte sancti Donanati, aut pro aliquis modis vel alii homines per me tenet, ideo predicta ecclesia cum predicte finis una cum omnia supra se & infra se abentes in perpetuum, sicut superius legitur, in predicta ecclesia jam dicta ecclesia dare & tradere & offerre atque confirmare previdi, ut omni tempore suprascripta ecclesia deveniad, ad salvan proprietatem sancti Do-

Donati, in ecclesia sancti Salvatoris permanead semper. Et quod fieri non credo, si forsitan ego qui supra Ferarmus vel meis heredibus aut summissa persona, que nos miserimus vel quocumque libet ingenium cui nos eas dedissemus aut dederimus &c. contendere &c. presumpserimus &c. & non defensaverimus &c. tunc duppla tanta & talis jam dicta ecclesia cum jam dicta terra, qualis tunc ipsa fuerit sub estimatione in consimili loco de nostris propriis rebus proprietario jure ad partem predicta ecclesia restituere & persolvere debeamus &c. Actam ante hostium sancti Nicolai sitam Soci feliciter.

Singnum manus suprascripti Ferarmi, qui hanc cartula, sicut superius legitur, fieri rogavit.

Singnum manus Guidi filii quondam Johannis, & Leonis filii quondam Niri, & Ugonis filii quondam Rainaldi, & Ugonis filii quondam Totoli, & Rambaldo filii Aligard... rogati testes.

Ego Ildebrandus notarius scriptor pos traditam compleri.

LXXII.

Ugo & Atolfus vendunt terras Rembaldo abbati S. Mariæ in Insula territorii Galeatæ.

Anno 1091. XIX. februarii.

Ex autographo ejusdem archivi, §. Emptio. n. 119.

Ad lib. XXII. n. 25.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi anno millesimo nonagesimo primo tempore domni Clementis pape, & Enrici filius quondam Enrici imperatoris die nono decimo mensis februarii indictione quartadecima in locum, qui vocatur Lama ergapleda. Profitemus nos quidem in Dei nomine Ugo filius Ameltruda, & Berta uxor ejus, & Atolfo filius quondam Rustico, & Nevia uxor ejus per anc paginam nostre vocis, professionis, sponsionis, simulque venditionis, atque perpetualis transactionis a presenti die tibi presenti in Christi nomine Rembaldus Dei gratia presbyter & monachus atque abbas monasterii sancte Marie, que vocatur in Insula, emptori pro te & pro tuis successoribus in perpetuum damus, & vindimus & transactamus de nostro jure nostroque dominio detinere videmus undecumque nobis obvenisse per quemcumque modum vel titulum inde devenit noturie de terra laboratoria, que sunt posite in plano de prato, da primo latere venit predicto compratore & de secundo lato, & desuper stratam percurrentem, & de quarto latere terra, que fuit de Cuzo de Lamberto, hec omnia cum terris & cum omnibus, que infra se & supra se abentibus sita in territorio Galeata plebe sancti Petri, ut a presenti die aut quando volueris liceat tibi supradicto compratore tuisque successoribus ipsam rem, quam superius legitur, introire & preoccupare, atque ingredi ex potestate per hanc paginam venditionis & transactionis a nobis in te factam, aut contraditam &c. pro eo quia exinde accepimus de manibus tuis predicto abbas in manibus nostris predicti venditori predicti nomine, idest pelle una pro solidis quinquaginta denariorum Veneticorum, & ab hodierna die numquam liceat nobis suprascripti venditori, neque nostris filiis & heredibus ullo in tempore facere questionem, repetitionem, &c.

Signum manus jamdicti venditoris Ugo & Berta uxor ejus, & Atolfo, & Nevia uxor ejus uic pagine vendictionis at omnia suprascripta.

Signum manus Martino filius Vizo, & Johannes filius quondam Johannis de Leto, & Brandulo filius Erkenfrido rogatis testibus at omnia suprascripta.

Ego Leo in Dei nomine notarius scripsi, & complevi, atque apsolvi.

LXXIII.

Albericus comes de Donigalia donat Gerardo abbati SS. Laurentii & Hippolyti de Faventia latifundia in ejus curte de Donigalia.

Anno 1091. XXVIII. maji.

Ex authentico ejusdem monasterii.

Ad lib. XXII. n. 26.

HOc est exemplum cujusdam instrumenti, cujus tenor talis est. In nomine nostri Jesu Christi. Anno ab incarnatione ejusdem millesimo nonagesimo primo indictione quartadecima die XXVIII. mensis madii tempore dompni Clementis pape II. & dompni Henrici regis in broilo monasterii sanctorum Laurentii & Ypoliti de Faventia. Ego quidem in Dei nomine comes Albericus de Donicagla pro anima mea, & omnium parentum meorum preteritorum & futurorum, in remissionem peccatorum meorum, ut Deus & dominus noster Jesus Christus

pro

pro hac donatione, quam facio, pro sua magna misericordia indulgeat & remittat mihi & eis omnia nostra peccata & delicta, & perducat in vitam eternam, a presenti die in antea facio puram, simplicem, liberam & irrevocabilem donationem inter vivos, tibi presenti in Christi nomine donno Gerardo abati suprascripti cenobii accipienti vice & nomine prelibati monasterii sanctorum martyrum Laurentii & Ypoliti, & pro toto collegio, quod inibi nunc est, vel in futuro erit, & pro vestris successoribus in perpetuum, videlicet de toto & integro fundo de Vigintiquinque, posito in curte nostra de Donicagla, territorio Corneliensi & plebatu de Fabrico mei proprii juris & jurisdictionis; prenominatum itaque fundum, ut superius dictum est, do & dono, offero, & a mea proprietate translato & transfero tibi prelibato abbati recipienti pro te & toto collegio dicti monasterii in perpetuum, cum introitu & exitu suo, & cum omnibus super se & infra se quoquomodo constitutis, omnibusve sibi pertinentibus vel competituris, omnique jure & actione ad habendum, tenendum & possidendum in perpetuum, & quidquid vobis & vestris successoribus placuerit, faciendum. Et promitto tibi recipienti pro te & tuis successoribus ego prenominatus comes donator pro me meisque heredibus & successoribus in perpetuum dictum fundum ab omni persona hominum & universitate in judicio & extra defendere, & authorizare, & defensare meis expensis propriis, & hanc inter vivos donationem & dationem in omnibus & per omnia, ut supra leguntur, firmam ratamque perpetuo tenere, & nullo modo vel ingenio contra agere vel venire, & nullam litem nullamque molestiam & controversiam vobis exinde deinceps facere vel movere, neque per nos, neque per aliquam personam a nobis submissam vel submittendam, neque de toto, neque de parte, neque in judicio, neque extra sub promissione pene unius libre auri, & pena soluta omnia suprascripta remaneant firma in perpetuum. A me Zonatello Faventino scripta rogatu suprascripti comitis donatoris. Interfuere testes huic donationi Bernardus Sapiens, Unganellus Guidonis Brandonis, dompnus Guido monachus, Drudolus Arardi conversus, Gualdinus & Martellus & alii quamplures. Et ego Zonatellus jamdictus Faventinus notarius omnia suprascripta describens propria manu firmavi, & in publicam formam redegi.

Ad lib. XXII. 26.

Ego Jacobus filius quondam ser Roncholini notarii de Faventia imperiali auctoritate notarius, atque judex ordinarius presens exemplum suprascripti instrumenti de authentico scripto manu Zonatelli Faventini notarii diligenter & fideliter transcripsi, & exemplavi sub annis a nativitate Domini nostri Jesu Christi M. CCC. XXVII, indictione decima die XIIII. mensis maji tempore domini Johannis pape XXII. Faventie in episcopatu ad banchum juris coram reverendo viro domino fratre Jacobo Caratio ven. patris domini fratris Ugolini Dei gratia episcopi Faventini vicario in spiritualibus & temporalibus generali pro tribunali sedente, presentibus testibus domino presbitero Zordano rectore ecclesie sancti Barnabe, fratre Servadeo de ordine fratrum eremitarum, & Enea filio domni Marchi de Giliottis judicis ad hoc vocatis & rogatis. Hoc exemplum ad predictum originale una cum infrascriptis Petro & Simone, qui se subscribere debent, legi & auscultavi, & quia ipsum exemplum inventum est cum dicto authentico concordare, idem dominus vicarius, ut eidem exemplo de cetero legitime insinuationis jure fruatur, & eodem, quo ipsum originale vigore potiatur, & fide suam interposuit authoritatem & decretum.

Sequuntur subscriptiones Simonis & Petri notariorum.

LXXIV.

Moricus episcopus & abbas S. Victoris de Clusis dat in emphyteusim terras Alvino filio Cuzii.

Anno 1091. mense novembri.

Ex autographo archivi S. Catharinæ Fabriani.

Ibidem.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti ab incarnatione Domini nostri Jesu Cristi anni sunt millesimo nojesimo primo rennante domno.. I... mense november per indicione quarta.... Morico episcopus & abbas de monesterio sancto Victore una per consensu voluntate de omnes monachis meis & de omnes clericis meis cum nostra propria anc spontanea mea bona voluntate e secundum meam Romanam legem damus, tradimus, concedimus seo confirmamus ad vobis Alvini filiu presentem Cuzio ad jura sancto Victore ad vobis & filiis vestris masculini ac nepotibus vestris mas-

cu-

culini, qui de filiis masculini nati sunt in tertia generatione vestra finita a salva pensione redendum omnes annaliter de ipsa terra . . . dinario unum, & iterum decima de ipsa terra, posita est ipsa terra in ducatu Spolentino in territorio castellu Petrosu in loco, qui dicitur in fundo de Fresenetum, & in fundo de Serra, & in fundo Capecie in ipsis locas aut in aliis vocabulis, ubi de ipsa terra est, quam vos per carta dedisti a sancto Victore, videlicet a primo latere ipso flumine Castellano, a secundo latere ipso flumine Esino, a tercio latere ipso fossatu de Lurianon perveniente a fossa de silva Landolam, a quarto latere viam publica, que vadit a la cruce de Bervelon perveniente sinu a da desemanie perveniente in primo latere *&c.*

Ego Acto judice & notarius.

LXXV.

Gerardus & Ugo germani vendunt Gerardo abbati SS. Hippolyti & Laurentii de Faventia suum jus in ecclesiam S. Laurentii de Scarzana.

Anno 1092. xv. martii.

Ex autographo archivi ejusdem monasterii n. 37.

[Ad lib. XXII. n. 28.]

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ab incarnatione ejusdem millesimo nonagesimo secundo tempore domini Clementis pape, & Henrichi imperatoris die xv. mensis martii indictione xv. apud locum, qui dicitur Lutriano. Venditionis negotium pre ceteris contractibus est opportunum, appositumque & magis est frequentatum sectamen in scriptis fieri promittere sola conventione non perficere. Et ideo nos quidem in Dei nomine Gerardo, & Ugo germani filii quondam Uberto quondam Marzoli firmiter atque legaliter vendimus, & transfigimus, & donamus atque transferimus in perpetuum, idest tibi presentem in Dei nomine Gerardus presbiter & monachus, atque abbas monasterii sancti Ypoliti emptore atque acceptore pro te tuisque successoribus de predicto monasterio in perpetuum possidendum. Ideo donamus tibi quartam partem unius ecclesie, que est sita & consecrata in loco, qui dicitur Scarzana, cum vocabulo sancti Laurentii pro remedio anime nostre, & de quondam parentorum nostrorum, & insuper vendimus vobis predicto abbati vestrisque successoribus de predicta ecclesia quidquid nobis pertinet ipsius terre & rei, que ipsa superscripta ecclesia habere & detinere visa est nostro jure proprio vel alio quocumque modo nobis pertinet, omnia supradicta cum ruticelis & arbustis, arboribus & omnibus de jam dictis rebus consistentibus in territorio Faventino & plebe sancti Valentini, que est in Treudatio, ut a modo in antea regere liceat vobis in easdem res, que superius leguntur, introire & preoccupare atque ingredi ex potestate per hanc paginam venditionis & alienationis a nobis vobis factam predictam tamquam per legitimam & nostram corporalem traditionem, quamque etiam per istum nostrum missum nomine infrascripto Dominico, que per manum de nostris manibus in tuis inferimus in presentia coram testium, qui hic sunt scripti, & ad ipsam rem pergat, & exinde vos investiat corporaliter nostra vice, habendi dominium, & potestatem etiam vendendi, donandi & quomodovis alienandum in perpetuum cum tuis successoribus de prefato monasterio pro eo, quia das nobis pretii nomine pro predicta terra, idest crosnam unam per solidos viginti monete Lucensium, & promittimus nos predicti venditores, nostrisque heredibus auctores & defensores esse vobis vestrisque successoribus predicte rei ab omnibus hominibus. Quod si, quod absit, & avertat divina potentia, hec omnia, que superius leguntur, non observaverimus vel adimpleverimus, sed contra hec ire vel agere, aut contendere voluerimus per quemlibet modum vel titulum attestatione confirmamus, quia daturi & compogituri nos nostrosque heredes esse promittimus vobis vestrisque successoribus de predicta ecclesia vel monasterio & pene nomine auri uncias quatuor, & soluta pena hec pagina venditionis, transactionis maneat firma. Quam vero paginam scriptam per manus Wido Dei nutu tabellio hujus territorii Faventini & civis, quem scribere rogavimus sub die menseque indictione suprascripta xv.

Signum manibus Gerardo & Ugo germani quondam Uberto filii hanc paginam venditionis & alienationis, ut superius legitur, scribere rogaverunt.

Brando quondam Ugo filius, & Rolando filio ejus, atque Unganello quondam de Maria de Mauro in hac pagina venditionis testes fuerunt.

Et ego Wido notarius, qui post dicta scripsi, complevi & absolvi.

Signa testium, idest Brando *&c.* Rolando *&c.* Unganello *&c.*

LXXVI.

LXXVI.

Uguccio comes filius Bulgari dat ad libellum eremo Camaldulensi castellare de Campi.

Anno 1092. mense aprili.

Ex autographo S. Mariæ Angelorum Florentiæ.

Ibidem.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus nonagesimo secundo post mille mense aprilis indictione quintadecima. Manifestus sum ego Ugkicicione comes filius quondam Bolgari comes secundum convenientia nostra, & quia dare atque habendum, tenendum & laborandum & laborare faciendum, seu & meliorandum dare providi tibi Bonicio monachus de ecclesia & ermitorio sancti Salvatoris sita Campo amabilis a vice prefate ecclesie, idest integrum unum castellare de terra, que est posita infra teriturio de plebe sancti Stephani sitam Campi in predictum casale de Campi, sicut ipsum castellum fuit edificatum a fossis cum ipsum fundum prefate fossis, sicut predictus Bolgari comes habuit & detinuit & sceptum anteposítam ipsam partem, quam prefato genitor meus, qui supra Bolgari, per cartulam dedit ad filiorum Farolfi & a Baccaro, & insimul do tibi qui supra Bonicio monachus unam petiola de terra, que est posita prope predictum castellum cum suis caudis, & est inter hos fines. Ipsa petiola de terra ex duobus lateribus currit ei via publica, ex tertio latere est terra Bernardi, ex quarto latere est terra sancti Johannis. Hoc predictum castellare & predicta terra una cum omnia super se & infra se habentes .... eas tibi qui supra Bonicio monachus & a tuis posteris successoribus dare & firmare ..... & mihi qui supra Ugkicione comes & a meis eredibus, hac proeredibus tu Bonicio monachus & tuis posteris successoribus dare nobis debeatis pensione per omnem annum in mense aprilis nobis vel ad misso nostro per vos aut misso vestro argentum denari duodecim boni & spendabili, & non amplius, & si vos adimplentes, & si ego qui supra Ugkicione comes vel meis eredibus ac proeredibus tibi qui supra Bonicio monachus vel a tuis posteris successoribus de predictum castellare & prefatam terram minuere vel retollere aud amplius quam supra legitur vobis superimponere presumpserimus, tibi compositori & daturi esse debeamus ego quidem Ugkicione comes vel meis eredibus ac proeredibus tibi qui supra Bonicio monachus vel a vestris posteris successoribus pena numerata de bono argento libras viginti &c.

Actum in loco Bentina.

† Signum manus supradicti Ugoni comes, qui hunc libellum, sicut superius legitur, fieri rogavit.

† Signum manus suprascripti Bonicio monachus, qui hunc libellum, sicut superius legitur, fieri rogavit.

† Signum manus Vironi filius quondam Segnorelli, & Sesmondo filius quondam Sesmondi, Guffa filius quondam Grofolleli, & Madio filio quondam Madio rogati testes sunt.

Ego Ildebrandus notarius scriptor post tradito complevi.

LXXVII.

Constantinus episcopus Arretinus donat terras eidem eremo in plebe de Partina.

Anno 1092. mense decembri.

Ex autographo archivi Fontis-boni. §. Donatio. n. 202.

Ad lib. XXII. n. 27.

IN nomine sancte, & individue Trinitatis. Constantinus Dei gratia Artine ecclesie presul cunto clero & populo sibi subjecto. Consideratis itaque scriptis fratrum heremitarum de remitorio Campi amabilis, atque perlectis, que ibi constituta fuere ab antecessoribus nostris, ut in eorum prebendis necessaria quedam pro salute animarum eorum successorumque suorum divinitus inspirati ampliarent, & ut regularibus institutis emnixius subjacerent, dingnum duximus pro modulo nostre possibilitatis caritate siquidem cogigente in predictorum fratrum heremitarum husus aliquid transferre de rebus nostri episcopii, quatenus illorum inopia nostro minueretur juvamine, & pro nobis nostrisque successoribus orationi devotius semper illis placead libentius insistere. Ideoque dedimus hac libenter pro remedio anime nostre nostrorumque predecessorum, successorumque tradidimus, & perpetuo jure abendum concessimus carissimo donno Martino venerabili patri anaghoritarum predicti eremi ceterisque confratribus eremitis in suprascripto eremitorio communi vita Deo famulantium, id est integrum

unum

unum mansum juris episcopii nostri positum infra plebem sancte Marie sitam Partina prope ipsam plebem, sicut antea rectum fuit ex nostra parte per Calvellum massarium, & per Petrum fratrem ejus, vel per alios homines, aut ubicumque de ipso manso esse invenitur in quibuscumque locis vel vocabulis. Similiter dedimus vobis unam petiam de terra positam prope predictam plebem, sicut antea recta & detenta fuit per Dominicum massarium, & sicut per loca designamus, ex duobus lateribus est ei terra Guilielmugna, ex tertio latere est ei terra suprascriptorum fratrum eremitarum, ex quarto currit via plubica, atque dedimus vobis terram estimatione sistariorum sex, que recta fuit ex nostra parte per Ugonem presbyterum in loco Soci, una petia ex is est prope ecclesiam sancti Nicolai, alie sunt in ipsa jacentia. Similiter dedimus atque trasafctavimus vobis quicquit aquisitis quocumque jure vel titulo a Feralmo filio quondam Corbitionis ex his rebus & terris, quas ipse tenebat vel alius pro eo in predicto vocabulo Soci, que sunt juris sancti Donati. Ex hac itaque donatione nostra a nobis predictis fratribus eremitis concessa, & ad illorum usus & sumtus prenotata prescriptum domnum Martinum remitam & patrem predictorum eremitarum vice cunctorum fratrum investivimus & concessimus, & a nostro jure in eorum perpetuum jus & usum abendum, tenendum omnino transfundimus & transfactamus, ut ipsi eorumque successores semper prefatam nostram donationem quieto jure abeant, teneant &c. Insuper & si nos ipsi, quod absit, aud aliquis successoribus nostris coepiscopis contra hanc donationem agere temptaverit, eamque inrefragabiliter non conservaverimus, quinquaginta libras argenti optimi tibi domnum Martinum hisdemque fratribus eremitis, eorumque successoribus sit compositurus, & persolvere cogatur & &c.

Actum infra castello de Biblina feliciter.

Anno Dominice incarnationis millesimo nonagesimo secundo regnante Henrico rege mense december indictione prima.

† Ego Constantinus episcopus & comes SS.

† Ego Rolando vicedomino in hanc cartula manus mea SS.

Singnum manus Ugonis filii quondam Corbitionis vicedomino, & Pagano filius quondam Supponis, & Raineri castaldio filio eiusdem Pagani, & Ugonis Filius quondam Rainaldi castaldio, & Ungano filius quondam Rigki rogati testes.

Ego Ildebrandus notarius scriptor post tradita compleri feliciter.

LXXVIII.

Martinus prior Camaldulensis & VValfredus comes invicem terras commutant.

Anno 1093. mense majo.

Ex autographo ejusdem tabularii. §. Permutatio. n. 15.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus nonagesimo tertio post mille mense madio inditione prima feliciter. Notizia comvenientia cambiationis seo commutationis nomine qualiter stetet adque comvinet inter Martinus prior de ecclesia & ermitorio sancti Salvatoris sito vocabulo Campo amabilis, & Walfredo comes filio b. m. Quidonis, qui fuit comes, inter sibidem aliquam terre & rebus ita quod dictum & factum est, ego quidem Martino, quia dare adque cambiationis seu commutationis nomine dare e tradere previdi tibi Walfredo comes, idest una petia de terra in loco Faito, est designate locas de una parte currit ei via, de alia parte mea reserbata, de tertia parte est fini terra sancti Michaelis, de quarta parte Johannis filio b. m. Gerardi .... est quinque in funes per longo, per latitudine tres, de uno capite e duo de alia per singulas funes brachia duodecim. Ideo predicta petia de terra, qualiter de omne parte circuita & mensurata esse videtur, una cum omnia super se & infra se abentes in integrum eas tibi Walfredo comes, & in tuis eredibus in cambio e comutazione dare e tradere previdi, unde ad vicem e pro ipsa datione ego Martino prior superius in cambio & commutazione dare e tradere previdi, umde ad vizem e pro ipsa datione ego Martino prior superius in cambio & commutatio dedit e tradidit, o recepit ad te Walfredo comes, idest una pezia de terra in loco Strume, est designate locas, de una parte currit ei flumen vocatum Arno, cum curso aquarum, de alia parte prioris, de alie duo para dicta salestia, est quinque funes per lomgo per latitudine tres de uno capite, e duo de alia per singulas funes brachia duodezim, ideo predicta pezia de terra, qualiter de omne parte circuita & mensurata esse vide-

Ad lib. XXII. n. 29.

detur una cum omnia supra se & infra se abentes, & plus & meliorata a pras ipsius ecclesie nostre & ermitorio rezepimus, e sicut misi nostri renunziaverunt nom peiorent, set meliorent, quatinus abac die innamtea & cambiacione, quam inter nos nostris posteris suzessoribus seo heredibus se deanc convenienzia exxire voluerit, aut superius datio nostra unus alterius, aut cui a vos data aut tradita fuerint, retollere aut contradizere vel minuare presumpserimus, aut si ipsa datione nostra unus alterius ab omne omine & femina defendere non potuerimus &c. Actum Casemtino judicaria Florentina feliciter.

Ego Martinus Camaldulensis prior in hac commutationis cartula a me facta ss.

Ego Venerandus ss.

Signus manuum suprascripti Walfredo comes, qui anc cartula commutazionis, sicut supra leitur, fieri rogavi.

Signa manuum Lamberto filio b. m. Corbizi, e Uberto filio Lamberto, & Ugo filio b. m. Quidonis, & Ugo filio Petri rogati testes.

Ego Azo notarius scriptor post tradita complevi.

LXXIX.

Rainerius episcopus Florentinus confirmat jura monasterii S. Petri de Luco.

Anno 1094. mense julio.

Ex chartario ejusdem parthenonis sacc. A. n. 15.

Ad lib. XXII. n. 31.

. . . . in perpetuum locorum venerabilium meliorationi convenienter insistere, & animarum saluti continua invigilare, pastoralis officii cura nos admonet, quia quidquid hic agimus, in presenti nos adjuvat, & optimum nobis premium in die retributionis apportat. Proinde canonicorum nostrorum, & prefate Beatricis rogatu eandem ecclesiam, & monasterium ancillarum Dei confirmamus & stabilimus cum rebus omnibus ad eandem ecclesiam pertinentibus, tam longe positis, quam prope, quatenus nunc, & semper quiete & pacifice sanctimoniales, que pro tempore ibidem regulariter aggregate fuerint, stare, ac pro earum requie, que prima devotione eundem locum ac monasterium fieri decreverint, ad hoc ut Deum omnipotentem possint exorare. Insuper decimationem terrarum, que suorum familiarium seu bovum fatigatione laborate seu facte fuerint, concedimus, atque confirmamus, & quidquid religiosa devotio bonorum hominum & feminarum dabit, & cuncta, que ibi oblata sunt, & que juste habes ac possides, aut alio modo juste deinceps acquiri contigerit, tam tibi Beatrici virgini dicate Deo, quam eis, que in tuo officio locoque successerint, indulgemus, & concedimus, & a presenti tempore illibata & sine inquietudine aliqua a vobis volumus ad ejusdem ecclesie honorem possidere. Quicumque igitur temerario ausu hanc nostre concessionis seu confirmationis paginam, & ea, que a nobis concessa seu confirmata sunt, iniqua presumptione invaserint seu abstulerint, si infra XL. dies non se emendaverit, si quesitum fuerit, sciat se vinculo excommunicationis seu anathematis alligatum esse, atque cum Caipha & Juda Domini proditore associandum. Omnibus autem justa eidem loco servantibus, atque beato Petro principi apostolorum venerationem habentibus, benedictio & pax Dei, & Domini nostri Jesu Christi, & sanctificatio sancti Spiritus in secula seculorum sit. Preterea, & hec tibi tuisque successoribus indulgemus & concedimus, ut si in tempore aliquo congruum fuerit monasterium ad alium tranferre locum, licentiam & potestatem absque alicujus contradictione habeatis. Ut autem hec pagina vere nostra esse credatur, propria subscriptione manus eam firmare curamus.

Ego Rainerius sancte Florentine ecclesie indignus episcopus. Anno Dominice incarnationis millesimo nonagesimo indictione secunda mense julio.

Ego Ugo notarius ac scriptor huic pagine dedi complementum.

LXXX.

Tedaldus & Rainerius fratres donant terras Eugubino abbati S. Viriani de Ajole.

Anno 1095. mense januario.

Ex autographo archivi Fontis-boni.

Ad lib. XXII. n. 32.

IN nomine Dei eterni, & Salvatoris nostri Jesu Christi. Anno hab incarnatione ejus millesimo nonagesimo quinto mense januario indictione tertia feliciter. Manifesti sumus nos Tedaldus & Raginerius Gezeri quondam filii, & Purpure conjux predicto Tedaldus, & Ilitia con-

conjux jamdicti Ragineri per consensum & eorum data licentia, & per notitiam Johannis judex, qui dum homo in hoc seculo vixerit, semper debet coitare, quando anima de hoc seculo migraverit cum puro corde & munda conscientia valead ante Domini conspectum consistere &c. modo ergo per hunc scriptum judicati, & nostro testamento, & per hanc cartulam ofersionis judicamus, & tradimus pro redemtione & luminarie anime nostre, & parentum nostrorum, ecclesia & monasterio sancti Virjani sito Ajole, & tibi Egubinus abbas tuisque posteris successoribus de rebus nostris propriis integro uno manso de terra, qui est posito in casale Scanno, sicut rectu est per Johannes massario, aut alter detinet ad nostra jura ex nostra proprietate jamdicto manso, casa, & vinea, & orto, terra culta & inculta, ubicumque de rebus jam dicto manso esse invenitur in qualique locis e avocabulis permanead in jamdicta Dei ecclesia sitas vobis dedimus ad habendum & tenendum &c. Actum Monterclo.

Signo manus de pred. jugalis, qui hanc cartulam offersionis scribere rogaverunt, ut supra legitur.

Johannes judex, per cujus notitia hec cartulam facta est, manus mea ss.

Signo manus mea Petrus filius quondam Funcardi, & Ubaldus filius quondam Ugonis, & Oppizo filius quondam Singnorelli, & Petrus filius quondam Bulgarelli, & Johannes filius Johannis, qui rogati testes.

Johannes notarius scripsit & complevit.

LXXXI.

Bulla Urbani papæ II. pro monasterio S. Petri de Puteolis Lucanæ diœcesis.

Anno 1095. kl. febr.

Ex autographo canonicorum Lucensium

Ad lib. XXII. n. 34.

URbanus episcopus servus servorum Dei dilecto filio Martino priori monasterii sancti Petri, quod in Lucane ecclesie parochia situm est, loco quod vocatur Puteolis, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Desiderium, quod ad religiosum propositum & animarum salutem pertinere monstratur, auctore Domino sine aliqua est dilatione complendum. Ea propter fili in Christo carissime tuis petitionibus annuentes monasterium sancti Petri, cui Domino auctore presides, presentis decreti auctoritate munimus. Statuimus enim, ut quecumque hodie idem cenobium juste possidet, sive in crastinum concessione pontificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium, juste atque canonice poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. Possessionum etiam, que in monasterii proprietate continentur, decimas absque ulla vos molestia possidere perpetuo volumus. Sepulturam quoque ejusdem loci omnino liberam haberi sancimus, ut eorum, qui illic sepeliri deliberaverint, devotioni, & extreme voluntati nullus obsistat, salvo parochiane ecclesie debito. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat idem cenobium temere perturbare, aut ei subditas possessiones auferre vel ablata retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione ac gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Lucane ecclesie debita & canonica reverentia. Sane si quis in crastinum archiepiscopus aut episcopus, imperator aut rex, comes aut vicecomes, judex aut castaldio, aut persona quelibet magna vel parva hujus nostri privilegii paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tercio-ve commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore Dei & Domini redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis &c.

Benedictus Deus & pater

Sanctus Petrus	Sanctus Paulus.
Urba pp.	nus II.

BENE

Domini nostri Jesu Xpi. Amen.

Datum Florentie per manum Johannis sancte Romane ecclesie diaconi cardinalis kal. februarii indictione III. anno Dominice incarnationis M. XCV. pontificatus vero domini Urbani secundi pp. septimo.

LXXXII.

LXXXII.

Ugo filius Petri Alberti donat terras monasterio S. Petri minoris prope Arretium.

Anno 1095. kl. aprilis.

Ex autographo abbatiæ SS. Floræ & Lucillæ Arretii. Q. 22.

Ad lib. XXII. n. 32.

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis millesimo nonagesimo quinto regnante Henrico rege kal. aprelis indictione tertia. Manifestus sum ego Ugo filius quondam Petri Alberti qualiter pro Dei timore & remedio anime mee *&c.* concedo Deo omnipotenti & ecclesie hac sancti Petri Picculi posite non longe ..... civitat.. Aretine *&c.* integram unam petiam de terra cum duabus clausis de casis super se, una est cum solario & muris, que est domus..... est juris mei posita non longe a suburbio civitatis Are...... prope predictam ecclesiam sancti Petri, cujus vero coerentie sunt ab uno ..... jura sancti Jenuarii, ex secundo *&c.* Similiter concedo ad jus proprietatis prenominati monasterii sancti Petri *&c.* integram unam petiam de terra cum vinea & arboribus super se juris mei posita prope .... nominato monasterio in advocabulo, qui dicitur Morello *&c.* sed & ad jus supradicti monasterii *&c.* concedo integram unam petiam de terra posita in comitatu Aretino infra plebem dive Marie sita Gradibus in advocabulo Piscine prope via scilicet de Cisciliano *&c.* Sed & similiter concedo *&c.* integram unam petiam de terra cum vinea & arboribus super se juris mei positam non longe a civitate Aretina pro eum locum, qui dicitur a la Pila *&c.* Actum in civitate Aretina feliciter.

Hec carta tali tenore fieri rogata est in prenominato monasterio, quod suprascriptus Ugo abeat usum fructum de omnibus suprascriptis rebus usque in diebus vite sue, si voluerit, & si omnem suprascriptum usum fructum non sufficerit ei ad victum & vestitum, quod pars suprascripti monasterii adimpleat ei, quod dederit in victu & vestimento in veritate. Sin autem monasterio vivere voluerit, sed pure in monasterio vivere voluerit laicali more, ad victum suum abeat, & unius ei servientis sedecim congia vini, & in estivo tempore tria modia grani & duo modia milii & quinque solidos pro porco in festivitate sancti Andree, & viginti & quatuor denarios pro piscibus in quadragesimis temporibus, & quinque solidos pro carne & piscibus in estivo tempore, & ad vestimentum suum inter tres annos unam cappam de quinque solidis, & unum corribaldum per omnem annum, & duas camisas & dua femoralias, & unum parium de calze de duodecim denariis, & duo paria de calzari, & ad servientem ejus ad predicti Ugoni laudamento dabit pars suprascripti monasterii vestimentum. Sin autem pars suprascripti monasterii hec omnia ad prenominatum Ugonem usque in diebus vite ejus non observaverit, quod omnes suprascriptas res in prenominato Ugone revertatur, aut cui ipse eam dederit, excepto & anteposito vinea de Morello & terra de Remundato, que sit de prenominato monasterio transactive in perpetuum sine ulla conditione & diminutione.

Petrus notarius scripsit & complevit.

LXXXIII.

Benno comes filius Frederici comitis donat parthenoni S. Petri de Lusciano, seu de Luco suam portionem castrorum Luci, Cantameruli, Rivi-frigidi &c.

Anno 1095. mense aprili.

Ex archivo ejusdem parthenonis S. Petri.

Ad lib. XXII. n. 36.

ANo ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo nonagesimo sexto, die mensis aprilis indictione tertia, Christo auctore. Ego quidem Benno comes filius Federici comitis, quia pro Dei timore ac remedio anime mee, utque Mathilde filie mee, cujus consensu hoc facio, dono atque offero ecclesie sancti Petri de Lusciano vice ecclesie sancti Salvatoris Camaldulensis, idest integram totam tertiam portionem de castellis & rebus, ac sortibus, videlicet de castello Luci, Cantameruli, Riofridi, ac de curtis Frene, Castri & Casanove, & de sortibus rectis per Gherardum de Fabriano, seu totam tertiam portionem de illa, que est in colle Felici, quam detinuit Benno, que de una parte est finis terre Bennonis, ab alia parte fossatus, ab alia parte ripa, ab altera parte est finis terre Rainerii Johannis, & Johannis Petri, itaut semper sit stabilis ac firma in proprietate predicta ecclesia in jam dictis rebus, nam predictas res omnes ju-

ris mei superius dictos una cum accessionibus & ingressionibus, seu cum superioribus & inferioribus suis, qualiter superius legitur, in integrum ab hac die tibi Cunizze atque predicte ecclesie dono, cedo atque offero, & per presentem cartulam offersionis predicte ecclesie confirmo, & nulli alio datas, donatas, obnoxiatas vel tractas, nisi predicte ecclesie seu monasterio sancti Petri. Promitto, & faciendum quicquid exinde Cunizza, & predictum monasterium, & sui rectores ex eis voluerint sine nostra, nostrorumque heredum contradictione. Proinde promitto atque spondeo una cum meis heredibus predicte Cunizze atque eidem ecclesie sancti Petri suisque retricibus supradictam offersionem ab omni homine & femina defendere, quod si defendere non potuerimus, aut si vobis aliquid per quodvis ingenium subtrahere quesierimus, tunc supradictam offersionem, qualiter supra legitur, in duplum componamus, sicuti pro tempore fuerint meliorate res, aut valuerint sub extimatione in consimilibus locis de nostris propriis rebus vobis restituere ac persolvere debeamus. Actum in loco Lusciano prope Lucum.

Signum manus predicti Bennonis, qui han offersionis fieri rogavi, ut supra.

Signa manuum Pantii filii Enrici, atque Widonis filii Madare, necnon Winizi filii Ugonis testium rogatorum.

Ego Gherardus judex atque notarius sacri palatii & scriptor huius cartule post tradita complementum dedi.

LXXXIV.

Permutatio terrarum facta inter Petrum abbatem S. Michaelis in Burgo Pisarum, & inter Bellum filium Donati,

Anno 1095. kl. junii.

Ex autographo tabularii prænotati monasterii.

[Adlib. XXII. n. 35.]

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnationis ejus mille nonagesimo sexto pridie kalendas junij indictione tertia. Commutatio bone fidei noscitur esse contractus. Ut autem emtionis optineat firmitatem, eodemque nexu obligat contraentes. Placuit itaque & bene convenit voluntatem, ut inter domnum Petrus abbatem venerabilem monasterii sancti Michaelis prope Pisa positum, nec non & Bellus filius quondam Donati, ut in Dei nomine quedam commutando vicissim sibi debeant dare adliquit, & ita presenti die dederunt, hac tradiderunt sibi unus alteri vicissim commutationis nomine dederunt, & tradiderunt, itaque hic Bellus anc comutatione facere dedidit hac tradidit supradicto domnus Petrus abbas a parte predicte ecclesie, & monasterio sancti Michaelis in commutatione una petia de terra, que est orto, que est posita foras civitate Pisa in loco & finibus, ubi dicitur Rivolta, prope ecclesia, que est edificata ad onorem Dei & sancti Laurentii, quas ipsa petia de terra, que est orto, est tenentes uno capo in terra Sicheri vicecomes quondam Sicheri, & alio capo cum ambas lateribus tenet in terra supradicte ecclesie sancti Michaelis, & aliquantulo de ipso capo de sancto Michaele tenet in terra . . . . . quondam . . . . predicta petia de terra qualiter ab omni parte circumdata est per designatas, que est per mensura ad justa seminatura stariorum tres in integrum cum inferioribus & superioribus suis, seu cum accessionibus & ingressoras suas supradicto Bello dedit hac tradidit in commutatione supradicto abbas a parte predicte ecclesie & monasterio sancti Michaelis, & recipierunt predicto Bellus ex parte predicte ecclesie & monasterio sancti Michaelis in commutatione ab eodem Petro abbatem suam portionem integram de una petia de terra cum casa super se abentes posita foras civitate Pisa prope supradicta ecclesia & monasterio sancti Michaelis, que petia de terra est tenentes uno capo in claso, qui percurrit usque ad via publica, & alio capo tenet in classatello communale, lato uno tenet in terra supradicti Belli, & suis consortibus, & alio lato tenet in terra Sismundi quondam Mainfredi de hac supradicta petia de terra cum casa super se abentes cum fundamento, & omnem edificio suo, qualiter ab omnis parte circumdato est per designatas locas competit exinde ad supradicto abbas medietatem, ipsa vero meam portionem exinde integram cum inferioribus & superioribus suis seu cum accessionibus & ingressoras suas, & est pro mensura ad justa perticas mensurata, insuper tota scale due, & stilicidium abentem super predictam viam, & ejus de predicta via eundi & redeundi usque ad viam publicam omnes, qui in ipsa domos abitant. Jam dictus Petrus abbas dedit hac tradidit ex parte supradicti monasterij supradicti Belli in commutatione, & hec omnia, sicut supra dictum est, vicissim commutationis nomine

ne dederunt ac tradiderunt eo modo, ut faciant, exinde tam dominus abbas vel sui successores, quam ipse Bellus e suos eredes proprietario nomine, quicquit volueritis secundum legem sine omni unius alterius contradictione, & ut ordo quidem legis deposcit ad providenda hanc commutatione accesserunt tres viri idonei estimatores; hec sunt nomina eorum Torni, e Mainfredi germani filii quondam Vuillielmi, & Bonio Notarius filio quondam Vuidi, qui omnes estimaverunt, & retullerunt hanc diserunt e firmaverunt quam meliorem & congruam exactam causam suscipere, quam dedisset ipse domnus Petrus abbas sancti Michaelis, de quibus penam inter se posuerunt, & si quis, & ipse Bellus & suos eredes, aut ipse Petrus vel suis successores hac commutatione removere aut disrumpere colibet modo tentaverint, e si non permiserint permanere in eo ordine, qui superius legitur, vel si eam ab omni omine defendere non potuerimus, & non defensaverimus, & si opportum fuerit esse inquisierimus quam componere debeant, actque exsolvere pars parti fidem servanti dupla res sub estimatione, quales tunc fuerit meliorata sub estimatione, & insuper penam arienti optimi libras viginti, & ita in hoc ordine ego Folcheri notarius domini regis anc commutationis cartula scripsi rogatus in cimiterio supradicte ecclesie.

Signum de manibus supradicti Mainfredi & Turni germanorum viri estimatores, qui supra ipsis rebus ambulaverunt, adque estimaverunt.

Signum de manibus supradicti Belli, qui han cartula commutationis fieri rogavi.

Ego Bonio Notarius domini imperatoris, qui a supra dicta res ambulavi, estimavi.

Ego Ugo judex sacri palatij ss.

Signum de manibus Francardi filio quondam Belloni, Lamfredi filio Bonfilij, Johannes quondam Petri testes.

Ego Folcheri notarius domini regis post tradita complevi & dedi.

Per supradicta terra dedit supradictus Petrus abbas solidos centum quadrainta, & Bello dedi libras quatuordicim.

LXXXV.

Medietas ecclesiæ S. Columbæ data Gebizoni episcopo & priori S. Johannis inter ambas Paras.

Facile anno 1095. mense julio.

Ex autographo archivi Fontis-boni.
§. Donatio. n. 148.

Ad lib. XXII. n. 33.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi anni ab incarnatione Domini millesimo nonajesimo duodecimo die mense julio indicione tertia. Nos quidem in Christi nomine Ramberto filius quondam Cono, qui vocatur Corbo, & Ugo & Ramberto, & Guitone jermani filii quondam Lucido donatori per annc paginam donatione & oferimus pro nostrarum nostrorumque redencione parentum animarum tibi presente in Christi nomine domno Gebizo venerabile episcopo vocabulo sancti Johannis, qui est remo edificato inter ambe Pare, & tibi vel tuis subcessoribus, sive monachi servientium ejusdem eglesie tantummodo, idest medietate de una eglesia vocabolo sancte Coloba cum introito suo & exito, & cum cimmiteriis suis, & cum omnia, que infra se super se abentes tantumodo, idest nostra propria res, qui est posita in fundo a Pesio, quanto est per mensuram a pertica sa... suum locis eorum, quanto sunt trimissi numero quindecim inter terra & vinea, cum omnia, que infra se super se abentes terra finis ejus ic sunt, in primo latere aqua, que vocatur Missa, & a secundo latere desuper parte consortibus de suprascripto donatore, & a tertio latere Molori pro tempore curre, & a quarto latere via plubica, infra isti desinati lateribus trimissi numero quindecim, & una cum egresso & regresso suarum, qui est construto in territorio Feretrano, & in plebe sancti Petri a Missa, licentiam & potestate abeatis vos suprascripto episcopo vel tuis subcessoribus de ipsa suprascripta res ibidem introire, exire, redere, adque ocupare, & possidere, & ordinare ad jure sancte eglesie in perpetuum, sicut superius legitur. Ideo si quod absit & avertat divina potencia, & si coque tempore nos suprascripti donatori, vel qualibe de meis heredibus contra istam cartula donacione ire aut aiere, corumpere vel minuare, aut refregare vel causare voluerimus, & si mihi minime fecerimus, vel non

adim-

adimpleverimus, aut si non defensaverimus da omni persona ominum omnique tempore, quia obligamus nos vel nostris heredibus dare penam de auro libras una a vobis suprad. episcopo vel a tuis subcessoribus, & pos penam solutam maneat ista cartulam in suo robore, & firmitate maneat omnique tenpore sub die mense indicione tertia.

† Singnum manuum Ramberto & Ugo donatores scrivere rogaverunt.

† Singnum manuum Ugo, & Ramberto, & Guitone scrivere rogaverunt.

† Singnum manuum Angnes presente & consentiente Ugo scrivere rogavit.

† Ego Berto filius quondam Rigo rogatus sum testis, & ss.

† Ego Johannes de Lillo rogatus sum testis, & ss.

† Ego Bulgaro filius quondam Petri rogatus sum testis & ss.

† Ego Dominico in Xpi nomine tabellio de territorio Feretrano scripsi, & complevi.

LXXXVI.

Gualfredus filius Renzi offert Rainerio abbati S. Petri in Campo terras & silvam.

Anno 1096. mense februario.

Ex codice vulgo delle coppe *cancellariæ Montis-politiani.*

Ad lib. XXII. n. 40.

IN Dei nomine amen. Anno ab incarnatione Domini nostri Jehsu Cristi anni sunt millesimo nonagesimo sexto mense februario indictione quinta decima. Ideo ego Gualfredi filio Renzi coitanti & considerantem de Dei timore & eterna bona retributione, & remedium anime, ut remissione omnium parentum meorum, ut Dominus aliquid de peccatis nostris minuare dignetur, propterea judico & trado atque offero tibi Deo & in ecclesia & monasterio sancti Petri scito in Campo, & in persona Ranerii abbatis & suos posteros successores, hoc est integra terra, & vinea, & silva, qui ego predicto Gualfredi habeo, teneo, vel qualicumque homo pro me detineri videtur, sic via de qua Viola vadit ad Peri usque ad capud de Farneta, & sic venit de fossa Lupaja, & vadit in fossatu de Rigo de Sacio, & de pede de petra Corbaja, & venit a Bagniuolo, & de aqua de Bagnuolo venit in fossatu de Fornarella ripam mittit in Tresa, & sic Tresa currit usque ad viam de Paterno, & per ipsam viam usque ad Gavinam de Cugnarello, & sic Tresa venit a fossato Sigiti, & ipsa via venit ad fontem Serizi, & per ipsam viam venit ad aquam Violam, sunt posite predicte res in comitatu Clusino, & infra plebem sancti Silvestri. Ideo per iste fini sunt designati, & denominate cum omnes, que supra se vel infra se habentes, qualiter simpliciter do, offero atque trado ego predicto Gualfredi & predicta ecclesia, & per ista carta ad perpetuum investivit & meritu recepi partem elemosinarum & orationum, & hoc promitto ego Gualfredi & meos filios & heredes, si contra predictam ecclesiam voluerimus agere, causare, tollere, vel minuare aut intentionare quesierimus per qualecunque vim, ingenium, tunc in duplum eam restituamus nos vobis in consimilibus locis cum quantum apud vos meliorata fuerit, quia inter nobis taliter convenit, & si forsitan vos auctorem querere volueritis, minime habere potuistis, & vos quesitum fuerit, potestatem & licentiam habeatis vos apud que nostram personam, si vestra fuerit voluntas, una cum illa carta in placitum exiendum, in rationem standum, finem ponendum modis omnibus per legem eam defensandi cum carta ista cunctis quomodo qualiter juxta lege melius potueritis facere, quem vero hanc carta offersionis Paganus notarius sacri palatii rogavi.

Actum comitatu in Clusis feliciter.

Signum manum de predicto Walfredi, qui cartam offersionis scribere rogavi, & manu sua firmare jussit.

Signo manus Gerardi filio Gerardi, & Bonifatio filio Tentii, & Ranerio filio Dono Dei, & Guido quondam Guidi, & Guido filio Guidi Tozi rogati sunt testes, & manibus eorum scribere rogaverunt.

Ego Paganus notarius scripsi & complevi.

LXXXVII.

LXXXVII.

Peregrinus abbas SS. Andreæ & Gregorii de Urbe locat terras Johanni fideli ejusdem monasterii.

Anno 1096. VI. octobris.

Ex codice membranaceo præfati monasterii pag. 230.

Ibidem.

IN nomine Domini. Anno nono pontificatus domini Urbani secundi pape indictione quarta mensis octobris die sexto. Ego quidem domnus Peregrinus Dei gratia abbas venerabilis monasterii sanctorum Andree apostoli & Gregorii confessoris. quod ponitur in clivo Scauri per consensum & voluntatem monachorum meorum fratrum, hac die propria spontaneaque mea voluntate concedo & loco tibi Johanni filio naturali equivoci Johannis, qui dicebatur Piliu, vite tue diebus tantum. Id est unam videlicet pedicam terre sementaritie cum introitu & exitu suo, & cum omnibus suis pertinentiis sitam in casalibus, qui dicitur Mandra Camellaria in loco, qui dicitur Luculana, sicut ibi esse videtur. Hanc autem locationem tibi facio pro eo quod tu a die presenti dedisti nobis nostroque monasterio decem solidos Papiensium denariorum, & omni anno in festivitate sancti Andree pro pensione in ipso monasterio tribuere debes duos Papienses denarios, etiam pro eo quod tu fidelis es nostro monasterio, & ad mortem tuam totum quod pro anima tua ire debet, hic veniat, & tuum corpus hic sepeliatur, & si sine heredibus obieris omnia tua bona veniant in nostro monasterio, & ptomitto ea defendere tibi ab omni homine, si opus & necesse fuerit. Si vero pars contra fidem hujus cartule venire voluerit, componat alteri parti fidem servanti pene nomine dimidiam boni auri libram, & hac soluta pena cartula hec permaneat firma, quam scribendam rogavi Johannem scriniarium sancte Romane ecclesie in mense & indictione suprascripta quarta.

Signum † manu dicti Johannis rogati appare hujus.

Rusticus neptus domini Gregorii pape testis.

Leo frater ejus testis.

Gonzolinus testis.

Petrus de sancto Angelo testis.

Bono filius de Stefano de Guido testis.

Ego Nicolaus scriniarius sancte Romane ecclesie, sicut inveni in dictis Johannis scriniarii filii Constantini, ita scripsi complevi & absolvi.

LXXXVIII.

VVido filius VVidi recipit ad emphyteusim terras ab Augustino priore S. Frigdiani Pisarum.

Anno 1096. prid. kl. novembris.

Ex autographo tabularii S. Michaelis in Burgo Pisarum.

Ibidem.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus mille nonagesimo septimo pridie kalendas novembris indictione quinta. Manifestus sum ego Wido Notarius filius quondam Widi, quia tu Augustinus in Christi nomine prior de ecclesia & Monasterio sancti Fridiani, qui est fundato & edificato infra civitate ipsa Pisense per cartula livellario nomine censum perexolvendum dedisti mihi tertiam portionem ex integra de honia ex onibus casis & cassinis seu casalinis . . . . rebus illis, que fuerunt Valandi quondam Lei, & sunt pertinentes de supradicta ecclesia & monasterio sancti Frediani, quas . . . . . . cum Berta germana predicti Valandi, & mulier mea, qui supra Wido abemus & tenemus, & sunt positis de predictis rebus in loco & finibus Montemanio, vel in ejus finibus, qui detinet Widoberto, & Bernardo, & Lamberto germani filii quondam Martini cum eorum consortibus, seu in loco & finibus Uzano, vel in ejus finibus, & prope ecclesia sancti Viti, qui detinet Benedicto & Lamberto, & Madio, & Bernardo germani filij quondam Petri & detinet Rustico quondam Domenichi, & Martino quondam Baragoni, sive in loco & finibus Sambra prope ecclesia & plebe sancte Julie, qui detinet Enrigo & Alberico germani quondam Widi, & Johannes, & Pepo germani quondam Petri, & filii Anselmi, atque in loco & finibus Bezano, vel in novis finibus, que detinet filii Rainerii, sive in loco & finibus Agnano vel in ejus finibus, qui detinet Carleto, atque in loco & finibus Getiano, vel in ejus finibus, qui detinet Benedicti, & Baldogij quondam Gerelli, seu in loco & finibus Porto Pisano, tam in monte, quam & in plano

..... vel

. . . . vel in . . . . finibus seu in loco & finibus, ubi dicitur Macerata, qui detinet Ortico & Petrus quondam Baronci cum suorum consortibus . . . . Campo dal fralo, qui detinet filij Marchi cum suorum consortibus, & portionem de terra da Uliveto prope ecclesia sancti Salvatoris seu in loco Sambra, ubi dicitur Corticella, vel in ejus finibus, qui detinent Pagano e Gerardo germani filij quondam Benedicti, & Martino quondam Baroti, & Martino quondam Petri, e Bonfilio quondam Martini, & Nero quondam . . . . . . cum suis consortibus, e Gerardo cum germani sui filij quondam Careti, seu in loco & finibus Casiaula, vel in ejus finibus, quod detinet Martino, & Dominico germani filij quondam Dominichi, e Martino filio quondam item Martini, atque in loco & finibus Arquata, vel in eius finibus, & in loco & finibus Alecurti, vel in ejus finibus, qui detinet Bernardo & Saso germani filij quondam Nili, & Bono quondam Martini cum suis consortibus, & in loco similiter Arquata, quod detinet Berno dal Paro cum suis consortibus. Sive in loco & finibus plebe sancti Laurentij, vel in ejus finibus, que detinet Joanni, & Bonitio, qui nominatur Murfci, atque in loco & finibus Pocore vel in ejus finibus, qui detinet Romanelo quondam Bononi, vel in loco & finibus Ceriiciano, vel in ejus finibus, qui detinet filij Rustici quondam Albitij atque in loco Quarto vel in ejus finibus, que detinet Farsano quondam Benitij cum suis consortibus, sive in loco & finibus Cerasiolo vel in ejus finibus, que detinet Bernardo quondam Domici, & filij Bondij, & Joanni quondam Petri cum suorum consortibus, & Bando quondam Bonelli cum suis consortibus, & Martino preposto, & Petro quondam Gualprandi. Et in loco Quarantura, & in loco Puniano, vel in ejus finibus, sive in loco & finibus Fasano, vel in ejus finibus, excepto & antipono exinde una petia de terra, quod est curte & orto, qui fuisse dicitur predicti quondam Walandi, & est posita in suprascripto loco Fasiano prope ecclesia sancti . . . . . . quas in mea reservo potestate ad faciendum exinde, quod voluero a pars supradicte ecclesie & monasterio. Rebus vero ipsis ideo tam de casis & rebus domnicatis, quam & de casis, & rebus massaritiis cum fundamentis, & omne edificiis, vel universis fabricis suarum, seu de curtis, ortis, terris, vineis, olivetis, silveis, virgaretis, pratis, pascuis, cultis rebus vel incultis, omnia ex omnibus rebus, que superius leguntur, que in suprascriptis locis sunt pertinentibus de predicto monasterio, & predicti nominatorum omnibus ad manu vestra habere & detinere videtur, ut dictum est, tertiam portionem ex integra cum inferioribus & superioribus suarum, seu cum accessionibus & ingressoras earum tibi eas livellario nomine dare videor tali ordine, ut da admodum in mea, qui supra, Wido Notarius, vel de meis eredibus, quas abeo de predicta Berta germana predicti Walandi sit potestate eas abendi, tenendi, imperandi, gubernandi, laborare faciendi, & vobis eas privato nomine abendi, usufruttuandi, & exinde tibi, vel ad posterisque successoribus tuis a pars supradicte ecclesie & monasterio per singulos annos per omne mense junio censum exinde reddere debeamus a dicto monasterio vestre vobis, vel ad misso vestro, vel ad ministerialem illum, quas pro tempore ibidem abueritis per nos, aut per misso nostro arientum denarios bonos expendibilis de moneta de Luca numeros vinti & quatuor tantum, & si a nos vobis ec omnia qualiter superius legitur per singulos annos taliter adimpleverimus, & vos nobis istas casis, terris, seu rebus, que superius leguntur, quas mihi livellario nomine dedisti, relasaveritis, vel si per nos pejorata fuerint per colibet ingenio, spondeo ego, qui supra, Wido notarius una cum meis eredibus, qui abuit de supradicta Berta, componere tibi, qui supra Agustinus, vel ad possessoris & successoribus tuis a pars supradicte ecclesie & monasterio penam arientum optimum libras centum, quia taliter inter nos convenit, & duo inter nos libelli Otto notarius apostolice sedis scribere rogavi. Ad supradicto Monasterio.

Ego Wido Notarius domini regis in hoc libello a me s.

Signa manibus Wido & Ugo germanorum quondam Raimundi, & Ugi quondam item Ugi Codicone quondam Uberti, & Henrigo filii quondam Beritii, & Rodilando filio Gerardi testium.

Ego Otto notarius Apostolice Sedis post tradita complevi & dedi.

LXXXIX.

LXXXIX.

Albertus dictus Azo, & Ugo ejus filius marchiones Estenses donant Pulveramo abbati Vangaticiensi quinquaginta Massaritias.

Anno 1097. XIII. aprilis.

Ex autographo archivi ejusdem abbatiæ.

Ad lib. XXIII. n. 5.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo nonagesimo septimo tertiodecimo die introeunte mense aprilis indictione quinta, monasterio beatissime sancte Marie virginis Dei genitricis, quod est edificatum juxta flumen Atexin, loco qui dicitur Petra, ubi corpora sanctorum Primi & Feliciani, & Theobaldi in pace quiescunt, ubi multas res a bonis hominibus delegate sunt, in quo domnus Pulveramus abbas & monachus ipsius monasterii preesse videtur. Nos Albertus marchio, qui Azo marchio dicor, filius itemque marchionis Azonis, & Ugo, pater & filius, consentiente mihi qui supra Ugo suprascripto Azone marchione genitore meo, qui professi sumus nos ex natione nostra lege vivere Langobardorum, offertores & donatores ipsius monasterii presentes presentibus diximus. Quisquis *&c.* Ideoque nos, qui supra Azo marchio & Ugo, pater & filius, donamus & offerimus in idem monasterium sancte Marie a presenti die & hora perpetualiter habendum proprietario jure in sumptum & usum & stipendio monachorum, qui modo ibi ordinati sunt vel a modo pro tempore ordinati fuerint, & ibidem frequentius die noctuque Deo servierint pro mercede & remedio anime nostre & parentum nostrorum. Item massaritias quinquaginta cum omnibus earum pertinentiis juris nostri, quas nos habere & possidere visi sumus in comitatu Patavensi per singula loca in loco & fundo Montesilice, in Vigizolo, in Meliadino, in Saleto, in Montagnana, in Urbana, in Casale, in Altadura, in Merlaria. Primo loco, que dicitur Montesilice, & in ejus finibus massaritia una, que fuit recta & laborata per Mauronto cum omnibus illius pertinentiis. In loco & fundo Vigizolo & in ejus finibus massaritie quatuor cum omnibus earum pertinentiis. Prima massaritia, que fuit recta & laborata per Odonem, secunda per Fusculo, tertia per Dominicum de Galiunto, quarta per presbiterum Domnellum. In loco & fundo Meliadino & in ejus finibus massaritie VIII. cum omnibus earum pertinentiis. Prima massaritia recta & laborata per Justinum de Maurisio, secunda per Martinum clericum, tertia per Adam, quarta per Gisum decanum, quinta per Fidentium Bisium, sexta per Arnulphum, septima per Bazuarium, octava per Leonem de Gatula. In loco & fundo Saleto & in ejus finibus massaritie XIV. & dimidia cum omnibus earum pertinentiis. Prima massaritia recta & laborata per Lambertum, secunda per Johannem de Cedo, tertia per Justum Cavapila, quarta per Tomadum, quinta per Silvestrum, sexta per Bilitum, septima per Bonizum, octava per Zangarellum, nona per Barumzellum, decima per presbiterum Petrum, undecima per Gregorium, duodecima per Mandatarum, tertiadecima per Leonitium, decimaquarta per Leonem de Gatula. In loco & fundo Montagnana & in ejus finibus massaritie quatuor cum omnibus earum pertinentiis. Prima massaritia recta & laborata per Martinum Bracum, secunda per Baruzam decanum, tertia & quarta per Salamonem. In loco & fundo Urbana & in ejus finibus massaritie quatuor cum omnibus earum pertinentiis. Prima massaritia recta & laborata per Justum de Venzio, secunda per Johannem gastaldionem, tertia per Adam, quarta per Bavacarradam. In loco & fundo Casale & in ejus finibus massaritie VII. cum omnibus earum pertinentiis. Prima massaritia recta & laborata per Andream presbyterum, secunda per Bonjunctum, tertia per Christianum, quarta per Karlellum, quinta per Stortum, sexta per Martinum Salvia, septima per Ravaciulum. In loco & fundo Altadura & in ejus finibus massaritia una cum omnibus suis pertinentiis recta & laborata per Leonem Sansum. In loco & fundo Merlaria & in ejus finibus massaritie VII. cum omnibus earum pertinentiis. Prima massaritia recta & laborata per Bonjuzam, secunda per Zultellum, tertia per Ursum de Algisio, quarta per Caprarium, quinta per Pezapejorem, sexta per filios Sgariole, septima que dicitur Mansus de Camarlingo fuit recta & gubernata per Camprio. Has autem suprascriptas massaritias cum omnibus earum pertinentiis cum casis & sediminibus earum terris vigris, aratoriis, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis & stellariis, rivis, ripis, rupinis ac paludibus, cultis & incultis, divi-

divisis & indivisis, una cum finibus, terminationibus, accessionibus, & usibus aquarum, aquarum ductibus cum omni jure, adjacentiis, & pertinentiis earum rerum per loca & vocabula ipsis massaritiis & rebus pertinentibus in integrum. Nos quidem jamdicti offertores & donatores exinde nullam reservavimus in nos potestatem de ipsis predictis massaritiis & rebus, sed omnia in integrum ab hac die in eamdem ecclesiam sancte Marie proprietario jure donamus & offerimus perpetualiter habenda in usum & sumptum monachorum, qui modo vel qui pro tempore ordinati fuerint, faciendum exinde ex frugibus earum rerum, vel quod exinde annue Dominus dederit, sicut de ceteris rebus ipsius ecclesie quicquid voluerit sine omni nostra & heredum nostrorum contradictione. Et si quod absit, & fieri non credimus, nos suprascripti Azo marchio & Ugo, pater & filius, nostrique heredes ac proheredes seu quelibet opposita persona contra hanc cartulam offersionis agere, aut causare, vel removere per quodvis ingenium presumpserimus, & ab unoquoque homine defendere non potuerimus, tunc componere promittimus pene nomine duplas ipsas res, sicut pro tempore fuerint meliorate aut valuerint sub estimatione in consimilibus locis, ut diximus, pro mercede & remedio anime nostre & parentum nostrorum, ut proficiat nobis miseris peccatoribus ad salutem & gaudium sempiternum, ut mereamur audire vocem in die judicii a dextris Dei: Venite benedicti patris mei. Et serve bone & fidelis intra in gaudium Domini tui. Quia taliter in omnibus nostra bona decrevit voluntas. Et si quilibet homo hanc nostram offersionem irrumpere aut diminuere in aliquo presumpserit, Deo omnipotenti rationem reddat, & ante tribunal eterni judicis cum Juda traditore damnetur. Pereat sicut Dathan & Abiron, & sicut Anania & Saphira, sit anathema maranatham, omnes maledictiones veniant super illum. Hec enim charta offersionis nostre, sicut supra legitur, omni tempore firma & stabilis, inconvulsa & inrevocabilis permaneat atque persistat. Nec nobis suprascriptis offertoribus liceat ullo tempore nolle quod voluimus, sed quod a nobis semel factum vel conscriptum est, inviolabiliter conservare promittimus cum stipulatione subnixa.

Actum in loco Rudige in domo domnicata feliciter.

Signa †† manuum suprascriptorum Azonis marchionis & Ugonis filii ejus, qui hanc cartulam offersionis fieri rogaverunt, ad omnia suprascripta consentiente eodem genitore, ut supra.

Signa †††† manuum Henricus Bastardio, Herrizo de Carraria, Azo de Cinto, Opizo Bastardio viventium lege Langobardorum, qui interfuerunt rogati testes.

Ego Ugo notarius scriptor hujus cartule offersionis post traditam complevi & dedi.

XC.

Tebertus filius Divizonis donat terras Gebizoni episcopo & priori S. Johannis inter ambas Paras.

Anno 1097. XIII. maji.

Ex autographo Fontis-boni. §. Emptio. n. 128.

IN nomine Patris e Filii e Spiritus Sancti. Anni ab incarnatione sunt millesimo nononajesimo VII. e die IIIzo ingrediente mense madio indiccione V. in comitato Feletrano. Profitentes profiteor nos quidem in Dei nomine Teberto filio quondam Divizo seo Eteberto filio suo per consenso de dicto Teberto jenitor suo per suo consenso & sua voluntate, seo e Deguncia conjuge, que fui de dicto Teberto, dicti nominati venditori, e suprascripta Deguncia per ujus an paine nostre vocis profersionis, sponsionis, simul atque donationis, offersionis perpetualiter tractatione, & pro anime nostre, & pro anime suprascriptorum parentorum pure osolute a presenti die bone voluntati nostre ..... Vobis in Dei nomine donno Gebizone venerabilis piscopus, qui est rector de sancto Johanne antrabon pare in te & in tuis successoribus servi servorum Dei abea beato sancto, co est in erimo in perpetuum, idest ex integra una pecia terra de nostra propria res estimata est ipsa pecia terra, co est trimisi numero tres a justo termini, seo usualiter loci de comitato Feretrano cum omnia quia infra se e super se abente, qui es posita in fundo Abiso vel riace in apendice in andito de sancta Columba anfra plebe sancti Petri a Misa, fini de suprascripta pecia terre, ubi est lanna parte, tollere debeatis, da I. via plubica, a II. latere silba, que contra Pantano ...... a III. latere possidet Pepo de Arduvino e jura de supra-

Adlib. XXIII. n. 4.

prascripta ecclesia, a IIII. lat. desuper la Casaela, e la ecclesia sancta Columba co est jure de sancto Johanne, & deveni in deveni in predicta via, co est in prima fine, si qui alie finis non sunt, & dice supradicti venditoris, & donatoris, e donatrice omnia nostra parte de supradicta pecia terre da la silba in so aut fra suprad. vel ribus, sicu superius legitur, tollere, consequere, abere debetis vos supra sacerdoti a jure de suprascripta ecclesia ab odierno die cum ista cartula vendicionis seo & investicionis ibidem introire, & ingredere, atque ocupare, posidere, & abere a proprio & in perpetuum suprascripto sancto Johanni, & servi servorum Dei rectores de supradicta ecclesia. Precium dato per mano de suprascripto episcopus in mano de supradicto Tibertuzio in predicta petia terre in omnibus, sicu superius legitur, idest jam estimata in terra ariento e valiente co inter se conveni valiente libre numero quatuor monita Veneticorum tantum finitum & osolutum precio in coram testibus ab omnes decessione, seo e deliberatione calunnie, e si coque tempore nos supradicti vinditoris, & donatoris, e donatrice, vel qualive de nostri filii heredes, au alter qualive omo pro nostro facto contra ista cartula vindicionis, donacionis ire, aut agere, aut corrumpere, vel minuare, aut refragare, au causare, tollere voluerimus per quam vim modo, ingenio, e si minime fecerimus e autorizaverimus da omnes persona ominum omnique tempore nos predicti venditoris cum nostris heredibus ipsa supradicta res in omnibus, sicu superius legitur, quia ipso supradicto precio duplo rem dare promittimus, penam a vobis supradicto episcopus vel a vestrisque successoribus rectori de supradicta ecclesia, e a predicta ecclesia epo dupl. precio dato area ista cartula vindicionis in suo robore e firmitatem permanea omnique tempore sub die, mense e indiccione predicta.

† Signo manibus suprascripto Teberto cum suprascripto Teberto filio suo, qui ista cartula scrivere rogavit, a cui relecta est.

† Signo manus de suprascripta domna Degucia, que ista cartula scrivere rogavit, a cui relecta est.

† Signo manibus Raineri filio quondam Sasolo rogato est testis.

† Signo manibus Leto filio quondam Bezo e Leto filio quondam Johannis, qui vocatur de Berto, e Dominico filio quondam Johannis rogati sunt testimoni.

† Signo manus de Petrus filio quondam Gustantino rogato est testis.

Ego Leto tabelio scrisi complevi &c.

XCI.

Conradus & Bona jugales offerunt terras Petro abbati S. Michaelis in Burgo Pisarum.

Anno 1097. v. kl. julii.

Ex archetypo archivi ejusdem monasterii.

Ad lib. XXIII. n. 7.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnationis ejus mille nonagesimo octavo quinto kalendas julii indictione quinta. Manifestus sumus nos Curadus filio quondam Rolandi, & Bona jugales, & filia quondam Alboni, quia communiter & consentientes mihi supradicto vir meus, ubi & secundum legem interesse videtur notitia Ildebrandi judex sacri palatii, ad quo secundum legem interrogata sum ego, quia nulla me passa sim violentia, sed pura & integra mea bona voluntas sequentes edicti painam communiter, & consentientes mihi .... per hanc cartula pro anime nostre remedio offerimus, donamus & tradimus tibi omnipotenti Deo, & pars ecclesie, & monasterio sancti Michaelis archangeli, qui est fundato, & edificato foras civitatem Pisa prope porta, que dicitur Samuel, ubi nunc domnus Petrus abbas reverentissimus preesse videtur, idest nostram portionem integram de quatuor petiis de terris illis, quas habemus in loco, & finibus Macajo. Qui una & ipsa petia de terra, ubi dicitur Cammezzano, tenentes uno capo in terra Walandi & Bernardi germanorum quondam Sicherj, & alio capo tenet in terra sancti Prosperi, lato uno tenet in via publica, & alio lato tenet in terra Dominici quondam Andree, & illa secunda in loco Colognola, ubi dicitur Castagno, uno capo in via publica, & alio capo tenet in terra Henrighi quondam Beriti, lato uno tenet in terra de filiis quondam Rocti, & alio lato tenet in terra de ecclesia & monasterio sancti Zeni, & illa tertia prope ipso loco, ubi dicitur Memoretto, uno capo cum uno lato tenet in terra supradicti Henrighi, & in ...... Scianesi, & alio capo tenet in via publica, & alio lato tenet in terra supradicte ecclesie sancti Zeni, & illa quarta ubi dicitur all'orto, uno capo tenet in terra supra-

supradicte ecclesie sancti Zeni, & alio capo tenet in terra supradicti Enrighi, lato uno in via publica, & alio lato tenet in terra supradicti Enrighi, & in terra de filii quondam Petri, de ascripta quatuor petiis de terris in supradictis locis, qualiter ab omnis parte circumdata sunt per designatis locis competentis, exinde nobis medietatem de tertia portionem, ipso vero meis portionis integras cum inferioribus & superioribus suis, seu cum accessionibus & ingressoras suas tibi omnipotenti Deo, & prescripte ecclesie, & monasterio sancti Michaeli offerre pervideor. Item offerimus, donamus, & tradimus tibi omnipotenti Deo, & beati sancti Michaeli Archangeli unam integram petiam de terra, que est campo, que videtur esse posita in supradicto loco Macajo, ubi dicitur capo Arduconi, qui uno capo tenet in Ausare, & alio capo tenet in terra Scianise, & de suis consortibus, lato uno tenet in via publica, & in terra filii quondam Borti, & filii quondam Zhabulini, & alio lato tenet in terra de supradicti filii quondam Borti, & suis consortibus, ad supradicta petia de terra, que est campo in eodem loco qualiter ab omni parte circumdata est per designatas locas in integrum cum inferioribus & superioribus suis, seu cum accessionibus & ingressoras suas tibi omnipotenti Deo .... monasterio sancti Michaelis offerre pervideor tali ordine, ut da admodum sit juris predicti monasterio ad usum & sumptum seu stipendium cunctorum monachorum, qui ibi modo militant, vel in antea militare videbuntur sine omni nostra nostrorumque heredum contradictione vel repetitione. Si vero, quod absit, &c.

Actum in supradicto loco Macajo.

Signum de manibus supradictis jugalibus, qui hanc cartula offertionis communiter consentientes fieri rogaverunt.

Ego Ildebrandus judex interfui.

Signum de manibus Vvidi filio quondam Pacani, Benedicto quondam Petri, Benedicto filio quondam Bonucii testes.

Ego Folcherius notarius domini regis post tradita complevi & dedi.

XCII.

Acto & Otta conjuges tradunt Murico abbati S. Victoris de Clusis terras.

Anno 1097. mense augusti.

Ex originali archivi S. Catharinæ de Fabriano.

Ibidem.

IN nomine Domini ab incarnacione Domini nostri Jehsu Christi anni Domini sunt millesimo nonagesimo septimo, ac regnante manno Enrigo imperatore, ac die mense augustu indicione quinta territorio Castellano. Ideoque ego Acto filio quondam Leo, & Ota muliere sua anbo insimul comuniter cum nostra bona propria & spontanea voluntate cogitantes nos de Dei omnipotentis misericordia & monet ac nos divine pietas compuncio cordis nostri una pro redemcionem & apsolucionem anime nostre, ut ille pius Deus indulgeat nobis aliquit de peccatis nostris, proinde damus & tradimus aliquit de terra at ipso monasterio beatus sanctu Victore, at tibi domnus Moricus vir venerabilis abba ipsius monasterio, ac tuisque successoribus in perpetuum possidendum, quod est ipsa tera mea posita in ipsu colle de Musiano, est ipsa tera, que mihi pertinet a primo latere strada, que pergit ad Rave veniente ad Musianum, & secundo latere terra de Bucco comes, tercio latere terra de Musco filio quondam Carronem, quarto latere terra de eredi Albrico comes proveniente a primo latere &c.

Ego Alberto tabellio, qui scripsi & complevi, clausi.

XCIII.

Promissio ejusdem Murici abbatis S. Victoris.

Anno 1097. mense augusto.

Ex autographo tabularii S. Blasii de Fabriano.

Ibidem.

IN nomine Domini. Ab incarnatione Domini nostri Jhesu Christi anni Domini sunt milesimo nononagesimo septimo & regnante manno Rigo nostro imperatore & Clemente papa tenuit apostolica sede apostolorum, & die mense augustu indictione quinta currente. Ego quidem Murico abbas de monasterio sanctu

ctu Victore, & Raineri priore de ipso monasterio per censum de suprascripto abbate cum consilio & voluntate de clericis & monachi ipsius monasterio, promittimus at vobis Baroncellu & Artusinu germanus fratre tuus, & at vestros eredis masculini de legitimo matrimonio de tantum quantum fuerit ipsa vestra porcione de ipso pojo de Ariali, de tantum promittimus & obligamus at vobi Baroncellu & Arduinu, & at vestri eredibus, quod ego predicto abbas, neque meis successoribus nec vindimus, nec damus, nec congambiamus in nulla persona ominum, neque in nulla ecclesia nisi at vobis Baroncellu & at Alcuini, & at vestris eredis masculini, & si och facimus & non opservaverimus suprascripti & vestris eredis masculini tantum de ipso pojo & de ipso castro, quantum ipsa vestram porcionem est, & ipsu masiu qui tenuit Bonate de Ansari in Risianu & manibus suis cum modiorum decem de ipso masio ubi oportum fuerit prendere, & si non atimpleveris ipsam mensura in ipso masiu, atimplevimus de ipsa tera de ipsa curtes cum Laurentiu veniat in vos suprascripti, & at vestri eredis masculini at jura proprietatem, & post soluta pena ista cartula sit firma & stabile permaneat, sicut superius legitur.

Ibidem.

Ego donnus Raginerius, qui ista cartula fieri rogavimus per jusionem donno abb.

Ego donnus Petrus monachus per jusionem donno abb. scrivere rogavimus.

Ego donnus Giciardus monachus manus meas scrivere rogavimus.

Ego Johannes presbiter manus mea scrivere rogavimus.

Sinum manu de Bernardo de Acto, Costabile de Lupo, & Qualfredo de Acto rogati testi sumus.

Ego Alberto tabelio, qui scripsi, complevi, clausi.

XCIV.

Edictum Ugonis & Lucterii comitum pro monasterio Morronensi.

Circa annum 1097.

Ex Deliciis eruditorum anni 1743. *Cl. V. Joh. Lamii* pag. 1079.

Ibidem. *Adlib. XXIII. n. 6.*

IN nomine Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, qui dixit, Pater meus usque modo operatus est, & ego operor. Et alibi, Beati qui diligunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore, item gloriamini omnes recti corde. Nos Ugo & Lucterius comites comitis filii quondam Huvvicionis. Sic pater ipse monasterii Morrone auctor & primus stabilitor post dictum cum conjuge sua genitrice nostra extitit ad honorem Dei, & beate virginis Marie, sancti B.. omniumque simul Sanctorum, ita nos sequentes vestigia illorum pro remedio ac salute animarum suarum, nostrarum, fratrum, sororum, & heredum nostrorum, notum facimus firmiterque mandamus universis circumvicinis, & accolis, qui adjacent, sive qui distant, quam quibuscumque servitoribus dictis, qui modo sunt ibi, aut inibi quicumque profuturi sunt, malo animo studiose dicimus molestiam inferre tentaverit damnum & detrimentum faciens aliquatenus, sicut per predam, saccum, furtum, incendium, vel etiam per oppressionem aliquam minus penderit in toto circuitu & ambitu illi ecclesie, sicut situs loci requirit, & sicut episcopus in consignatione illius abbatie cum jamdicto genitore nostro, & aliis quamplurimis hominibus per designata loca sub anathemate sancivit, videlicet, ut a piscaria, que dicitur Leprosarium a concavis ad usque rivum Torniani quicumque in suis locis infra minus penderit in redeundo aut eundo, nisi quantocius emendaverit, vinculo illius anathematis astrictus teneatur. Quicumque ille fuerit, sicut supra dicimus, qui studiose hoc egerit aut infra ambitum, aut infra aliquam obedientiam, seu pertinentiam, & non emendare infra xv. dies, sciat se contra voluntatem nostram facere, & reum esse anathematis, & insuper bannum nostrum ad penam solvet. Et hec omnia sic esse & firmiter apud nostros heredes in sua securitate persistere in perpetuum fieri rogavimus.

XCV.

Aliud eorumdem pro monasterio Berardingorum.

Anno 1097. meense septembri.

Ex Ughellii historia comitum de Marsciano, & ex Lamio ut supra pag. 1084.

Ibidem.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Dum in Dei nomine locus intus casa Gerardini, ibique residebant Ugo, & Ranieri, & Bulgari, & Luteri germani filii Ugonis comes, residentibus cum eis Vvido judex, & Tederico de

de Saltinano & Feralmo de Cerrito, & Seraphino de Barbisco, & Rugeri filius quondam Bernardi, & Bernardo & Tiveri germani filii quondam Berardi, & Rustico de Sagna, & Tederigo filius judex, & Ugo filius Azzoni, & Alberico filius quondam Alberici, & Ildibrando & Bernardo germano filii quondam Raineri, & aliis pluribus. Ibique in eorum presentia veniens Bernardo abbas de monasterio sancti Salvatoris sito Fontebona, querit mercedem a prefati comitis filii Ugonis comes propter Deum & remedium anime eorum, ut dominus noster Jesus Christus de peccatis eorum minuare dignetur, nominative de integris ipsis terris & vineis, & casis, & ortis, atque rebus massariciis, quas prefato Bernardo abbas habet, & detinet a parte de prefato monasterio, vel alius per eum in curte de Broilo & de Licignano, & de Campi, vel in antea acquisierit infra iste curte juste & cum ratione domnus Bernardus vel suis successoribus, prefati comites hoc audiverunt & intellexerunt, propter Deum obligaverunt se & eorum heredibus, & sub bannum miserunt omnia limitentos vestris personas, ut a modo in antea non tollamus, neque contendamus, neque aliquis per nos prenominatis rebus a prefato monasterio, & pro eo facere & disvestire ausus fuerit, tunc compposituri & daturi esse debet centum optimos Bizantios auri, medietatem camere domini comitis Ugonis, & Ranieri, & Bulgari, & Luteri germani filii Ugonis comes, & medietatem a prefato monasterio, & Bernardi abbas & a suis successoribus. Factum est hoc anno Dominice incarnationis Domini nostri Jesu Christi millesimo nonagesimo septimo mense september indictione quinta, quim vero hunc scriptum, sicut supra legitur, Teuzo notarius scripsi per jussionem domini comitis.

Et ego Teuzo notarius scripsi, complevi & dedi.

XCV.

Gocius comes & Sophia ejus uxor vendunt bona Morico abbati S. Victoris de Clusis.

Anno 1098. mense januario.

Ex autographo S. Catharinæ de Fabriano.

Ad lib. XXIII. n. 10.

IN nomine Domini nostri Jehsum Cristi ab incarnatione Domini sunt anni millesimo nonajesimo octabo mense jenuario indiccione sesta Esin Esis. Ideoque ego nos Gocio comes filius quondam Ugo comes & Soffia nobile comitissa cojuge sua ambi nos in simul vinditores odierna die cum propria spontanea nostra bona voluntate secundum nostra lex Langubardorum vindimus & tradimus acque trasactavimus [postsecuravimus & largivimus & damus a vobis domno Morico abas de monesterio sancto Victore, quod est posito prenominato in fundo Victuriano teritorio Camerino vel subceсоribus tuis in perpetuum posidendo, idest de tera & de ipso caneto, qui fuit de ipso monasterio &c.

Ego Martino tabellio, qui Paganello vocatur, scripsi, complevi & osolvit hac cartula.

XCVII.

Gerardus filius Gualterii vendit VVillelmo priori S. Petri de Puteolis Lucensis diœcesis omnia sua bona.

Anno 1098. VII. id. junii.

Ex autographo archivi SS. Bartholomæi & Pontiani de Luca.

Ad lib. XXIII. n. 9.

IN nomine Domini nostri Jhesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnationis ejus millesimo nonagesimo hoctavo septimo idus junii indictione sexta. Manifestus sum ego Gerardus filius b. m. Gualteri, quia per hanc cartulam vindo & trado tibi Willelmo presbytero priori & rectori de hecclesia & monesterio sancti Petri, que constructa & levata esse videtur in loco Pozeoli ad partem & utilitatem ejusdem hecclesie & monasterii sancti Petri omnia ex omnibus cassinis & casalinis, simulque terris & rebus meis, quas abeo in loco & finibus Colline &c. eo videlicet ordine, ut si ego, qui supra, Gerardus ante meum obitum, quocumque tempore tibi, qui supra, Willelmo presbytero vel successoribus ad utilitatem suprascripte ecclesie dedero, & perexolvero solidos duocentum de bonis denariis expendibilibus Lucensis monete, ut ista cartula cum predictis rebus in me revertatur &c.

Actum in suprascripto loco Colline.

Singnum manus suprascripti Gerardi, qui hanc cartulam fieri rogavit.

Singnum de manibus Ubaldini filii b. m. Singnoretti, & Gerardi filii b. m. Brecti Gractonis rogatis test.

Singnum de manu Bonuchi filii b. m. Bun-

Bungni, & Boniti quondam Teuti Scarce rogat. test.

Singnum de manu Martini filii b. m. Gerardi & Janucci castaldi rogati test.

Ildibrandus notarius domini regis post traditam conplevi & dedi.

XCVIII.

VVido comes filius VVidonis renuntiat jus in villam de Mojona Henrico præposito ecclesiæ Arretinæ.

Anno 1098. mense junio.

Ex archetypo Fontis-boni. §. Renuntiatio. n. 9.

Ibidem.

IN Christi nomine. Breve recordationis, qualiter factum est in loco Strumi juxta ecclesiam sancti Fidelis in presentia domni ac venerabilis Handree & Habbatis, & donni Widonis monachi, & Willelmi filius b. m. Tusscani vicecomites, & Ugonis filius quondam Johannis, & Widonis da Lusque, & Widonis filius b. m. Johannis, & aliorum plurium. Wido comes filius b. m. Widonis comitis per virgam, quam in suis detinebat manibus, pro timore Dei & remedio anime sue refutavit in manu donni Heinrici prepositi Aretinensis canonice sancti Donati, & in manu Petri presbiteri & Virici diaconi de curte, & villa vel casale, que vocatur Mojona, omne malum usum & omnem malam consuetudinem, quatenus ha presenti die, neque jam dictus comes, neque heredes sui per se, neque per missos suos non faciant placitum vel districtum ex hominibus, qui in jamdictis habitant locis, aut in antea habitabunt a jure sancti Donati, & prenominati Hemrici prepositi successorum suorum seu & illorum, qui terram ibi tenent, aut in antea tenebunt in potestate supradictorum sine invitamento prepositi, qui pro tempore fuerit vel clericorum suorum, qui causa obedientie ibi prelatus fuerit, & si aliquis extraneo reclamaverit de aliquo colono vel conductore illius terre de Mojona jamdicto comiti vel missis suis, tunc ipsi debeant inquirere jus canonico, qui tunc positus fuerit, quod si ipse causam finire fecerit, sic permaneat, sin autem tunc inquiratur a preposito, ut secundum ejus preceptum emendetur & finiatur. Si autem predictus prepositus vel successores sui post recognitionem non emendaverit, tunc comes missique sui habent potestatem legaliter emendandi, unde ex omnibus, que supradicta sunt, jamdictus Wido comes obligavit & spopondit se heredesque suos, quod si omnia, que supradicta sunt, sic non observaverit, vel si aliquo modo inrumpere vel frangere tentaverit per se vel per suos missos, compositurum & daturum penam arienti optimi libras centum predicto preposito vel successoribus suis. Factum est hoc anno Dominice incarnationis millesimo nonagesimo octavo post mille indictionis sexte mense junio feliciter.

Ego Johannes notarius sacri palatii scripsi & complevi.

XCIX.

Manfridus de Bicco confirmat Rainerio abbati S. Victoris de Clusis terras in fundo Murro.

Anno 1098. mense augusto.

Ex autographo S. Blasii de Fabriano.

Ad lib. XXIII. n. 10.

IN nomine Domini Dei salvatoris. Ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi anni sunt millesimo nonagesimo octavo regnante donno Rigo rege & die mense agustus factus est per indictione quinta. Quoniam certum est ego Mainfrido de Bicco filiu odiernum die propria bona ex pontanea mea voluntate secundum meam legem Langobardorum cogitavi & pensavi de Dei omnipotenti misericordia, redemcione & obsolucione anime de Bicco genitore meo & de genetrice mea Perla, do & trado & confirmo a tibi beatu sanctu Victoriu & a tibi beatu sanctu Benedictu, quod est edificatu in locu qui dicitur Victorianu, & a tibi donno Raineri abbas vel a successoribus tuis a proprietate in perpetuum a possidendum, idest de mea re, quam abeo jure quesito vel de jure parento infra comitato Camerino in loco qui dicitur in fundo de Murro, consistit a primo latere flumen Matelcanu, a secundum latere fluvio Castellanu, a tercio latere via, que pergit per la serra de Senciano, a quarto latere rigo de Barizana, & veniente in ipsu flumen Matelcanu, infra ipse scripte finnate est ipsa terra per mensura modiori decem, & si anplius fuerit, infra ipse suprascripte finnate nulla reservacione de ipsa mea parcione ipsa suprascripta rem cum casis & vineis, cum pomis & arboribus suis & cum omnia que infra se & super

ſuper ſe abentes in integrum abendi, tenendi, vindendi & in omnibus faciendi, quitquit oportum fuerit facere ad ipſu monaſteriu, quia ſic dico & repromitto & obligo me ſupraſcripto benefactore vel meis a tibi ſupraſcripto Raineri abbas vel a ſupceſſoribus tuis, ſi quis iſta cartula ire, agere vel falsare aut corrumpere voluerimus, aut ſi nos da qualibe omine defendere non potuerimus vel non voluerimus, aut ſi nos contra cartula iſta cauſare preſumpſerimus, cum eſtimatione de ipſa rem de propriis rebus meis duplas vel meliorata reſtituamus. Et iſta cartula ſemper firma & ſtabile permaneat, quem vero cartula iſta rogata fuit per ſupraſcriptu benefactorem.

Sinnis manibus de Moſco de Carbone, & de Suppo de Foſco, & de Petri de Stefanellu rogati teſtes ſumus.

Poſt roboracionem omnium teſtium ego Grimaldu judice & notari, ſcripſi & complevi & clauſi.

Ego Manfridus de Bicco dedit & trado a tibi Boni presbytero ſtariu unu & canne quattuor.

C.

Hondo presbyter offert terras ſcholæ ſacerdotum S. Salvatoris de plebe Vici-caſalis.

Anno 1099. prid. kl. junii.

Ex autographo S. Michaelis de Muriano Venetiarum.

Ad lib. XXIII. n. 30.

IN nomine Domini Dei eterni, anno ab incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo nonageſimo nono pridie kalendas junias indictione ſeptima. Scola Sacerdotum de plebe ſancte Marie de vico Caſale, que eſt conſtructa in honore ſancti Salvatoris non multum longne de villa que vocatur Maratica, in qua preſenti tempore Johannes presbitero cuſtos & rector ipſius eccleſie videtur eſſe, & ubi multa res a bonis hominibus delegate ſunt. Ego in Dei omnipotentis nomine Hondo presbiter filius quondam Johannes de loco Corenzo & Rozo advocatus meus mihi conſentientes, & ſubter confirmantes, qui profeſſi ſumus nos ex nacione noſtra lege vivere Romana, hofertor & donator in jamdicta hecleſia ſancti Salvatoris donamus, cedimus, conferimus atque tradimus per remedium anime noſtre & parentum noſtrorum de ſacerdotibus in ſacerdotibus uſque in perpetuum, & qui vero aliter fecerint vel conſenſerint, niſi quod ic ſubter declaraverimus, judicem habeat Deum omnipotentem, cui omnia ſubjecta ſunt, & cum Datan e Habiron, & cum Juda traditor, cui Dominus intinctum panem porexerit, ante tribunal eterni judici, ſeu & ad jure ipſius ſcole proprietario nomine ad abendum, ideſt petia una de terra cum vinea juris mei, quam ego habere & poſſidere viſu ſum in comitatu Patavenſis, & in finibus Caſale locus, ubi dicitur Ponte, & eſt pecia ipſa de terra cum vinea per menſura juſta per longum perticas decem & novem ad perticam legitimam de pedes duodecim Adeſtenſis brachii in menſuratam, per traverſo de uno capite perticas duo & pede uno & ſemiſſo uno, de alio capite perticas duo, de uno latere Martinus habet, de alio latere terra donica jacet, de uno capite Hazo, de alio capite via percurrente coerit ei, ſibique alii ſunt choerentes. Que autem pecia de terra cum vinea juris mei ſuperius nominata una cum acceſſionibus & ingreſſoribus earum ſeu cum ſuperioribus & inferioribus ſuis qualiter ſuperius menſuras & choerencias in integrum ab hac die in eadem eccleſiam ſancti Salvatoris dono, cedo, confero & per preſentem cartulam hoferſionis per remedium anime noſtre vel parentum noſtrorum de ſacerdotibus in ſacerdotibus uſque in perpetuum, ut ipſis presbiteris, qui ibidem modo ſunt, vel qui pro temporibus ibidem hordinati fuerint, talem exinde habeat poteſtatem ipſa res noſtras regendum & gubernandum ſeu & diſponendum, ſicut de alia res ipſius eccleſie videtur eſſe, ut forſitans nobis peccatores proficiant anime ad ſalutem & gaudium ſempiternum, ut mereamur audire vocem Domini, venite benedicti patris noſtri percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi, & cum Juda traditor, cui Dominus intinctum panem porexerit, ante tribunal eterni judici habeat racionem in die judicii, ab omni homine defenſare, quod ſi defendere non potuero, aut ſi vobis exinde aliquid per covis ingenium ſubtraere queſiero, tunc in duplum eadem offerſionem, ut ſuperius legitur, ad partem eccleſie ſancti Salvatoris vel ejus cuſtodes reſtituamus, ſicut pro tempore fuerit meliorata, aut valuerit ſub extimatione in conſimile loco; & nec mihi liceat ullo tempore nolle quod volui, & quod ad me ſemel factum vel conſcriptum eſt, inviolabiliter conſervare promitto cum ſtipulatione ſubnixa, hanc enim cartulam oferſionis me pa-

paginam Petrus notarius sacri palatii tradidi & scribere rogavi, in qua ic subter confirmans, testibusque obtulit ad roborandum.

Hactum in loco sancti Salvatoris feliciter.

Signum manibus Hondo presbiter & Rozo advocatus ejus consencientes, ut supra.

Signum manibus Hopizo, Uberto, Hasinardo, Botho viventes lege Romana testes.

Ego Petrus notarius sacri palatii rogatus, qui hanc cartulam hofersionis scripsi, & post traditam complevi.

CI.

Testamentum Bernardi filii Gerardi Pisani in favorem monasteriorum & ecclesiarum.

Anno 1099. IIII. id. junii.

Ex autographo apud canonicum Abrahamium.

Ad lib. XXIII. n. 21.

EXemplar. In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo, quarto idus junii indictione septima. Manifestus sum ego Bernardus quondam Gerardi filius, quia per hanc cartula pro anima mea remedio judico atque confirmo in potestate vestra abbas de ecclesia & cenobio sancti Michaelis de Pisa, & Augustini preposito de sancto Fridiano similiter Pise, & presbiteri Rainerii de loco Travalda, idest omnia ex omnibus casis, & terris, seu vineis culti & inculti, mobilibus & immobilibus, servis vel ancillis, atque rebus meis, quas abeo & possideo per colibet ordinem infra comitatu, & in territorio Pisane, seu Lucense, atque Wlterrense, & in alias locas, ideo tam de casis & rebus donicatis, quam & de casis & rebus massariciis cum fundamentis, & omnem edificiis, vel universis fabricis suorum seu de curtis, ortis, terris, vineis, olivis, silvis, virgaretis, pratis, pascuis, cultis rebus vel incultis, sive mobile vel immobile, vel qui se moventibus, tam servis quam & ancillas, sive nutriminibus meis majoribus vel minoribus quecunque rem quantam, ubicunque in qualibet locas, vel vocabulas abere, & possidere visus sum, & mihi per quamcunque ordinem legibus est pertinente, aut pertinere debuerunt, tam ex jure parentum meorum, quam ex acquisto meo, quas modo abeo una cum omnibus monimibus meis cartulis, & brevi judicatis, vel qualibet scriptionem litterarum quantas, & quales in me missa, aut data, vel pertinente sunt, aut undecunque esse inveniuntur, ut dictum est, omnia in integrum in vos eas pro anima mea remedio judicare, & confirmare videor tam in vita mea, quam & post obitum meum tam vos toti insimul, quam & qui unus ex vobis, qui hoc meum judicatum pre manibus habuerit, sint potestate omnibus suprascriptis rebus, quas in vos supra judicavi, habendi, tenendi, imperandi, gubernandi, laborare faciendi, & usufruttuandi, & si oportum fuerit seu vendendi, donandi, judicandi, alienandi, comutandi, & faciendi exinde quicquid volueritis, sicut in breve legitur, quod ego docui facere, & supradicto presbitero Rainerio habet, quos ita facite, & dispensate, sicut superius dixi, tam in vita mea, quam & post obitum meum, tam vos toti insimul, quam & qui unus ex vobis, qui hoc judicatum pre manibus habuerit, stabile permaneat semper atque persistat. Si aliquando tempore in aliquod exinde intentionaverimus, aut retolli vel subtrai quesierimus, nos vel ille homo, cui nos eas dedissemus, aut dederimus per colibet ingenium, & si nos exinde auctores dare volueritis, & eam vobis ab omnis homine defendere non potuerimus, & non defensaverimus, spondemus nos vobis componere omnibus supradictis rebus, quas in vos, ut supra, judicavi in ferquidem loco, sub extimatione qualis tunc fuerit, sic tamen si nos exinde auctores nec defensores querere, nec dare nolueritis, licentiam habeatis absque nostra persona, si vestra fuerit voluntas, exinde causam agendi, responsum reddendi, finem ponendi, modis omnibus vobis eam defensandi, cum cartula ista, vel qualiter justa legem melius potueritis, quin in tali ordine hanc cartulam judicati scribere rogavi Gadiulfum notarium domni imperatoris. Actum loco Travalde prope ecclesiam sancti Angeli.

Signum manus supradicti Bernardi, qui hanc cartulam judicati rogare fieri.

Signa manuum Barucci quondam Guidi filii, & Ughiccioni quondam Ugoni filii, & Alberti atque Emrici germanorum quondam Uberti filiorum.

Signa manuum Ildebrandi quondam Rainerii filii, & Uberti quondam Rustici, & Ughiccioni quondam Ildebrandi filii, & Petri quondam Bonitii filii testium.

Ego Gadiulfus notarius domini imperatoris post traditionem complevit, & dedit.

Ego . . . . . thus autenticum hujus exempli vidi, & legi, & hic ss.

Ego Zabulanus autenticum hujus exempli vidi & legi, & hic ss.

Ego Ugo notarius Apostolice sedis autenticum hujus exempli vidi & legi, & exemplavi. Breve recordationis facio ego Bernardus filius quondam Gerardi de omnibus rebus que nunc habeo mobilibus, & immobilibus, que inei sunt, & vos ita facite, sicut in hoc breve leguntur, per istud breve judico ad ecclesiam Dei & sancti Angeli de Travalda illa terra, que mihi pertinet in loco Gello puzibo, & una petia de terra, que est vinea in loco Grosseto, & una pars de illa masia & 'cassina, que tenet lo Blanco, & mea pars de abituro meo de Travalda cum sedio & orto cum omnibus edificiis, & in ecclesia & cenobio sancti Stefani Cinctorie judico omnia, que nunc habeo infra curia de Calcinaria & a Blentina, & infra curia de Buiti, tam intus castello, quam & de foris, & similiter in Cinctoria, & judico ad ecclesiam & canonice sancte Marie Pisense medietas de rebus meis, quas habeo in loco Travalda, excepto illo judicio que . . . . ad ecclesiam sancti Angeli, & Ughiccioni quondam Ugoni, & ad meis fidelibus, & quas habeo a Celajano, que est alodio, & a sancto Laurentio, & a Pallaja, & Alliaula, & a Pinessello, & a Fontana, & alia medietate de Travalda, excepto similiter suprascripto judicio, judico Bernardo filio Gerardi vicecomitis Pisensis, & omnia que habeo intus castro Vici, quam intus quam & de foris, & in ecclesia & cenobio sancti Salvatoris .... judico omnia quas habeo in loco Rapidi, & Crissiano judico omnia, quas tenebat in beneficio a me ipso per alodio & ad .... similiter, & mea pars de sedio Ambrosii, & de sedio vetero judico Inpheltie, & mea pars de terra de Curiliano cum omnibus arboreis & buscareis judico Ughiccioni quondam Ugoni, & mea pars de Marti de curte & castello tam intus, quam & de foris judico Berlingerio germano meo, & quam habeo a Triana, & Garfagnana, & omnia, que mihi pertinet de illa terra, que tenebat Johanni Capello judico Bernardo filio Tegrini, qui est monachus, & quas mihi pertinet de illa terra, que tenebat Tertrigo judico Ribotelli & Johanni. Uberto quondam Rustichi judico dua stariora de terra a Celajano. Omnia quas mihi pertinet de Masca de sancto Remedio judico filio quondam Giberti.

CII.

Ventura filius Gualandi & Guinizo filius Adelmi offerunt bona ecclesiæ S. Mariæ de Toma in territorio Senensi.

Anno 1099. x. kl. julii.

Ex autographo monasterii de Rosa Senarum. n. 152.

Adlib. XXIII. n. 20.

BReve recordationis atque commemorationis pro securitate futurorum temporum, qualiter actum est in presentia bonorum hominum, quorum nomina subter leguntur, idest Sifridi, & Ildibrandi filii quondam Cici, & Guinizi filius quondam Teuzi, & filius Astaldi, & Ildibrandi filius Margisi, & alii plures in istorum presentia. Ventura Ginerio filio quondam Gualandi, & Guinizo filio quondam Adelmi constituerunt & affirmaverunt ad istum venerabilem locum, qui est edificatum in onorem sancte Marie sito Toma, oc est omnes res mobiles & immobiles proprietatis ejus, quod ipsa abuit & tenuit dotali die ante quam fuisset Guinizo mortuus infra scriptis locis & finibus, sicut currit fluvio Toma, & sicut currit Romanciano, & sicut est colle Guarni, & etiam Saturgnano, & in plebe sancti Quirici, & hoc quod Petro masaro, & Pagano abent & tenent pro sedio eorum, & terre ominem in Pecla, idest Dominico, & Barone, & aliodo Dominico, quod ipsi abent & detinent alodum, & oc quod Verando abet & detinet pro Guinizo, qui fui senior ejus, de massa de Vignale, & due petie de terra in valle juxsta fluvio Aso, & alie due in monte Gualandi, & una petia de vinea & omnia, que superius leguntur firmiter constituerunt, quod istum venerabilem locum abeat & possidead sine omni contradictione eorum, & insuper cum laudamento presbyteri, e clerici, & laici, qui ibi aderant, in istorum presentia Raginerius, & Guinizo, aut aliquis ex eredibus eorum, qui unus eorum tollere aut minuare vel fatigare presumpserit per quocum ingenium, preterea suprascriptum locum . . . . sit, sicut in cartula legitur, si infra triinta dies non emendaverint, si inquesitum fuerit.

Oc actum est anni ab incarnatione Do-

Domini nostri Jhesu Christi milesimo nonagesimo nono decimo kalendas julii indictione sexta.

Ego Tucanus cancellarius ibi fui & scripsi.

CIII.

Sighizo offert Mathildæ abbatissæ S. Christinæ de Septem-fontibus terras Ermingardæ olim uxoris suæ.

Anno 1099. VIII. augusti.

Ex autographo parthenonis S. Christinæ de Bononia. I. 8.

Adlib. XXIII. n. 19.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Anno ab incarnacione Domini nostri Jesu Christi millesimo nonagesimo nono regnante domino Enrico inperatore filius quondam Enrici inperatoris anno sestodecimo die octavo mensis augusto indictione VII. Et ideo ego quidem in Dei nomine Sighizo filius quondam Brisio bone voluntatis mee placet mihi, ut per hec instrumenta donationis, atque transfersionis & perpetue transfaccionis pro Dei timore & remedio & luminarie anime mee, & de quondam Ermingarda uxor mea, dono, & concedo, atque transfero in nomine ecclesie sancte Scristine virginis de loco, qui dicitur Pasteno, & in tibi Gerardus presbyter pro ex persona donna Matilda abatipsa monacha de suprascripte ecclesie vestrisque successores a salva justitia sancti Salvatoris Camaldulienfis, ad abendum, tenendum & possidendum, & faciendum quicquit vobis placuerit in perpetuum ad jura propria, idest infra plebem sancti Johannis qui vocatur in Toracciano, omnes res & possessiones meas quantascumque mihi pertinet da Ermingarda uxor mea, & alia medietatem sive per cambio sive per precium, qualiter inter nos convenit omnia & ex omnibus, que supra leguntur, & si quis alii affine sunt, una cum terris & vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, salectis, arbustis, arboribus pumiferis & infructiferis, diversisque generibus, aquis, ripis, rupinis, usis aquarum, fontibus, cultum vel incultum *&c.* abeatis & teneatis *&c.* Alioquin daturo me promitto ego prenominato Sighizo donatore vel heredibus meis componere & dare in predicta ecclesia sancte Scristine, & in tibi predicta donna Matilda monacha & abatisa tuisque successores pene nomine in arientum denarii Veronensis solidos quinquaginta, & post pena soluta hec instrumenta donacionis, sicut superius legitur, omni tempore in sua maneat firmitate. Actum justa ecclesiam sancte Scristine indictione VII.

† Signum manus, qui supra donatore, omnia, ut superius legitur, fieri rogavi.

† Signum manuum Ildebrandus filius Rolandi, & Ugo filius Ildeberti, & Gandulfo filius Adolini, & Gonfredo filio de Ildebrandi, & Petri filio Dominico de Buzo rogatis testibus.

† Tabellio Martinus Ulzianensi castro omnia, ut superius legitur, scripsi & firmavi atque complevi.

CIV.

Albertus comes Guidonis filius concedit Martino priori Campi-amabilis ecclesias S. Mariæ & S. Michaelis de Poplena, S. Mariæ de Petra-ficta, S. Ægidii de Gaviserre & S. Nicolai de Lacu.

Anno 1099. mense augusto.

Ex autographo archivi Fontis-boni. §. Donatio. n. 219.

Adlib. XXIII. n. 12.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus nonagesimo nono post mille mense augusto indictione septima feliciter. Manifestus sum ego Albertus comes filius Guidonis quondam comitis, quia per hanc cartulam transaczionis conczessionisque finiczionisve trado, transfero subduco de jure dominioque nostro omnia jura & ancziones seo potestates abbazie olim constructe vel comstruende in honore sancte Marie in Pupline cum omnibus ecclesiis & pertinentiis suis ubique sunt vel erunt cum mansis & villis, & prediis, urbanis & suburbanis, & cum omnibus tenimentis quoquomodo ad ecclesiam supradicte abbatie pertinentes sunt vel erunt, prima est edificata in loco Petreficte, & sunt predicte ecclesie site per loca & casalia seo avocabola alia in valle Petronis, secunda ecclesia constructa in honorem sancti Michaelis archangeli in loco curtis Pupline, tertia est posita in loco Gaviserre, cui est in avocabolum sanctus Egidius. Similiter ecclesia sancti Nicolai confessoris comstructa in loco Lacus cum omnibus adjacentiis & pertinenziis suis ubique inventis vel inveniendis, cum terris & vineis, casis, casinis, molendinis, aquis,

aquis, aquimolis, silvis, quercetis, castagnetis, pumetis, cum arboribus fructiferis, infructiferis, cum salectis & pascuis, domestici & silvestres, omnia & in omnibus, comcedo tibi Martino priori congregazionis Campi amabilis tuisque posteris successoribus imperpetuum, usquedum tu Martinus prior tuique successores eas regere, gubernare &c. spiritualiter hanc regulariter volueritis & fezeritis prout tempus & possibilitas suprascriptarum rerum ditaverit, & si non fezeritis jura & hancziones a nobis vobis comcessa, a nos revertamtur omnia, ut superius legumtur ea fide & comditione, ut nullus Artinus episcopus, nec clerizi, nec laizi ejusdem episcopii in predicto monasterium e rebus non habeat potestatem causandi, inquirendi sive infestandi qualecumque modo per machinatione vel argumentum aliquod insertum vel inserendum, set omne tempore sint esules anc remoti caremtibus omnibus anczionibus. Insuper etiam addizimus supradicte terras actioni res & curtes pertinentes eidem abbazie, que sunt posite per locas & casalia, sive avocabula in loco vocato Acune infra territorio de plebe sancti Jerusalem in loco momte Bonello in loco Rufina, & in loco Puminu, & in loco Falgano vel per aliis locis & plebibus ubicumque invemte sunt vel erunt, excepto jus plebis sancti Petri Romine sita, alia omnia & in omnibus, sicuti per ante a supradicta abbatia quoquomodo, quocumque jure vel actione concedimus tibi Martino priori tuisque successoribus quidem ego qui supra Albertus comes promitto & obligo me eredes anc eredes meos, & ex persona fratris mei Ugonis filiorum, & eredum, ac proeredum suorum tibi prefato Martino priori tuisque successoribus defensare retinere &c. reservato in nobis jure patronatus &c. & si contra fecerimus &c. compposituri erimus &c. pene nomine arienti optimi libras zentum, & absoluta cartula matead in suo robore.

Actum clausura de plebe sancti Petri sito Ormina judicaria Floremcia feliciter.

Signus manus, qui supra Albertus comes, qui hanc cartula, sicut supra legitur, fieri rogavit.

Ubertus judex doctus sapiens quoque prorsus. Suscripsi, laudavi, superius dictavi, notavi.

Ego Johannes notarius sacri palatii & manu mea ss.

Singna manuum Ugo filio b. m. Qui donni, & Uberto filio Raingeri, & Ugo filio Petri, & Raingeri filio Uberti, & Johannes filio Gerardi, & Raingeri filio Ugoni, & Alberto filio Pourelli & Rodolfo filio Bulgari rogatis testes.

Ego Azo notarius scriptor, & post tradita complevi.

CV.

Gebizo episcopus Fesulanus confirmat eamdem donationem.

Anno 1099. v. id. septembris.

Ex archetypo ejusdem tabularii. §. Privilegium. n. 14.

Ibidem.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi anno ab ejus incarnatione millesimo nonagesimo nono indictione sexta quinto idus septembris. Ego Gebizo Dei gratia episcopus, quamvis indignus, divina clementia preveniente heremum, que dicitur de Lacu, & sancte Marie monasterium, quod situm est in loco, qui vocatur Petra ficta, & construendum ac Deo permittente meliorandum in loco, qui dicitur Gaviserre, nostris fratribus assensum prebentibus, domno Martino priori heremi Campi amabilis, ac domno Gregorio suisque idoneis succesoribus concedimus, atque salva nostra reverentia penitus in illorum potestate ad meliorandum tradimus, atque largimur, ita scilicet, ut in peccatorum suorum remissione licentiam habeant construendi & edificandi secundum Deum, & secundum seculum heremum ac predictum monasterium. Et nos neque nostri successores, aut ulli homini liceant aliquam molestiam eis inde inferre, & ab illorum jure subtrahere, quod si aliquis contra hec superbe agere presumpserit, & non juste emendaverit usque ad satisfactionem, excommunicationis periculo subjacebit. Hoc autem est actum consentientibus Ormene comitibus, eorumque majoribus fidelibus, ac Johanne sancti Petri plebano, aliisque civis religiosis astantibus assensumque prebentibus.

Ego Gebizo Christi servorum servus hanc traditionem confirmans ss.

Ego Rag. presb. & monachus asensum prebui & ss.

Ego Amicus presbyter & monachus assensum prebui & ss.

Foris: Gebizo episcopus Fesulanus de Gaviserre *seculi* XII. *charactere.*

CVI.

CVI.

Beatrix filia Ugonis comitis donat terras Gerardo priori clericis & monialibus parthenonis S. Christinæ Septem-fontium.

Anno 1099. VIII. kl. octobris.

Ex originali archivi S. Christinæ de Bononia. I. 9.

Ad lib. XXIII. n. 19.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Anni ab incarnatione Domini nostri Jhesu Christi post millesimo nonagesimo nono octavo kalendas octobris indictione octava. Et ideo cum Xristo auxiliante nos Biatrice filia quondam Ugonis comitis pro Dei timore & luminarie anime mee, & de quondam parentorum meorum do & concedo at ecclesie monasterio sancte Cristine, que est edificata in loco qui vocatur Pasteno, & tibi Gerardus presbyter, & qualecumque clericis fuerit, tuisque sucessoribus, qui in ipso monasterio ordinati fuerint ad abendi, tenendi & possidendi in proprii, ad jura propria, & ad jura & ipsius ecclesie, idest infra plebe sancti Johannis, que vocatur in Toriciano, idest in loco, qui vocatur Malito, pecia una terra cum frascario, cum introito & exogito suo, usque in via publica, vel cum omnia super se & infra se abentem in integrum a perticas decipidas mensurata da uno latere via corentem, que pergit ad Casola, alio latere rio corente, ab uno capite de super possessiones suprascripto monasterio, alio capite de supto possessiones suprascripte donatrice & meis consortis infrascriptis designatis quatuor lateribus tornaturie decem, per una quamque tornaturia de ex omni parte pertice decem, omnia qualiter superius legitur per hanc paina concessionis do & concedo ego suprascripta Biatrice ad suprascripto monasterio & tibi suprascriptus Gerardus prior & tuisque successoribus ad abendum, tenendum & possidendum in perpetuum ad jura propria ipsius monasterio, ut neque da me suprascripta Biatrice, neque da meis filiis & heredibus nullam exinde habeatis molestationem aut causationem, set promitto ego suprascripta Biatrice vel meis filiis & heredibus predicta res, ut superius legitur, omni tempore hab omni omine hauctoriare & defensare promittimus, & si minime defensare non potuerimus, haut contra hanc cartam donacionis, concessionis a me facta aliquando per cocumque ingenium agere aut causare presumserimus, aut agientibus consenserimus, & non permanserimus in ea omnia, ut superius legitur, tunc daturo promitto ego suprascripta donatrice huna cum meis filiis & heredibus tibi Gerardus presbyter tuisque successoribus, qui in ipso monasterio ordinati fuerint pene nomine in arientum denarii Lucensis solidos centum, & post pena soluta hec membrana donactionis transactionis, ut superius legitur, omni tempore in sua maneat firmitate. Hactum in ospicio plebe sancti Johannis indictione suprascripta octava.

Ibidem.

† Signum manibus suprascripta Biatrice hec membrana donacionis concessionis, ut superius legitur, fieri rogavi.

† Signum manibus Aldebrandus filius quondam Rolandus, qui vocatur Deadolino, & Verardus filius quondam Marchesello, & Rainerius filius Guezo, Rolandus filius quondam Ungaro, & fuit investitore de suprascripta re, & rogati testes.

Scripta hec membrana donacionis concessionis, ut superius legitur, per manum mea Senioriptus tabellio complevit & dedit.

CVII.

Ildebrandus cum conjuge sua Orfrisca offert eremo Campi-amabilis suam portionem juris in ecclesiam S. Mariæ de Casaliclo.

Anno 1099. mense novembri.

Ex autographo Fontis-boni. §. Donatio n. 220.

Ad lib. XXIII. n. 14.

INomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus nonagesimo nono post mille mense novembri indictione septima feliciter. Manifesti sumus nos Ildebrandus filius olim Rolandi, & Orfrisca uxor predicti Ildebrandi per datam licentiam suprascripti viri mei, atque con notitia Ugoni judicis donni inperatoris, a quo interrogata & inquisita sum secundum legem, in cujus presentia testium nulla violentia passa esse dico, sed mea bona & spontanea voluntate, & per consensum predicti viri mei, & notitia predicti judici nos predicti jugales communi animo atque bona voluntate libenti animo pro anima predicti patris mei donamus, & tradimus, & offerimus in oratorio sancti Salvatoris, silicet eremo dedica-

dicatum & positum in loco & avocabulo Campo amabili. Id est integris tres modiorum & quattordecim sistaria de terre & integram quartam unius ecclesie cum quarta parte suo cimiterio tantum, ubi possint facere mansionem & abitationem, que res est de comitatu Artino de plebe sancti Ippoliti sitam Biblena de casale Casaliclo, sicut predicta terra fuit detenta per Illarello massario, & nepote suo, & per filiis Petri de Castello, & per ceteri homines, qui terram quamdam detinuerunt, & est predicta ecclesia in eodem avocabulo, & est consecrata in onore sancte Marie, & predicta terra est exstimata suprascripto numerum sestariorum, & tota debet esse tabulata ad legitimam perticam de pede duodecim pede Leprandi per unum quotque sestarium in plano tabule sidecim in valle vel in monte tabule decem & octo, & majorem partem in plano, predicta vero ecclesia cum dicto cimiterio, & cum offersione & sua pertinentia ex sexto tenimenta terre, & predicta terra cum omnia super se & infra se abentes, & vinea nostra donicata medietatem infra ipso numero sistariorum, & si non fuerit inventum conpletum numerum in predictis tenimentis in predicto casale de Casaliclo adimpleamus vobis, damus, & tradimus, & offerrimus predicto venerabili loco, & ad proprium investivimus donus Ildebrandus monachus dicti Monasterii, & corporalem traditionem ei de predictis rebus fecimus, unde de predicta nostra donatione nulla in nobis reservavimus potestatem, nec in nostros filios & heredes, nec predicto venerabili loco aliquid antepossuimus, nec fratribus ibidem Deo servientium in predicto venerabili loco, quod absit & avertat divina potentia, si in ali de predicta res presumplerimus agere causare &c. dabimus vobis libras decem & octo &c.

Signa manuum suprascripti jugalibus in hanc cartam manus eorum scribere rogaverunt, & insuper pene nomine, si qualiter superius legitur non observaverimus nos & nostros filios & heredes componere vobis pena numerum libras viginti optimi argenti.

Singna manuum Raineri filii quondam Griffi & Gerno filii olim Uberti & Raineri filii olim Ugonis, & Teutio fil. olim Segnorelli rogati testes.

Ego Ugo judex suprascripta mulier interrogavi, & manu mea ss.

Ego Ildebrandus notarius scripsit & complevi.

CVIII.

Pulveramus abbas Vangaticiæ dat ad emphyteusim terras in urbe Verona Peregrino Teutonico.

Anno 1100. pridie kl. junii.

Ex ecclesiis Veronensibus illustratis Jo. B. Blancolinii T. III. pag. 277.

Die jovis, quod est secundo kal. junii in civitate Verona justa monasterio sancti Salvatoris, quod dicitur Curte regis, presentia bonorum hominum, corum nomina subter leguntur, ii sunt Lanfrancus de Curtealta, Zeno de Gandulfo, Lemizo Mainfredus de Dodoferario, Bonifacius Elbono, atque Zeno germanis de Squassapallario, Johannes Squassacodola, Redulfo Storto, Martino Gebitanus, Ingezo pistor, & reliqui. Ibique eorum presentia investivit domnus Polveramus abbas de monasterio sancte Marie de Vangadicia una cum Zeno de Gandulfo, quem elegit avocato suo, Peregrinum Teutonicum de civitate Verona, nominative de petia una de terra cum casa terranea, & cum curte ibique totum insimul tenentem, que jacet infra predicta civitate Verona prope jam dicta ecclesia sancti Salvatoris, & juris suprascripta ecclesia, abente per longitudinem perticas tres pedes sex de uno capite de via perticam unam pedes octo, & semisse uno, de alio capite perticam unam pedes septem & semisse uno & digitis tres, coheret eidem ambobus lateribus, & uno capite jura suprascripta ecclesia sancti Salvatoris possidente, de alio capite via percurrente, ibique alii sunt coherentes. Eo videlicet ordine sicut hic subter legitur, ut da jam dicto die inantea ipse jam dicto Peregrinus, & suis liberis filiis & filiabus, nepte vel neptis legiptimis habeant, & teneant jam dicta terra cum casa & curte usque ad annos viginti & novem expletis, & faciant inibi ex frugibus eorum rerum, vel censum, quibus exinde annue dominus dederit, quicquid voluerint, vel quid eis opus fuerit, sine omni eidem domni Polverami abbatis, & monachi vel successores suos contradicione, ita ut pro eis meliorentur, & non pejorentur, & solvere exinde debeant singulos annos per omni festivitas omnium Sanctorum fictum censum denarios bonos Veronenses sol. novem, dati & consignati predicti denareis hic in civitate Verone ad pars jam dicto monasterio

Adlib. XXIII. n. 28.

rio

rio a predicto abbas, vel monachi, vel ad suos successores, aut ejus misso per se ipse Peregrinus, vel filii, aut filiabus, ejus nepte, vel neptis liberis legiptimis aut ejus misso, alia super imposita eis non fiant, & quando predicti viginti & novem anni expleti fuerint, tunc ipse Abbas, vel successores suos predicto breve libelli renovare debet a predictum fictum, ita ut tribuat in ejus servicio sol. tres denarios Veronenses, aut in tantum valentem, penam vero inter se posuerunt, ut si aliquis ex ipsis aut eorum successoribus vel filiis aut filiabus ejus, nepte vel neptis liberis legiptimis non compleverint, omnia qualiter supra legitur, vel si tollere, aut laxare voluerint antescriptis annis expletis, tunc componat pars parti fidem servanti pena denarios bonos Veronenses sol. viginti & novem, & post pena soluta oc breve in suum obtinead robore, & ad confirmandum hoc suum factum accepit ipse abbas ab eodem Peregrino exinde Saune ohilt capellum, unde duo breve in uno tinore scripti sunt. Factum est oc anno ab incarnatione domini nostri Jhesu Christi millesimo centesimo suprascripto die jovis indictione septima. Signum ⌶ suprascripti Lanfranci, Zenonis, Lemizoni, Mainfredi, Bonefacii, Boni, Zenoni germani, Johannis, Redulfi, Martini, Jngezoni, qui interfuerunt, ut supra.

Ego Amelgausus notarius rogatus, qui hunc breve scripsi, & complevi.

CIX.

Fulcho marchio offert ecclesiæ S. Salvatoris prope villam Maraticam plures terras.

Anno 1100. pridie kl. augusti.

Ex Petro Canneto apud Muratorium Antiq. Esten. T. I. pag. 313.

Adlib. XXIII. n. 30.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo pridie calendas augusti indictione VIII. Ego Fulco marchio filius quondam Azonis marchionis habitator in castro, qui dicitur Montagnana, dono & offero ecclesie sancti Salvatoris, que est constructa in comitatu Pataviense non multum longe a villa, que dicitur Maratica, pro mercede anime mee & parentum meorum totam terram, quam ego habere & possidere visus sum in comitatu Pataviensi & Veronensi, & inter tres comitatus, & silvam Caracedi, & inter viam Fellidanam & Fractam, preter mansum unum, quem Guido de Merlaria habet tam de terris aratis, quam pratis, vigris, vineis, pasculis, silvis ac stellaris, rivis & rupinis, cultis & incultis, divisis & indivisis, una cum finibus, terminibus, accessionibus & usibus aquarum, aquarumque ductibus, cum omni jure, jacentiis & pertinentiis earum rerum per loca & vocabula ad ipsas pertinentia superius & inferius. Qui vero contra hanc cartam offersionis agere presumpserit, nisi, quod hic subter declaraverit, habeat Deum omnipotentem, cui omnia subjecta sunt, & cum Dathan & Abiron & cum Juda traditore, cui Dominus panem intinctum porrexit, ante tribunal eterni judicis rationem reddat, & ab hac die in antea in ecclesia ejusdem sancti Salvatoris per eamdem cartam offersionis dono & offero perpetualiter habeat ad habendum in sumptu & usu & in dispendiis clericorum, qui modo ibi sunt, vel in antea pro tempore ordinati fuerint, & faciant de fructibus earum vel censum, quos exinde annue Dominus dederit, sicut de ceteris rebus ipsius ecclesie quidquid voluerint, sine omni mea & meorum heredum contradictione, & si ego dictus Fulco, quod fieri non credo, aut ullus de heredibus meis vel proheredibus, seu quibuslibet oppositis personis contra hanc cartam offersionis agere vel causare per quodvis ingenium presumpserimus, ab unoquoque homine defendere non potuerimus, tunc tamen promitto componere pena duplas res in consimilibus locis, ut dixi, pro mercede anime mee & meorum parentum remedio, quia taliter in omnibus mea bona decrevit voluntas. Hanc enim charte offersionis paginam Petro notario tradidi scribendam, eamque rogavi scribere, in qua hic subter confirmans testibus, quod obtuli & roboratum. Actum in vico Montagnane feliciter.

Signum † manus ipsius Fulco, qui hanc paginam offersionis fieri rogavit, ut superius.

Signum manibus Rodulpho de Lusia, Lanfranco, Petrus viventes lege Langobardorum testes.

Ego Petrus notarius sacri palatii rogatus, qui hanc cartam offersionis scripsi, & post traditam complevi & dedi.

CX.

CX.

Gemma comitissa renuntiat usum suorum majorum in ecclesiam S. Floræ de Noceto.

Circa annum 1100.

Ex autographo archivi Rosæ Senarum. n. 255.

Ad lib. XXIII. n. 31.

BReve recordationis ad memoriam habendam pro modernis & futuris temporibus de ecclesia sancte Flore de Noceto. Usum, quem comites Ildibrandesci habuerunt de ecclesia sancte Flore de Noceto Gemma comitissa & Fulengnus & Bernardus filius Straturni refutaverunt pro mercede anime sue suorumque parentum, ut deinc in antea ego comitissa non habeam potestatem, neque licentiam, nec aliquis meorum heredum, nec vicecomites, nec castaldius faciendi aliquod malum ad supradictam ecclesiam, & si aliquis vicecomes vel castaldius voluerit rumpere vel minuare hoc scriptum vel hanc refutationem, quam bono animo fieri rogavi pro mercede anime viri mei & mee, sint in nostra mala voluntate, & si aliquis habuerit aliquam possessionem injuste de supradicta ecclesia eis reddat, & si aliquis observare noluerint sint in pena bonorum denariorum solidos XL.

Signa manuum testium Fulengi, Bernardini, Tancredi da Colle torti, Arnolfini, & Ranucini, & Alpigisi de Castellione & Pizonelli de Plana & alii multi rogati sunt testes.

CXI.

VVido comes filius comitis VVidonis confirmat bona & jura parthenonis S. Petri de Luco.

Anno 1101 XV. maji.

Ex archivo ejusdem parthenonis.

Ad lib. XXIV. n. 1.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo primo mense majo die XV. indictione VIIII. Manifestus sum ego Wido comes Widonis comitis filius, qualiter per hunc scriptum promissionis, sponsionis, concessionisque promitto, concedo, dono, largior, seu confirmo Domino, ecclesieque dedicate in honore beati Petri apostoli, aliorumque sanctorum, que est sita infra plebem sancti Johannis majoris comitatu Florentino in loco, qui nominatur Luco, que abbatia clare videtur esse constituta in honore sancti Salvatoris Campi amabilis sub potestate prioris ejusdem eremi, quidquid in predictis urbanis ac suburbanis donatum & concessum fuerit, & est possessionibus, juribus, actionibus. Et ego Guido comes pro me meisque heredibus confirmavi, concessi, statui omnes aquisitiones factas, vel faciendas dicte ecclesie per omnes comitatus meos ac civitates, castella, villasque, & ut plenius dicam, ceterasque possessiones, ut supra donatas legaliter, ita ut nullam expensam eis personis superius denominatis unquam in aliquo tempore nemo presumat agere, causare, querere, molestare, interrumpere, violare, quandocunque vel quacunque occasione inventa vel invenienda a quibuscunque personis, sed ipsa abbatia, & sui rectores, abbates seu abbatisse, & priorisse constitute seu constituende sub honore & potestate prioris Campi amabilis eremi omnibus temporibus ex hac hora in antea sint securi, & absoluti & indemnes. Et ego meisque heredes patrocinium suscepimus. Si contrafecerit aliquis pena boni argenti libras centum sit, & soluta pena promissio & concessio denominata in suo robore vigeat omni tempore.

Actum ante abbatiam sancti Fidelis sitam Strumi.

Signum manus Guidonis comitis, qui hunc scriptum promissionis, sicuti superius legitur, fieri rogavit.

Signa manuum testium rogatorum, scilicet Rolandi judicis, & Rolandi filii Teuzi, Ildebrandi filii Ubaldi.

Ego Ildebrandus notarius Domino donante scripsi, complevi & absolvi.

CXII.

Divezzo de Offo ejusque filius Johannes donant Rainerio abbati monasterii S. Victoris de Clusis terras in comitatu Camerinense.

Anno 1101. mense septembri.

Ex autographo archivi S. Blasii de Fabriano.

Ad lib. XXIV. n. 3.

IN nomine Domini Dei Salvatoris ab incarnatione Domini nostri Jhesu Christi anni sunt millesimo centesimo primo, & regnantes rege Erigo, & die mense sectembri factus est per indictione

ne nona. Quoniam profiteor ego Divezzo de Otto filiu, & Johanes filius meus per meu consensu manus sua misit odiernum die propria bona expontanea mea voluntate cogitavit & pensavit de Dei omnipotenti misericordia pro redeptione & opsolucione anime mee, & pro redeptione & opsolucione anime de genitore meo, & de genitrice mea, per cartulam do & trado & confirmo a tibi beatu sanctu Victoriu, & a tibi donnu Raineri abbas vel a supcessoribus stuis in servu servorum Dei a proprietate in perpetuum a possidendum, idest de mea re, quam abeo proprio nomine, vel de jure parentu infra comitatu Camerinu in locu, qui dicitur in Follano, & a la giera, & a le rote, a primo latere flumen Matelcanu, & veniente per rigu fridu, & veniente a vadu de Gironda assumu Cantira, & veniente per via de Cantira, & a tribbio de Follanu a vadu scuru, & veniente in ipsu flumen, quod est prima sinata, infra ipse . . . . do & trado due parti de tota mea rem ubicumque me pertinet de terris, de casis & vineis, de silvis & salectis, de aquis, aquimolis, vel de cursibus aquarum, de omnia & in omnibus, sicut superius legitur, & cum pomis & arboribus suis, & cum omnibus, que infra se vel super se abentes in integrum, abendi, tenendi, vindendi, donandi & in omnibus faciendi quidquid oportu fuerit facere ad ipsu monasteriu, quia sic dico & ore promnto obligo me suprascriptu benefactore vel meis eredibus a tibi beatu santu Victore, & a tibi donnu Raineri abbas vel a subcessoribus stuis, si quis ista cartula ire, agere vel falsare, aut corrumpere voluerimus, aut si nos da qualibet omine defendere non potuerimus & non voluerimus, aut si nos contra cartula ista causare presumpserimus, cum estimatione de ipsa re de aliis propriis rebus meis dupplas & meliorata restituamus, & ista cartula sit firma & stabilem permaneat, que vero cartula ista rogata *&c.*

Sinnum manu de Divezzo cum Johannes filio suo, qui ista cartula fieri rogavit.

Sinnum manibus de Otto de Ugo, & de Stavele de lo poe . . . Morico de Johannes in ac cartula ista rogati teste sumus.

Post roborationem omnium testium ego Grimaldu judice not. scripsi, & complevi, & clausi & redidi.

CXIII.

Zabulina filia comitis Landolfi tradit parthenoni S. Petri de Luco jura & bona sua.

Anno 1101. mense octobri.

Ex tabulario prædicti parthenonis.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus centesimo primo post mille mense octobris indictione decima feliciter, Christo auctore. Ego quidem Zabulina filia olim comitis Landolfi per consensum Uberti filii Ugonis mundualdi mei, pro Dei timore & remedio anime mee, & pro anima genitoris mei, atque parentum meorum per hanc cartulam offertionis a presenti die do, trado, offero, cedo, atque confirmo ecclesie, & monasterio beatissimi sancti Petri apostoli in loco, qui dicitur Luco, idest integram meam portionem de integris curtis, castellis, turribus, ecclesiis, casis, cascinis, terris, vineis, sortibus & domnicatis, universisque rebus juris mei, que mihi per successionem, aut per scriptum, sive per conquistum, vel per quodlibet ingenium sunt pertinentes ex parte Landolphi genitoris mei. Et sunt posite curtes, castella, turres, & ecclesie, case, cassine, terre, vinee, sortes, ac domnicati, & res ipsa infra marcham Thuscie, & in comitatu Florentino ac Fesulano, idest integram meam portionem de curte, & castello posito in loco dicto Monte Rainaldo, de curte & castello in loco dicto Gragnano, de curte & castello in loco, qui dicitur Luco, de curte & castello posito in loco dicto Riofrido, vel per alia loca & vocabula que sunt predicte res cum omnibus, que sunt infra territorium plebis sancte Marie in loco, qui dicitur Novella, & sancti Leonis in loco, qui vocatur Flaciliano, & sancti Johannis, qui dicitur major, & sancte Marie in loco, qui nominatur colle Fenario, vel infra alias plebes, ideo prenominatas curtes, castella, terras, vineas cum omnibus suis edificiis, vel cum omnibus supra se, & infra se habentibus, & cum omni jure & actione, & pertinentiis earum, ubicunque per loca & vocabula, & appendices de omnibus predictis rebus juris mei mobilibus atque immobilibus, seu se moventibus & non moventibus, ad predictam meam portionem esse inveniuntur, exceptis

Ad lib. XXIV. n. 5.

ptis bonis ac rebus, que mihi evenerunt a bone memorie Theodorico, qui fuit vir meus, de quibus cartulam transacto nomine feci, ac dedi Thedaldino filio b. m. Petronis, & exceptis omnibus servis & ancillis meis, omnia in integrum, sicut superius legitur, supradicte ecclesie & monasterio do, & trado, atque offero & confirmo, ut omni tempore in proprietatem supradicte ecclesie res sint & permaneant, atque ibidem firme & stabiles semper sint. Et si ego quidem Zabulina vel mei heredes, aut submissa persona, quam nos miserimus vel cum quolibet nostro facto veniat per quodlibet ingenium, cui nos eas dedissemus, aut dederimus, & cum predicta ecclesia & suis rectoribus in aliquid exinde contendere, retollere vel minuere, aut intentionare presumpserimus, aut si eas nos ad partem predicte ecclesie de omni adversa parte legaliter defendere non potuerimus & non defensaverimus, tunc dupla tanta & talis jam dicta offersio mea sit, qualis tunc ipsa fuerit sub extimatione in consimilibus locis de nostris propriis rebus, tam mobilibus, quam immobilibus proprietario jure ad partem supradicte ecclesie, & monasterii restituere, ac persolvere debeamus, & si opportunum fuerit ad partem predicte ecclesie licentiam & potestatem habeant custos & advocatus predicte ecclesie una cum ista cartula causam exinde agendam, finem ponendum, responsum reddendum, & usque ad veram legem perducendum, quam melius potuerint, sicut & ego facere debeo.

Actum in castellum, quod vocatur Planum, judiciaria Florentina.

Signum manus † supradicte Zabuline, que hanc cartulam offertionis, sicut superius legitur, fieri rogavit.

Signum manus † Longoberti, qui predicte cognate sue, uti mundualdo suo, consensit, ut supra.

Signa manuum ††† Teudaldini & Ildebrandini, qui Bellicozzo vocatur filii b. m. Petroni, & Landucci, qui Muccianello vocatur filii Azonis rogatorum testium.

Signa manus † Ubaldini filii Azonis Albizoni rogati testis.

Ego Ghebido notarius ac scriptor post traditam complevi.

CXIV.

Rodulphus prior S. Petri Montis-liscarii concedit eamdem ecclesiam Rainerio abbati S. Petri de Rota.

Anno 1101. mense novembri.

Ex archetypo tabularii Rosæ Senarum. n. 161.

Ad lib. XXIV. n. 4.

ANno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo primo mense novembri indictione decima. Ego quidem Rodulfus presbyter, & prior ecclesie sancti Petri de Montelisscario in Dei nomine do & concedo, & refutationem facio per hoc instrumentum manifestus & professus sum me videlicet .... disse & concessisse providi tibi Rainerio venerabili abbati monasterii sancti .... Ruota, quod est sub regimine Camaldolensis congregationis tuisque successoribus .... patronatum ecclesie, & dominium, & quicquid mihi pertinet de rebus jam dicte ecclesie de Montelisscario penitus promitto. Que jura omnia, ut supra legitur, ... in presenti do & concedo, & refutationem facio tibi prenominato Rainerio abbati tuisque successoribus ad honorem Dei & prefati monasterii in perpetuum ad habendum .... possidendum, & quicquid deinceps placuerit ad honorem Dei & predicti .... ut nullam litem, nullamque controversiam .... tuis successoribus prememorati....... .... concessi quolibet modo aliqua .... nominatus abbas vel tui successores sustineatis. Hec etiam ...... prelibata ab omni homine legitime defendere & auctorizzare tibi & tuis successoribus promitto. Sed si ego Rodulfus presbyter & prior, vel mei successores de hac re patronatus juris & actionis aliquo modo quolibet in tempore contra te aut contra tuos successores .. .. aut litigare presumpserimus, & omnia que prescripta sunt semper observare noluerimus, pene nomine triginta libras denariorum bonorum Lucensium tibi & tuis successoribus dare promittimus, ac deinceps hoc dationis & concessionis conscriptum instrumentum, ut supra legitur, semper incorruptum tenere spondeo.

Prenominatus Rodulfus presbyter & priore hoc instrumentum dationis & concessionis, & refutationis, ut superius legitur,

gitur, scribere rogavi intus fracta jam dicti Castri.

Beccus filius Saffi, & Rolandinus filius Gerardi, & Paganuccius filius Beritzelli rogati testes.

Ego quidem Rolandus judex & cancellarius hoc instrumentum, ut supra scriptum est, scripsi, complevi & dedi.

CXV.

Paganus presbyter & Gualfredus ejus nepos donant abbatiæ Vallis-castri ecclesiam S. Mariæ de Verzajo urbis Perusinæ.

Anno 1101. mense decembri.

Ex autographo chartarii S. Blasii de Fabriano.

Ad lib. XXIV. n. 3.

IN nomine Domini nostri Jhesu Christi ab incarnatione ejus sunt anni millesimi centesimi primi mense decembri indictione nona. Damus, tradimus, transferimus & contrafactamus & corporaliter investimus propria & spontanea nostra bona voluntate nos quidem in Dei nomine Paganus presbiter, & Gualfredus nepos de predicto Pagano in ecclesia sancti Salvatoris, ubi sanctus Romualdus nominatur, que est sita & edificata in comitatu Camarerinensi in valle Castrensis pro amore Dei & redemptione nostrorum peccatorum, & pro animabus nostrorum parentum. Idest quantumcumque nobis pertinet de una ecclesia cum omnibus rebus sibi pertinentibus, que est sita & edificata infra civitate Perusina in * po.... sancte Susanne, que nominatur sancta Maria in Verzajo, & fines ejus sunt hii, a duobus partibus est re de predicta ecclesia sancti Salvatoris, a tertio latere est re de Rambaldello, a quarto latere est re Johannis de Monacho, predicta par... de prefata ecclesia, que est infra predictas coherentias damus, tradimus, transferimus atque transfactamus, & corporaliter investimus nos predicti donatores in prefata ecclesia sancti Salvatoris, & sancti Romualdi, & in potestate Ugonis abbatis de predicta ecclesia, & in manu domni Petri, qui est prior de ipsa ecclesia sancte Marie, damus & tradimus cum ingressu & egressu sui viarum cum muris & tectis, & edificiis omnibus, & cum omnibus rebus sibi pertinentibus pro amore Dei & redemptione animarum nostrarum & nostrorum parentum, si ego predictus Paganus presbiter de hoc seculo modo migravero, & si ego supra vixero, habeant de dominium diebus vite mee, & hoc est sub interrogatione stipulantis & responsione promittentis, quod, si quod absit, & avertat divina potentia, contra hec, que superius leguntur, ire temptaverimus, aut corrumpere vel minuare voluerimus per nos aut per nostram sumissam vel summitentem personam, & omnia, que superius leguntur, nobis servaverimus, & non defensaverimus ab omnibus personis hominum omni tempore nos predicti donatores, & nostri heredes ad predictam ecclesiam sancti Salvatoris & sancti Romualdi, & vobis predictis domni Ugoni abbati, & domni Petri monachi vestrisque successoribus, sicut superius legitur, promittimus & obligamus nos una cum nostris heredibus dare & componere pene nomine de argento purissimo libras viginti vobis predictis Ugoni abbati & Petro monacho vestrisque successoribus, & post pene solutionem ista carta donationis, & cuncta, que in ea leguntur, firma permaneat omni tempore, sicut superius legitur.

** populo ; vel porta.*

† Signum manus Pagani presbiteri, & Gualfredi nepotis ejus, qui hanc cartam testamenti scribere rogaverunt.

† Signum manus Girardi presbiteri, & Ugonis presbiteri, & Baruncii presbiteri, & Rainerii presbiteri, & Teubaldi clerici recordatore.

Signa manus Johannis de P.,... Petro, & Baruncii de Azzoarsi, & Bno de Raino & Bertraimo de Dominico Stephani, & Bernardi fratres ejus, & Stantolo testes.

Ego Ildeprandus judex scripsi & complevi.

CXVI.

Monachi de Crucique commutant terras cum eremo Camaldulensi in castro de Celone pro hospitali S. Savini de Chio.

Anno 1102. mense martio.

Ex originali archivi Fontis-boni.

Ad lib. XXIV. n. 7.

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis millesimo centesimo secundo mense martii indictione nona. Constat nos Gregorio priore, & Gierardo & Tebaldo monahis de badia de Crucique, professum ex legie nostra vivere Romana, accepimus in presentia testium mo-

mobilem rem finitum meritum, ficut inter nos convenit da te Raimundo in vice ecclesia sancti Salvatoris eremo de Campo amabilis, qualiter per hanc cartam commutationis, & nostre convenientie pro integra una petia de tera juris nostri, que est in comitatu Artino infra plebe sancte Marie sitam Clio in avocabulo castro de Celone & est a Vignale, & est inter fines, de una pars occuri ei Celone, de alia tera Gerardini, de tertia occuri ei fosato, istam vero in integra ipsa petia de tera de nostra portione per jam dictos fines nos qui supra Gregorio, & Gierardo, atque Tebaldo vobis prefatam ecclesia ad ospitale sancti Savini in pauperes, & peregrinos inibi ad proprium investivimus, unde nobis vel nostris postsuccessoribus nullam reservavimus potestatem, nec vobis prefatam ecclesiam in ospitales) ad pauperes & peregrinos dedimus & commutavimus, & investituram & traditionem facimus, recepimus meritum, & cambio, sicut inter nos convenit, unde nullam nobis vel nostris postsuccessoribus reservavimus potestatem nec vobis prefatam ecclesia atque ospitales securi & quieti seu indennes exinde permaneatis, tam vos prefatam ecclesia ad ospites & peregrinos usque in finem seculi. Unde autem sup stipulatione spondimus, & promittimus, & obligamus nos nostros successoribus abatibus vel monahis tibi prefatam ecclesiam atque ospitales & peregrini, si vos de predicta tera vos alico tempore presumserimus molestare, tollere, intromittere vel in placitum fatigare ausi fuerimus, & si non defensaverimus, & a vobis ab omnibus hominibus omni tempore, tunc ibidem in propinquis & consimilibus locis, in duplum vobis spondimus, & restituere, & componere, & persolvere debeamus, sicut in tempore fuerit, vel aparuerit meliorata sub estimationem prefatam commutationem & traditionem in duplum. Unde ec carta commutationis, & traditio, & obligationis facta est & Raimundo notario scribere. Actum Aritio. Signo manus predicto datori, qui hanc cartam, & manuum suarum scribere rogaverunt. Signum manuum Johannis filii quondam Guinizi, & Johannis filii quondam Teuzi, & Petro filii quondam Gierardi, & Petro filii quondam Berte rogati testes, & suarum signo manuum scribere rogaverunt.

† Ego Raimundus notarius scripsi & complevi.

CXVII.

Donatus filius Ramberti comitis & ejus uxor Parenza vendunt monasterio de Luco suam portionem castrorum & ecclesiarum.

Anno 1102. mense martio.

Ex chartulario ejusdem monasterii. D. 57.

Ad lib. XXIV. n. 8.

IN nomine Domini. Anno ab incarnatione ejus centesimo secundo post mille mense martii indictione undecima feliciter. Manifesti sumus nos Donatus filius olim Remberti comitis, & Parenza filia Odoaldi comitis jugales, sed & ego Parenza secundum edicti Langobardorum tenorem interrogata sum a Ghiberto judice sacri palatii, si ego per alicujus hominis violentiam, aut ipsius viri mei, vel per meam bonam voluntatem hanc cartam fecissem, aut non. Quapropter ego manifesta dixi, quod per nullius hominis violentiam facio, sed per meam bonam voluntatem facio, & ipse vir meus mihi consensit, & commiatum dedit. Communiter nos predicti jugales per hanc cartulam vendimus ac tradimus ecclesie, & monasterio sancti Salvatoris sito Campo amabili, ubi nunc domnus Martinus vicarius presse videtur, stipulans vice ecclesie sancti Petri de Luco, videlicet integram quartam portionem de omnibus curtis, castellis, turribus, ecclesiis, casis, cassinis, terris, vineis, sortibus ac domnicatis, que fuerunt Landolfi, & Odoaldi, & mihi predicte Parenze venerunt in successionem ex parte predicti Landolfi & Odoaldi filii ejus, vel nobis per quodlibet ingenium pertinent a fluvio Arni usque ad Radicosam, videlicet quartam portionem de castello Luco, Cantamerulo, & de Riofrido, Riocornoclario ac castro & per alia loca & vocabula, ideo predictas res, castella, curtes, terras una cum omnibus juris, adjacentiis, pertinentiis, atque cum omnibus, que super se, & infra se habent, ubicumque per loca & vocabula de predictis rebus pertinentes esse inveniatur, concedimus ac vendimus. Et insuper omne jus & actionem, quam nobis de eadem quarta portione, vel alia ex parte eorundem Landolfi ac Odoaldi, uxorumque eorum pertinentem esse videtur, concedimus, & mandatum ac concessionem exigendi, & transigendi de eodem jure & actione predicte ecclesie facimus in integrum omnia, sicut superius

perius legitur, predicte ecclesie vendimus & tradimus ad possidendum. Pretium vero pro ipsa venditione nostra nobis dedit Albertus presbyter ejusdem ecclesie inter argentum, & alias mobilias pro valiente libras decem, unde nihil reddere debere diximus. Et quia fieri non credimus, si forsitan nos predicti jugales, vel nostri heredes, aut submissa persona, quam nos miserimus, vel cum quolibet nostro facto veniat per quodlibet ingenium, cui nos eas dedissemus, aut dederimus quoad predictam ecclesiam, vel ad ejus rectores in aliquod exinde contendere, aut retollere, vel minuere, aut intentionare presumpserimus, aut si eas nos parti predicte ecclesie ab omni persona defendere non potuerimus, & non defensaverimus, tunc dupla tanta, & talis sit jam dicta venditio nostra, & concessio, qualis tunc ipsa fuerit sub extimatione in consimilibus locis de nostris propriis rebus proprietario jure ad partem supradicte ecclesie restituere, ac persolvere debeamus, & liberam potestatem habeant rectores ejusdem ecclesie predictas res per istam cartulam agendi, causandi, vel faciendi exinde quid voluerint, & quod exinde fecerint, firmum ac stabile sit semper.

Actum in loco, qui vocatur Pinzano judiciaria Florentina & Fesulana.

Signa manuum jugalium, qui hanc cartam, sicut superius legitur, fieri rogaverunt.

Ego Ghibertus judex sacri palatii supradictam Parenzam interrogavi, & in hanc cartam scripsi.

Signa manuum ††† Rodulfi filii Ingonis, & Rainerii filii b. m. Ugonis, & Ugonis filii b. m. Guidonis rogatorum testium.

Ego Johannes notarius & scriptor post traditam complevi.

CXVIII.

Venditio altera facta eidem monasterio a Bernardo & Theuderico.

Anno 1102. mense octobri.

Ex eodem tabulario. G. num. 46.

IN Dei nomine Amen. Anno dominice incarnationis M. C. II. mense octobris indictione XI. feliciter. Nos quidem in Dei nomine Bernardus, & Theudoricus filii quondam comitis Ugonis, & Gemma filia ejus, ac jugalis quondam Ubaldi comitis, sed ego Gemma una per consensum atque licentiam ipsius viri mei, & cum interrogatione Beniamini judicis sacri palatii, a quo interrogata, & requisita secundum legem sum, & in cujus presentia ac testium infrascriptorum nullam violentiam me passam esse dico, sed per meam bonam voluntatem hoc facere. Similiter & nos suprascripti insimul per hanc venditionis cartulam vendimus, atque tradimus ecclesie & monasterio sancti Salvatoris sito Campo amabili, jure ecclesie, & monasterio sancti Petri de Luco, idest integram tertiam portionem, & integram medietatem, & si plus nobis pertinet de curte & castello, quod vocatur Luco cum ecclesia sancti Laurentii & sancti Nicolai, de curte & castello, quod vocatur Riofrigidum cum ecclesia sancte Marie super se habens, de curte & castello, quod vocatur Cantamerulo, de curte & castro, quod vocatur Riocornoclarius vel aliis, sicut Seve recurrit ad Radicosam. Similiter cum omnibus juribus adjacentiis eorum, & cum omnibus supra se, & infra se habitis seu habendis, & cum omni jure & actione, que nobis ex predicta medietate jam dicte tertie partis pertinentes esse inveniuntur. Exceptuamus & anteponimus, ac nobis reservamus servos & ancillas, quas & quos habemus infra predictis locis, & sunt omnes predicte res infra territorium plebium sancte Marie Fanie, & sancti Johannis majoris, & sancte Marie de colle Fenario, vel infra alias plebes, sicuti nobis in successionem, sive per scriptum, aut conquisitum, vel aliquo quocumque modo sunt pertinentes. Pretium vero pro predicta nostra venditione a Petro de Casavecchia vice prelibate ecclesie, & monasterii recepimus inter argentum, & alias mobilias pro valiente libras triginta bonorum denariorum Lucensium finito ac deliberato pretio tantum supleti sumus, unde ex eodem pretio amplius nobis non debetis, & si forsitan nos predicti jugales, & Theudoricus, vel nostri heredes, aut aliqua persona a nobis submissa, vel per factum, quod nos factum habeamus, aut in antea faciamus contra predictam ecclesiam, & monasterium, vel contra suos rectores agere, causare, tollere, contendere, intentionare, vel minuere presumpserimus, vel si ab omnibus hominibus utriusque sexus jam dictas res ad partem predicti monasterii non defensaverimus, tunc in duplum predictam nostram venditionem in predicta ecclesia, & monasterio jure pro-

prie-

prietatis induplamus. Et insuper nomine pene argenti optimi libras centum. Et liberam potestatem habeant rectores vel advocati predicti monasterii per predictam cartulam agendi, tenendi, causandi, & faciendi exinde vice prelibate ecclesie & monasterii quidquid voluerint ex nostra plenissima largitate; & que exinde feceritis, firmum ac stabile sit semper. Quam vero cartam venditionis, sicut supra legitur, a nobis supradictis venditoribus fieri, ac rogari ab Johanne notario procuratum est.

Actum apud castellum, quod vocatur Monscorboli judiciaria Florentina.

Signa manuum suprascriptorum jugalium ac Teudorici, que omnia, qualiter superius legitur, fieri rogaverunt, ac ipse predictus Bernardus predicte conjugi sue consensit, ut supra.

Ego Beniamin judex sacri palatii, quia predictam mulierem interrogavi, ideo me subscripsi.

Signa manuum †††† Rodulphini filii Ugonis, & Ugonis filii Guidonis, & Ugonis filii Raginucci de Tiniano, ac Ugolini filii Ramgiberti de Lizano, ac Minutoli filii Baroni rogatorum testium.

Ego Johannes notarius huic cartule post traditionem imposui complementum.

CXIX.

Traditio monasterii S. Cassiani in Carisio Martino priori Camaldulensi ad reformandum.

Anno 1102. VII. id. decembris.

Ex autographo archivi S. Pontiani de Luca.

Ad lib. XXIV. n. 6.

IN nomine Jesu Christi miseratoris & pii. Recordationis breve pro moderno & futuro tempore securitatis & firmitatis ad memoriam habendum & retinendum, qualiter infra claustra & ecclesiam sancti Cassiani in loco, ubi dicitur Carisicio, & in presentia illorum hominum, quorum nomina subtus leguntur. Quoniam fragiles circumdati humanitate, sic oportet de presentis vite statu cogitare, quem constat esse transitorium, quatenus non postponant eterna, in quibus post hobitum habituri sunt tabernacula. Igitur opere pretium est, & satis utile &c. cogitare de ecclesia & alodia beatorum martirum Ipoliti & Casiani..... dare que penitus videbatur esse deserta, & .... usque modo, aut culpa patronorum, aut culpa ejusdem loci familie, vel utriusque, quapropter justum & equum nobis comparuit, ut ad opus & honorem Dei omnipotentis, qui dispersa congregat, & congregata conservat, une eademque religiose persone daretur potestas, per quam suprascripta abbatia dirigeretur, & directa a modo permansisset. Id circo nos quidem Rainerius filius quondam item Rainerii, & Gualfredus filius quondam item Gualfredi, & Berta relicta quondam Widonis, & filia quondam Jerardi, consentiente mihi Rolando...... in cujus mundio esse visa sum, & Adalasia relicta quondam Ildebrandi, & filia quondam Lamberti, & Ranuccius filius meus pro animarum nostrarum & nostrorum parentum remedio per librum & stolam, sicut melius possumus, investiendo donamus, tradimus, atque concedimus tibi domno Martino priori, & abbati Camaldulensium fratrum, adstantibus secum Eriberto abbate, & Johanne priore de Morrona, & domno Ugone erudito monacho, & Raimundo abbate ejusdem loci sancti Cassiani, & domno Leone presbytero misso domni Anselmi abbatis de Ficiclo, videlicet suprascritam abbatiam & monasterium sancti Cassiani cum omnibus terris mobilibus & immobilibus ad eam, eumve pertinentibus, juste & regulariter juxta morem beati Benedicti abbatis, & faciendum exinde quicquid.. .... fuerit, tu & tui successores at opus & honorem Dei omnipotentis, & sancte Marie & sancti Michaelis archangeli, & sancti Stephani, & sancti Nicholai, & beatorum martyrum Ypoliti & Casiani, & aliorum Sanctorum, qui ibidem consecrati sunt, absque omni nostra nostrorumque heredum contradictione, salvo honore patronorum, scilicet ut simus huc ad mittendum abbatem temporaliter, sicut esse volue... Ita tamen ut semper sit capitalis abbadia .... regimine suprascripti Martini abbatis ejusque successorum Camaldulensium in perpetuum. Et sic ...... omnes malos usus, ... immobiles sancti Casiani, quos usque modo, & consensus habemus super sacrum altare, & ..... udiose, neque tollemus, neque contendemus amplius suprascriptas res. Et si evenerit, quod futurum esse non credimus, emendabimus infra tres continuos menses, postquam .. inquesitum fuerit per bonam fidem sub pena centum librarum argenti optimi, per quamque personam nostrorum suprascriptorum. Set ad utores vobis erimus suprascriptas res, quasque

que modo habetis vel in antea acquisieritis ad recuperandum per bonam fidem ..... nos invitaveritis, vel invitare facietis, recto usu nostrorum castrorum, videlicet in vigiliis noctium in vita habitantium illarum nostrarum temporaliter. Sed ego suprascripta Berta non refuto omnes contensas, sed omnes oblatas per omnes homines meos a diebus abbatis Juventii in antea. Hoc factum est in presentia Lamberti, & Guidonis & Ugonis germani quondam Tegrimi, & Sigheri filii Ildebrandi, & Saraceni quondam Jerardi, & Rodulfi quondam Alberti, & Pagani filii Saraceni, & Tegrimi quondam item Tegrimi, & Ranucci quondam Ferardi, & Ugonis quondam Ranucci, & Prustici quondam Ugonis, & aliorum multorum. Millesimo centesimo secundo anno incarnationis Dominice septimo idus decembris in festivitate sancti Ambrosii archiepiscopi indictione decima, in loco Cariscio infra claustra & ecclesiam sancti Casiani.

Ego Rolandus interfui & subscripsi.

Ego Rozo notarius interfui & ss.

Ego Sigismundus notarius domni regis ibidem fui, & hoc breve fideliter denotavi.

Ego Bernardinus autenticum illud vidi & legi, unde hoc exemplar factum est, & hic super scripsi.

Ego Bernardus filius quondam.... autenticum illud vidi & legi, unde hoc exemplar factum est, & hic ss.

Ego Sigismundus Dei gratia notarius domni regis autenticum illud vidi, & legi ac scripsi, unde hoc exemplar factum est, & hic ss. litteris plus minusve.

CXX.

Alia abbatiæ Triviensis eidem Martino Camaldulensi priori.

Anno 1103. mense junio.

Ex autographo archivi S. Nicolai Burgi S. Sepulcri.

Adlib. XXIV. n. 9.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo tertio regnante Henrico rege in Italico regno & donno venerabili papa Pascasio residente in apostolica sagratissima beati Petri Apostoli sede mense junius indictione undecima feliciter. Quoniam Georgius & Candolfus aliique viri domus unice superna inspirante clementia ecclesiam ad onorem Dei omnipotentis & beate Marie perpetue virginis juxta montem Cornarium dedicatam propriis rebus ob hoc large ditaverint, ut regulare esset monasterium, & omni tempore spiritales in eo viri pro remedio suorum facinorum suorumque filiorum & heredum cunctorumque fidelium Deo omnipotenti regulariter deserviret, nostro autem in tempore nonnisi spiritaliter, sed omni modo carnaliter cunctos illic vivere, nullamque rectitudinis normam habere animas vertentes, spiritualium virorum consilio instructi spiritales in eo viros habitare optamus, ut eorum orationibus ceterisque bonis operibus adjuti peccatorum nostrorum indulgentiam mereamur accipere. Ideo igitur nos Rigo & Ubaldus germani filii quondam Rustici, & Candulfinus & Guillelminus germani filii quondam Manfredi & Manfredus.... filii quondam Candolfi & Ugo filius quondam Ragineri cum consensu ceterorum patronum concedimus & largimur tibi donno Martino priori eremi Campi amabilis tuisque posteris successoribus regulariter & spiritaliter ordinandis liberam potestatem ordinationis & regiminis totius juris illarum partium, que nobis pertinent quocumque jure vel titulo in monasterio sancte Marie in Trivio dedicati juxta montem Cornarium, scilicet regulariter eligendi & ordinandi & si aliquando necesse fuerit, extraendi abbates, priores, monachos atque conversos, nec non etiam largimur & concedimus liberam potestatem omnium famulorum omniumque subjectorum seu & omnium rerum mobilium & immobilium seseque moventium eidem monasterio, que nunc habet, vel in perpetuum habiturum est. Ita tamen ut per hanc concessionem ecclesia Aritina vel alia aliqua persona nullum jus nec potestatem ulla occasione in prescripto monasterio, vel in rebus ejus habeat, nisi vos tantumodo priores jam dicte heremi regulariter ordinati atque degentes, vel quos vos vestrique successores in eo ordinaveritis, & ut nullum jus a Romana ecclesia, nec ab alia persona de predicto monasterio, aut de rebus ejus accipiatis, nisi ad utilitatem prefati monasterii ad exemplum antiquorum preceptorum. Et quod avertat divina potentia, si venerit, ut aliquis subripiat locum regiminis supradicte heremi contra regulam beati Benedicti, abbas cum fratribus hujus monasterii in suo permaneat statu, quousque heremus reconcilietur in regularem priorem, & facta reconciliatione mox revertatur in po-

poteſtatem ejuſdem prioris. Et ſi forte acciderit, ut heremus patiatur a malignis hominibus & regulari priori placuerit, maneat in predicto cenobio quomodo & quantum voluerit. Inſuper hec omnia refutamus vobis omne jus, excepto jure patronatus, & omnes res predicti monaſterii & omnes commendationes & omnes malos uſus, quos nunc uſque habebamus aud faciebamus in rebus monaſterii. Et ſi aliqua lis apparuerit dubia ex predictis rebus, in precepto prioris & in laudem ſapientis judicis vel alicujus viri ſapientis Deumque timentis communi conſilio recepti ea finiemus. Et promittimus per bonam fidem, quod adjutores erimus omni tempore nos noſtrique filii & heredes vobis donno Martino & tuis poſteris ſucceſſoribus ad retinendum prenominatum monaſterium cum omnibus rebus ejus, que modo ei pertinent, vel in antea juſte adquiſierit contra omnes homines. Et promittimus & obligamus nos noſtroſque filios & heredes vobis donno Martino tuiſque ſucceſſoribus, que omnia, ſicut ſupra legitur, obſervabimus & predictas res monaſterii non tollemus, neque contendemus, neque ipſum monaſterium, neque per nos aut per aliquam ſummiſſam perſonam a nobis vel ſummittendam. Et ſi evenerit ut aliquid damnum fecerimus, ſi inquiſitum fuerit, per caput emendabimus infra triginta dierum ſpatium. Et abbates a vobis veſtriſque ſucceſſoribus regulariter electos atque ordinatos in hoc monaſterio nos prenominati patronos noſtrique filii & heredes laudabimus & recipiemus atque retinebimus in abbates. Et ſi aliquis ex nobis ſe ſubtraxerit quandocumque electio facienda eſt atque abbatis ordinatio, nil obſtet ordinationi monaſterii, ſed firma & ſtabilis permaneat. Et quod abſit & avertat divina potentia, ſi nos ſupraſcripti patrones vel quicumque ex noſtris filiis, vel heredibus omnia, qualiter ſuperius legitur, non obſervaverimus & non adimpleverimus, promittimus & componemus vobis quiſque pene optimi auri libras quatuor, & poſt penam ſolutam hec conceſſionis & largitionis cartula in ſuo robore permaneat.

Acta ante porte ſupraſcripte eccleſie intus in clauſtro.

Signa manuum ſupraſcriptorum Rigonis & Ubaldi germani & Manfridi & Candulfini, & Guilelmini germani, & Ugonis per hanc cartulam conceſſionis & largitionis, ſicut ſuperius legitur, fieri rogaverunt.

Signa manuum Johannis caſtaldii filii quondam Niri, & Petri filii quondam Guidonis, & Teutionis filii quondam Farolfi, & Gerardi filii quondam Urſonis, & Teutionis filii quondam Petri rogati teſtes, & manibus eorum ſcribere rogaverunt.

Ego Ildebrandus notarius ſcripſit & complevit.

CXXI.

Petrus vicecomes filius Siceri offert terras monaſterio S. Michaelis in Burgo Piſarum pro hoſpitali de Rivolta.

Anno 1103. pridie nonas julii.

Ex tabulario ejuſdem monaſterii.

Ibidem.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus milleſimo centeſimo quarto pridie nonas julii indictione undecima. Manifeſtus ſum ego Petrus vicecomes filius quondam Siceri, quia per hanc cartulam pro remedio anime mee offero omnipotenti Deo, & eccleſie, & monaſterio ſancti Michaelis de fore porta meas partes integras unius petie de terra, que eſt ſedio & orto poſita in loco, ubi dicitur campo ſancti Donati, tenet unum caput in via publica, aliut in terra Sicheri germani mei, latus unum tenet in terra ſupraſcripte eccleſie & monaſterio, aliut in claſſo. De hac ſupraſcripta petia de terra, qualiter ab omni parte circumdata eſt per deſignata loca, competit exinde mihi tres portiones, ipſas vero meas partes integras cum inferioribus & ſuperioribus ſuis, ſeu cum finibus & ingreſſibus ſuis omnipotenti Deo, & jam dicte eccleſie offerre videor tali ordine, quod ab hac ora in antea ſit proprium ſupraſcripte eccleſie ad uſum & comodo hoſpitalis ejuſdem eccleſie, quod eſt fundato & edificato in loco, ubi dicitur a la Rivolta. Et ſi aliquo tempore ego, vel meus heres iſtas meas partes de ſupraſcripta petia de terra egerimus, aut cauſaverimus, aut ſi meum datum, vel factum ex eis apparuerit contra ſupraſcriptam eccleſiam, & eas ab omni homine ad partem ejuſdem eccleſie, ejuſque rectoribus legaliter defendere non potuerimus, & non defenſaverimus, ſpondeo ego, qui ſupra, Petrus una cum meis heredibus componere ad partem ſupraſcripte eccleſie, ejuſque rectoribus ſupraſcriptam rem in duplum, & in-

& insuper penam argenti optimi libras centum, & in tali ordine hec scribere rogavi Ugonem notarium apostolice sedis. Actum infra claustra suprascripte ecclesie sancti Michaelis.

Signum manus suprascripti Petri, qui hanc cartulam offertionis rogavit fieri.

Signa manuum Ugonis quondam Leonis, & Raimundi quondam Gerardi, & Guidonis quondam Uberti, & Neri quondam Petri testium.

Ego Ugo notarius apostolice sedis post traditam complevi, & dedi.

Ista cartula facta est eo tenore, si ego, qui supra, Petrus habuero legitimum filium masculum, & venerit ad legitimam etatem, hec cartula redeat in potestate sua, & si legitimum filium masculum, qui ad legitimam etatem veniat, non habuero, habeat eam suprascripta ecclesia, ut supra dictum est.

Ibidem.

CXXII.

Rainerius comes, & ejus uxor Gasdia offerunt parthenoni S. Petri de Luco suum jus in ecclesias, castra, &c.

Anno 1104. mense februario.

Ex tabulario ejusdem parthenonis.

Ad lib. XXIV. n. 13.

IN nomine Domini eterni. Anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo quarto mense februario indictione XI. feliciter, Christo auctore. Nos quidem Rainerius comes filius quondam Ardinghi comitis, & Gasdia jugalis filia quondam Landolfi comitis. Sed ego quidem Gasdia secundum edicti Langobardorum tenorem interrogata sum per Ubertum judicem domini imperatoris, ut si ego per alicujus hominis virtutem, aut de ipso viro meo, vel per meam bonam voluntatem hanc cartam fecissem. Quapropter ego manifesta dixi, quod per nullius hominis virtutem, aut de ipso viro meo non facio, sed per meam bonam voluntatem facio, & ipse vir meus mihi consensit & commiatum dedit, unde per hanc cartulam offertionis a presenti die dare, & tradere, & offerre, seu confirmare providimus monasterio, & ecclesie sancti Salvatoris de Campo amabili, vice monasterii sancti Petri de Luco pro Dei timore, & pro remedio anime nostre, & de genitore nostro & genitrice nostra, & parentum nostrorum; idest integram nostram portionem de integris curtis, castellis, turris, & ecclesiis, casis, cascinis, vineis ac domnicatis cum omnibus juribus & actionibus nobis quoquomodo pertinentibus, vel que pertinere debent successorio jure, sive ex parte patris sive matris, seu fratrum sororumque omnia & in omnibus, ubi inventa sunt vel essent infra comitatum Florentinum ac Muxellanum, scilicet omnes res, que sunt posite in civitate Florentie, curtemque & castrum, quod vocatur Riofridum, curtem & castellum, quod vocatur Cantamerulus, curtem & castellum, qnod vocatur Lucum; & curtem de Larciano, & omnia, que habemus in partibus Mucelli, donamus silicet nostram portionem de prenominatis curtis, castellis, turris, ecclesiis, casis, cascinis, terris atque vineis, sortibus ac domnicatis, urbanis & suburbanis. Predicta igitur jura & actiones cum omnibus adjacentiis & pertinentiis, & accessionibus, & usibus eorum cum omnibus suorum edificiis supra se & infra se habentibus predicte ecclesie jam dictas terras & res, jura & actiones dictas dare, tradere, offerre, seu confirmare previdimus, ut omni tempore predicte res in perpetuum dicte ecclesie permaneant semper. Que omnia dedimus atque offerimus in manu domni Aczonis monachi vice predicte ecclesie sancti Petri, & domni Martini prioris. Et quia fieri non credimus, si forsitan nos jugales, vel nostri heredes, aut submissa persona, quam nos miserimus cum quolibet nostro facto veniat per quodlibet ingenium, cui nos eas dedissemus aut dederimus, quoad partem predicte ecclesie in aliquid exinde contendere, retollere, minuere aut intentionare presumpserimus, aut si eas ad partem predicte ecclesie ab omnibus hominibus utriusque sexus majoris vel minoris defendere non potuerimus & non defensaverimus, tunc dupla tanta & talis jam dicta donatio de dictis rebus sit, qualis ibi ipsa fuerit sub extimatione in consimilibus locis, & de propriis rebus proprietario jure ad partem predicte ecclesie restituere ac persolvere debeamus. Et si opportunum fuerit ad partem ejusdem ecclesie una cum ista cartula exinde agendum, finem ponendum, responsum reddendum, & usque ad veram legem perducendum, quam melius potuerint, licentiam & potestatem habeant custodes dicte ecclesie, sicut & nos facere debemus.

Actum in castro de Luco.

Signa †† manuum jugalium Rainerii & Gasdie, qui omnes hanc cartulam offertio-

tionis, ficuti fupra legitur, fieri rogaverunt.

Ego Ubertus judex interrogavi Gasdiam, & per fcriptum confenfit, ideoque fubfcripfi.

Signa ††† manuum Petri Enrici, & Guidonis, & Ugonis Brunelli filii rogatorum teftium.

Ego Ildebrandus notarius fcripfi & complementum dedi.

CXXIII.

Petrus comes renuntiat Martino priori Camaldulenfi jus fuum in abbatiam Trivienfem.

Anno 1104. pridie kl. aprilis.

Ex autographo monafterii S. Nicolai Burgi S. Sepulcri.

Ad lib. XXIV. n. 12.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus millefimo centefimo quarto prefidente domino venerabili papa Pafchali in apoftolica facratiffima beati Petri apoftoli fede pridie kalendas aprilis indictione duodecima feliciter. Ego Petrus comes filius quondam Lamberti comitis pro remedio anime mee parentumque meorum, & heredum concedo & largior tibi donno Martino priori heremi Campi amabilis, tuifque poft .... fucceffforibus regulariter & fpiritaliter ordinandi liberam poteftatem ordinationis & regiminis totius juris illius partis, que mihi pertinet quocumque jure & titulo in monafterio fancte Marie de Trivio dedicato juxta montem Cornarium, fcilicet regulariter eligendi & ordinandi, & fi aliquando neceffe fuerit extraendi abbates, priores, monachos atque converfos, nec non etiam largior & concedo liberam poteftatem omnium famulorum omniumque fubjectorum feu & omnium rerum mobilium & inmobilium fefeque moventium ejufdem monafterii, que nunc abet, aut in perpetuum habere debet. Ita tamen ut per hanc conceffionem & largitionem ecclefia Aritina vel aliqua perfona nullum jus, nec poteftatem ulla occafione in prefcripto monafterio vel in rebus ejus habeat, nifi vero tantumodo priores jam dicte heremi regulariter ordinati atque degentes vel quos vos veftrique fucceffores in eo ordinaveritis. Et ut nullum jus a Romana ecclefia, aut ab alia perfona de predicto monafterio, aut de rebus ejus accipiatis, nifi ad utilitatem prefati monafterii ad exemplum antiquorum preceptorum. Et quod avertat divina potentia, fi evenerit, ut aliquis fubripiat locum regiminis fupradicte heremi contra regulam fancti Benedicti, abbas cum confratribus hujus monafterii in fuo permaneat ftatu, quoufque heremus reconcilietur in regularem priorem, & facta reconciliatione, mox revertatur in poteftatem ejufdem prioris. Et fi forte acciderit, ut heremus patiatur adverfa a malignis hominibus, & regulari priori placuerit, maneat in predicto cenobio quomodo & quantum voluerit. Et fuper hec omnia refuto vobis omne jus, excepto jure patronatus, & omnes res predicti monafterii, & omnes commendationes & omnes malos ufus, quos nunc ufque abebam aut faciebam in rebus monafterii, & fi aliqualis apparuerit dubia ex predictis rebus, in precepto prioris & in laudem fapientis judicis & alicujus viri prudentis Deumque timentis communi confilio ex utraque parte recepti finiatur. Et promitto per bonam fidem, quod adjutores effemus vobis omni tempore ego meique filii & heredes ad retinendum prenominatum monafterium cum omnibus rebus ejus, que modo ei pertinent, vel in antea jufte acquifierit contra omnes homines. Et promitto & obbligo me, meofque filios & heredes vobis donno Martino priori tuifque pofteris fucceffforibus, quod omnia, ficut fupra legitur, obfervabimus, & predictum monafterium, neque res ejus mobiles vel inmobiles non tollemus vobis, neque contendemus per nos, aut per aliquam perfonam a nobis fummiffam vel fummittendam. Et fi evenerit, ut aliquod damnum fecerimus, fi inquifitum fuerit, per caput emendabimus infra triginta dierum fpatium. Et abbates a vobis veftrifque fucceffforibus regulariter electos atque ordinatos in hoc monafterio ego quidem Petrus comes meique filii & heredes laudabimus, recipiemus atque retinebimus in abbates. Et fi aliquis ex fe fubtraxerit, quandocumque electio, aud abbatis ordinatio facienda eft, nil obftet ordinationi monafterii, fed firma & ftabilis permaneat, quod abfit divina potentia, fi ego quidem Petrus vel quicumque ex meis filiis & heredibus omnia, qualiter fuperius legitur, non obfervaverimus, & non adimpleverimus, promittimus & componemus vobis optimi auri libras quatuor. Et poft penam folutam hec conceffionis & largitionis cartula in fuo robore permaneat.

Actam Aritio juxta jugum alpis de Balneo

Balneo ſubtus eccleſiam ſancte Crucis.

Signum † ſupradicti Petri comitis, qui hanc conceſſionis & largitionis cartulam, ſicut ſuperius legitur, fieri rogavit.

Signa ††† manuum Ildibrandi comitis filii quondam Petri comitis, & Rolandi filii quondam Guilelmi, & Litifredi filii quondam Johannis, & Ildibrandi filii quondam Ugonis, & Ugonis filii olim Rodulfi rogati teſtes.

Ego Ildebrandus notarius ſcripſi & complevi.

CXXIV.

Leo abbas S. Adalberti in Pereo tradit duas uncias principales terræ Imizæ abbatiſſæ S. Georgii in Aula urbis Ravennæ.

Anno 1104. XXIII. aprilis.

Ex archetypo tabularii archiepiſcopii Ravennatis. I. 4159.

Ad lib. XXIV. n. 64.

IN nomine Domini. Anno ab incarnatione Domini milleſimo centeſimo quarto anno vigeſimo primo Henrici imperatoris die xx quarta menſis aprilis indictione duodecima, camare abbatis monaſterii ſancti Adalberti martiris Chriſti, quod eſt fundatum in inſula, que vocatur Pereus. In preſentia de me Petro tabellione civitatis Ravenne indiena, & iſtorum monachorum, qui hic ſcripti ſunt, & teſtium, qui hic ſimiliter nominati ſunt. Donnus Leo gratia Dei abbas jamdicti monaſterii ſancti Adalberti accepit cartam pacti, quam detinebat a monaſterio ſancti Georgii, quod eſt fundatum foris civitatis Ravenne in loco qui dicitur Aula, miſit in manum Imize abbatiſſe jamdicti monaſterii ſancti Georgii dicens, per hoc inſtrumentum pacti refuto & reſtituo tibi Imize abbatiſſe preſenti die & per te tuo monaſterio & collegio veſtro monacharum preſenti & futuro, ſcilicet duas uncias principales terre, que ſunt ſcripte in hac carta pacti ..... habeas, teneas & poſſideas, eas uncias vindices atque defendas cum tuis ſucceſſoribus & collegio veſtri monaſterii predicti & futuro in perpetuum. Tunc jamdicta Imiza abbatiſſa ita accepit predictam cartam pacti, que expleta erat in perſona domni Leoni abbatis rogavit nos omnes hujus rei eſſe teſtes .... Poſt hanc refutationem donnus abbas Leo apprendit Rolandum monachum filium Ugonis de Petro de Balduino per manum miſit eum in manum jamdicte Imize abbatiſſe dicens ei, Rogo & mando te, ut in mea vice inveſtias & tradas predictas uncias terre jamdicte Imize aut ſuo nuncio, & in poſſeſſionem eam mitte. Hoc factum eſt ſub die menſeque & indictione ſupradicta duodecima, camara abbatis jamdicti monaſterii ſancti Adelberti.

† Ego domnus Leo abbas hanc refutationem feci ante donna Imiza abbatiſſa & firmiter ſubſcripſi.

† Ego frater Guifredus monachus atque prior ſubſcripſi & firmavi.

† Ego frater Paulus monachus in ac refutatione conſenſi & ss.

† Ego frater Johannes monachus conſenſi & ss.

† Ego frater Albertus monachus conſenſi & ss.

† Ego frater Ambroſius monachus conſenſi & ss.

† Ego Orlandus monachus levita conſenſi & ss.

† Ego Rainerius levita & monachus ss.

Signum ††† manuum Guilielmi .... Adelberti, & Petri de Candita & Fuſcardus.

Notitia teſtium, ideſt Wilielmus .... Petrus, Fuſcardus.

CXXV.

Charta donationis terrarum, quam fecerunt Petro abbati S. Victoris de Cluſis Paganus Actonis & Giſla ejus uxor.

Anno 1104. menſe majo.

Ex autographo archivi S. Blaſii de Fabriano.

Ad lib. XXIV. n. 15.

IN nomine Domini. Ab incarnacione Domini noſtri Jeſu Chriſti ſunt anni Domini milleſimo centeſimo quarto & regnante manno Enrigo noſtro imperator, & die menſe madius per indictione IIX. Ideoquem ego Pagano filius Acto & Giſla muliere ſua per conſenſum viro ſuo ambo inſimul communiter propria noſtra & ſpontanea voluntate, & ſecundum noſtra lege Langobardorum damus & tradimus & vindimus aliquit de terra, que nobis pertinet at ipſo monaſterio ſanctu Victore, quod eſt edificatu in fundo Victoriano tibi donus Petrus vir venerabilis abbas ipſius monaſterio tuiſque ſucceſſoribus in ſervo ſervorum

vorum Dei in perpetuum possidendum, quot est ipsa terra posita infra comitato Camerinu territorio Castellano, & in locu, qui dicitur in fundo da Re, qui Pleze vocatus, a primo latere terra de Gozo, & de Johannis filius Boni, secundo latere terra ipsius monasterio, tertio latere terra de Petrus Vultrino, quarto latere ipsius monasterio sanctu Victore, infra isti lateribus damus ego Pagano at ipso monasterio de mea pertinencia staria opto, & Albrico, & Actulino filius de Ugo damus de nostra pertinencia & de nostra porcione pro justa mensura staria duo cum omnia que infra se abentes vel super jacentes in integram abeatis licentia tu suprascripto abbas ac tuis successoribus in ipsa terra ibidem introire & investire, tenere, possidere, & faciendi de ipsa terra omnia quitquit volueris sine omnis calumnia, & recepimus nos vinditori cum nostris eredibus tantum pretium de Gozo monachus ipsius monasterio, quot inter nobis bene complacuit. Insuper promittimus & obligavimus nos vinditori cum nostris heredibus. Quot si contra ista cartula causare, contendere voluerimus vel removere, aut exminuare, & si da omnes omines da omnemque partibus defendere & auctoriare non voluerimus ipsa terra, sicut lege est, promittimus dare & componere in optimo ariento libras unam at ipsius monasterio, & post pena data & opsoluta ista cartula sit firma ac stabile permaneat, sicut superius legitur.

Sinu manu de Pagano de Gozo, & Albrico & Acto, qui ista cartula fieri rogavimus.

Sinu manu de Petrus Bonatti, & Murico de Bonatti testes.

Acto filius Martino testu.

Alberto judice & notarius, qui scripsi, complevi.

CXXVI.

Bernardinus filius Sidoniæ testamento relinquit, ut ex bonis suis erigatur & dotetur monasterium juxta ecclesiam de Popano sub jure eremi Camaldulensis.

Anno 1104. mense septembri.

Ex autographo chartarii Fontis-boni. §. Testamentum. n. 2.

Ad lib. XXIV. n. 10.

IN nomine Domini nostri Jhesu Christi. Anno ab incarnationis ejus millesimo centesimo quarto indictione duodecima mense septembri, regnante Enrico feliciter. Quia dispositione divine voluntatis ratione subnixam vim testamenti abere leges confirmant, ideo dispositionem Bernardini filius Sidonie, & Bernardi filius quondam Rainerii de Galbino n.. scripta transire minime pati voluit. Qui dum in infirmitatis lecto decumberet, cum Imildina conjuge sua ambo simul pro salute anime eorum decreverunt relinquere superfluas depredationes & rapinas, quas villici sui & ministri faciebant ex frumento aliisque rebus ex bonis ecclesiarum & pauperum hominum sue potestatis, similiterque concesserunt & tradederunt Deo omnipotenti omnia bona sua, & ordinaverunt ordine subtus scripto die septimo ingrediente mense septembris feria quarta in manibus presbiteri Johannis de Anglari disposuit, ut ecclesia sita in Popani cum concambiis a monasteriis & a patronibus, a quibus detinebatur, libera efficeretur, & ut corpus suum ibidem humatum jaceret, uxorque sua cum omnibus rebus, eorumque ordine monastico omni tempore vite sue maneret sub dominio & regimine Camaldulensis heremi, simili modo tradiderit ac concesserit pro salute anime eorum ac parentum suorum libertate omnibus servis suis & ancillis, & masnadam suam de Anglari de tenimentis, que ab eis detinebant jure proprietatis, concesserunt etiam partem ea conditione, ut nec alienarent nec darent alteri parti, & si dederint, reddeant jure & proprietate illi ecclesie, que suprascripta sua bona habebit, & ut eidem ecclesie & eorum domine donec vixerint ipsi & eorum heredes in perpetuum sint fideles, ut erant sibi, quod sic fieri hii, qui presentes erant pro seipsis & aliis, qui absentes erant, in manibus presbyteri Johannis libro tacto suo sacramento firmaverunt. Guinddo dedit proprietatem quicquit pro feudo detinebat ab eo sub eadem conditione, quam tertiam partem masnaderiis de Anglari reliquerat excepto campo de Cloto, & mansum de celle Vernia, quod est Ranuccini de Castello. Sexta feria ejusdem hedomade advenientibus domno Gregorio & domno Azzone monachis Camaldulensis heremi confessionem fecit cum eis ex omnibus peccatis suis, que fecit a batismate usque in illam horam, recepitque remissionem & absolutionem omnium peccatorum suorum. Et quia providit rebus suis talem heredem relinquere non posse Dominum Deum Celi & sanctam ecclesiam omnium bonorum suorum una

cum

cum conjuge sua Imildina eodem viro suo consentiente & confirmante, pro salute anime sue suorumque parentum constituit, & investituram, cessionem, delegationem, mandationem atque perpetualem transactionem, & corporalem traditionem in manibus predictorum monachorum, & ejusdem presbyteri Johannis de Anglari fecerunt omnium bonorum suorum in presentia Aldibrandini filii Rolandi, & Guineldi filii Rodalni de Celle, & Bennoli filii Raineri Barunci, & Alberici filii Saraceni & Baruncelli filii Baronis de Anglari, & aliorum bonorum hominum & sacerdotum, scilicet presbyteri Petri filii Petri Ardradi, & presbyteri Ardengi de Fratiana sub testimonio de suprascriptis personis fecerunt predictum, & concessionem & juditium sub tali pacto & conditione, ut monasterium in ecclesia de Popani facerent, si a patronibus illius ecclesie cum concambiis habere possint absolute atque libere, sin autem in arbitrio Martini prioris Camaldulensis, & Gregorii episcopi Clusini, & Henrici prepositi Aretini reliquid, ut provideant aput sue proprietatis locum ad monasterium dedicandum, & monachos ibidem ad Deum serviendum secundum regulam sancti Benedicti omni tempore sub protectione & regimine supradicti Camaldulensis heremi constituat, & omnia bona mobilia, castra, villas, ecclesias, terras, vineas, silvas, pascua, molendinos, & aquimola, domos & casas, homines & hominagia, & omnia jura, & pertinentia supradictorum jugalium, scilicet Bernardini & Imildine illi monasterio permittant. Et si provisum fuerit sororibus propinquis, aut si fidelibus aliquid de supradictis rebus tribui, excepto jure proprietario, potestati ipsorum pono, quibus monasterii regimen, & ordinationem relinco; ut hii, qui ex supradictis rebus datione & voluntate eorum aliquid acceperit juxta interpositas ab eis pactiones, omni tempore Deo & fratribus, in qua dicto monasterio commorantibus deserviant.

Actum in castello de Monte aureo in presentia & testimonio de suprascriptis personis indictione suprascripta.

Ego Ugo judex & notarius ad omnia suprascripta interfui, & sicut vidi & audivi de mandato supradictorum jugalium ss. & complevi.

CXXVII.

Rainerius marchio & Trota uxor ejus renuntiant Martino priori Camaldulensi, quicquid juris habebant in bona ejusdem Bernardini.

Anno 1104.

Ex autographo ejusdem archivi. § Recordationes, n. 14.

Breve recordationis de investitura, quam fecit Rainerius marchio cum uxore sua Trota in manibus donni Martini prioris & donni Gregorii in presentia bonorum hominum, quorum nomina subtus scripta sunt, scilicet Bernardi de la Frata, Gerardi de Monte alto, Raimundi de Gulso, Guinildi de Celle, Widonis filii Guidonis de Gerardo, Albertini de sancto Antimo, Raineri judicis vallis de Ponte, Widonis judicis de Montone, Saxonis judicis Florentini, Ildebrandi filii Vicedomini, Ubertini de Capsa, Rodulfini Bennoli, Ugonis de Baldo investivit predictus marchio cum uxore sua Trota per se & per filios & heredes suos donnum Martinum Camaldolensem priorem, & donnum Gregorium de omnibus rebus, quas Bernardinus filius Sidonie habuit & tenuit octo diebus ante diem mortis sue, & omne eorum jus, quod in his bonis habebant, illis tradidit, & quicquid exinde poterant agere vel causare vel aliquam petitionem facere, refutante remisit, perdonavit, & transegit. Et si aliquo tempore voluerint suprascripti refutantes per se aut per aliquos pro se agere, causare vel molestare per placitum aut sine placito fatigare, excepta albergaria de la Silva, & curte de la Rocca de Vezano, & si ab hac fine, & transactione, & refutatione voluerint recedere, & si aliquis voluerit priorem Camaldolensem vel monachos Anglarenses molestare ex ipsis rebus, vel aliquam invasionem inferre, excepto contra papam vel regem, ita eas defendemus, & si ablatas fuerint, ita recatare juvabimus, ut nostras proprias res. Et si aliquo tempore contra suprascripta ire temptaverimus, & eos non defensaverimus ab omnibus personis nos & nostri heredes, & priorem Camaldolensem & successores ejus quietos & indepnes esse nos non permiserimus, ex omnibus bonis, que Bernardinus habuit & tenuit, excepto feudo nostro de Bibione & de Teve-

Ad lib. XXIV. n. 11.

verina. Tunc componere promittimus penam bonorum denariorum Lucensium libras duocentum fratribus Camaldolensibus, & post penam solutam res permaneat in suo robore sicut prius.

Ego Tancredus notarius sic inveni scriptum in alio brevi.

CXXVIII.

Altera charta securitatis ejusdem Rainerii marchionis pro dictis bonis.

Anno 1105. mense januario.

Ex apographo tabularii Fontis-boni. §. Promissio. n. 51.

Ibidem.

IN nomine Domini Dei eterni Salvatoris nostri Jesu Christi. Anno incarnationis ejus millesimo centesimo quarto mense januario indictione tertia decima feliciter. Spondimus & obligamus & finimus nos Rainerius filius quondam Rainerii marchionis & Trota jugalis ejusdem Rainerii nostrosque filios & heredes tibi donno Martino priori ecclesie sancti Salvatoris sita Camaldoli tuisque successoribus omnes res, quas Bernardinus filius quondam Sedonie habuit & tenuit octo dies antequam moreretur per se vel per alios, quos homines nobis aliquo modo pertinentes. Exceptamus feudum, quod a nobis detinuit, & quicquid Rolandus filius quondam Petri de Cellule detinuit jure patris mei, & omne jus, quod avus meus Ugizone marchio habuit & tenuit in rocca de Vizano, & in tota ejus curia. Promittimus bona fide sine malo ingenio nos nostrosque heredes adiuvaturos & defensuros esse ab omnibus hominibus, & non causaturos, [neque per nos, neque per filios & heredes nostros tibi Martino priori tuisque successoribus. Quod si contigerit ullo in tempore, ducentarum librarum bonorum denariorum Lucensium, qui fuerit pena, teneatur tibi suprascripto priori, aut tuis posteris tuisque successoribus. Actum castro Felicitatis in loco Pitiliano mense & indictione suprascripta, feliciter. Signum manibus de suprascriptis jugalibus, qui hanc promissionem manibus illorum firmari jusserunt. Signum manibus Winildi filii quondam Rolandini de Cellula, & Ildebrandi filii quondam Rolandi de civitate Aretina, & Bernardi de la Frata, qui rogati sunt testes, & manibus illorum scribere rogaverunt. Ego Teuzo notarius mihi traditam scripsi & complevi. Ego W. curialis causidicus interfui, & manu mea subscripsi. Exemplar ego Tancredus notarius sic inveni scriptum in alio instrumento.

Centum libras Lucensium monete veteris dedimus, & centum annos de penitentia eorum recepimus, & unum anulum optimum auri.

CXXIX.

Vivo & Acto donant terras Petro abbati S. Victoris de Clusis.

Anno 1105.

Ex autographo S. Blasii de Fabriano.

Ad lib. XXIV. n. 29.

IN nomine Domini. Ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi anni Domini sunt millesimo centesimo quinto & regnante manno Enrigo nostro imperatore & die mense . . . . . per indiccione IIIX. Ideoque nos qui sumus Vivo filius Amico & Acto filius Johannis ambo insimul communiter propria nostra & spontanea voluntatem & secundum nostra lege damus & tradimus aliquit de terra, que nobis pertinet pro Dei timore & in redencione de anime nostre & de parentum nostrorum, ut ille pius Dominus faciat nobis indulgentiam de peccatis nostris, proinde damus aliquid de terra, que nobis pertinet at ipso monasterio sanctu Victore, quod est edificatu in fundo Victoriano, at tibi donnus Petrus vir venerabili abbas ipsius monasterio tuisque successoribus in perpetuum, posita est ipsa terra infra comitato Camerino & in loco, qui dicitur Murru, est ipsa terra a primo latere & a secundo latere, & tercio & a quarto latere terra ipsius monasterio pervenientes in primo latere infra eorum lateribus damus & concedimus ego Vivo de terra, que michi pertinet pro mensura modiorum quatuor, & ego Acto modiorum unum & medium est ipsa terra cum vineis & pomis & arboribus suis & cum omnia, que infra se abentes vel superjacentes in integrum, & abeatis licencia tu suprascripto abbas ac tuis successoribus in ipsa res ibidem introire & investire, tenere, possidere & faciendi de ipsa terra omnia quitquit volueritis sine omnis calunnia, & si promittimus & obligamus nos benefactori cum nostris eredibus, quod si retollere spodestare voluerimus, vel removere aut alius omo pro nostra supmissa vel supmittenda persona, & si da omines de-

fen-

fendere & autoriare noluerimus, ſicut lege eſt, & ſi non opſervaverimus omnia, que ſuperius legitur, promittimus dare & componere de optimo ariento libras . . . . . & unum quidquid de nos benefactori & ipſum monaſterium, & poſt pena data & opſoluta, iſta carta ſit firma & ſtabile permaneat, ſicut ſuperius legitur.

Sinu manu de Vivo & de Acto, qui iſta cartula fieri rogavimus.

Sinu manu de Acto filius Johannis teſtis rogatus.

Sinu manu de Acto de Coroo teſtis rogatus.

Sinu manu de Berto de Lucio teſtis rogatus.

Scripta & opſoluta per manus Alberto judice notarius.

Ad lib. XXIV. n. 29.

CXXX.

Idem Petrus abbas cum ſuis conſortibus cedit Bucconi comiti caſtrum Petræ-fictæ.

Anno 1105. menſe januario.

Ex archetypo ejuſdem tabularii.

Ibidem.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti ab incarnacione Domini noſtri Jheſu Chriſti. Anno ejus milleſimo & centeſimo quinto rennante donnus Enrigo inperatore die menſe genuario per indicione duodecima. Ideoquem certus ſum ego donnus Petrus abbas monaſterio ſancto Victore una per conſenſu omnes monachis & Moſco filio Carbonem, & Ugo, & Acto, & Albrico & Bernardo filii Gualfredo, & Gozo filio Ugo, & Albrico, & Acto filius Ugo noſtrorum ſimul comuniter noſtra propria bona voluntate, & ſecundo noſtram Romanam lege & Langubardorum facimus cartam obligacionis ſecuritatis in traſanto ad vobis Bucco comis filii Sifredo nobiliſmo comis, & a veſtris eredis in perpetuum obligavimus de ipſo caſtellu de Petrafiсta cu ſuis ſenaite, a prima ſenaita de Forcatorio de Molmeteta, & ſecunda ſenaita foſſatu de li Canavili veniente in viam, que vadit da caſa de Lumicculo, tertia ſenaita fonte de Montaniano veniente inter campo & ſilva, quarto latere capus de ipſo Carpenetu venientem in viam de Sellano, que eſt prima ſenaita, infra eorum ſenaite non facimus nos, nec noſtris ominibus, nec preda, neque aſalto, nec furto ſtudialiſmente preſenciam, ſiſtamus in ajutorio de ipſo caſtellu infra ipſe ſenaite detenere, & defendere, & laborare, guaitare contra omnes perſonam omnium, & non abeamus licencia infra ipſe ſenaite nec vindere, nec donare, nec per animas judicare, ſi no eſt inter nos & noſtris eredis unum alium, aut ad ipſo moneſterio ſancto Victore, & non abeamus licentia ad filia feminam dare, & ſit de nobis exierit, revertat ipſo caſtellu in vobis Bucco comis e tuis eredis ad juſto precio dando unuſquiſque in ſua parcione, & cum fecerit, & non oſervaverimus omnia, ſicut ſuperiu leguntur, eſt requiſita infra termino dies vinti ſit eſt in publico fiet amendacione, & ſit eſt abſcondito per legem defendere ſecundo ſua qualitate pecuniam in laude tres ominibus de ipſo caſtellu communiter, in tali autem ordine obligo me Petrus abbas ſancto Victore & meis ſucceſſoribus in perpetuum, & Moſco filio Carbone, & Ugo, & Acto, & Albrico & Bernardo fili Gualfredo, & Gozo filio Ugo, & Albrico & Acto filii Ugo una cum noſtris eredis a vobis Bucco comis & a veſtris eredis, nec tollimus, nec diſpodeſtavimus per nullo ingenio, & ſi fortia alienam diſſpodeſtavit ipſo caſtellu, quali ante pervenire potuerit, reſtitua ſua partione unuſquiſque ad ſua parcione ſine malo ingenio, & non obſervaverimus abeatis licentia vobis Bucco comis per legem introire, inveſtire ipſo maſiu, qui tenuit Johannes de Marro cu dece modiore de terra, ubi oporte fuerit prendere, & ipſo maſiu, quem tenuit Johannes de Petrus . . . . modiori, ubi parte fuerit prendere, excepto campo domnicato & vinea, aliu caput de maſiu, quod non dono vobis, abere, tenere ſine omnis calumnia & hic propoſiti ſancti evangelii, & juravit &c.

CXXXI.

Bucco comes prædictus promittit eidem abbati ſe damnum non illaturum in idem caſtrum Petræ-fictæ.

Anno 1105. menſe januario.

Ex originali prænotati archivi.

Ibidem.

IN nomine patris & filii e ſpiritus ſanti ab incarnacione Domini noſtri Jeſu Chriſti anno ejus milleſimo & centeſimo quinto rennante donnus Enrigo imperatore die menſe genuario per indic-

diccione tertiam decimam. Ideoque ego Bucco comis filius Sifredo nobilismo comis & Diadicta muliere ejus consencientes virum meum cum ea propria bona voluntate & secundo nostram lege Langubardorum facimus carta obligationis securitatis intrasanto ad vobis sancto Victore & donus Petrus abba & vestri successoribus in servum servorum Dei in perpetuum in tua parcione, & vobis Musco filio Carbone & a vestris eredis in tua parcione, & Ugo & Albrico, & Bernardo filiis Gualfredo pariter in tua parcione, & vobis Gozo filio Ugo ...., suam parcionem, & Albrico & Acto filiis Ugo cum vestris eredis ..... obligavimus de ipso castellu de Petrafičta .. .... senati ..... de forcatorio de le molmente, tam senata fossa tudetto .... veniente in viam, que vadit da casa de Lumiculo a terciam senaita..... & de Montaniano venientes inter campo & silvam, a quarto latere campu de ipsa silva de lu Carpinetu veniente in viam de Sellano, & prima senaitem, infra eorum senaite non facimus nos nec nostris ominibus neque preda, neque asalto, nec furto studialis mentem presenciam, & sic stamus in ajutorio de ipso castellum infra ipse senaite detenere, & defendere, & laborare, guaitare contra omnes personam omnium, & non abeamus licenciam infra ipse senaite nec vindere & donare, nec per animas judicare, si non est inter nostris eredis unum ad alium, aut ipso monasterio sancta Cruce, & non abeamus licenciam, infra ipse senaite nec vindere, nec donare, nec per animas judicare, si non est inter nostris eredis nec filia ... & mandare, & sit inter .... ierit, reverta ipso castellu in vobis sancto Victore in tua parcione & Musco filio Carbone in tua parcione, & Ugo, & Acto, & Albrico, & Bernardo filii Gualfredo in tua parcione, & Gozo filio Ugo, & Albrico & Acto filiis Ugo in tuam parcionem ad justo precio dando unusquisque in parcione & oc fecerit, & non oservaverimus omnia, sicut superiu leguntur, & est ..... infra termino dies vinti, & si est in publico fiet emendationem, & si est asconsum, legem defendere secundo sua qualitatem pecunie in tres laudatori de ipso castellum .... ..& in talis autem obligo me Bucco comis & Diadicta muliere ejus una cum nostris eredis .... jam sancto Victore cum ceteris suprascripti nominatis nec tollimus, ne dispodestavimus ...mo, & sic forciam alienam dispodestaverit in ipso castellu qualis ante ..... potuerit, restitua sua parcione unusquisque sine malo ingenio & .... averimus, abeatis licencia sancto Victore & Petrus abbas & tuis successoribus .... Carbone & Ugo, Acto, & Albrico, & Bernardo filis Gualfredo, & Gozo fili .... Albrico, Acto filio Ugo, & vestris eredis in perpetuum per lege introire, investire & tenere ipso masiu, quod tenuit Bricto de Petrus in la valle cum quindeci modiore de terre, ubi oportuerit prendere de sua proprietate, & ipso masiu, quod tenuit Leto de Petrus, & quindeci modiori de terra, ubi oporte fuerit, prendere, excepto campo donnicato, & vineam, & aliu campu & mansio, quando nobis abere tenere sine omni calunnia, & hic propositi sancti evagelii ,| & juravit predicto Ugo filio Bucco comis pro se & pro friastriis suis, & pro genitore suo & suis eredis oservare & retinere, sicut superius legitur, & pos pena lata & soluta fuerit, e postea ista carta firma & stabilis in perpetuum.

Sinu manu Bucco comis e Diadicta qui fieri rogavit.

Sinu manu Acto filio Ugo, & Ugo filio Bulgaro, & Bonizo filio Baroncio ..... & Bonati & Acto filio Martino testi sumus.

Ego Acto judice scripsit & complevit omnia superius leguntur.

CXXXII.

Bulla Paschalis II. papæ Martino priori Camaldulensi, qua monasteria subiecta eremo Camaldulensi in protectionem suscipit.

Anno 1105. x. kl. aprilis.

Ex autographo ejusdem archivi S. Blasii.

PAschalis episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo filio Martino venerabilis eremi Camaldulensis priori, ejusque successoribus regulariter promovendis in perpetuum. Ad hoc nos disponente Domino in apostolice sedis servitium promotos agnoscimus, ut ejus filiis auxilium implorantibus efficaciter subvenire, & ei obedientes tueri ac protegere, prout Dominus dederit, debeamus. Unde oportet nos venerabilibus locis manum protectionis extendere, & servorum Dei quieti attentius providere. Tuis igitur, fili in Christo venerabilis Martine, & fratrum tuorum precibus annuentes, vos & locum vestrum presentis

Ad lib. XXIV. n. 26.

ſentis decreti auctoritate munimus, & tibi tuiſque ſucceſſoribus regulariter promovendis concedimus & confirmamus eremum ipſam, que dicitur Campus amabilis, cum univerſis cellulis ſibi adiacentibus. Quecumque etiam loco veſtro legitimis fidelium donationibus oblata ſunt, per hujus vobis privilegii paginam confirmamus. In quibus hec propriis viſa ſunt nominibus exprimenda. Monaſterium ſancti Donati, quod dicitur Fons-bonus, cum hoſpitio & curtibus ſuis, videlicet curte de Monte, de Partina, de Soci, de Condoleſe, de Arcena, de Ormena, de Punina, de Fogiano, de Campi. Monaſterium ſancte Marie ſitum Poplene cum eccleſiis & rebus ſibi pertinentibus. Eccleſia ſancti Salvatoris ſita Florentie cum ſuis pertinentiis. Sancti Petri apud Arretium cum ſuis pertinentiis. Sancti Petri apud Fontianum cum eccleſiis & pertinentiis ſuis. Monaſterium ſancti Frigiani apud Piſas cum eccleſiis & pertinentiis ſuis. Sancti Petri de Puteolis cum eccleſiis & pertinentiis ſuis. Monaſterium ſancti Petri ſitum Luci cum caſtellis & eccleſiis & pertinentiis ſuis. Eccleſiam ſancti Savini ſitam Chio cum pertinentiis ſuis. Monaſterium ſancti Bartholomei in Anglario cum monaſteriis & eccleſiis, caſtellis, curtibus & pertinentiis ſuis ex integro, ſicut fuerunt Bernardini filii Sidonie. Eccleſia ſancti Petri de eremo, que eſt Faioli, cum pertinentiis ſuis. Sancti Quirici de Fogiano cum pertinentiis ſuis. Sancti Georgii ſita Murro cum pertinentiis ſuis. Preterea quecumque hodie juſte poſſidetis, ſive in futurum conceſſione pontificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium juſte atque canonice poteritis adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat idem cenobium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura. Chriſma, oleum ſanctum, confirmationes, altarium ſive baſilicarum conſecrationes, ordinationes monachorum, qui ad ſacros fuerint ordines promovendi, ab epiſcopo, in cujus dioceſi eſtis, accipietis, ſi quidem gratiam atque communionem apoſtolice ſedis habuerit, & ſi ea gratis ac ſine pravitate voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis catholicum quem malueritis adire antiſtitem, & ab eo conſecrationum ſacramenta ſuſcipere, qui apoſtolice ſedis fultus auctoritate, que poſtulatis, indulgeat. Ad hec adjicimus, ut nulli epiſcoporum facultas ſit vos, aut veſtre congregationis fratres abſque canonico judicio excommunicationi ſubjcere. Si qua ſane eccleſiaſtica ſeculariſve perſona hanc noſtre conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire temtaverit, ſecundo tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtricte ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatinus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen.

Scriptum per manum Raynerii ſcriniarii regionarii & notarii ſacri palatii.

Ego Paſchalis catholice eccleſie epiſcopus ss.

Verbo Domini celi

SCS	SCS
Petrus	Paulus
Paſcha	lis
PP	II.

firmati ſunt.

Datum Laterani x. kl. aprilis per manum Equitii agentis vicem cancellarii indictione XIII. incarnationis Dominice anno M.CV. pontificatus autem domni Paſchalis II. pape VI.

Bulla plumbea pendet.

CXXXIII.

Renuntiatio ecclesiarum, castrorum & terrarum olim Bernardini filii Sidoniæ facta eidem Martino priori & monasterio Anglarensi.

Anno 1105. mense maji.

Ex autographo Fontis-boni.
§. Renuntiatio. n. 10.

Ad lib. XXIV. n. 27.

IN Dei nomine. Brevis causa future memorie conservanda, qualiter actum est in comitatu Aretino infra plebem sancte Marie sitam Miciano in castro, quod dicitur Anglari, in presentia Saxonis legis doctoris, & Alderici atque Saraceni causidici, & in presentia Ubaldi filii Suppi, & Ugonis filii Ubaldi, & Jordanis da Celle, & Bernardi Rainerii Toti, & Teuzonis filii Petri, & Ildibrandi comitis da monte Dolio, & Berardi judicis atque notarii, & Ingolini filii Ingoli & aliorum multorum bonorum hominum laicorum atque clericorum, quorum nomina longum est asscribere. In suprascriptorum presentia venit Ildibrandinus (a) filius Rolandi, & Ugo filius Ildibrandi comitis da monte Dolio, & Ardimanus filius Guidonis de Pistrino, (b) & Teuzo filius Pagani, & Tiveri filius Rustici, & Ugo filius Bernardi de Urbino omnes insimul per virgam, quam tenebant in manibus, refutaverunt dompno Martino priori Camaldulensi atque Anglarensi ecclesie (c) omnes illas terras & vineas, ecclesias, atque castella (d) & omnes res mobiles & immobiles sesesque moventes, quas Bernardinus filius Sidonie habuit & tenuit, aut aliquis per eum, anteposito Viajo & actionem, per quam possunt agere adversum Rainerium filium Alberici, & obligaverunt se suosque heredes, quod ab hac ora in antea, neque per se neque per personam ab eis suppositam per aliquod ingenium exinde contra priorem & suos successores, & ecclesiam Anglarensem, neque agere, neque causare, neque molestare, vel per placitum fatigare presumpserint, sed semper taciti atque contempti exinde permanserint, & si contra hanc refutationem & finem venire temptaverint adversum predictam ecclesiam, (f) obligaverunt se & suos heredes esse composituros suprascripte ecclesie (g) libras centum, & post penam solutam finis inconcussus permaneat, & pro ac promissione, & pene obbligatione recepit unusquisque meritum anulum aureum, & alias mobiles res, quemadmodum inter eos convenit, & universos astantes ad testimonium (h) rogavit. Insuper hoc jamdicti refutatores receperunt feudum a supradicto priore, (i) atque ab Imildina vidua quondam uxore Bernardini filii Sidonie (k) totam illam partem de curte de monte Viride, & de casa Prati, & de Tizano, & Bibiona, & Prestoro de Feo Tuscani de Carsuge, quam Bernardinus filius Sidonie habuit & tenuit, antepositis castellis & ecclesiis, obligaverunt se & suos heredes sub pena centum librarum, quod servient ecclesie & priori, & suis successoribus, sicut mos est servire abbatibus, & quod non alienabunt feudum istum, nisi inter se, & si alienaverint inter se eo modo, quo ipse habet, alii tribuet, & si cognati noluerint priorem, inquirent per annum, antequam alicui dent servato supradicto modo. Hoc quidem actum est in presentia & sub testimonio suprascriptorum virorum anno Dominice incarnationis millesimo centesimo quinto mense madii regnante Henrico rege indictione tertiadecima.

Ego Berardus judex idemque notarius scripsi & complevi.

CXXXIV.

Legitur ad calcem hujus autographæ chartæ charactere ejusdem seculi sed aliena manu: Hee sunt carte de fine litis, quam habebant cognati Bernardini cum donno Martino priore.

(a) *In alia charta*: Ildibrandus.

(b) VVidonis de Pilistrino.

(c) *In alia additur*: que edificata est in honore sancti Bartholomei pro anima Bernardini Sidonie omnes videlicet illas *&c.*

(d) *Additur*: omines & ominagia.

(e) Tenuit, aut sibi competebat aliquo modo, vel aliquo jure pertinebat, quod ab hac ora in antea nec per se, nec per aliquam ab eis subpositam, vel summissam personam per aliquod ingenium exinde contra priorem predictum vel suos successores, vel contra ecclesiam Anglarensem predictam & ejus rectores, neque agere *&c.*

(f) *Supple*: & ejus rectores.

(g) *Similiter*: & ejus rectoribus.

(h) Rogati sunt.

(i) *Supple*: vice supradicte ecclesie.

(k) *In alia charta legitur*: Sidonie, scilicet quartam partem de curte de Monte viride & medietatem de villa de Tizono cum curte sua, & duas partes de villa de Bibione cum curte sua & suis pertinentiis, & duos mansos in Casaprati, qui regere videntur per Ranucium Maizum & Vivolum de

Casa-

CXXXIV.

Placitum Mathildæ ducissæ pro bonis parthenonis S. Petri de Luco.

Anno 1105. nonis octobris.

Ex originali ejusdem parthenonis k. n. 60.

Adlib. XXIV. n. 28.

IN Dei nomine eterni. Dum resideret domina Matilda ducatrix in villa Sevis ob causas audiendas & deliberandas, adstantibus cum ea Aldiero judice, ac Bono judice, & Pandulfo & Teuzzone judicibus, seu Bellincione causidico, & Airardo de Malignano, & Ugone filio Ugonis, & Johanne filio Donati aliisque pluribus, ibique in eorum presentia predicta ducatrix pro mercede anime sue misit bannum super Ubaldinum filium Azonis filii vice monasterii sancti Petri siti Luco super res & terras, quas Zabulina conjux quondam comitis Teudorici, & Gasdia conjux Ardinghi comitis Rainerii filii, & Parentia conjux comitis Donati in prefata ecclesia contulerunt, secundum quod Arderius judex judicavit, & Orlandum filium Contarii pro dicta ecclesia misisse in possessionem testatus est, ibique ut nullus homo, nullaque persona magna aut parva predictum monasterium aut ejus partem de predictis rebus audeat devestire, tollere aut contendere sine legali judicio. Si quis vero huic pagine contrariare presumpserit, quinquaginta libras optimi argenti medietatem camere predicte comitisse, & medietatem predicto monasterio sciat se vere componere.

Actum anno Dominice incarnationis millesimo centesimo quinto nonis octobris indictione duodecima.

Hoc signo ego Bonus judex hec firmo.
Ego Landolfus judex interfui.
Ego Pandolfus notarius & judex interfui ac complevi.

MATIL | DA
DEI | GRATIA
S | I
QVID | EST

CXXXV.

Comes Gherardus filius Suavizzi cedit possessionem terrarum & castrorum prædicto monasterio Luci coram Mathilda ducissa.

Anno 1105. mense octobri.

Ex tabulario ejusdem parthenonis Luci, k. n. 11.

Ibidem.

IN nomine Dei eterni. Anno Dominice incarnationis millesimo centesimo quinto mense octobris indictione XIV. feliciter. Breve recordationis, & possessionis, qualiter factum est in loco Venga ante dominam comitissam Matildam in presentia Alderici judicis, & Boni judicis, & Pandulfi judicis, & Bellincionis advocati, & in aliorum plurium presentia. Gherardus comes filius Suavizzi reddidit, ac transtulit possessionem terre, & rei & castrorum, que Zabulina & Parenza & Gasdia comitisse filie Landulphi dederunt & obtulerunt quoquomodo ecclesie sancti Petri siti Lucho, presbytero Gherardo vice monasterii accipienti, quatenus de possessione predictarum rerum predictum monasterium nec a predicto Gherardo comite, nec a suis heredibus absque legali judicio patiatur violentiam, sed potius firmiter, & illibate predictarum rerum possessionem habeat, sicut Ardericus judex disposuit, & Orlandus filius Contari vice dicti

Casa prati, eorum capitantia est inter ecclesiam sancte Flore & ecclesiam sancti Angeli & sancti Laurentii de Casa prati, & ubicumque est de ipsis mansis, & unum donicatum & duos mansos in curte de Anglare, unumque est positum in villa que dicitur Amote & in Colcello & alibi ubicumque est de ipso manso & est rectum per Johannem Forzorem & Pepulum de Gesto & Johannem de Bontio & aliud mansum positum est in casale & casanova & alibi per curtem Anglaris ubicumque est de ipso manso & est rectum Ranuccinum quondam Pepuli & unum domnicatum in Aquina juxta viam & prope aqua Violam similiter in curte de Anglari exceptatis semper ecclesiis & castellis & guaitis & totum servitium de castello & datiis quando voluerit tali quidem pacto, quod inter se possint dividere predictum feudum & commutuare similiter inter se, & nullo modo liceat eis vendere neque alienare, nec etiam pignorare sine licentia rectoris predicte ecclesie & semper debent esse fideles ipsi & eorum heredes ecclesie jamdicte & ejus rectoribus & facere ea servitia & honorem que laici solent & debent facere clericis & ecclesiis pro beneficio feudi, & si quis eorum moriretur sine liberis ejus portio revertatur ad ecclesiam predictam sine omni lite & contradictione. Que omnia supradicta predicti cognati Bernardini Sidonie promiserunt pro se & heredibus eorum in perpetuum omnia facere & firma tenere & nullo modo contravenire sub pena centum librarum, ut cadat a jure suo, qui supradicta non tenuerit. Hoc quidem actum est &c.

dicti monasterii in possessionem intravit. Quod si predictus Gherardus, aut sui heredes per se, aut per alium sine legali judicio presumpserit devastare prefatum monasterium, & res supradictas, tunc xxx. libras de bonis denaris de Luca nomine pene debeat componere.

Ego Pandulphus judex ac notarius hoc scriptum complevi.

CXXXVI.

Placitum Mathildæ ducissæ prædictæ pro bonis monasterii de Puteolis diœcesis Lucensis.

Anno 1105. VI. id. julii.

Ex autographo archivi canonicorum Lucensium. L. 33.

Ibidem.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo quinto sexto idus julii indictione terciadecima. Dum in Dei nomine in villa Foxana ad casam Roberti filii Marini resideret in judicio domina Matilda comitissa, & cum ea Lamberto avocato de Luca, & Ubaldo de Luca & alio Ubaldo de Carpenera atque Bono judicibus, necnon Fralmo seu Odaldo cosidicis & ibidem presentibus comite Alberto, Ragimundo de Bagile, Guidone filio Cunimundi, Rodulfo, Opizone, Guidone fratribus Erici filiis Gualdone, Rezone, Teuzone, Bellincio fratribus Rezonis filiis & aliis compluribus venit Petrus abbas de monasterio Pozzeuli cum Fralmone avocato suo, & cepit dicere, quod pars predicti monasterii haberet & possideret res illas, que fuerunt Ildebrandi filii quidam Pagani de Corsena, que sunt posite in eadem Corsena, & Cocile & in Cuculagio & in Muniano & Buliano, in Villa & in Granajolo & in Piscolle & in Luliano, & munte Figatese, in Galicano, & in Mulazano, in col de Melo, in munte Altissimo & in Calumine, & in Saxi. Et si est quisquam homo, qui aliquid dicere voluerit, ego sum paratus standi ad racionem. Cumque interrogatus esset, si aliquis inde loqui voluisset, & nullus inventus esset, tunc prefatus abbas cepit rogare & deprecare dominam comitissam, ut pro Domino, & anime sue mercede mitteret bannum super jamdictas res & super omnes alias, quas prelibatum monasterium modo videtur possidere, vel in futuro tempore Domino annuente possessurum. Tunc domina comitissa misit banum suum supra dictas res, ut nulla deinceps magna parvaque persona prefatum monasterium de eisdem rebus sine legali judicio disvestire audeat, quod si fecerit, sciat se duo milia aureos compositurum, medietatem camere domine comitisse, & medietatem eidem monasterio.

MAT	TIL
DA	DEI
GRATIA	SI
QVID	EST ss.

† Ubaldus judex ss.

† Subscripsi dictis judex Bonus omnibus istis.

† Ego Odaldus causidicus interfui & ss.

† Ego Lambertus notarius interfui & hunc brevem scripsi.

CXXXVII.

Donatio terrarum Petro abbati S. Victoris de Clusis.

Circa annum 1105.

Ex autographo S. Blasii de Fabriano.

Ad lib. XXIV. n. 29.

. . . . quondam Fantulino propria & spontanea voluntate odiernu die . . . onnipotentem misericordiam pro redentione & absolutione anime mee, & quondam genitore & genitrice mea, & proide . . . per illam redentionem dedimus & tradidimus in onore domni nostri Gesu Christi, & in onore beato santo Vetore, qui est edificato, & in nomine Petri abbas & tuisque posteris subcessoribusque in perpetuum a possidendum de res mea infra dugato Spoletino in territorio ... & in loco, qui dicitur in Carrani & in alio loco *&c.*

Signum † Bernardo filius Acto, Rainardo filius Johannis & Bo..... rogati sunt testi & alii plures.

CXXXVIII.

CXXXVIII.

Gregorius episcopus Arretinus confirmat eremo Camaldulensi bona olim Bernardini filii Sidoniæ.

Anno 1106. III. id. octobris.

Ex autographo Fontis-boni. §. Privilegia. n. 15.

Ad lib. XXIV. n. 34.

GRegorius Dei gratia Aretine ecclesie qualiscumque minister. Dilecto & venerabili patri Martino suisque successoribus in perpetuum. Quoniam in disponendis rebus ecclesiasticis curam nos oportet habere perspicuam, ut & loca religiosa spiritualiter & temporaliter augeantur operam dare, ne ab his, que a predecessoribus nostris juste & canonice disposita sunt, videamur deviare, Camaldulensem heremum, quam semper ut matrem venerabiles antecessores nostri venerabiliter protexerunt, nos sequentes eorum vestigia, ut matrem veneramur & dominam. Et quia in episcopatu nostro caput & perfectio est vere & summe religionis, ad ejus augumentum quia debitores sumus, prout possumus, insudamus. Petisti igitur venerabilis magister & pater, ut bona nostre ecclesie, que Bernardinus Sidonie filius aut pater ejus ab ecclesia sancti Donati tenuerunt, ad supplendas fratrum necessitates sancte heremi concederemus. Nos itaque, quia justas petitiones & religiosorum vota surda aure repellere nec possumus, nec debemus, damus atque concedimus vobis vestrisque successoribus in perpetuum omnia bona, que prenominati viri tenuerunt tam a predecessoribus nostris, quam ab ecclesia sancti Donati, nominatim plebem sancte Marie in Miciano cum pertinentiis suis, & quod habuerunt in castello & curte montis Aurei & in Viario, & ubicumque inventa fuerint in comitatu Aretino & Castellano, aut aliis quibuscumque locis. Hec nobis nostrisque successoribus reservantes synodum, capitulum, paratam & penitentiam eorum, qui in sacro sunt ordine constituti, & per singulos annos Letanias, sicut moris est nostre ecclesie, & omnem canonicam obedientiam, salvo tamen in omnibus jure Camaldulensis heremi. Concedimus etiam vobis in curte Soci fundum, quod Bernardinus & Feralmus pater ejus habuerunt ab ecclesia nostra. Insuper etiam confirmamus eidem sacrosancte heremi quicquid predecessores nostri jure & canonice contulerunt, nominatim ecclesiam sancti Miniatis in villa, que dicitur Alina, cum suis pertinentiis cum medietate trium mansuum, & alium mansum in Monte, & decimationes prenominate ville & Pergentine, & Corsignano, & Avano, & Largnano, & mansum unum in villa Pergentina, & unum mansum detentum ab incolis Gerardo & Teuzone, & quartam partem unius mansi in Ventulina. Preterea visitationes plebium Biblene, Bujani & Partine cum omnibus massariis ex sua decimatione singulis singula sextaria frumenti deferentibus ad victum predictorum fratrum heremitarum, sicut a predecessoribus nostris collate sunt, confirmamus, & ut perpetuo dentur episcopali auctoritate precipimus. Addentes, ut quicquid deinceps infra terminos nostri episcopatus prescripte heremi juste & canonice collatum fuerit, firmum illibatumque permaneat. Ad hec decernimus, & hujus privilegii auctoritate firmamus, ut nulli omnino mortalium liceat prenominatam venerabilem heremum perturbare, vel ejus possessiones auferre, aut ablatas retinere, minuere, aut temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum usibus omnimodis profutura, pro quorum substentatione & gubernatione collata sunt, vel deinceps conferenda. Si quis autem diabolica temeritate ductus sciens contra hujus constitutionis paginam venire temptaverit, secundo tertiove commonitus, nisi resipuerit & congrua emendatione satisfecerit, hic a sacratissimo corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi alienus fiat, & in futuro eternis subjaceat concremandus incendiis. Observantibus autem gaudium, pax & securitas, quatinus hic centuplicatum fructum obtineat, & in futuro premia sine fine mansura.

Ego Gregorius Dei gratia Aretine ecclesie qualiscumque minister ss.

Ego Ugo indignus primicerius ss.

Ego Johannes prepositus ss.

Ego Maurus indignus Aritinus episcopus ss. & omnia supradicta confirmavi.

Ego Gotizo canonicus ss.

Ego Bonus presbiter ss.

Datum in heremo Camaldulensi III. idus octubris anno Dominice incarnationis millesimo centesimo sexto indictione quintadecima pontificatus ejusdem donni Gregorii episcopi anno secundo.

Testes fuere Lamdulfus frater predicti episcopi, & Gerardus filius quondam Ugonis, & Rolandus filius quondam Pagani, & Il-

& Ildebrandus filius quondam Rolandi vicedomini, & Raginerius filius quondam Pagani.

Scriptum per manum Petri notarii feliciter.

Viſitur locus ſigilli deperditi.

CXXXIX.

Donationes bonorum factæ Pulveramo abbati Vangaticienſi.

Anno 1107. xvi. januarii.

Ex autographis archivi Vangaticienſis.

Ad lib. XXIV. n. 39.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione Domini noſtri Jeſu Criſti milleſimo centeſimo ſeptimo ſexto decimo menſis genuarii indictione quintadecima vobis Pulvueramus abati de monaſterio ſancte Marie virginis, quod eſt conſtructus juſta ripam Adeci, nos Michael filius quondam Andree clerici de loco Vangadicia & Petrus nepos ejus, qui profeſſi ſumus ex natione noſtra lege vivere Romana amici atque donatores ipſi habati ad partem predicti monaſterii prope diximus. Quapropter donamus ad partem predicti monaſterii per predictum habatem, ideſt omnes res immobiles juris noſtri, quas nos habere & poſidere viſi ſumus in Vangadicia & ejus fine & territorio omnia nobis pertinentia & eiſdem rebus in integrum, ut dictum eſt, cum caſis, ſediminibus ſeu teris, vigris, vineis, campis, pratis, paſcuis, ſilvis ac ſtellareis, rivis, rupinis ac paludibus, cultis & incultis, diviſis & indiviſis una cum finibus, terminibus, acceſſionibus, curſibus aquarum, aquarumque ductibus, molendinis, piſcationibus, venationibus, & cum omni communitate nobis pertinentia in integrum ab hac die in eodem monaſterio per predictum habatem donamus, cedimus, conferimus & per preſentem cartam donacionis ibidem ad habendum confirmamus, faciendum *&c.*

Actum in loco habatie feliciter.

Signum manum predicti Michaelis & Petri, qui hanc cartam donacionis ſcribere rogaverunt.

Signum manum Odelrici ex abacia, & Martini & Stefani de Vangadicia & Johannis Medici, Eugenii de Nigro viyencium lege Romana teſtium.

Ego Albericus notarius rogatus, qui hanc cartam donacionis ſcripſi. In nomine Domini *&c. anno, die quo ſupra.*

Vobis Puulveramus habati de monaſterio ſancte Marie virginis, quod eſt conſtructum juſta ripam Adecim. Ego Martinus filius quondam Noci de loco Vangadicia, qui profeſſus ſum natione mea lege vivere Romana amicus atque donator ipſi habati ad partem predicti monaſterii prope dixi. Quapropter dono ad partem predicti monaſterii per predictum abatem ideſt omnes res immobiles juris mei, quas ego habere & poſſidere viſus ſum in fine Vangadicia, & in ejus fine & territorio, *&c.*

Et ego Albericus notarius, *qui ſupra &c.*

CXL.

Guido Guerra comes cum Imilia uxore reſtituit Henrico præpoſito S. Donati de Arretio eccleſiam & caſtrum de Mojona.

Anno 1107. xxiii. maji.

Ex autographo Fontis-boni. §. Recordationes, n. 15.

Ad lib. XXIV. n. 38.

ANno ab incarnatione Domini noſtri Hieſu Chriſti milleſimo centeſimo vii. temporibus Henrici imperatoris & Paſcalis pape die xxiii. menſis madii indictione xv. notitia recordationis, qualiter Wido guerra coram teſtibus videlicet Wizzone de Drudone, Dipudone de Boſone & Gualcherio germanis, Sinibaldo. In preſentia predictorum teſtium predictus Wido comes cum Imilla uxore ſua juxta eccleſiam ſancti Donati in loco, qui dicitur Mudiliana dixit: Ego Wido comes bona voluntate & ſumma devotione in perpetuum conſervanda reſtituo tibi donno Henrico venerabili prepoſito eccleſie ſancti Donati, que eſt poſita in loco, qui dicitur Aritium, curtem unam, que nominatur Mojona, cum eccleſia & caſtello ibi edificato vel edificando, & cum omnibus rebus ad eamdem curtem vel ad canonicam ſancti Donati pertinentibus, ut ab hac die in antea, nec ego jamdictus comes, nec uxor mea, aut mei vicecomites vel caſtaldiones, ſive ſcariones, aut mandatarii predictam curtem non tollemus, neque depredabimus, nec ullo modo vobis vel veſtris miſſis ſtudioſe injuriam faciemus, & ſi forſitan evenerit, quod hec non obſervaverimus, vobis emendare veſtriſque ſucceſſoribus promittimus cum fide & puritate. Quod ſi hec omnia que ſuperius dictas non obſervaverimus, atteſtatione con-

confirmo, quia daturum me esse promitto meosque heredes vel successores tibi jamdicto preposito tuisque successoribus pene nomine denariorum Lucensium libras centum, & postea hec restitutio permaneat imperpetuum firma. Scripta per manum Teuzonis notarii rogatione predicti comitis in presenti indictione.

Signum manus jam dicti comitis, qui hanc restitutionem scribere rogavit.

Signum manus Imille comitisse ejus uxoris.

Testes sunt Sinibaldus comes, Wizzo Drudonis, Drudo, Gualcherius filii Bosonis.

CXLI.

Bulla Paschalis II. *pro parthenone S. Petri de Luco.*

Anno 1107. v. non. octobris.

Ex tabulario ejusdem parthenonis.

Ad lib. XXIV. n. 40.

PAschalis episcopus servus servorum Dei dilecte filie Beatrici abbatisse monasterii sancti Petri, quod juxta oppidum Luci situm est in Diecesi Florentina, ejusque posteris regulariter substituendis in perpetuum. Austri terram inhabitantibus per prophetam Dominus precipit cum panibus ocurrere fugienti. Idcirco vos filie karissime de seculo fugientes gratanter excipimus, & per sancti Spiritus gratiam sedis apostolice munimine confovemus, statuimus itaque, ut quecumque predia, quecunque bona, que idem cenobium ex oblatione Gothidii bone memorie viri, & concessione Rodulfi Camaldulensis prioris in presentiarum possidet, vel in posterum concessione pontificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium, Domino largiente, juste atque canonice poterit adipisci, firma vobis, & eis, que post vos successure sunt, & illibata permaneant. In quibus hec visa sunt propriis vocabulis exprimenda, scilicet pars de oppido Luci cum pertinentiis suis; Larciane ville pars cum pertinentiis suis; pars de Cantamerulo; pars de Rivo frigido cum pertinentiis suis, & de Rivocornoclario cum pertinentiis suis; pars de villa Castri, & de villa Silvæ, & Frene cum pertinentiis suis. Infra urbem Florentinam una domus juxta ecclesiam sancti P...., alia juxta ecclesiam sancti Donati, & cetera, que in ejusdem urbis territorio monasterii vestri sumptibus adquisistis. Laborum vestrorum quoque decimas, preter episcopi, seu episcopalium ministrorum contradictionem, perpetuo vobis habendas concedimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat idem cenobium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexaminibus fatigare, sed omnia integra conserventur earum, pro quarum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Porro locus ipse semper sub Camaldulensis prioris provisione permaneat, nec episcopo, nec episcopi ministris liceat ejusdem loci congregationem, aut ejus presbyteros excommunicare, vel interdicere, vel super ullo negotio molestare, nisi prius Camaldulensem priorem charitatis studio perquisierint. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, secularisve persona hanc nostram paginam sciens contra eam temere venire temptaverit; & semel, bis, ter commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, in excommunicationem incidat, & potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore, & sanguine Dei, & Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem congregationi justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Paschalis catholice ecclesie episcopus.

Verbo	*Domini*
SCS.	SCS.
PETRUS	PAULUS
PASC	HALIS
PP.	II.
Celi fir	*mati sunt.*

BENE VALETE

Datum apud Biblenam per manus Johannis S. R. E. Diaconi cardinalis ac bibliotecarii V. nonas octob. indictione I. Dominice incarnationis anno M.C.VIII. pontificatus autem domini Paschalis secundi pape IX.

CXLII.

Henricus dux filius Guelfonis ducis donat terras ecclesiæ S. Mariæ de Carceres.

Anno 1107. XIIII. octobris.

Ex Muratorii antiquitatibus Estensibus, P. I. pag. 202.

Ad lib. XXIV. n. 42.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione ejusdem millesimo centesimo septimo quartadecima die intrante octubre indictione septima. Ecclesia beatissime sancte Marie constructe in loco, qui vocatur le Carcere sub regione Patavensis episcopatus, ubi nunc presbyter Andreas ordinatus esse videtur. Ego quidem Henricus dux filius quondam Guelfonis ducis, qui professus sum ex natione mea lege vivere Langobardorum offertor & donator ipsius ecclesie; propterea dixi, quisquis *&c.* Ideoque ego supradictus Henricus dux dono & offero a presenti die in eadem ecclesia pro anime mee mercede, idest braydum donnicatum jacentem juxta eamdem ecclesiam & de Clusurella omne illud quod mihi competebat secundum quod vicini dederant, quod autem supradictum braydum juris mei una cum accessione & ingressu, seu cum inferioribus & superioribus & cum pascuis & venationibus, piscationibus, relassationibus, quod ut honor videatur isti ecclesie & supradicto duci ab hac die in eamdem supradictam ecclesiam sancte Marie. Ego supradictus Henricus dux dono, cedo, confero & per presentem cartam offersionis ibidem habendum confirmo, faciendum exinde pars ipsius ecclesie, aut cui pars ipsius ecclesie dederit, a presenti die proprietario jure & nomine quicquid voluerit sine omni mea & heredum meorum contradictione. Quidem spondeo atque promitto ego supradictus Henricus una cum meis heredibus me parti ipsius ecclesie, aut cui pars predicte ecclesie dederit istum braydum, qualiter supradictum fuit, ab omni homine defendere, quod si defendere non potuerimus, aut per quodvis ingenium subtrahere quesierimus, tunc in duplum illum supradictum braydum parti ipsius ecclesie, aut cui pars ipsa ecclesie predicte dederit, restituemus, sicut pro tempore fuerit melioratum, aut valuerit sub estimatione in consimili loco.

Hoc actum est apud sanctam Theclam de Este feliciter.

† Signum manus supradicti Henrici ducis, qui hanc chartam offersionis & donationis fieri jussit.

† Signum manuum testium, qui sunt Johannes Pagani filius de Mela, & Guilielmus frater ejus, & Ugo comes, & Azo de Vighizolo, & Nicolaus filius Petri judicis viventis lege Langobardorum, & Bericho da la Rocha, & Octo, Araldo, Arafaldo, qui omnes rogati fuerunt testes.

Ego quidem Anraldus notarius simulque legisperitus hanc cartam offersionis & devotionis supradicti Henrici ducis scripsi.

CXLIII.

Petrus clericus donat Pulveramo abbati Vangaticiensi terras in loco Carpi.

Anno 1107. XVI. kl. januarii.

Ex autographo abbatiæ Vangaticiensis.

Ad lib. XXIV. n. 39.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo septimo sextodecimo kal. genuarii indictione quintadecima, monesterio beatissime Marie virginis, quod est constructum justa ripam Adecim in loco, qui dicitur Petra, ubi multe res ab omnibus hominibus delegate sunt, ubi nunc domnus Pulveramus abbas presens esse videtur. Ego quidem in Dei nomine petentis nomine Petrum clericum de loco Carpi, qui professus sum ex natione mea lege vivere Romana, ofertor & donator ipsius monasterii, propterea dixi. Quisquis *&c.* Ideoque ego Petrus dono & offero ad partem predicti monasterii per predictum habatem proprietario jure, idest pecia una de terra aratoria juris mei, quam ego habere & possidere visus sum in fundo Carpi, in loco qui dicitur.... & pecia de tera per mensuram justam per longum perticas ... *&c.* ab uno capite perticas .... &c. *Charta evanida est de cetero.*

Actum in loco Habatia. Feliciter.

Signum manum predicti Petri clerici, qui hanc chartam offersionis pro mercede anime sue scribere rogavit.

Signum manum †† Odelrii ex Abacia, & Martini & Stefani de Vangadicia, Johannis medici, & Engeni de Nigrono.

Ego Albericus notarius rogatus scripsi.

CXLIV.

CXLIV.

Castrum & curtem Partinæ offerunt eremo Camaldulensi Ormannus & Guido germani.

Anno 1108. menſe majo.

Ex autographo Fontis-boni.
§. Donatio. n. 234.

Ad lib. XXIV. n. 43.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus milleſimo centeſimo octavo menſe madio indictione prima feliciter Chriſto hauctore. Nos quidem Ormannus & Guido germani filii quondam Raineri qualiter per hanc cartulam offerſionis nomine a preſenti die dare, & tradere, & offerre, ſeu & confirmare providimus in eccleſia & ermitorio ſancti Salvatoris de Campo amabili pro Dei timore & remedium anime Ugonis, qui fuit germano noſtro & noſtra & de genitrice noſtra & de genitori noſtri, ideſt omnia integram partem de caſtello & de curte, ſicut Ugonem, qui fuit germano noſtro abuit & detinuit quintodecimo die antequam mortuus fuerit, vel alii per ipſum de caſtello, & curte de Partina, & eſt poſito ipſo caſtello & curte infra teritorio de plebe ſancte Marie ſitum Partina, cum omnibus integris eccleſiis, caſis, caſcinis, teris & vineis, ſorti & domnicatis, molendinis, aquis, rivis, pratis, campis, ſilvis, aquimolis, omnia & in omnibus ubicumque ad ſupraſcriptam partem predicti Ugoni fuit pertinentes infra predicta curte de Partina. Ideo prenominatis caſtello & curte & eccleſiis una cum omnia jacentia & pertinentia ſua, cum omnibus ſuorum edificiis ſuper ſe & infra ſe abentes in integrum, ſicut ſuperius legitur, in predicta eccleſia jam dicta tera & res dare & offerre ſeu & confirmare providimus, ut omni tempore ſupradicto caſtello & curte in proprietate de predicta eccleſia permanead ſemper ad ſuntum fratrum monachorum vel ibidem famulantium. Et quod fieri non credimus, ſi forſitan nos ſupraſcripti germani &c. tunc dupla tanta & talis jam dicto caſtello & curte &c. Actum in loco Fontebona ante hoſtium ſancti Donati.

Signa manuum ſupraſcriptorum germani Ormani & Guidonis, qui hanc cartula, ſicut ſuperius legitur, fieri rogaverunt.

Signa manuum Alberti filii quondam Raineri, & Gobbo filio olim Bolgari, & Uberti filii bone memorie Ardingoli, & Lanfridi filii quondam Soffridi, & Minuto filio bone memorie Leonis rogati teſtes, & manibus eorum ſcribere rogaverunt.

Ego Ildebrandus notarius ſcripſi & complevi.

CXLV.

Charta emphyteuſis, quam fecit Johannes abbas S. Michaelis Piſarum Bono & Gherardo fratribus.

Anno 1108. VIII. id. ſeptembris.

Ex tabulario ejuſdem monaſterii.

Ibidem.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Anno ab incarnationis ejus mille centeſimo nono, octavo idus ſeptembris indictione ſecunda. Manifeſti ſumus nos Bono & Gherardo germani filii quondam Morelli, quia tu Johannes abbas de eccleſia & monaſterio ſancti Michaelis, qui eſt fundato etdificato foras civitatem Piſa prope porta, que dicitur Samuel, per cartula livellario nomine, ac cenſum & perexolvendum dedis nobis una petia de terra cum caſſina, & curte, & orto, & terra arabile tota inſimul, qui eſt poſitas in loco, & finibus Ghetiano, ubi dicitur Vignale, qui eſt pertinentes ſupraſcripte eccleſie & monaſterio ſancti Michaelis, quas ipſa petia de terra eſt tenens uno capo in via publica, & alio capo tenet in terra de filio quondam Gherardi de Grima. Lato uno tenet in terra de ſupradicti filii quondam Gherardi Vicecomes, & alio lato tenet in terra de filiis quondam Johanni, & ſuis conſortibus, & in terra Uberti quondam . . . . & in terra de nepoti ſui & in terra ſupraſcripte eccleſie ſancti Michaelis ad ſupradicta petia de terra cum caſſina e curte e orto & terra arabile, qualiter ab omnis parte circumdata eſt per deſignatas locas in imtegrum cum inferioribus, & ſuperioribus ſuis, ſeu cum acceſſionibus, & ingreſſoras ſuas nobis eas livellario nomine dediſti de pars ſupradicte eccleſie tali ordine, ut ad admodum in noſtra, qui ſupra, Bono, & Gherardo germani, vel noſtris eredibus ſint poteſtate noſtra abendi, tenendi, imperandi, gubernandi, laborare faciendi, meliorandi, & nobis eas privatum no-

mine abendi, & usumfructuandi, & inde tibi, vel a posterisque successoribus tuis per singulos annos per omnem mensem september censum exinde vobis reddere debemus ad supradicto monasterio sancti Michaelis vobis, vel a posterisque successoribus tuis, aut ministerialem illum monacus, vel laicus, qui in supradicto monasterio ordinatus fuerit, per nos, aut per misso nostro arientum denarios bonis expendibilis de moneta de Luca numero sexaginta, e viginti staria de grano bono a stario justatiale, quale pro civitate Pisa percurrit, & in pascua de Nativitate Domini, vel in die sancti Stefani, aut sancti Johanni duo paria de galline bone, & omnem anno in prato duo falcifeno secandi, & uno carro cum boi de feno tracto a finele vestro de suprascripto ecclesia, & in suprascripta terra, que supra sancti Michaeli ibidem abituri erimus cum nostra massaricia tantum, & si a nos vobis & omnia qualiter superius *&c.* & nos vobis suprascripta petia de terra, que superius *&c* quas nobis livellario nomine de pars suprascripte ecclesie livellario nomine dedisti, relaxaverimus, vel minuaverimus, vel si per nos pejorata fuerit per colibet ingenio. Spondemus nos, qui supra Bono, & Gherardo germani una cum nostris eredibus componere tibi Johannes abbas, vel a posterisque successoribus tuis a pars supradicte ecclesie e monasterio sancti Michaelis penam arientum de denari de Luca expendibilibus solidorum centum, quia taliter inter nos convenit, & duos inter nos libelli Folcheri notarius domni regis scribere rogavi.

Actum infra claustra suprascripte ecclesie.

Signum de manibus suprascripti germani, qui unc scriptum fieri rogaverunt.

Signum de manibus Martino filio quondam Goti, Raynerii quondam Citelli, Johannes quondam Alberti testes.

Ego Folcheri notarius domni regis post tradita complevi & dedi.

CXLVI.

Sicherius & Mingarda conjuges vendunt terras in loco Petra-ficta eidem Johanni abbati.

Anno 1109. IIII. id. januarii.

Ex autographo ejusdem tabularii.

Ad lib. XXV. n. 6.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnationis ejus millecentesimo nono, quarto idus genuarii indictione secunda. Manifesti sumus Sicheri filio quondam Lamberti, e Mingarda jugales, & filia quondam Ribaldini, quia communiter & consentientes mihi supradicto vir meus, ubi e secundum legem interesse videtur notitia Boni judex ab eo secundum legem interrogata e cognita sum ego, quod nulla me passa sim violentia, se pura integram mea bona voluntas sequentes edicti painam communiter e consentientes mihi supradicto vir meus per hanc cartula vendamus & tradimus tibi Johannes abbas de ecclesia & monasterio sancti Michaelis, qui est fundato & dificato foras civitatem Pisa prope porta, que dicitur Samuel, a utilitatem e proprietatem supradicte ecclesie sancti Michaelis, idest medietatem integram ex parte occidentis de una petia de terra nostra illa, que est vinea, quam abemus in loco & finibus Gerbareto, ubi dicitur Petrafícta, & prope via de Castello, quas ipsa petia de terra est tenens uno capo in via publica, & aliquantulo tenet in terra & vinea Uberti quondam item Uberti, & alio capo tenet in terra Lamberti quondam Petri, & in terra .... lato uno tenet in terra e vinea Petri quondam Albiti, & de nepoti sui, & alio lato tenet in terra supradicti Lamberti quondam Petri, & in terra supradicti Uberti quondam Uberti ad supradicta petia de terra, que est vinea, in eodem loco qualiter ab omnis parte circumdata est per designatas locas, que est insuper tota per mensura ad justa seminatura stariorum viginti, & sex e medio stariorum, e quartam portionem de uno panorum, ut dictum est, medietatem integram de supradicta petia de terra cum vinea que superius, & ex parte occidentis in integrum cum inferioribus, & superioribus suis, seu cum accessionibus, & ingressoras suas tibi eas communiter, & consentientes a pars supradicte ecclesia, & monasterio venundamus & tradimus

mus, pro quibus merito recepimus da Vvido clerico quondam Gherardi pro persona tua, qui supra Johannes abbas, anulo de auro uno per solidos mille centum nonaginta, & tres da pars supradicte ecclesie in prefinito, unde repromittimus nos, qui supra jugalibus communiter & consentientes una cum nostris eredibus tibi, qui supra Johannes abbas, vel ad tuis successoribus a parte supradicte ecclesie, aut eidem omini, cui vos supradicta nostra venditio de pars suprascripta ecclesia dederitis, vel abere decreveritis, ut si nos vobis eas aliquando tempore in alio exinde intentionaverimus, aut rectolli, vel suptrai quesierimus, nos vel ille omo, cui eas dedissemus, aut dederimus per colibet ingenio, & si nos exinde auctores dare volueritis, & eas vobis ab omni omine a parte supradicte ecclesie, vel ejus rectores defendere non potuerimus, & non defensaverimus, spondimus nos vobis componere supradicta nostra venditio, & tradictio in duplum in ferquidem loco sub estimatione a pars supradicte ecclesie, vel ejus rectores, quales tunc fuerit, sic tamen si nos exinde auctores, nec defensores querere, nec dare nolueritis, licentiam abeatis apsque nostra persona. Si vestra fuerit voluntas, exinde causas agendi, responsum reddendi, finem ponendi modis omnibus vobis eas defensandi, cum cartula ista vel qualiter justa legem melius potueritis, quia in tali ordine anc cartula Folcheri notarius domni regis scribere rogavi. Actum loco & finibus Calci, ubi dicitur a la Mora.

Signum de manibus suprascripti Sicheri e Mingarda jugales communiter & consentientes, qui anc cartula fieri rogaverunt.

Ego Bonus sacri Lateranensis palatii judex interfui.

Signum de manibus Raineri filio quondam Bernardi, Johannes filio quondam Boniti, Bonaccio quondam Boniti testes.

Ego Folcheri notarius domni regis post tradita complevi & dedi.

CXLVII.

Ugo comes filius Uguccionis comitis donat eremo Camaldulensi monasterium S. Mariæ de Morrona.

Anno 1109. kl. februarii.

Ex autographo Fontis-boni. §. Donatio. n. 241.

Ad lib. XXV. n. 1.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo nono, ipso die kalendarum februarii indictione secunda. Constat me Ugonem comitem filium quondam Ugiccionis quondam comitis per hanc cartulam pro anime mee remedio, & pro remedio animarum mei patris vel mee matris offerre, donare, cedere, tradere tibi omnipotenti Deo & sancto Salvatori scito loco Campo amabili, itest ecclesia & monasterium Domini & sancte Marie virginis, quot est constructum & edificatum, sive construendum vel edificandum in loco & curte mea, que nominatur Morrona, cum omnibus rebus & juribus sibi pertinentibns, tam ea, que modo habere & possidere visum est, quam ea, que in antea Domino largiente quoquo mo adquisiturum erit; hec enim omnia & in omnibus, que supradicta sunt confirmo, & concedo, & obligo me meosque heredes hac proheredes meos in perpetuum patronatum tamen meum michi reservo meisque heredibus hac proheredibus natis ex legitimo conjugio. Causa benefaciendi & defendendi contra omnes inimicos ejusdem ecclesie, & monasterii secundum meum posse. Et insuper volo & constituo atque dispono, ut hec enim omnia, que supradicta sunt semper sint in potestate domni Martini prioris Camaldulensis eremi ejusque successorum catholicorum, scilicet spiritualiter regendi hac regulariter ordinandi in perpetuum; hec enim omnia, que supradicta sunt, confirmo, ita tamen ea ratione, ut nullus episcopus Aretine ecclesie vel fideles ejusdem ecclesie clerici vel laici aliquam potestatem habeant in istis rebus, hec omnia semper permaneant in potestate supradicti prioris & successorum ejus perpetualiter, de illo enim vero jure patronatus, quot in mea vero reservavi potestate, volo atque constituo, ut si unquam in tempore evenerit, vel ego, vel mei heredes mortui fuerimus nullis legitimis heredibus relinquentibus, omnia deveniunt in potestate supra-

prascripte ecclesie sancti Salvatoris proprietario jure, & ut hec cartula mee ordinationis firma & stabilis permaneat semper, obligo me meosque heredes compósituros esse penam optimi auri librarum centum suprascripte ecclesie. Hoc factum est juxta abatiam sancte Marie scito Pulliciano infra plebem sancte Marie de Cellule in comitato Vulterrano.

Signum manus suprascripti Ugonis comitis, qui hanc cartulam fieri rogavit.

Ego Raignerius abbas interfui ss.

Ego Gerardus abbas interfui & ss.

Signa manuum Gerardi filius quondam Ugonis, & Rugerii filius quondam Johannis, & Ugonis filius quondam suprascripti Gerardi testium.

Guido notarius sacri palatii post traditam complevit & dedit.

CXLVIII.

Guido & Gualfredus una cum suis fratribus & aliis consortibus donant eidem eremo castrum Mucchii.

Anno 1109. mense martio.

Ex autographo prænotati archivi. §. Donatio. n. 237.

Ad lib. XXV. n. 8.

IN nomine Domini Dei eterni. Anni ab incarnatione ejus centesimo nono post mille mense martio indictione tertio. Et ideo Christo auctore nos quidem Guido & Gualfredus, & Ildebrandus, & Ugo, & Albertus, & Teberto germani filii bone memorie Teberti & Giolitta genitrice nostra filia bone memorie Brittuli & Adalasia jugalibus ejusdem Guidi filia Alberti & Ildebrando & Raineri germani filii bone memorie Gerardi & Emma jugalibus; eidem Ildebrandi filia Gerardi & Suffia jugalibus; eidem Raineri filia item Raineri & Guido filio bone memorie Lanberti, & Adorna genitrice mea filia bone memorie Petri, & Ugo filius bone memorie Bulgari, & Suffia jugalibus; eidem Ugoni filia Rolandi. Nos quidem Adalascia & Emma, & Suffia & Suffia, quia stante nos una cum ipsi viros nostri a casa abitationis nostre in loco intus castello de Mucchi in presentia Sigici judicis, a quibus secundum legem interrogate simus, & de aliorum bonorum hominum, in quorum presentia & testium certam fecimus professione, quod nullos nos congentes nec vim facientes, nisi nostra bona & spontanea voluntate & jandicti viros nostros nobis consenserunt, & comiatum dederunt, & nos quidem Giolitta & Adorna una per consensum & data nobis licencia de suprascriptorum filii & mundualdi nostri acomuniter nos predictorum jugalibus & genitrices & filii predicti timore & remedium anime nostre per hanc cartam offersionis n...m a presenti die dare & tradere atque offerrere providimus in ecclesia & eremo sancti Salvatoris sito Camalduli, videliced nostra portione de castello illo, qui vocatur Muchi fini terminum, quod nos positum abemus insuper cum fossa & carbonaria, & exito & introito & insimul dare & tradere atque offerrere providimus a predicta ecclesia & eremo videliced integris modiorum tres a stario de decem partis a justa mensura qualis consuetudo est istius terre de terra illa duo modiorum, que est posita prope ipso castello fini via desuper, & fini via de filii Teberti de subto, alio modioro de terra illa est posita in loco qui vocatur Faita. Ideo predicto castello, & terra & res, sicut super legitur, una cum omnibus edificiis & meliorationibus suorum super se & infra se abentibus in integrum in ipsa ecclesia & eremo dare & tradere atque offerrere providimus, ut omni tempore a jure proprietate de ipsa ecclesia firma & stabile permanead semper. Et quod facturi esse non credimus, si forsitans nos predictorum jugalibus & genitrices, & filii vel nostris heredibus aut personas a nobis submissas, quos miserimus vel qui cum qualibet nostro facto veniad per quolibet ingenium, cui nos eas dedissemus aut dederimus, qui contra pars predicte ecclesie & de suis rectoribus in aliquid exinde contrariare aut retollere vel minuare aut intentionare presunserimus vel si eas nos ad ipsa ecclesia & a suis rectoribus ab omnibus hominibus utriusque sexu defendere non potuerimus, & non desensaverimus, tunc dupla tanta & tale predicta res qualis tunc ipsa fuerit sub estimatione in consimilibus locis de nostris propriis rebus, sicut pro tempore fuerint melioratis a parte ecclesie & eremo restituere & persolvere debeamus, & si oportum fuerit a custus, qui modo de ipsa ecclesia est aut fiunt, licentiam & potestatem abeant una cum ista carta, & cum eorum advocatore causa exinde agendum, fine ponendum, responsum reddendum secundum legem, qua melius potuerint sicut & nos facere debeamus. Actum intus predicto castello teriturio Volaterano.

Signa

Signa manuum de suprascriptorum jugalibus & genitrices & filii, qui hanc cartam comuniter & consentientes, sicut superius legitur, fieri rogaverunt.

Ego Sigizo judex sacri palatii suprascripte mulieres interrogavi & subscripsi.

Signa manuum Uberti filio Segnoriti & Germundi filio Petri, & Enrici filio Griffi, & Alberti filio Cici rogati sunt testes.

Hanc cartam a suo scriptore finem non accepit propter absentiam judicis, & ideo ego judex finem impono.

CXLIX.

Vitina vendit terras eidem eremo Camaldulensi.

Anno 1109. VI. kl. aprilis.

Ex autographo monasterii S. Mariæ Angelorum Florentiæ.

Ad lib. XXV. n. 3.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus centesimo nono post mille, sexto kalendas apriles indictione secunda feliciter. Manifesti sumus nos Vitina filia b. m. Pagani fuit cognus Petri filio b. m. Donati, & Donato filius ipsius Petri, & Vitine, & Hermingarda jugalis filia Florentii communiter, set ego quidem Hermingarda interrogata sum ab Beniamin judice sacri palatii, ut si ego per alicujus hominis virtutem, aut de ipso viro meo, vel per meam bonam voluntatem .... cartam fecissem, quapropter ego manifesta dixci, ... llius hominis virtutem, neque de ipso viro meo non facio, set per meam voluntatem facio, & ipso viro meo mihi consensit, & commiatum dedit, & ego Vitina per consensum de ipso filio meo communiter vero jugales, & Vitina, quia per hanc cartulam vendimus, & tradimus nos in ecclesia & monasterio sancti Salvatoris sito Campo hamabili, idest duo petia de terra illa, que sunt ad uno ...., que sunt posite in loco qui nominatur Bucca .... decernimus ipsa petia de terra, que de duabus partibus est finis terra, que fuit Petri filio Alaperti, de tertiam partem finit terra de ipsa ecclesia, de quarta parte est finis terra de nepote Petri filio Donati, & de suis consortibus infra ipsa designata loca de supscripte petie ..... stariorum quinque & panorum novem ad pedem, qui est designa .... juxta porta sancti Pancratii .... per hanc cartulam damus, & tradimus in ipsa sancta ecclesia, & monasterio una cum omnia super se & infra se habentes in integrum, sicut supra legitur, in ipsa sancta ecclesia vendimus; & tradimus ad possidendum, pretium vero pro ipsa venditio nostra recepimus nos jugales, & Vitina venditores ad Johannes filio b. m. Donati ad vice de ipsa ecclesia sancti Salvatoris inter argento, & alia mobilia prevalente libras tres, & solidos duodecim finito pretio, & supplentes ...... unde pretio amplius nulla exinde reddere debere diximus .... quod fieri non credimus, si forsitan nos jugales, & Vitina, vel nostri heredibus, aut summissa persona quam miserimus, vel que cum qualibet nostro facto veniat per quolibet ingenium, cui nos eam dedissemus, aut dederimus, que a pars ipsius ecclesie in aliquid exinde contrariare, aut retollere, vel minuare, aut intentionare presumpserimus, aut si eam vobis a pars ipsius ecclesie ab omni homine hac femina defendere non potuerimus, & a pars ipsius ecclesie non defensaverimus, tunc dupla tanta, & tale jam dicta terra, atque venditio nostra, qualis tunc ipsa fuerit sub estimatione in consimili loco de nostris propriis rebus a pars ipsius ecclesie, & monasterio restituere ac persolvere debeamus, & si oportum fuerit a pars ipsius ecclesie licentiam & potestatem habeant una cum ista causa exinde agendum, finem ponendum, responsum reddendum, & usque ad veram legem perducendum, quam melius potuerint, sicut & nos facere debuimus. Actum Florentia.

Signa manuum suprascriptorum jugalium, & Vitine, qui hanc cartulam, sicut supra legitur, fieri rogaverunt, & ipsius Donato a predicte cognugi, & genitrix sui consensit.

Ego Beniamin judex sacri palatii, quia predictam Ermingardam interrogavi ss.

Signa manuum Johanni filio Donati, & alii Johanni filio Rustichi, & Himoricti, & Donati filio Petri filio Florendicti, & Rolandini filio Petri filio Rustichelli, & Vualteri filio Morandi Campellarii rogati testes.

Sichelmus notarius ..... post tradita complevi.

CL.

CL.

Ugo comes vendit Gerardo abbati Morronensi castrum Vivarii & curtem Aquisianæ.

Anno 1109. VIII. id. aprilis.

Ex authentico archiepiscopi Pisani. n. 211.

Ad lib. XXV. n. 6.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo nono octavo idus aprilis indictione secunda. Manifestus sum ego Ugo comes filius quondam Ughiccionis comitis, quia per hanc cartam vendo & trado ecclesie & monasterio Domini, & sancte Marie, sanctique Benedicti, que est constructa & edificata prope Morronam, in qua Gerardus gratia Dei abbas, & rector consistere videtur, videlicet medietatem integram de tota mea portione de Aquisiana curte cum alia medietate de tota mea portione de castello, quot nominatur Vivarium, cum tota virtute & eorum districtu, & cum omni jure & hactionibus, seu omni earum pertinentia, excepto, & antepono castellum de sancta Lucia cum curte ejusdem castelli. Predictam vero integram medietatem de mea portione de supradicta Aquisiana curte, & de supradicto castello de Vivario cum omnibus casis, & cassinis seu casalinis, simulque terris, & rebus, vel substantiis meis, ideo tam de casis & rebus dominicatis, quam & de massericiis cum fundamentis, & omnibus edificiis, vel universis fabricis earum, seu cum curtis, ortis, terris, vineis, olivis, silvis, virgaretis, pratis, pascuis, cultis rebus, vel incultis, sive de mobilibus vel immobilibus, seu que semoventibus, sive de nutriminibus meis majoris vel minoris; de quibuscunque rebus, & ubicunque in qualibet locis vel vocabulis, & ubicunque habere & possidere visus sum infra supradictam curtem, & supradictum castellum, & mihi per quemcumque ordinem legibus sunt pertinentes, aut in antea pertinere debentur, tam de jure parentum meorum, quam & de acquisitu meo, quot modo habeo & possideo, vel quot in antea Deo adjuvante legibus adquisiero infra supradictam curtem, & supradictum castellum una cum omnibus cartis, & brevibus, seu judicatis, vel quibuslibet litterarum scriptionibus, quante & quales in me misse, aut date sunt, vel pertinentes, aut undecunque esse inveniuntur, ut dictum est, supradictam medietatem de tota mea portione de supradicta curte, & de supradicto castello in integrum cum inferioribus & superioribus suis, seu cum finibus & ingressibus earum, tibi suprascripte ecclesie & monasterio integram medietatem vendo & trado. Pro qua nostra venditione & traditione recepi meritum ab Gerardo abbate, & rectore suprascripte ecclesie unum par pellium in prefinito. Unde repromitto ego, qui supra, Ugo comes una cum meis heredibus tibi supradicte ecclesie, tuisque rectoribus, aut eidem homini, cui vos supradictam meam venditionem, & traditionem dederitis, vel habere decreveritis, ut si nos vobis eam aliquando tempore in aliquo exinde intentionaverimus, aut retolli vel subtragi quesierimus nos, vel ille homo, cui nos eam dedissemus aut dederimus per quotlibet ingenium, & si nos exinde auctores dare volueritis, & eam vobis ab omni homine defendere non potuerimus, & non defensaverimus. Spondimus nos vobis componere suprascriptam meam venditionem in duplum inserquido loco sub estimatione qualis tunc fuerit. Sic tamen si nos exinde auctores nec defensores quesiti non fuerimus, licentiam habeatis absque nostra persona si vestra fuerit voluntas, exinde causam agendi, responsum reddendi, finem ponendi, modis omnibus vobis eam defensandi, cum carta ista, vel qualiter juxta legem melius potueritis, & tali ordine hanc cartam Guidonem notarium sacri palatii scribere rogavimus. Hactum Pancule juxta ecclesiam sancti Petri infra plebe de Cellule in comitato Wlterrano.

Signum † manus suprascripti Ugonis comitis, qui hanc cartam fieri rogavit.

Signa † † † manuum Gerardi filii quondam Ugonis, & Henrici filii quondam Villani, & Ugonis filii supradicti Gerardi testium.

Guido notarius sacri palatii post traditam complevit & dedit. Ista carta facta est eo tenore, quod si ego, qui supra, Ugo comes legitimum filium, vel filiam habuero, & nos tibi suprascripte ecclesie, & monasterio, aut rectori ad utilitatem ipsius ecclesie per nos aut per missos nostros reddidimus libras quadraginta de bonis denariis expendibiles de moneta de Luca, suprascripta carta sit inanis & vacua, & in nostra deveniat potestate, & dum ego legitimum filium vel filiam habuero, & forsitan ipsas libras de bonis denariis expendibiles de moneta de Luca

ca vobis reddere non potuerimus aut noluerimus. Tunc ſtatim prefata eccleſia habeat iſtam medietatem predicte rei donec nos, vel noſter miſſus predictas libras de bonis denariis eidem eccleſie, & monaſterio reddiderimus. Et ſi ego ſine legitimo filio vel filia mortuus ero, vel ſi habuero, & ante legitimam etatem ſine legitimo filio vel filia mortuus fuerit, tunc volo & irrevocabiliter firmo, ut omnia, que ſupra leguntur, cum alia medietate de ipſa curte & ſupradicto caſtello, quam in mea reſervavi poteſtate, ſint jure proprietario ſupradicte eccleſie nomine oblationis pro remedio anime mee, & parentum meorum abſque omni calumnia.

Ego Ugo notarius apoſtolice ſedis authenticum hujus vidi, & legi, & exemplavi.

Ego Ildebrandus notarius authenticum hujus vidi, legi & ſubſcripſi.

Ego Ugo notarius apoſtolice ſedis authenticum hujus vidi, & legi, & hic ſubſcripſi.

Ex eodem tabulario numero 212. habetur alius contractus venditionis factus ab eodem comite iiſdem pene verbis de caſtello Morronæ eodem anno 1109. Sed ipſo die kalenda februarii: & medietatem de tota mea portione de caſtello, & curte de Morrona *&c.* Pro qua mea venditione, & traditione recepi meritum ab Gerardo abbate & rectore ſupradicte eccleſie, & monaſterii ſpatam in preſinito *&c.*

Hactum juxta abatiam ſancte Marie ſito Puliciano infra plebem ſancte Marie de Cellule in comitatu Wolterrano &c. *cum eodem notario, & teſtibus, præterquam loco Henrici filii Villani, habetur Rugerii filius Johannis, & cum ſimili chirografo conditionali ſuppoſito, in quo loco librarum quadraginta habetur triginta dumtaxat cum ſubſcriptione Bonoſi, Uguccionis, Familiati, Guinitelli & Redulfi notariorum, qui authenticum viderunt, & exemplari ſubſcripſerunt facto a ſupradicto Bonoſo judice ordinario & notario Friderici imperatoris.*

CLI.

Donatio terrarum facta fratribus & ſororibus S. Chriſtinæ de Septem-fontibus a Mainfredo, Ubaldo & Guidone germanis.

Anno 1109. v. kl. octobris.

Ex autographo archivi S. Chriſtinæ de Bononia. I. XI.

Ad lib. XXV. n.5.

† IN nomine Domini. Anni ab incarnatione Domini noſtri Jeſhu Chriſti milleſimo centeſimo nono, regnante vero Enricus rex filius quondam Enrici inperatoris die quinto ante calendas octobris indictione II. Nos quidem in Dei nomine Mainfredus, & Ubaldus atque Guidus germanis filiis cujuſdam domni Guidoni de caſtro Bixano bono animo & voluntatis placet & convenit nobis, ut per hanc cartam donacionis atque offerſionis a preſenti die damus atque concedimus pro remedio & luminaria de quondam Acta genitrice noſtra in eccleſia monaſterio vocabulo ſancta Criſtina de loco, qui vocatur Paſteno, ad ſalva juſticia ſancti Salvatori de Camalduli & tibi donnus Gerardus presbyter in vicem Matilda abatiſa tuiſque fratribus & ſorores, qui in ipſo monaſterio ordinati fuerint, ad habendum, tenendum, & in perpetuum ad juria poſſidendum. Id eſt in curte, que vocatur Saſo nigro viginti tornaturie de terra aratoria cum introitu & exitu ſuo, vel cum omnia ſuper ſe & infra ſe abentem in integrum a pertica de decem pedis menſurata abentem per unamquamque tornaturia ex omni parte perticas decem cum ſuarum juſtis & certis lateribus, vel ſi quis aliis ad fine ſunt. Ipſa vero terra damus & concedimus nos predicti Mainfredus, & Ubaldus atque Guidus tibi, qui ſupra Gerardus presbyter in vice Matilda tuiſque ſucceſſoribus ad habendum, tenendum & in perpetuum ad jura propria poſſidendum, & quicquid vobis ad hutilitatem predicto monaſterio placuerit faciendi. Et neque a nobis ſupradictis Mainfredo, & Ubaldo, & Guido, neque a noſtris heredibus vel pro noſtra ſummiſſam vel ſumittenda perſona nullam exinde abeatis moleſtationem aut cauſacionem vel intencionem: ſet promittimus nos ſupraſcriptis Mainfredo, & Ubaldo, & Guido noſtriſque heredibus predicta terra, qualiter ſuperius legitur, tibi qui ſupra Gerardus

dus presbyter in vicem Matilda abatiſa tuiſque suceſſoribus omni tempore ab omni homine defenſare & auctorizare, & ſi agere aut cauſare preſumpſerimus, aut agentibus conſenſerimus, & non permanſerimus in ea omnia, qualiter ſuperius legitur, alioquin tunc daturi promittimus nos ſupraſcripti Mainfredo & Ubaldo atque Guido noſtriſque heredibus componere & dare tibi Gerardus presbyter in vicem Matilda abatipſa tuiſque ſucceſſoribus pene nomine in argentum denariorum Lucenſium ſolidos centum, & poſt hujus pene ſolutionis hec inſtrumenta donacionis, ſicut ſuperius legitur, tibi omni tempore firma perſiſtat.

Hacta in caſtro Bixano feliciter.

Supraſcriptis Mainfredo, & Ubaldo, & Guido, qui hanc cartam donacionis atque offerſionis, ſicut ſuperius legitur, rogaverunt ſcribere.

††††† Nomina teſtium hec ſunt. Azo presbyter de Bixano, & Petrus legis doctor da monte Armati, atque Brando filio quondam Brando, & Rainerio filio quondam Rainerio caſtaldo de Bixano, & Teuzo filio Petrus da Setefonti, quorum in hanc cartam rogati ſunt.

† Ego Rainbertus tabellius, qui hanc cartam donacionis, ſicut ſuperius legitur, ſcripſi, firmavi.

CLII.

Paganus filius Actonis cum conſortibus donat terras Petro abbati S. Victoris de Cluſis.

Anno 1109. menſe novembri.

Ex autographo archivi S. Catharinæ de Fabriano.

Ad lib. XXV. n. 6.

IN nomine patris & filii & ſpiritus ſancti. Ab incarnacione Domini anno milleſimo centeſimo nono rennante Enrigo res ſup temporibus domnus Paſcaſiu papa die menſe november per indiccione ſecunda. Ideoque ego Pagano filio Acto, & Albrico, & Acto filiis Ugo, & Moſco filio Carbone, & Bernardo filio Acto communiter noſtra bona voluntate ſecundum noſtram legem Langubardorum pro juſta redencione anime noſtre dono & trado, traſacto ad ipſo monaſterio beato ſancto Victore & domnus Petrus abbas ad juris proprietatis a vobis & a veſtris suceſſoribus in ſervum ſervorum Dei in perpetuum; poſita eſt ipſa terra in comitato Caſtellano in loco, qui dicitur in ipſo caſtello de tera infra ipſe carbonarie ad juſta menſura de parcione de Pagano, & de Albrico, & de Acto filii Ugo, medietatem de ipſa parcione &c.

Ego Acto judex ſcripſit complevit, ſicut ſuperius legitur

CLIII.

Gregorius epiſcopus Arretinus dilargitur eremo Camaldulenſi guaitas de caſtro Marciani, & albergarias de caſa de Arcina.

Anno 1110. menſe januario.

Ex autographo Fontis-boni. §. Donatio. n. 245.

Ad lib. XXV. n. 7.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus milleſimo centeſimo decimo menſe genuarius indictione tertia feliciter. Et ideo ego Gregorius gratia Dei Artine ſedis epiſcopus de ecclesia epiſcopali ſancti Donati ſitam Aritio, qualiter per hunc ſcriptum donationis & offerſionis do & offero & concedo ad eccleſia & ermitorio ſancti Salvatoris de Campo amabilis pro anima mea, qui ſupra Gregorius epiſcopus, & pro meis poſteris ſucceſſoribus, id eſt omnia integre ipſe guagite, que conſuetudo eſt ſacere ad caſtrum de Marciano, & que conſuetudo eſt facere de tota terra ſancti Salvatoris, que abet & tenet ad donicatum ſupraſcripta eccleſia ſancti Salvatoris vel rectoribus ipſius eccleſie vel alii omines per ipſum infra toto plebe ſancte Marie ſitam Partina ni.. alicujus hominis ipſius eccleſie eſt conſuetudo facere de aliis eorum tenimentis, que detinet da predicta curte de Marciano, & inſimul do & concedo omnia ipſa albergaria & ipſum uſum, quod conſuetudo eſt facere de caſa de Arcina, que fuit de tenimento Belini, & ſuper obligo me, qui ſupra Gregorius epiſcopus, vel meis poſteris ſucceſſoribus contra predicta eccleſia ſancti Salvatoris vel contra rectoribus ipſius eccleſie, quod ab ac ora in antea ſupraſcripte guaite nec aihgere, nec cauſſe, nec kere, neque moleſta, neque intentionare, & omni taciti & contenti exinde permanſerimus ego predictus Gregorius epiſcopus vel mei poſteris ſucceſſoribus contra predicta eccleſia vel contra rectoribus ipſius eccleſie, & ita

& ita ut dictum est non observaverimus, tunc spondeo & promitto ego, qui supra Gregorius episcopus vel meis posteribus successoribus ad predicta ecclesia sancti Salvatoris, vel ad rectoribus ipsius ecclesie pena num. de bono ariento libras duodecim.

† Ego GREGORIUS Dei gratia Aretinus episcopus ss.

Ego Panzo archidiaconus laudans ss.

Singna manuum Ardimanni vicedomino fil. quondam Guidonis, & Ormanno vicedomino filio quondam Raineri & Gottifridi filii Rofridi, & Petrus filius olim Rodulfi, & Ugo fil. b. m. Guilelmi rogati testes, & manibus eorum scribere rogaverunt.

Ego Ildebrandus not. scripsi & complevi.

CLIV.

Petrus abbas S. Benedicti de Conjunctulis chartam emphyteusis facit Petro abbati S. Victoris de Clusis.

Anno 1110. mense julio.

Ex autographo S. Blasii de Fabriano.

Ad lib. XXV. n. 8.

IN nomine Domini, qui sunt anni Domini millesimo centesimo decimo & regnante donno Enrigo imperatore dies menses julius per indictione tertia. Quoniam certus sum ego domnus Petrus abbas, qui est de predicto monasterio sancto Benedictu de Conjuntuli per voluntatem & consensum desuper scripti sacerdoti & monachis meis, cunctisque clericis de ipsa ecclesia, & secundum mea lege Romana profitens profiteo sindicario nomine concedimus & vindimus & tradimus a tibi domnus Petrus abbas . . . . . , qui est de predicto monasterio sancto Victorino, qui nominatur Victoriano de la Clusa. Idem est ipsa terra, quis est posita in ducato Spolitino & in comitato Castellano in loco qui dicitur Varano, & illo plano de Recereta, primo latere terra sancte Marie de Plano, & secundo & tertio & quarto latere terra de ipsa ecclesia sancto Victorino perveniente in primo latere, infra isti lateribus ad justa mensura modiorum duo. Si plus fuerit in ista cartula permaneat cum terris, vineis, silvis & pomis & arboribus, scilicet cum omnia, que infra se vel supra se jacentur in integrum habere, tenere, vindere & donare facere quis tibi placuerit, dedisti de vestro pretio tantum inter nobis & vobis bene complacuit, & bono animo convenit, quia si & promitto & obli me domnus Petrus abbas & a tibi domnus Petrus predictus abbas etiam salva pensione reddendum ad ipsa ecclesia, cui proprietate est, & per transitum debet ejus abbas revertere ad ipsa ecclesia sancto Benedicto sine omnis calumnia, si contra ista cartula ire, agere, causare, defendere per nullo malum injenium ipsa terra tollere non possamus, & si frangere unquam in tempore per nullum malum injenium, quod homo cogitare vel dare possis, jam daturi de bono ariento solidos xxx. postea ista cartula firma permaneat usque perpentuum tempus.

Sic ego domnus Petrus abbas, qui ista cartula fieri rogavi.

Sic ego Johannes, & Petrus prior, Dominico consensi.

Ego Ugo judicem complevit.

CLV.

Charta emphyteusis facta a Johanne abbate S. Michaelis in Burgo Pisarum Rustico, Uberto & Actio consortibus.

Anno 1110. XVII. kl. augusti.

Ex archetypo chartularii ejusdem monasterii.

Ad lib. XXV. n. 9.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnationis ejus mille centesimo undecimo septimodecimo kalendas augusti indictione tertia. Manifesti sumus nos Rustico filio quondam Golfi, & Uberto filio quondam Ceci, & Actio quondam..... quia tu Johannes abbas de ecclesia, & monasterio sancti Michaelis, qui est fundato edificato foras civitatem Pisa prope porta, que dicitur Samuel, dedisti nobis merito anulo de auro uno, propterea per hanc repromissionis painam repromittimus tibi, ut da admodum alico tempore nos qui supra Rustico, & Uberto, & Actio, vel nostris eredibus non abemus potestatem, neque licentiam illam terram, quam nobis, qui supra Johannes abbas per libellum dedisti, qui est posita foras civitatem Pisa, ubi dicitur muro vetero, dandi alicui persone vel loco, vel per libellum, vel per vendictionem, vel per aliquem contracto, quod damnum sit suprascripte ecclesie sancti Michaelis vel alicui potentiori persone dare alico modo, nec etiam per usum-

usumfructu. Unde repromittimus nos qui supra, Rustico, & Uberto, & Actio, vel nostris eredes tibi, qui supra, Johannes abbas, vel ad tuis successoribus, ut dictum est, ut si hec omnia, que superius &c. taliter non fecerimus nos, vel heredes nostri, & non adimpleverimus, sicut supra &c. per colibet ingenio. Spondemus nos, qui supra Rustico, & Uberto, & Actio, vel nostris eredibus componere tibi, qui supra Johannes abbas, vel a tuis successores a pras suprascripte ecclesie, aut eidem omini, qui unc promissio per manibus abuerit, & eum nobis opstenderit penam arientum optimum libras viginti, quia in tali ordine unc promissio Folcheri notarius domni regis scribere rogavit. Actum infra claustra suprascripte ecclesie.

Signum de manibus suprascripti Rustichi, & Uberti, & Acti, qui unc promissio fieri rogaverunt.

Ego Ildebrandus judex sacri palatii Lateranensis.

Signum de manibus Pandulfi filio quondam Ughi, Martino Allabarda vocatus, Benedicto quondam Landulfi testes.

Ego Folcheri notarius domni regis post tradita complevi, & dedi.

CLVI.

Rainerius & Guinizo renuntiant suum jus in bona ecclesiæ S. Mariæ de Toma territorii Senensis Bertæ & Guillæ monialibus.

Anno IIII. kl. aprilis.

Ex originali archivi Rosæ Senarum. n. 58.

Ad lib. XXV. n. 18.

IN Dei nomine eterni Salvatoris nostri Jesu Christi. Anni ab incarnatione ejus millesimo centesimo undecimo kalendis aprilis indictione septima. Manifesti sumus Raginerio filius quondam Gualandi & Guinizo filius quondam Adelmino ambo in simul comuniter atque bona nostra voluntate per unc scriptum promisionis sponsionis sempiterne future obligationis perpetue spondimus & obligamus nos & nostros filios & erede vobis Berte & Guile, & a vestros posteros successores de ecclesia sancte Marie sito Toma, unde vos majores etiam nominative de omni rebus mobilibus & immobilibus, que modo suprascriptum venerabilem locum modo abet & detinet, & in antea acquisierit per quovis modum, si unquam in aliquo tempore agere, causare vel molestare presumpserimus per nos ipsos aut sumittente persona nostra facta antea aut postea per placitum aut sine placitum, & omni tempore taciti & quieti inde non erimus, & vos & vestros successores & suprascriptum venerabilem locum securos & quietos & indemnes non permiserimus permanere, & omnia non conservaverimus, sicut superius legitur, tunc obligamus nos suprascripti Raginerio & Guinizo nostrosque filios & eredes vobis Berte & Guile, & a vestros successores & ad istum venerabilem locum dare & componere & componamus libras sexainta, & post penam solutam ista promissio in suo permaneat vigore & pro suprascripta nostra repromissio nullum meritum recepimus & Deus omnipotens peccata nostra minuare dignetur, & ista promissio firma & stabilis permaneat, ut super nixa. Anc enim suprascripta promisio a nobis Raginerio & Guinizo rogata est, ut superius leitur, Tuscani cancellario tradidimus, & scribere rogavimus. Actum in loco suprascripto venerabilem feliciter.

Signo manum suprascripti Raginerio & Guinizo, qui unc scriptum promisionis scribere rogaverunt, & manibus eorum firmare jusserunt.

Signo manum Ragineri filius quondam Ragineri, & Pepi filius quondam Ildizi, & Guidi filius Enrici rogati sunt testes, & manibus eorum scribere rogaverunt.

Ego Tuscanus cancellarius scripsi & complevi.

CLVII.

Præceptum Henrici regis pro bonis & monasteriis Camalduli eremo adnexis.

Anno IIII. VI. nonas maji.

Ex autographo tabularii Fontis-boni. §. Privilegium. n. 16.

Ad lib. XXV. n. 13.

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS HEINRICUS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA QUARTUS ROMANORUM IMPERATOR AUGUSTUS. Desiderium nostrum est ea semper per Dei gratiam operari, que ei placeant, votis religiosorum virorum imperatoria largitate & regia pietate satisfaciendo, & eorum petitiones exaudiendo, ut ipsi orent assidue pro nostra salute & pro imperii nostri stabilitate,

cre-

credentes nos hoc modo regnare feliciter, & eternam consequi gloriam. Quapropter omnibus Christi nostrique fidelibus tam futuri temporis, quam presentis notum fieri volumus, qualiter nos causa Dei & ob dilectionem beate MARIE Virginis, & pro salute nostra, tam presenti quam futura, nostrorumque parentum, digno interventu FREDERICI Coloniensis archiepiscopi, & episcoporum HARTHVICI Ratisponensis, OTHONIS Bavembergensis, ERLVNGI Werceburgensis, necnon comitum HERMANNI de Saxonia, BERENGARII de Bauvaria, aliorumque multorum nostrorum fidelium, tam Latinorum quam Theuthonicorum, GAMALDVLIENSE monasterium & heremus sancti SALVATORIS & sancti DONATI cum omnibus, que ad ea pertinent, nominatim monasterium sancti BARTHOLOMEI in Anglari cum castellis, ecclesiis, monasteriis, feodo, ermanniis, & cum omnibus, que fuerunt Bernardini, qui fuit filius Sidonie, & monasterium sancte MARIE in Trivio cum omnibus pertinentiis suis, & monasterium sancti FRICDIANI, & sancti MICHAELIS situm in Pisana urbe, & sancti SAVINI extra eamdem urbem in comitatu, & monasterium sancti SALVATORIS de terra Berardinga & omnia alia que sunt vel erunt sub ejus regimine jam adquisita, vel semper adquirenda in quibuscumque locis sita sunt, sub tutelam nostre defensionis per hanc preceptalem paginam suscepimus. Precepimus etiam, ut nulli eorum, qui modo habitant, vel aliquo tempore habitare vel vivere debent sub ejusdem monasterii regimine, eat ad placitum vel distringat se ante quamlibet personam, nisi ante papam vel ante nosmet ipsos, sed in omni libertate vivant, & sua bona absque ulla contradictione vel molestia teneant, habeant atque possideant omni tempore. Si quis igitur dux, marchio, episcopus, comes, vicecomes vel alia quelibet persona magna vel parva cujuscumque conditionis fuerit, predam, assaltum, vel quamlibet aliam molestiam inferendo hujus nostre preceptalis pagine concessionem atque confirmationem violare presumpserit, mille libras auri compositurus banno nostro subjacebit, medietatem nostre camere, & medietatem predicti monasterii habitatoribus. Ut autem hoc credatur ab omnibus, & omni evo inviolabile permaneat, hanc cartam inde conscriptam impressione nostri sigilli insigniri jussimus.

SIGNVM DOMNI HEINRICI QVARTI ROMANORVM IMPERATORIS AVGVSTI.

Loco † *monogrammatis Heinrici.*

BVRCARDVS MONASTERIENSIS EPISCOPVS ET CANCELLARIVS VICE ALBERTI ARCHICANCELLARII MAGVNTINE SEDIS ELECTI RECOGNOVIT.

Data VI. nonas maji indictione III. anno Dominice incarnationis millesimo C.XI. Regnante Henrico quinto rege Romano. V. imperante .I. ordinationis ejus XI. Actum est juxta forum Pompolii in Christi nomine feliciter. Amen.

CLVIII.

Dominicus & Stephanus Zaconi donant terras ecclesiæ S. Paulli de Ferraria subjectæ abbatiæ S. Adalberti in Pereo.

Anno IIII. V. julii.

Ex autographo archiepiscopii Ravennatis. G. n. 2571.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Anno Domini millesimo centesimo undecimo, Pascale in apostolatu anno undecimo, Henricus quartus imperator anno primo die quinto mensis julii indictione quarta Ferrarie. Inter ceteras donaciones majus tenet principatum illa donacio, que ad salutem & animarum perficitur. Unde profitemur nos quidem in Dei nomine Dominicus, qui vocor Zacone, & Stefanus filius quondam Zohannis, qui vocabatur Zacone, qui habitare videmur in civitate Ferrarie, zelo Dei coacti pro salute & remedio animarum parentorum nostrorum & nostrarum animarum profitemur nos donare tibi presenti domno presbitero Bonizo pro vice & persona abbatis Rainerii ex monasterii sancti Adelberti Ravenatis, nec non & ecclesia sancti Pauli sita Ferrarie subdita eidem monasterio & pro cimiterio ejusdem ecclesie sancti Pauli, vestrisque successoribus in perpetuum, qui per tempora ibi ordinati fuerint, hoc est peciolam unam terre casaliculi positam in civitate Ferrarie justa cimiterium sancti Pauli abens in latitudine sua pedes duodecim & medium, & in lon-

Ad lib. XXV. n. 17.

longitudine sua pedes quatuordecim, ab uno latere predictus cimiterius, ab alio latere nos idem donatores, a tertio latere Petrus de Borazo, atque a quarto latere nos donatores similiter. Unde investitorem damus tibi Bulgarum, qui vocatur Tigniosum, qui te de predicta re corporaliter investiat, ad abendum, tenendum, possidendum & cimiterium ibi ad predictam ecclesiam faciendum jure & dominio predictarum ecclesiarum in perpetuum, & hac ab die nunquam liceat nobis nostrisque filiis & heredibus aliquam inde movere litem contra predictas ecclesias, vel contra te predictum domnum presbiterum Bonizum vel contra predictum abbatem, vel contra vestros futuros successores predictarum ecclesiarum in perpetuum, set promittimus pro nobis nostrisque filiis & heredibus in totum stare, defensare & auctorizare. Quod si aliter facere voluero, quatenus omnia superius scripta adimplere, conservare, defensare & auctorizare noluerimus, promittimus pro nobis nostrisque filiis & heredibus tibi tuisque futuris successoribus nomine pene predictam rem in duplum restituere, & soluta pena maneat hec donatio in sua firmitate. Quam scribere rogavimus Rodulfum Dei nutu notarium in die & indictione prescripta.

† † Signa manuum predictorum Dominici & Stefani donatorum ad omnia prescripta.

†††††† Signa testium & nomina sunt hec. Petrus de Zoffredo, Albertus de Bonfante, Guilielmus de Misioto, Tutubene, Pilizarius, Adam clericus, Berardus testes ad omnia prescripta.

Ego Rodulfus Christi pietate Ferariensis notarius hanc paginam donacionis scripsi & dedi.

CLIX.

Donatio castri & ecclesiæ de Tegiano, quam fecit Guidoni priori Camaldulensi Rainerius filius Ardingi.

Anno IIII. mense augusto.

Ex originali tabularii Fontis-boni. §. Donatio. n. 246.

Ad lib. XXV. n. 24.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo undecimo regnante Enrico rege mense agusto inditione quarta: Manifestus sum ego Rainerius filius Ardingi, qualiter per hanc cartam judicati & ofersionis pro mercede ac redentione anime mee & parentum meorum do, trado, judico, offero tibi domno Guidoni priori monasterii sancti Salvatoris, situm in Canpo amabili recipienti vice ejusdem ecclesie idest integram totam meam partem, quam habeo & teneo, aut aliquis detinet nomine meo, aut si non teneo, jure tenere debeo, videlicet castro de Tegiano cum hecclesia, & de curte ejusdem castri cum omni jure prediorum urbanorum & rusticorum, que est in comitatu Aretino infra plebem sancte Marie sitam in Bujano. Suprascriptum autem castrum cum curte & per singula loca vel vocabula ubicumque est, & mea parte invenitur cum casis, terris ac solamentis & cum omnibus edificiis, quam terris cultis, divisis & indivisis, vineis, olivetis, pratis, silvis, stirpetis, pascuis, pratis, salictis, fontanels, rivis, aquarumque usibus ac redditibus & usufructibus & nudis usibus & precariis, & cum omnibus super se & infra se ego qui supra Rainerius tibi domno Guidoni priori in integrum, ut supra legitur do, trado, judico, offero, & per hanc cartam exinde ad proprium investivi Widonem cum missum tuum a vice tua ad faciendum omnia quicquid tibi placuerit; unde in me neque in meis heredibus [nullum reservavi dominium vel potestatem, exinde meritum recepi ex parte Dei centuplum, & vita eternam finitum meritum, sicut inter nos convenit, quatenus ab odierno die abeatis & possideatis suprascriptam meam offersione & judicationem tam tu suprascriptus Wido prior, quam tui posteri priores infra prefata hecclesia permanentes. Unde neque a me neque a meis heredibus ullam exinde habeatis molestiam vel litis causationem, quod si in naliquo exinde vos presumpserimus molestare, tollere vel contendere, aut minuare, intromittere vel intentionare, agere causare, aut per placitum vel sine placito fatigare per nos vel per aliquam personam interpositam, suppositam, seu supermissa a nobis, quod si aliquando evenerit, cui nos eam dedissemus, aut in antea dederimus per aliquod ingenium, quod humana mens in se cogitare posset, quod si omni tempore non auctoriaverimus aut non defensaverimus ab omnibus hominibus utriusque sexus, tunc componere promitto & componamus ego suprascriptus Rainerius cum meis heredibus tibi prefato domno Guidoni priori & tuis posteris prioribus suprascriptam meam ofersionem, sicut in tempore fuerit vel aparuerit meliorata sub estimatione ibidem & in ferquidis locis de meis pro-

propriis rebus in duplum, & insuper penam numerum argenti optimi libras quinquaginta. Unde hec carta judicati & ofersionis a me facta est, ut superius legitur, Unganum notarium scribere rogavi in comitatu Aretino. Actuum in loco, qui dicitur Silvamunda, feliciter.

Singna manus suprascripti Rainerii, qui hanc cartulam judicati & offersionis, ut supra legitur, ita fieri rogavit.

Singna manuum Ugonis & Arduci filii Widonis, & Rigoli filio Gerardi & Ildibrandino filio Ugonis, & Johannis filio Truzonis rogati sunt testibus; prenominatus Rainerius suprascriptam rem in vita sua teneat ex parte suprascripte hecclesie, & predicti prioris, & per singulos annos pro possessione abeat hecclesia unam obliam.

Ego Unganus notarius scripsi & complevi.

CLX.

Raimundus filius Gerardi donat eremo Camaldulensi sua jura in castra Tulliani & Laurentiani.

Anno 1111. mense augusto.

Ex autographo ejusdem archivi.
§. Donatio. n. 248.

Ad lib. XXV. n. 15.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo undecimo imperante Enrigo inperatore Romanorum augusto mense octub. indictione quarta feliciter, Christo hauctore. Ego quidem Raimundus filius Gerardi una per consensum & largitatem de ipso genitore meo per hanc cartulam offersionis nomine pro Dei timore & remedio anime mee & genitoris & genitricis mee, & parentum meorum, a presenti die dare & tradere atque offerre seu & confirmare previdi in ecclesia & eremitorio sancti Salvatoris de Campo amabili ad usum & sumtum fratrum monachorum & clericorum & laicorum ejusdem congregationis. Idest omnes integros castella & ecclesias, casas, cascinas, terras, & vineas, & donicatas, & mansos, silvas & molendinos cum aquimolis suis, piscarias cultas & agrestes cum omnibus accessionibus earum superioribus & inferioribus, quas usque nunc visi sumus abere & tenere & possidere seu quocumque modo mihi pertinere videtur aud pertinet proprietario jure in comitatu Artino infra territurio de plebe sancti Eleutheri sita Plano, & in plebe sancti Antonini sitam Socana. Idest integra mea portio de castello & curte de Tulglano, & de castello & curte de Lorentiano, quod alio nomine vocatur Riozoparelli, antepósita corona ejus de castello cum ecclesia sancti Nicholai, & cum casis, que in eo sunt, sicut est circumdatum cum casale Solonica, & in casale Camparno, & in casale Larciano, sicut mihi pertinet proprietario jure, aut quocumque modo. Ideo prenominatas curtes cum castellis, & ecclesiis, terris & vineis, una cum omnibus adjacentiis & pertinentiis suis, & cum omnibus edificiis suis, & omnia, que abent super se & infra se, vel ubicumque de meis propriis rebus esse invenitur in quibuslibet locis ad predictam ecclesiam sancti Salvatoris dare, & tradere, & offerre atque confirmare previdi, ut omni tempore suprascripte res in proprietate predicte ecclesie permaneant. Et quod fieri non credo, si forsitam ego, qui supra, Raimundus vel ex meis heredibus, aud summissa persona, quam nos summiserimus, vel quocumque libero nostro facto veniad per quolibet ingenium, cui nos eas dedissemus aut dederimus, qui a predictam ecclesiam vel ad parte ejusdem ecclesie in aliquod exinde contendere, aud retollere; vel minuare, aud intentionare presumpserimus &c. Actum in loco Soci feliciter.

Singnum manus suprascripti Raimondi, qui hanc cartula, sicut superius legitur, fieri rogavit.

Singna manuum Rainerii fil. quondam Kiberti, & Ugo filius ejusdem Rainerii, & Rolando filius olim Tagiti, & Alberto filius Rembaldi, & Alberto filius b. m. Ugonis rogati testes, & manibus eorum scribere rogaverunt.

Ego Ildebrandus notarius scripsi & complevi.

CLXI.

Constantinus rex Turritanus & Marcusa regina donant eidem eremo ecclesiam S. Petri de Iscanu.

Anno 1112.

Ex autographo archivi ejusdem.

Ad lib. XXV. n. 19.

AUxiliante Domino Deo atque Salvatore nostro Jesu Christo, & intercedente pro nobis beata & gloriosa sem-

semperque virgine Dei genitrice Maria & beato Michaele archangelo tuo preposito paradisi, & beato Petro principe omnium apostolorum, in cujus manus tradidit claves regni celorum, & beato Gavinio, Proto & Januario martyres Christi, sub cujus protectionem atque defensionem in hanc insula Sardinie nos credimus esse salbatos. Ego quidem Constantinus gratia Dei rex, bocativo nomine de Laccon, simul cum uxore mea Marcusa regina, dicta nomine de Gunale, facimus hanc carta ad sanctum Salvatore de Camaldula, cavila damus sancta ecclesia de sanctum Petru de Iscanu cun homines & cun causa quanta vi habet, abeant ila benedicta sos servos de dominum ei ibi sunt pro redemptione animarum nostrarum in fine seculi. Amen. Amen. Fiat.

Et si quis ista carta destruere aut esterminare voluerit sibe regina, sibe donnicellu, sibe curatore vel qualecunqueli-bet homo istrumet Deus nomen suo de libro vite, & carnes ejus disrumpant bolatilibus celi & bestiis terre, mittat in eis Dominus mortem papelle, & deleantur de isto seculo citius, & habeat maledictionem de III. patriarchas Abraam, Ysaac & Jacob, & de IIII. evangelistas Marcus & Matheus, Lucas & Johannes, & habeat maledictionem de XII. Apostolis, & de XVI. Prophetas, & habeant maledictionem de XXIIII. Seniores, & de CCC. XVIII. patres sanctos, qui kanones disposuerunt in Nicea civitate, & habeat maledictionem de C. XLIIII. milia martyres, qui pro Domino passi sunt, & habeat maledictionem de Gerubim & Seraphim, qui tenent thronum Dei, & de omnes Sanctos & Sanctas Dei. Amen. Amen. Fiat. Fiat.

Et si quis ista carta audire voluerit, & nostras ordinationes confortaverit & dixerit, quia bene est, habeat benedictionem de Deum patrem omnipotentem, & de sancta Maria matrem Domini nostri Jesu Christi, & habeat benedictionem de XII. Apostoli & de XVI. Prophete, & habeat benedictionem de XXIIII. Seniores & de CCC. XVIII. patres sanctos, qui kanones disposuerunt in Nicea civitatem, & habeat benedictionem de C. XLIIII. milia martyres, qui propter Deum tormenta sustinuerunt, & habeat benedictionem de Gerubim & Seraphin, qui tenent thronum Dei, & de omnes Sanctos & Sanctas Dei, quam superius diximus. Amen. Amen. Fiat.

Et sunt testes primus Deus omnipotens, deinde ego Judice Gostantine de Laccon & muliere mea donna Marcusa de Gunale, testes donnicellu Comita de Laccon, domicellu Gunnari de Laccon, donnicellu Ithocor de Laccon, donnicellu Petru de Serra totos IIIIor fratres, testes Petrus de Athen, Ithocor de Athen, & Mariane de Athen, testes Barusone de Setilo, & Mariane de Thori, testes de terra de Bulliaccesos Mariane de Valles & testa sua, & omnes fratres meos & fideles meos testes, & facio lu pupillu ad sanctum Petrum de Iscanu su flumen de Vosa ante clesian, vetato soffervo per piscare ad opus dessu donnu ipsoro cuva & servire mihi quoque, Furatus presbyter scripsi hanc cartula regnante domino nostro Constantino rex, & uxor ejus Marcusa regina in regno quod dicitur Ardar pridie kal. maji Luna vero XII.

Ego Petrus episcopus Bosane ecclesie confirmo & manu mea subscribo.

Loco ✠ *sigilli plumbei pendentis in cujus antica parte legitur* CONSTANTINE REGE, *in postica autem visitur astrum lunare.*

CLXII.

Rainerius Ardingi & uxor ejus Gasdia tradunt prædictæ eremo tertiam partem castri de Tegiano.

Anno 1112. mense majo.

Ex archetypo ejusdem tabularii. §. Donatio. n. 253.

Ad lib. XXV. n. 23.

IN nomine Domini nostri Jhesu Christi. Anno ab incarnatione ejus centesimo duodecimo post mille mense madio indictionis quinte feliciter. Et ideo Christo auctore ego quidem Raginerius filius quondam Ardingi, & Gasdia filia b. m. Landolfi conjux ipsius supradicti Raginerii, set ego quidem Gasdia una cum consensu jam dicti Raginerii viri & mundualdi mei interrogata sum secundum legem a Johanne judice, si ego per alicujus violentiam hanc cartulam fecissem, aut non, set manifeste dico, quod per nullius violentiam fatio, nisi mea bona & spontanea voluntate, & ipse vir meus mihi consensit, nos ambo insimul vir & uxor pro timore Dei & remedium animarum nostrarum per hanc cartam oblationis & traditionis offerimus Deo & ecclesie atque eremitorio sancti Salvatoris in Campo amabili, id-

est

est integram tertiam partem de castello & curte * de giano, quod monte Cucplo vocatur, sicut abemus & tenemus vel alii per nos tenent jure proprietario vel ex parte sancti Donati, & supradictam partem de castello sicut circumdatur muro & fossis cum omni edificio & munitionibus & penditiis suis, & de curte cum casis, ortis, vineis, silvis, pratis, usibus aquarum, ubicumque de predicta curte aliquit esse invenitur cum omni sua pertinentia & districtu, sive extra hanc tertiam partem ibi aliquit habemus vel querere aut causari jure ab alio possumus. Et insuper per hanc eamdem cartam offerimus & tradimus jamdicte Dei ecclesie & eremitorio integras res ipsas, quas filii Widonis Pagani, & Raginerius de Carbonaria retinent ex nostra parte in Cinina, & sunt res ille in comitato Aretino in territorio plebium sancte Marie sita Bujano, & sancti Martini in Caliano, sive per alias plebes & vocabula. Suprascriptas autem res cum omni sua pertinentia in integrum offerimus, tradimus tibi predicte Dei ecclesie & eremitorio, & tibi donno Widoni venerabili priori ad vicem ipsius ecclesie, & per hanc cartam oblationis & traditionis Widonem conversum vestrum vice vestra investivimus, ex qua vero suprascripta nostra oblatione & traditione nullam in nos reservavimus potestatem, nec in nostros heredes, nec in nostrorum bonorum possessores, nec tibi supradicte ecclesie & eremitorio, & tibi predicto priori tuisque successoribus, si exinde presumpserimus agere, causare, querere vel molestare, aut per placitum vel extra placitum fatigare per nos vel per interpositam aut summissam a nobis personam, vel si aliquis venerit, cui nos suprascriptas res dedissemus, aut in antea dederimus per aliquod ingenium, quod homo in se coitare possit, aut si eas vobis quieto & pacifico ordine abere & tenere non permiserimus, & ab omnibus hominibus omni tempore eas vobis non defensaverimus, aut defendere non potuerimus, tunc in duplo tantam & tales res quales tunc ipse fuerint aut valuerint sub extimatione de nostris rebus propriis restituere & persolvere debeamus & componamus, hunde hanc cartam oblationis & traditionis ad complendum tradidimus, & scribere rogavimus.

* Tegiano.

Actum prope ecclesiam sancti Justini in Carra feliciter.

Singna manuum supradictorum jugalium, qui hanc cartam scribere rogaverunt.

Singna manuum Lamberti filius Binardingi, & Reginaldus filius ejusdem Lamberti, & Bernardi filii quondam Rustici, & Raginerii filius olim Farolfi rogatorum testium, & manus suas scribere rogaverunt.

Singna manus Aldibrandi filius Ugonis rogatus testis.

Ego Johannes notarius & judex interrogavi eam, & scripsi & complevi.

CLXIII.

Andreas Lamberti & Ghisla conjuges donant terras hospitio pauperum prope monasterium S. Frigdiani Pisarum.

Anno 1112. VIII. kl. decembris.

Ex originali chartularii S. Michaelis in Burgo Pisarum.

Ibidem.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo tertiodecimo octavo kalendas decembris indictione sexta. Manifesti sumus nos Andreas quondam Lamberti filius, & Ghisla jugales quondam Leonis, quia communiter, & consentientes mihi suprascripto viro meo, ubi interesse videtur notitia Beriti judicis, a quo secundum legem interrogata, & cognita sum, quod nulla me pati violentia, set pura, & integra mea bona voluntate secundum edicti paginam per hanc cartulam ad anime nostre remedium offerimus, cedimus, donamus, & tradimus omnipotenti Deo .... pauperum .... Pisa justa monasterium sancti Fridiani in proprietatem ejusdem monasterii unam integram petiam de terra, que est vinea posita in loco, ubi dicitur Carraria majore, & tenet uno caput in via publica, & aliut in terra filiorum quondam Baroni, lato uno tenet in terra Baldi quondam ..... & de suis consortibus, & aliut in terra Dominichi quondam .... & de suis consortibus. Hec vero predicta petia de terra, qualiter ab omni parte circumdata per designata loca, que est per mensura ad justa seminatura sistariorum quinque, & panorum tres in integrum cum inferioribus, & superioribus suis, & seu cum finibus, & ingressibus suis, & cum omni ejus jure & actione, & proprietate cum cartule exinde pertinentes omnipo-

nipotenti Deo, & supradicto ospitio ad usum pauperum, & pelegrinorum, & non liceat alicui persone ea tollere, vel diminuere de jure, & jure, & comodo jam dicti ospitii, & pauperum. Et si aliquando tempore nos, qui supra, jugales vel nostris heredibus, seu quitlibet nostra opposita persona contra hanc cartulam, quandoque venire tentaverimus, vel heam infrangere, aut disrumpere quesierimus, aut si exinde nostrum datum, aut factum apparuerit, vel si eam a parte suprascripti ospitii hab omnis homines defendere non potuerimus, & non defensaverimus spondemus nos, qui supra, jugales comuniter & consentientes una cum nostris heredibus componere a parte suprascripti ospitii, ejusque rectores suprascripta petia de terra in duplum in ferquido loco sub extimatione, qualis tunc fuerit. Et insuper pene nomine argenti optimi libras viginti, quia in tali ordine hanc cartula offertionis scribere rogavimus Andream notarium domni regis. Actum Casa invidia.

Signa manuum suprascriptorum jugalium, qui hanc cartulam rogaverunt fieri.

Ego Beritho judex interfui & ss.

Signa manuum Karletti quondam Honorii, & Guidonis quondam Bonardi, & Falchoni quondam Bonichi testium.

Ego Andreas notarius domni regis post traditam complevi & dedi.

CLXIV.

Gerardus Guinildi cum Ramundino filio ante susceptionem habitus monastici offert eremo Camaldulensi suam partem ecclesiæ & castri de Laurentiano.

Anno 1113. VIII. kl. januarii.

Ex autographo archivi Fontis-boni. §. Donatio. n. 257.

Ad lib. XXV. n. 26.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo tercio decimo imperante Henrico Romanorum imperatore agusto octavo kalendas genuarii indictione quinta feliciter. Cum ea, que geruntur memorie semper retineri non possint, equum visum est, ut scripture annotentur, ut nullis temporum curriculis aboleantur. Ideoque ego Gerardus filius quondam Guinildi lege Langobardorum vivens per hanc scripturam mee professionis manifestus sum gessisse, sicut in subjectis apparet. Igitur dum timore Dei compulsus intelligens miseriam ujus vite pro acquirenda eterna vita ad consortium fratrum monachorum Camaldulensium cum rebus meis una cum filio meo me contuli, tunc quidem per cartulam oblationis omnes res meas ecclesie & eremitorio Camaldulensi dedi & tradidi cum Ramondino filio meo, set non statim conversionem vel monasticum habitum suscepi, quia retinui aput me meam partem de castello de Lorentiano solumodo ab ecclesia, que est in ipso castello in sursum, idest solumodo summitatem & pinnam ipsius castelli: pro eo quod eram in pacto sub jurejurando cum nepotibus meis, idest filiis fratrum meorum, ut non liceret mihi alienare predictam meam partem, nisi prius eos requisissem per tres vices interpositis aliquantis diebus in ipsa inquisitione, ut ipsi eam emerent a me justo precio, si vellent, & si non vellent, aud non possent, tunc liceret mihi dare illam meam partem de ipso castello, cui mihi placeret, & cum per plures vices hoc in eis requisissem, & dies transissent, qui in ipsa pactione constituti fuerant, & eo amplius, tunc quidem per hanc scripturam nostre concessionis & oblationis sine omni occasione perjurii, ut perjurium nunquam incurram, sicut ad me pertinet predicta proprietas de predicto castello & de ecclesia, que ibi est consecrata, dedit & tradidit predicte ecclesie & ermitorio Camaldulensi, ita ut domnus Guido prior si jure & lege debet, observet predictum pactum suprascriptis nepotibus meis. Itaque per hanc cartulam nostre professionis & concessionis do, judico, offro, trado tibi suprascripte ecclesie sancti Salvatoris de Campo amabili & ermitorio, & tibi domno Guidoni predicti priori suprascriptam partem de predicto castello & ecclesia cum omni pertinentia & munitione ipsius partis ad usum & sumtum monachorum fratrum Camaldulensium, ut abeatis, teneatis & fruamini, & faciatis exinde legaliter quicquid vultis tam tu suprascriptus prior, quam & tui successores cum omnibus aliis rebus, quas vobis contuli, ita ut non licead mihi mutare vel minuere, & non licead alicui ex propinquis meis quocumque gradu vel jure mihi pertinentibus contra anc meam oblationem & traditionem venire, agere aut causari, vel per placitum aut extra placitum fatigare, sed taciti & ab omni jure remoti remaneant, quia suprascriptam ecclesiam

cle-

clesiam & eremitorium mihi eredem constitui in omnibus rebus meis, & in predicta parte de predicto castello & ecclesia, ita ut sicut ego potestatem abui, ita predictus donnus prior & ejus successores potestatem abeant, & facultatem agendi & requirendi omnia, que ego requirere poteram, & respondendi si ab aliquo conveniantur vel requirantur, unde investitorem dedimus Ildebrandum notarium donno Aczoni monacho vice suprascripte ecclesie & ermitorii, & jam dicti prioris, ut vice nostra corporaliter investituram faceret, & in possessionem mitteret predictam ecclesiam, nec licead mihi ullo tempore nolle, quod voluisset, quod a me semel factum est firmum & inviolabile permaneat. Que vero scriptura concessionis & oblationis a me suprascripto Gerardo fieri rogata est, qualiter superius legitur. Actam Fonte boni feliciter.

Singnum manus suprascripti Gerardi, qui hanc scripturam concessionis & oblationis scribere rogavit.

Singna manuum Rigoli filii Uberti, & Ugo filii quondam Pagani, & Teuzo filio Bonizi rogatorum testium.

Ego Ildebrandus notarius scripsi & complevi.

CLXV.

Donatio terrarum, quam fecit Martino abbati S. Petri minoris de suburbio Arretii Rolandus filius Pagani.

Anno 1113. mense julio.

Ex archetypo tabularii SS. Floræ & Lucillæ Arretii. Q. 30.

Ad lib. XXV. n. 27.

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis millesimo centesimo tercio decimo regnante Henrico rege mense julio indictione sexta. Cum ea', que geruntur, variis nominibus contractuum denotantur, iccirco literarum inscriptio perquam utillima est. Quapropter in Dei nomine manifestus sum ego Rolandus filius quondam Pagani, qualiter per hanc cartam offertionis ac donationis inter viros, stantie, & convenientie, & Aquiliane stipulationis, & acceptilationis ad rescindendam omnem actionem in rem & in personam, dono, trado, judico & offero tibi domno Martino abbati monasterii sancti Petri minoris situm in suburbio Aretine civitatis recipienti vice ejusdem ecclesie ad usum & sumtum monachorum ibidem Deo famulantium, idest totam ac integram unam petiam de terra juris mei positam in comitatu Aretino infra plebem sancte Marie sitam in Gradibus, in loco qui dicitur Tassi, & est inter fines, ab uno latere coheret ei terra Ildebrandi Dominici Bezonis, a secundo & tertio latere coheret ei terra vestra, idest suprascripte ecclesie, a quarto latere coheret ei terra, quam detinent filii Albrigotti &c. Actum juxta prefatam eeclesiam feliciter.

Signum &c.

Ego Guillielmus notarius scripsi & complevi.

CLXVI.

Petrus, Ithocor, Marianus & alii de Athen cum eorum uxoribus tradunt eremo Camaldulensi ecclesiam S. Nicolai de Trulla in Sardinia.

Anno 1113. XXVIII. octobris.

Ex originali archivi Fontis-boni. §. Donatio n. 256.

Ad lib. XXV. n. 24.

AUxiliante Domino Deo & salvatore nostro Jesu Christo & intercedente pro nobis beata & gloriosa semperque virgine Dei genitrice Maria & beato Michaele archangelo tuo preposito paradisi, & beato Petro principem omnium apostolorum, in cujus manus tradidit Deus claves regni celorum, & beato Gavinio Proto & Januario martyres Christi, sub quorum protectione atque defensione in hac insula Sardinie gubernatos nos credimus esse salvatos. Ego Petrus de Athen & muliere mea Padulosa, & ego Ithocor de Athen & muliere mea Elene de Thori, & ego Mariane de Athen, & ego Nistoli de Carbia & muliere mea Elene de Thori, & ego Comita de Thori, & muliere mea Vera de Then, & ego Gostantine de Athen & Ithocor fratrem meu, & Petru fratrem meu, & Jorgia sorore mea nos omnes fratres insimul cum uxoribus & filiis & filiabus nostris facimus ista carta cun voluntate de Deus, & dessu donnu nostrum judice Gostantine dicto nomine de Laccon, & dessa muliere donna Marcusa regina dicta nomine de Gunale, & cun voluntate, & cun consiliu de donno Petro de Cannetu, & de domno Johanne presbyter, qui modo est recto-

rectore de ſancto Petro de Sorra, & cun voluntate de donno Elias presbyter, qui modo eſt rectore de archiepiſcopato de ſancto Gavinio. La facemus iſta carta ad ſanctum Nicolaum de Trullas cala affiliamus cum omnia cauſa, quam modo habet mobilibus vel immobilibus, & quod Deus in antea daturus eſt ibi, pro redemptionem animarum noſtrarum vel parentum noſtrorum vivorum atque defunctorum ad ſu eremum de ſanctum Salvatore de Camalduli, & adcomandamus ila cuſta cauſa in manu & in poteſtate de domno Guido priore & ad poſſeſſores ſuos ci lu faciatis pro amore Dei & veſtra ſanctitate & noſtra karitate ci non remaneat, & cuſta eccleſia ſine regimen de clericos ci vi faciant ſu miniſterium de Domine Deum, quantos clericos vobis placet, & eccuſtos clericos ci vi habent eſſere in ſanctum Nicolaum per facere ſu ſervitiu de Domini, volemus nos cun voluntate de Domini & veſtra karitate ci vi ſtent ad honore, & habeant veſtimenta & calciamenta & lectos & victu corporale, quantum illis eſt opus, & einde faciant honore ad alios homines propter caritate Dei, & ſi placet ad Deus, & ad Sanctos, & ad vos, inde facemus ad cognoſcere ſa voluntate noſtra, ci non volemus can de ſciat minus deſſa eccleſia de ſanctum Nicolaum in paramentos de Miſſa, & ci non deſiat levata ſa menſa deſſu argentu ci eſt in ſu altare, & non ſa cruce deſſu argentu, & non ſu calice de cantare Miſſa, non ſu altare vitori, cui & non ſas reliquias civi ſunt, & non ſos libros civi ſunt. Si voluntas Dei eſt & veſtra, ci plus theſauru vi poſſatis jungere Deo gratias, ſin autem iſtud ibi permaneat uſque in ſempiternum, & quantum habet remanere deſſa antica de regimentu deſſos clericos ci abent eſſere in ſanctum Nicolaum per ipſos domnos de Camaldula, volumus & deſideramus pro Deum & pro ſancta karitate ci non vajat in alia parte, nec in alio opus niſi in veſtimenta & calciamenta deſſos donnos heremitas civi ſunt comodo in ſu eremu, & ibi habent eſſere a veſtara, nos omnes fratres in ſimul maſculi & mulieres, ſicut ſupra legitur, hec cartula confirmamus & corroboramus, & facimus ad honorem Dei omnipotentis, & ſancti Salvatoris de Camalduli, & ſancti Nicolai confeſſoris Domini propter ſalutem animarum noſtrarum & parentum noſtrorum vivorum atque defunctorum, ut ſiamus electi & aggregati inter numero electorum, ſi placet illi, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

Et ſi quis iſta carta deſtruere &c.

Anno M. C. XIII. menſe octobr. dies XXVIII. luna XVII. IIII. feria.

Ego Albertus epiſcopus Sorane eccleſie confirmo & ſubſcripſi.

CLXVII.

Bulla Paſchalis II. qua recenſentur & ſuſcipiuntur ſub apoſtolica protectione monaſteria Camaldulenſia.

Anno 1113. II. nonas novembris.

Ex autographo ejuſdem tabularii.
§. Privilegia. n. 18.

PAſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili filio Guidoni Camaldulenſium priori ejuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum. Gratias Deo ſuper inennarabili dono ejus. Noſtris ſiquidem temporibus Camaldulenſis eremi ſive cenobii religio adeo aucta eſt, adeo abundavit, ut congregationes diverſe in unam congregationem Dei gratia convenirent, & loca plurima diſciplinam unam, ordinem unum & unum regimen, tamquam corde uno & una anima continerent. Quam videlicet unitatem conſervari ſemper in Domino cupientes precipimus, ac preſentis decreti auctoritate ſancimus, ne cuiquam omnino perſone, clerico, monacho, layco cujuſcumque ordinis aut dignitatis preſentibus aut futuris temporibus liceat congregationes illas & loca illa, que Camaldulenſis eremi ſive cenobii diſciplinam & ordinem ſuſceperunt, queque hodie ſub illius regimine continentur, ab ejus ullo modo ſubjectione & unitate dividere. Que videlicet loca & congregationes conſervande unitatis gratia ſingularibus viſa ſunt vocabulis adnotanda. In epiſcopatu Aretino monaſterium ſancti Salvatoris Berardingorum, ſancti Petri in Rota, ſancte Marie in Agnano, ſancti Quirici in Roſa, heremus Fleri, monaſterium ſancti Viriani, ſancti Bartholomei in Anglare, juxta Balneum monaſterium ſancte Marie in Trivio. In Galeata monaſterium ſancte Marie in Inſula, heremus Fajoli. In epiſcopatu Bononienſi monaſterium ſancti Archangeli juxta caſtrum Britti, ſancti Felicis. In epiſcopatu Florentino monaſterium ſancti Petri in Luco, ſancti Salvatoris juxta civitatem. In epiſcopatu Feſulano monaſte-

Ad lib. XXV. n. 28.

nasterium sancte Marie in Poplena. In episcopatu Vulterrano monasterium sancti Petri in Fontiano, sancte Marie in Puliciano, sancti Petri in Cerreto, sancti Justi prope civitatem, sancte Marie in Morona. In episcopatu Pisano monasterium sancti Stephani in Cintoria, sancti Savini in Cerasolo. In ipsa civitate monasterium sancti Michaelis, & sancti Frigdiani. In episcopatu Lucano monasterium sancti Salvatoris in Cantiniano, sancti Petri in Puteolis. Item in Sardinia in archiepiscopatu Turritano monasterium sancte Trinitatis de Sacaria, ecclesiam sancti Petri de Scanno. Item in Tuscia in episcopatu Clusino heremus Vivi in Monteamiato. Hec igitur omnia cum omnibus ad ipsa monasteria pertinentibus statuimus, & apostolice sedis auctoritate sancimus, tanquam corpus unum sub uno capite, idest sub priore Camaldulensis eremi temporibus perpetuis permanere, & in illius discipline observatione persistere, sub illo inquam priore, qui ab ipsius congregationis abbatibus sive prioribus & ab eremitis regulariter electus prestante Domino fuerit. Porro congregationem ipsam ita sub apostolice sedis tutela perpetuo confovendam decernimus, ut nulli episcoporum facultas sit aliquid ex his monasteriis absque prioris convenientia, vel apostolice sedis licentia excommunicare, vel a divinis officiis interdicere. Fratribus autem ipsis licentia sit a quo maluerint catholico episcopo consecrationum & ordinationum sacramenta suscipere. Ad hec adjicientes decernimus, ut nulli omnino hominum liceat eadem monasteria temere perturbare, aut eorum possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere vel temerariis vexationibns fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum substentatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica quelibet secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jhesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eisdem cenobiis justa servantibus sit pax Domini nostri Jhesu Christi, quatenus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. Scriptum per manum Grisogoni notarii sacri palatii.

Verbo † *Dei*

SCS	SCS
PETRUS	PAULUS
PASCH	ALIS
PP	II.

BENE

Celi firmati sunt.

Ego Paschalis catholice ecclesie episcopus ss.

Datum Anagnie per manum Johannis S. R. E. diaconi cardinalis ac bibliothecarii II. nonas novembris indictione VII. incarnationis Dominice anno M. C. XIIII. pontificatus domni Paschalis II. pape anno XV.

CLXVIII.

Guelfus filius Rainerii tradit eidem eremo suum jus in ecclesias, castra & curtes.

Anno 1114. IV. kal. april.

Ex archetypo ejusdem chartularii. §. Donatio. n. 261.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo quartodecimo imperante Henrico imperatore Romanorum agusto nono kalendas aprilis indictione septima feliciter. Christo hauctore. Ego quidem Guelfo filio quondam Raineri, qualiter per hanc cartulam offersionis nomine a presenti die dare & tradere & offerre seu & confirmare providi in ecclesia & ermitorio sancti Salvatoris de Campo amabilis, & tibi domno Guidoni priori predicti eremi tuisque successoribus in perpetuum pro Dei timore & remedium anime mee, & de genitori meo, & de genitrice mea nominative, idest omnibus integris curtes, castellas, turres, & ecclesias, casas, cascinas, teras, & vineas, sortes & donicatas, & molendina, sive aquis, rivis, pascuis, cultum & incultum, divisum & indivisum, urbanis & suburbanis prediis, jura & actiones vel possessiones seu quoquo mihi est pertinentes infra comitatu istius Artino sive qualibet persona hominum pro me tenet, & si mihi pertinet per scriptum, aud successione

Ad lib. XXV. n. 28.

Ad lib. XXV. n. 31.

vel firmamentum, sive pro quolibet ingenium sunt pertinentes, & sunt sopite suprascripte res infra territurio de plebe sancti Ippoliti sitam Biblena, & infra teriturio de plebe sancte Marie sitam Partina, castello & curte de Banzina, & castello & curte de Serra, & castello & curte de Gello, vel per cetera & vocabula loca, & ubicumque de meis propriis rebus esse inveniuntur, in quibuslibet locis infra predicto comitatu vel plebes. Ideo prenominatas curtes, castella, turres, & ecclesias, casas, cascinas, teras & vineas, sortes & donicatas, una cum omnia jacentia & pertinentia sua cum omnibus suorum edificiis super se & infra se abentes in integrum sicut superius legitur in predicta ecclesia & ermitorio jam dictis rebus dare & tradere & offerre seu atque confirmare providi, ut omni tempore suprascriptas res in proprietatem de predicta ecclesia & eremo permanead semper ad suntum fratrum monachorum, vel ibi Deo servientium, & ita cum isto libro & stola offero tibi Deo & sancto Salvatori super sanctum tuum altare in Camaldulensi eremo sito, & in presentia domni Guidonis prioris ejusdem eremi & monachorum atque eremitarum, & clericorum, atque laicorum, & mitto de manibus meis in manibus tuis predicti prioris receptore pro dicta ecclesia sancti Salvatoris Laurentium de Biblena, ut ipse tecum, aud cum tuum missum illuc pergat ad suprascriptas res & corporaliter a mea vice tradat atque investat. Et quod fieri non credo, si forsitan ego suprascriptus Guelfo vel meis heredibus aud submisa persona, que nos miserimus vel quicumque libero nostro facto veniad per quolibet ingenium, cui nos eam dedissemus aut dederimus, quam predictam ecclesiam vel ad partem ejusdem ecclesie in aliquod exinde contendere aud retollere vel minuare, aud intentionare presumserimus, aud si eam nos ad partem predicte ecclesie & eremo ab omni homine & femina defendere non potuerimus & non defensaverimus, tunc duppla tanta & talis jam dicta rebus, qualis tunc ipsa fuerit sub estimatione in consimilibus locis de nostris propriis rebus proprietario jure ad partem suprascripte ecclesie restituere & persolvere debeamus, & si oportum fuerit ad partem ejusdem ecclesie licentiam & potestatem abeant custodes ecclesie una cum ista cartula causa exinde agendum, finem ponendum, responsum reddendum, & usque ad veram legem producendum quam melius potueritis, sicut & ego facere debui. Actam in loco Monte. Singnum manus suprascripti Guelfi, qui hanc cartulam offersionis, sicut superius legitur, fieri rogavit.

Signa manuum Ormanni filii quondam Rainerii, & Laurentio filio quondam Rustici, & Lamfridi filio quondam Sofridi, & Uberto filio suprascripti Lanfridi rogatorum testium.

Et ego Ildebrandus notarius scripsi & complevi.

CLXIX.

Bonizo abbas Pratalienſis cedit ſuam portionem caſtri de Soci Rolando filio Tagizi.

Anno 1114. menſe aprili.

Ex autographo ejusdem archivi.
§. Locatio. n. 49.

Ibidem.

IN Dei nomine. Anno Domini ab incarnatione ejus millesimo centesimo quartodecimo mense aprilis indictione septima. Et ideo ego Bonizo abbas de ecclesia & abbadia sancte Marie sitam Pratalia secundum convenientia nostra, & quia dare, atque ad habendum, tenendum, laborandum & fruendum, seu & meliorandum dare providi tibi Rolando filio quondam Tagizi, idest integram meam portionem, que ad suprascriptam abadia pertinet de castro de Soci, & duo petiole de tera ibi prope castrum de Soci, & integre tres petie de tera in Campo sancti Donati, duo de ipse petie detinet Lipoti, alia est adonicato, & una petia de tera in Campo vizo, nisi & hoc quod Inghizo filio Petroni detinebat per nos ubicumcumque esse invenitur, & una petia de tera in campo Lambertoli, & duobus petie de tera in loco, qui nominatur Alone, & una petia de tera in casale Contra in loco Plano, & integre ipse guaite, quod consuetudo est facere ad ipsum castro & septo lo verra, & posite suprascripte terre tres infra teriturio de plebe sancte Marie sitam Partina. Ideo prenominatis rebus una cum omnia jacentia & pertinentia sua, cum omnibus suorum edificiis super se & infra se abentibus in integrum, sicut superius legitur, eas tibi, qui supra Rolando, & a tuis eredibus dare & firmare providi, & mihi, qui supra Bonizo abbas, & a meis posteris successoribus tu Rolando & tui heredes dare nobis debeatis pensionem per omnem annum in mense aprilis nobis vel ad missos nostros per vos aud missos vestros

ari-

arigentum denari ſex boni & ſpendibili & non amplius, & ſi vos adimplentes, & ſi ego, qui ſupra Bonizo abbas vel meis poſteris ſucceſſoribus tibi ſupraſcripto Rolando vel a tuis heredibus de predicta tera & res minuare vel retollere, aud amplius quam ſupra legitur, nos vobis ſuper inponere preſumſerimus, tunc componituri & daturi eſſe debeamus ego ſupraſcripto Bonizo abbas vel meis ſucceſſoribus tibi, qui ſupra Rolando, vel a tuis heredibus pena numero de bonis denaris de Lucca ſolidos viginti. Quidem & ego, qui ſupra Rolando, manifeſtus ſum, quia omnia, ut ſupra legitur, & inter nobis continet, ſi diſtulero ego, qui ſupra Rolando, vel meis heredibus dare & adimplere per omnem annum a ſupraſcripto Bonizo abbas vel a veſtris poſteris ſucceſſoribus ipſa penſionem, ſicut ſuperius legitur, ſi vos recipere volueritis, aud ſi ſupraſcripta tera & res dimittere preſumſerimus, vel ſi per nos pejorata, aud ſubtracta apparuerit, tunc illa predicta pena ſolidorum viginti parti veſtre componere debeamus. Actum in loco Pojo intus manſionem predicti Rolandi, & ſupraſcriptam penſionem dedit tibi, qui ſupra Rolando, in feudo.

Ibidem.

Ego Bonizo abbas in hunc ſcriptum manu mea ss.

Ego Bernardus presbiter & monachus manus mea ſcripſi.

Ego Gr.. presbiter & monachus manus mea ſcripſi.

Ego Ildibrandus notarius ſcripſi & complevi.

CLXX.

Gerardus abbas Morronenſis concedit ad emphiteuſim Petro epiſcopo Piſano tertiam partem caſtri de Vivajo.

Anno 1114. v. idus ſeptembris.

Ex tabulario archiepiſcopatus Piſani. n. 230.

Ad lib. XXV. n. 32.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Christi Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus milleſimo centeſimo quintodecimo quinto idus Septembris indictione ſeptima. Manifeſtus ſum ego Gerardus Dei diſpoſitione abbas de eccleſia & monaſterio ſancte Marie de Morrona, quia per conſilium & auctoritatem domni Guidonis venerabilis prjoris Camaldulenſis eccleſie, interveniente etiam providentia venerabilium virorum, videlicet domni Athonis ejuſdem congregationis monachi, & vicarii, & domni Johannis reverentiſſimi abbatis ſancti Michaelis, & domni Lodoici ſancti Fridiani reverendi prioris, & domni Gerardi ſtrenuiſſimi ſancte Romane eccleſie, & Piſane eccleſie camerarii, & aſſenſu aliorum fratrum per hanc cartam henfiteoticario jure tibi Petro ſancte Piſane eccleſie digniſſimo epiſcopo, tertiam partem integram de tribus partibus integris de caſtello & poio & diſtrecto de Vivajo, & de curte de Acq.... cum omnibus ſuis pertinentiis tam in montibus, quam in planis, tam in domeſticis, quam in agreſtibus, in ſilvis, in pratis, in paſcuis, in aqueductibus, aquarum decurſibus, in piſcareis, & in omnibus, que ad predictum caſtellum, & curtem quocunque jure, quocunque modo ſunt pertinentia. Excepto & antepono inde totum acquiſitum, quod jure pertinet noſtre predicte eccleſie, & quod iſta noſtra eccleſia habebat, & detinebat ante pignus, & ante oblationem, que comes Ugo fecit in predicta noſtra eccleſia, tam de molendinis, & aqueductibus, quam de aliis terris cultis, ſive incultis, atque agreſtibus, ſive ſilvis, ſive paſcuis, ut ab hac hora in antea in perpetuum omnia, que ſupraſcripta leguntur, preter illud quod ſupraſcriptus exceptavi, in tua, qui ſupra, Petro epiſcopo, tuorumque ſucceſſorum ſint poteſtate habendi, tenendi, gubernandi, laborare faciendi, meliorandi, & privato nomine habendi, & uſufructuandi. Exinde mihi, meiſque ſucceſſoribus per ſingulum annum in menſe Septembri cenſum reddere debeatis ad predictum noſtrum monaſterium per vos, aut per miſſum veſtrum nobis vel miſſo noſtro bonorum denariorum Lucenſis monete expendibilium denarios duodecim. Et ſi intervenerit, quod in predicto menſe penſio ſoluta non fuerit, licead vobis in antea recuperare. Et ſi omnia, que ſupraſcripta leguntur, taliter feceritis, & conſervaveritis, & nos vobis iſtam tertiam partem de omnibus, que ſupraſcripta leguntur, quam vobis per henfiteoſim dedi, retollerimus, aut aliquid vobis amplius ſuper impoſuerimus per aliquod ingenium, ſpondeo ego, qui ſupra Gerardus abbas una cum meis ſucceſſoribus componere tibi, qui ſupra, Petro epiſcopo, tuiſque ſucceſſoribus penam argenti optimi libras centum, & in tali ordine hec ſcribere rogavi Ugonem notarium apoſtolice ſedis. Actum in clau-

ſtro

ſtro ſancti Michaelis ſito Piſe in fore porta.

Ego Gerardus abbas eccleſie ſancte Marie de Morona ſubſcripſi.

Ego Bonus ſacri Lateranenſis palatii judex interfui.

Signa manuum Petri & Gerardi conſulum & vicecomitum, qui interfuerunt, rogati teſtes.

Ego Ugo notarius apoſtolice ſedis poſt traditam complevi & dedi.

CLXXI.

Guido abbas S. Savini prope Piſas dat ad libellum terras.

Anno 1115. prid. idus martii.

Ex apographo canonici Abrahamii Piſani.

Ad lib. XXV. n. 42.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus milleſimo centeſimo quintodecimo pridie idus martii indictione octava. Manifeſtus ſum ego Guido in Chriſti nomine abbas de eccleſia Domini, & monaſterio ſancti Savini, qui eſt poſito loco & finibus Cераſahulo; quia per hanc cartula livellario nomine, hac cenſum & perexolvendum dare videor vobis Johanni filio Guidi & Raſtardo filius quondam Guittoni, & Guilielmo filius quondam Gerardi, ideſt quinque petiis de terris, quibus ſunt pertinentibus ſupraſcripte eccleſie, & ſunt poſitis in loco & finibus Cugnano, prima petia de terra eſt poſita prope ipſo caſtello, cum caſa & curte, & orto, & vinea ſuper ſe abente . . . . . capita cum uno lato tenet in terra de filiis quondam Guidi, & de eorum conſortibus, & alio tenet in via, ſecunda petia de terra eſt poſita . . . . . Cognano, qui uno capo tenet in via, & alio capo cum uno lato tenet in terra de ſupraſcripti filii quondam Guidi, & de eorum conſortibus, & alio lato tenet in terra de filii quondam Canizi, tertia petia de terra, ubi dicitur Colle Gennari, quod eſt ſilva, & terra laborativa, qui uno capo tenet in via, & alio capo tenet in terra veſtra, qui ſupra Baſtardo, & Johanni, & Guilielmus, & de conſortibus eorum, & alio lato tenet in terra Anſelmenta. Quarta petia de terra ubi dicitur Addolio, qui uno capo tenet cum uno lato in via, & alio capo tenet in terra de filio quondam Guidi, & in terra de filii quondam Rothi, & alio lato tenet in terra de ſupraſcripti quondam Cunizi. Quinta petia de terra, ubi dicitur ſimiliter Addolio, qui uno capo cum uno lato tenet in terra de ſupraſcripti filii quondam Guidi, & de ſuorum conſortibus, & alio capo tenet in via, & alio lato tenet in terra de ſupraſcripti filii quondam Rothi, & de ſupraſcripti filii quondam Guidi. De hac predictis quinque petiis de terris in eodem locis, qualiter ab omni parte circumdati ſunt per deſignatis locis in integrum &c. livellario nomine dare videor vobis tali ordine, ut da admodum in veſtra, qui ſupra Raſtardo, & veſtris heredibus ſint poteſtate eam abendi &c. mihi, vel ad poſteriſque ſucceſſoribus meis per ſingulum annum per omnem menſem martii . . . . . . reddere debeatis ad predicto monaſterio per vos, aut per miſſo veſtro nobis, vel ad miſſo noſtro, aut a miniſterialem illum, quas pro tempore ibidem abuerimus, de bonis denariis expendibilibus de moneta de Lucca numeros triginta, & ſex tantum, & ſi nos &c.

Actum prope ſupraſcripto monaſterio.

Signa manuum Benedicti filii quondam Rainaldi, & Neo filius quondam Guidi, & Raimundo, & Lanfranco germani filii quondam Marcioni teſtium.

Ego Guido abbas in hoc libello a me facto ss.

Ego Lanfrancus notarius apoſtolice ſedis poſt traditam complevi, & dedit.

CLXXII.

Rodulphus plebanus S. Alexandri de Jugulo cum conſortibus vendit terras eccleſiæ S. Salvatoris prope Florentiam.

Anno 1115. x. kl. maji.

Ex autographo archivi Fontis-boni.
§. Emptio. n. 148.

Ad lib. XXV. n. 39.

IN nomine Domini. Anno ab incarnatione ejus milleſimo centeſimo quintodecimo kl. madii indictione octava feliciter. Profitemur nos Rodulfus plebitaneus eccleſie & plebis ſancti Lexandri ſita Jugulo, & Rainerius & Aldibrandus germani filii Adamuli, & Ermingarda filia . . . . & Berta filia Steſani jugales, qui ſupra germanorum, & Berta filia Rodulfi, & Petrus filius ejus illo conſentiente communiter nos, qui ſupra, viri & mulieres manifeſti ſumus nos lege vivere Romana, per noſtram bonam voluntatem ſine alicujus hominis vio-

violentia per noſtram bonam voluntatem vendimus, concedimus, tradimus, transferimus & perpetuale tranſactum facimus in eccleſia & monaſterio ſancti Salvatoris ſito Pedemonte, de noſtro jure noſtroque dominio alienamus, & tranſcribimus & ſubducimus in jure atque dominio jam dicti monaſterii & ſuorum rectorum, videlicet unam petiam terre, que eſt poſita Aleulandoli, cui de tribus partibus eſt terra, qui ſupra ſancti Salvatoris, & de quarta parte eſt foſſatum & jamdictorum reſerbata, & eſt infra plebem ſancti Lexandri. Ideo jam dictam terram una cum omnibus edificiis ſuper ſe & infra ſe habentibus *&c.* habeat ad proprietatem vendendi, donandi *&c.* tam vos, qui nunc eſtis rectores, qui ſupra eccleſie & monaſterii, quam & veſtri ſucceſſores *&c.* Actum ſancto Criſtofano judiciaria Florentina feliciter.

Signa manuum qui ſupra venditorum, qui hanc cartulam fieri rogaverunt.

† Ego Rodulfus presbiter & plebitaneus a me facta.

Signa manuum Petri clerici de Ortale, & Johannis filii Rodulfi, & Vivenzi filii Johannis & Cavicioni filii Saſini, qui rogati ſunt teſtes.

Ego Petrus notarius ſcriptor poſt traditam conplevi.

CLXXIII.

Rogerius epiſcopus Volaterranus confirmat in abbatem S. Caſſiani de Cariſio Leonardum de Luca.

Anno 1115. III. nonas maji.

Ex autographo S. Pontiani de Luca.

Ad lib. XXV. n. 35.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus milleſimo centeſimo quintodecimo tertio nonas madii indictione octava. Evidenter apparet, quod dompnus Rogerius epiſcopus Vulteranus viſa electione & nominatione facta de fratre Leonardo de Luca per fratres recluſos in monaſterio ſancti Caſſiani de villa de Cariſio ordinis ſancti Benedicti, & recepta ab eis humili petitione, ut ipſum fratrem Leonardum uſque ad eorum beneplacitum debere inſtituere, & preponere in priorem & abbatem eorum & dicti monaſterii. Idem epiſcopus exiſtens in eodem monaſterio ea viſitatione dictum fratrem Leonardum inſtituit in eorum dominum cum baculo dicendo: Miſerere mei Deus, & alia ſolempnia faciendo, que circa inſtitutionem fuerunt facienda. Quibus peractis incontinenti dictus frater Leonardus pro ſe & nomine ſui monaſterii preſtitit dicto dompno Rogerio epiſcopo reverentiam & obedientiam ſecundum regulam beati Benedicti. Actum in dicto monaſterio in capitulo, preſentibus Dino Gualandi, Bindo Orlandi, Guerrono quondam Cardulceri, & aliis teſtibus vocatis & rogatis.

Ego Bernardus notarius ſacri palatii poſt traditam complevi & dedi.

CLXXIV.

Guido filius Rainerii cum filio Bernardo donat eremo Camaldulenſi caſtrum de Partina.

Anno 1115. menſe julio.

Ex autographo Fontis-boni.
§. Promiſſio. n. 60.

Ad lib. XXV. n. 36.

IN Dei nomine. Anno Domini ab incarnatione ejus milleſimo centeſimo quinto decimo menſe julio indictione octava feliciter. Manifeſti ſumus nos Guido filius quondam Raineri, & Bernardo filius ejuſdem Guidonis per largietatem ipſius Guidi genitori ſuo nos ambo inſimul, qualiter per hunc ſcriptum promiſſionis promittimus ad eccleſiam & eremitorio ſancti Salvatoris de Campo amabilis, & tibi Johannis priorem predicti eremi tuiſque ſucceſſoribus de integra omnia ipſa curte & caſtello de Partina, quem Ormanno germano meo ad ſupraſcripta eccleſia & ermitorio dedit per cartulam offerſionis, & de integre duobus partibus, que ſimiliter dedit Ugonem germano meo, qui ſupra Guido, de ſupraſcripta curte & caſtello. Ideo predicta curte & caſtello una cum omnia jacentia & pertinentia ſua cum omnibus ſuorum edificiis ſuper ſe & infra ſe abente in perpetuum, quatenus ab hac die in antea de prenominato caſtello & curte non abeamus licentiam nec poteſtatem, neque nos, qui ſupra, Guido & Bernardino, neque noſtris heredibus contra predictam eccleſia & ermitorio ſancti Salvatoris vel contra rectoribus ipſius eccleſie agere, cauſare, contendere *&c.* vel ſi *&c.* non adimpleverimus, tunc ſpondimus *&c.* pena numerum de bonis denariis de Luca libras quadraginta, &

poſt

post pena data hoc scriptum in suo robore permaneat.

Actum in loco Fonte bona feliciter.

Singnum manus suprascriptorum Guidi & Bernardini, qui hunc scriptum promissionis, sicut superius legitur, fieri rogaverunt.

Singna manuum Rustici filii quondam Petronis, & Tebaldini filii quondam Teudici, & Pagano filio Arduci rogatorum testium.

Ego Ildebrandus notarius scripsi & complevi.

CLXXV.

Canonici ecclesiæ Pisanæ concedunt Petro abbati S. Zenonis Pisarum monasterium de Plajano in Sardinia.

Anno 1115. VIII. idus novemb.

Ex archivo capituli Pisani.

Ad lib. XXV. n. 20.

† IN nomine sanctissime & individue Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Cum divine & humane legis moderamine constitutionibusque temporum antiquorum auctoritate conscriptis sancitum, laudabilisque ac justitie vigore firmatum fore, decernitque grandium causas negotiorum maxime ecclesiasticorum cartis diligenter inscribere. Ad memoriam posteris derelinquere convenit cunctis ratione utentibusque, maxime episcopis, canonicis vel etiam monachis pastoralis cure sollicitudinem habentibus, que supra dicimus, canonice, & regularibus grandia eorum negocia scriptis notare, & pro memoria ceteris in posterum commendare. Multas enim lites, & contentiones auferunt litere ad memoriam retinendam conscripte, que si non essent, nullius conventionis positiones ad plenum firme consisterent. Quapropter Petre sancti Zenonis venerande abbas tibi, tuisque successoribus, nos sancte Marie Pisane ecclesie canonici has vestre conventionis literas Carolum presbiterum firmare, & scribere rogavimus. De monasterio scilicet de Plajano, quod nostrum est, de quo justam, & rationabilem nobis, & vobis competentem inter nos fecimus conventionem. Ut deinceps dictum monasterium, ex vi concessionis potestatis habendi, tenendi, gubernandi, meliorandi, construendi, secundum quod melius vobis visum fuerit ..... *&c.* salvationem & utilitatem atque meliorationem, salvo jure, & subscripta reverentia Pisane canonice sancte Marie, abbatis scilicet electionem, que fiat, vel si necesse fuerit aliquo tempore, depositionem, vel ejusdem monasterii mutationem, nobis scientibus, & consentientibus, & concedentibusque fieri volumus. De monachis vero potestate.... Tu igitur Petre venerande abbas, quod absit, vel tui successores si forte per aliquid ingenium, vel per aliquam personam, aut per quamcumque machinationem predictum monasterium a sancte Pisane ecclesie canonica disjungere, vel removere, vel minuere aut perturbare tentaveritis absque obedientiam positam, centum scilicet solidos Lucensis monete denariorum expendibilium in uno quoque anno in mense augusto persolvetis nobis, vel successoribus nostris in predicta canonica Deo servire constitutis, centum librarum monete Lucensis bonorum denariorum penam predicte canonice componere debeatis, & si abbas ibi positus illud idem facere tentaverit, vel quocumque modo hujus mali machinationem facere presumpserit, & tu, vel tuus successor, si inquisiti fueritis, tantum nequitie scelus non emendaveritis, vel extirpaveritis, penam supradictam similiter persolvere debeatis, & post penam solutam firma permaneat conventio presentis facti. Nos vero vel successores nostri, si aliquo tempore, quod absit, pactum nostrum irritum fecerimus, & quo ad possumus non observaverimus, tibi tuisque successoribus eamdem penam persolvere debeamus. Taliter enim inter nos convenimus, & hujus conventionis duas cartulas predictum Carolum presbiterum firmare scribere rogavimus, & ut verius credatur, & melius confirmatur, nos & vos omnes manibus nostris subscrissimus. Acta itaque sunt hec Dominice incarnationis anno M. C. XVI. octavo idus novembris indictione octava in predicte canonice claustro.

† Ego Ugo archipresbiter ss.
Ego Bernardus presbiter ss.
Ego Martinus presbiter ss.
Ego Vuido presbiter ss.
Ego Seniorettus presbiter ss.
Ego Enricus presbiter ss.
Ego Guido diaconus ss.
Ego Ildebrandus diaconus ss.
Ego Ubertus diaconus ss.
Ego Ildebrandus subdiaconus ss.
Ego Bernardus subdiaconus ss. cunctorum minimus.
Ego Gratianus subdiaconus ss.
Ego Maurus subdiaconus ss.
† Ego Petrus in Christi nomine supra-

prascripti monasterii sancti Zenonis abbas licet indignus ss.

Ego Dominicus presbiter & monacus ss.

Ego Omodei presbiter & monacus ss.

Ego Rainerius presbiter & monacus ss.

Ego Vuido presbiter & monacus ss.

Ego Lambertus presbiter & monacus ss.

Ego Ugo presbiter & monacus ss.

Ego Lambertus & monacus & diaconus ss.

Ego Placitus diaconus & monacus ss.

Ego Carolus subdiaconus & monacus ss.

Ego Rainerius subdiaconus & monacus ss.

Ego Gherardus accolitus & monacus ss.

Ego Martinus accolitus & monacus subscripsi.

Ego Ugo accolitus & monacus ss.

Ego Bernardus clericus & monacus ss.

Ego Johannes clericus & monacus ss.

Ego Cicer, atque Martinus presbiteri & conversi ejusdem monasterii subscripsimus.

Ego Petrus clericus & monacus ss.

† Ego Carolus presbiter, licet indignus, & supradicte canonice sancte Marie Pisane ecclesie canonicus supradictorum canonice atque Petri abbatis & ejus monachorum precibus rogatus, hujus conventionis duas cartulas scripsi, & firmavi canonice unam dicte, alteram prefato monasterio complevi & dedi *&c.*

„ Addenda esset supradictis instrumentis altera ejusdem monasterii de Plajano insule Sardinie Turritane diocesis celebris investitura nomine totius capituli per domnum Jacobum ejusdem capituli archipresbyterum, seu ejus procuratorem bellorum causa, que in predicta insula Sardinie tunc temporis aderant, in favorem domni Angeli monachi sancti Michaelis Discalceatorum, sed brevitatis gratia ea omnia .... digna relinquimus, lectoresque ad filziam Pisani capituli remittimus, cujus titulus .... est: Acta capituli Pisani attinentia ad Ugonem archiepiscopum Nichosiensem ab anno M. CC. LXV. ad annum M. CC. XCII. pag. *99.* . Acta hec omnia sunt Dominice incarnationis anno M. CC. XCIII. indictione sexta XIIII. februarii.

„ Forma juramenti Pisani capituli prestiti ab abbatibus per dictum capitulum electis ad regimen, & gubernationem supradicti monasterii de Plajano Turritane diocesis.

Ego N. abbas monasterii de Plajano ab hac hora in antea fidelis ero capitulo Pisano eorumque successoribus, videlicet canonicis Pisane ecclesie canonice electis; si vocatus fuero per nuntium, sive per literam, ad eorum sinodum veniam, nisi impeditus fuero canonico impedimento, aut eorum licentia remanserit. Redditus Pisane ecclesie, oblationes, & alios redditus non fraudabo, nec fraudari permittam, ecclesiam sancti Michaelis suprascriptam ad eorum reverentiam, & honorem custodiam, non in consilio, vel facto ero, quod ecclesia Pisana in suo jure vel honoribus minuatur, non aliquam contra matrem ecclesiam faciam conspirationem, nec omnia me sciente sine fraude, & fideliter observabo salvo meo ordine, sic Deus me adjuvet, & hec sancta Dei Ecclesia.

„ Juravit hoc modo suprascriptus Angelus electus abbas a predicto capitulo loco supra citato, cujus juramento addite sunt ibi ee conventiones.

Provisio vero, sive electio, seu postulatio de abbate ipsius monasterii semper fiet, cum monasterium ipsum vocaverit in capitulo Pisano, & a canonicis ipsius capituli, qui pro tempore fuerint residenti in ipsa ecclesia Pisana, quando de dicto abbate esset electio facienda.

Similiter confirmatio electionis a predicto capitulo suprascriptum.

Institutio vero abbatis predicti monasterii electi, & confirmati a dicto Pisano capitulo, & in dicto corporalis possessionis, vel quasi temporalium, & spiritualium dicti monasterii fiet a dicto Pisano capitulo, vel ab eo, cui predictum Pisanum capitulum duxerit committendum.

Abbas vero, qui pro tempore fuerit in dicto monasterio ipso alterius ordinis, & specialiter Vallis umbrose nullam habeat potestatem, & quod dabit, & solvet dictus abbas, vel alius pro eo pro annuo censu suprascripto capitulo annuatim apud ipsum capitulum in festo assumptionis beate Marie libras quinquaginta denariorum Pisanorum.

Insuper abbas predictus, vel quilibet de suo conventu nullum monachum, vel conversum ad professionem recipient, nisi primo monachus vel conversus juret ad sancta Dei evangelia, quod cedente vel decedente abbate dicti monasterii nullum recipient in abbatem, vel pro abbate in predicto monasterio, nisi illum, quem supradictum capitulum duxerit eligendum & confirmandum.

Omnes vero redditus, & proventus, qui

qui deductis necessariis expensis pro se & familiaribus suis superfuerint, ipse abbas, & conventus conservabunt, & disponent, ac convertent in utilitatem dicti monasterii, pro ut sibi melius visum fuerit expedire.

Item abbas ipse de quinquennio in quinquennium personaliter Pisanum capitulum visitabit.

Abbas vero conventus, vel eorum aliquis res immobiles & thesauros dicti monasterii non alienabunt, sine consensu & mandato speciali capituli supradicti, nec condictiones servorum faciendo eosdem bono .... mutabunt, quoniam consueverunt facere periculum monasterio.

Nihil etiam infeudabunt, vel reinfeudabunt, vel in emphiteusim dabunt, sive concedent de rebus immobilibus monasterii supradicti.

Nuntios veros, vel procuratores dicti Pisani capituli ad predictum monasterium accedentes quacumque occasione, vel causa honorifice recipient, & tractabunt, & eis necessaria ministrabunt.

Pro predictis omnibus inviolabiliter observandis corporaliter juramentum predictus abbas coram me notario & testibus infrascriptis prestitit, & ab omnibus de suo conventu tam monachis, quam conversis prestari faciet simile juramentum, & de his omnibus predicti canonici, & abbas prefatus me notarium rogaverunt, ut inde conficerem publicum instrumentum.

Acta sunt Pisis in capitulo majoris ecclesie sancte Marie, presentibus presbytero Manfredo capellano supradicti capituli, & Betto de Calcinaja, & Puccio quondam Bergzi tabernarii clerici prefati capituli testibus ad hec vocatis, Dominice incarnationis anno M. CC. XCIII. indictione VI. quinto kalendas februarii.

Extracta hec sunt ex supra citata filiza sub dictis anno die, mense, indictione ac numero.

CLXXVI.

Petrus episcopus Pisarum concedit terras ad emphyteusim Ludovico abbati S. Michaelis in Burgo Pisarum.

Anno 1116. nonis januarii.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Ad lib. XXV. n. 49.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo sexto decimo nonas genuarii indictione nona. Manifestus sum ego Petrus Dei gratia Pisanorum humilis episcopus, quia per hanc cartulam libellario nomine, ac censum perexolvendum dare videor tibi Lodoico venerabili abati monasterii sancti Michaelis Pisane urbis unam integram petiam de terra positam in loco, ubi dicitur Tumulo, prope ecclesiam sancti Petri ad Gradum, que habet ambo capita cum ambobus lateribus in terra episcopatus Pisane matris ecclesie sancte Marie, & est per mensuram ad justam seminaturam modiorum duo. Hec predicta petia de terra de predicto Tumulo, qualiter ab omni parte circumdata, & mensurata est per designata loca in integrum cum inferioribus, & superioribus suis, seu cum finibus, & ingressibus suis, ut dictum est, tibi eam dare videor tali ordine, ut a modo in tua, qui supra Lodoicus abbas, tuorumque successorum sit in potestate eam tenendi, imperandi, gubernandi, laborare faciendi, meliorandi, & vobis eam privato nomine habendi, & usum fructuandi, & inde vos, & vestri successores per vos, aut per missum vestrum nobis, & nostris successoribus, aut ministro, qui pro tempore in curia nostra ordinatus fuerit, censum denarios bonos expendibiles Lucensis monete numero sexaginta hic Pisam ad curiam nostram per singulum annum in mense decembris reddere debeatis. Quod si vos nobis, ut supra legitur, per singulum annum taliter adimpleveritis, & conservaveritis, & non vobis predictam petiam de terra, quas vobis libellario nomine dedimus, retollerimus, vel aliquid amplius vobis supra imposuerimus per aliquod ingenium, spondemus, promittimus, & pollicemur una cum nostris successoribus componere vobis, vestrisque successoribus penam argenti optimi libras decem, & sic Rodulfum notarium apostolice sedis scribere rogavimus. Actum in domo apud predictam

dictam ecclesiam sancte Marie; hac supra, scripta petia de terra est juxta illam terram similiter duorum modiorum, que vobis prius per aliud libellum data fuit.

† Ego Petrus Pisane ecclesie peccator episcopus in hoc libello a me facto ss.

† Ego Ugo archipresbyter in oc libello ss.

† Ego Berardus presbyter ss.
† Ego presbyter Signorectus ss.
† Ego Martinus presbyter ss.
Ego Guido diaconus ss.
Ego Gerardus diaconus ss.
Ego Ildebrandus diaconus ss.
Ego Ildebrandus subdiaconus ss.

Signa manuum Ardinghi filii quondam Ragni, & Brancefolie quondam Guidonis, & Pisani quondam Johannis, & Johannis quondam Petri, & Verandi quondam Zanni testium.

Rodulfus notarius apostolice sedis post traditam complevi & dedi.

CLXXVII.

Panzo archidiaconus & præpositus Arretinus donat eremo Camaldulensi decimas.

Anno 1116.

Ex autographo Fontis-boni.
§. Donatio. n. 245.

Ad lib. XXV. n. 51.

IN presentia bonorum hominum clericorum scilicet & laicorum, clericorum domni Gregorii, domni Azonis, domni Johannis, domni Alderici, & domni Henrici canonici de Catenaja, laicorum Bonatoli, Tuscani, Rolandini, Lamberti & Bernardi presbyteri & plebani de Partina & aliorum plurimorum, venit Panzo archidiaconus & prepositus accepto libro in manibus, posuitque super altare, cum quo investivit, refutavit omnem decimationem, quam habebat in vinea sancti Salvatoris, quam habet in Partina, & de toto manso Calvoli Deo Salvatori mundi ad usum & sumptum fratrum heremitarum Camaldulensium in perpetuum pro redemptione anime sue, & episcopi Constantini, & Jocundi prepositi, & patris sui aliorumque parentum suorum cum licentia Guidonis episcopi ejus temporis, & consilio fratrum canonicorum spopondit omni tempore, sic ratum habere, quod fecerat & a nullo violaturum in posterum.

Actum hoc in ecclesia Fontis-boni, anno Dominice incarnationis mill. centesimo sextodecimo indictione nona feliciter. Unde hoc scriptum fieri rogavit.

CLXXVIII.

Guido episcopus Arretinus confirmat Johanni priori Camaldulensi omnes donationes factas eidem eremo ab ejus antecessoribus.

Anno 1116. mense octobri.

Ex autographo ejusdem archivi.
§. Privilegium. n. 19.

Ad lib. XXV. n. 45.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Guido monachus & peccator quamvis indignus Dei gratia Aretine sedis episcopus. Episcopalis est providentie eorum, qui Deo militant & in ejus contemplatione solitarie vivendo perseverant, & necessitatibus subvenire, & justis eorum petitionibus aures accommodare, quatenus qui soli Deo placere student & ab eo eternaliter remunerari non dubitant, ab ipsius quoque Dei ministris laboris sui premium temporaliter habere incipiant, quod a nostris antecessoribus episcopis pie gestum, recteque fuisse provisum scripta nobis oblata per domnum Johannem virum venerabilem sancte heremi Camaldulensis Dei gratia priorem testantur. Cujus quippe eremi cultoribus tamquam sacre vinee operariis ad perpetuum eorum usum & sumptum iidem antecessores nostri alii beneficia contulerunt, alii tam collatis quam conferendis plenissimam atque firmissimam auctoritatem dederunt. Quorum nos vestigia sequentes, & supermemorati patris & confratrum ejus heremitarum petitiones tamquam justas non surdis auribus audientes, scilicet ut privilegia, donationes seu confirmationes ab antecessoribus nostris episcopis factas tam ad constitutionem, quam ad augmentationem prefate heremi, seu & substentationem fratrum ibidem Domino pro tempore famulantium ex nostra episcopali auctoritate confirmaremus, quicquid predecessores nostri beate videlicet memorie Teodaldus, Immo, Constantinus atque Gregorius ad prefatum pium atque laudabile opus constituendo, donando seu & confirmando sanxerunt, per hanc privilegii nostri paginam confirmamus, & inviolabiliter corroboramus predicto domno Johanni prenominate heremi venerabili patri atque re-

ctori suisque confratribus eorumque successoribus in perpetuum, scilicet omnia bona, que Bernardinus filius Sidonie, aut pater ejus habuerunt & tenuerunt, vel aliquis eorum nomine ab ecclesia sancti Donati, vel a ministris ejusdem ecclesie episcopis predecessoribus nostris tam in comitatu Aretino, quam Castellano; nominative plebem sancte Marie in Miciano cum pertinentiis suis, & quod habuerunt in castello & curte montis Aurei, & in Viario, aut in aliis quibuscumque locis vel vocabulis, reservantes tamen nobis nostrisque successoribus synodum, capitulum, paratam & penitentiam clericorum, canonicamque hobedientiam. Letanias vero de plebe Miciani, quas usque non habuimus cum integra decima vinee Partene vobis concedimus in perpetuum. Similiter concedimus & perpetualiter confirmamus prescripte heremo suisque rectoribus integrum feodum, quod Bernardinus & Feralmus pater ejus habuerunt ab ecclesia nostra in curte de Soci. Concedimus autem eidem heremo quicquid ei conquisitum est a filiis Rainaldi, vel conquirendum est a Rainaldo fratris eorum filio, sicut inter eos conventum est infra curtem de Cesa in advocabulo Kajolo, vel in aliis vocabulis, sicut in cartulis exinde factis continetur. Insuper concedimus memorate heremo totum, quod ei conquisitum est a Guidone Nigritoti vel a filio suo in eadem curte nostra de Cesa per ea videlicet vocabula, que in instrumento exinde facto denotantur, tam de ecclesiis, quam de omnibus aliis rebus. Similiter concedimus predicte heremo totum hoc, quod Ermannus & Ugicione frater ejus dederunt ei in tota curte de Partena, tam in castro, quam in curte ejus, seu & in ecclesiis. Similiter concedimus omnia, que prefata heremus suique rectores habent & tenent vel aliquis eorum nomine de rebus nostri episcopii quocumque modo. Preterea concedimus & confirmamus, & inviolabiliter corroboramus jam dicte heremo suisque rectoribus eorumque confratribus quicquid predecessores nostri contulerunt, nominatim ecclesiam sancti Miniatis in villa, que dicitur Alina cum suis pertinentiis cum medietate trium mansorum, & alium mansum in Monte, & decimationes prefate ville, nec non & Pergentine, & Corsignani, & Avane, & Largnani, & unum mansum in villa Pergentina, & unum mansum quondam detentum ab incolis Gerardo & Teuzone, & quartam partem unius mansi in Ventulini. Insuper visitationes plebium Bujani, Partene & Biblene cum omnibus massariis earumdem plebium ex sua decimatione singuli singula sextaria frumenti deferentibus ad victum predictorum fratrum heremitarum, sicut a predecessoribus nostris collata sunt, confirmamus, & ut perpetuo annualiter dentur, episcopali auctoritate sancimus. Quia igitur, quod bone memorie prefati antecessores nostri divina inspiratione prescriptis fratribus contulerunt, nosque pro remedio anime nostre nostrorumque successorum eis confirmavimus atque donavimus, ratum, firmum atque inconcussum illi omni tempore manere volumus ex parte Dei omnipotentis patris, & domini nostri Jesu Christi, sanctique Spiritus interdicimus & modis omnibus inhibemus, ut nullus noster successor nullaque magna parvaque persona predictum domnum Johannem prescripte heremi rectorem, ejusque posteros successores, fratresque heremitas Deo ibi militantes, que ab antecessoribus nostris, sive ab aliis hominibus concessa, & a nobis tam concessa eis, quam confirmata sunt, sive que in futurum juste acquisierint, devestire, tollere vel minuere, molestare, vel aliquo modo inquietare presumat, aut alii persone perturbare permittat. Quod si quis ausus fuerit, in die tremendi judicii sese tamquam reum & sacrilegum pertimescat esse condemnandum. Ut igitur hec nostra confirmatio a nobis nostrisque successoribus, atque ab omnibus hominibus inrefragabiliter observetur, hujus privilegii nostri paginam sigilli nostri impressione roborantes signari jussimus, & manu propria subscribendo confirmavimus.

Ego Guido Aretine ecclesie episcopus ss.

Ego Panzo archidiaconus & prepositus laudans ss.

Ego Hemricus canonicus subscripsi.

Ego Rustico presbiter & canonicus ss.

Ego Ildebrandus canonicus diaconus licet indignus ss.

Ego presbiter Tebaldus canonicus ss.

✠ Ego Servus Dei sacri scrinii notarius huic dationi privilegii rogatus interfui, & jussu episcopi descripsi, quibus ita descriptis manu propria insignivi, atque complevi, ac denotavi.

Datum est hoc anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo sextodecimo sub Henrico rege mense octobri indictione decima in presentia suprascriptorum consignatorum, & Ugonis filii Guilelmi & Rolandini filii Lamberti, &.... qui core de Mascione vocatur, & Gerar-

rardini filii Cunize, Viventii, & . . . . filii quondam . . . . rogatorum testium.

Visitur locus sigilli cerei deperditi.

CLXXIX.

Guido comes & Imilia ejus uxor donant Tederico abbati Bifurcensi suum jus in monasterium S. Andreæ in duo Vadora.

Anno 1116. mense februario.

Ex autographo canonicorum S. Laurentii de Florentia. n. 31.

Ad lib. XXV. n. 67.

IN nomine Domini nostri Jhesu Christi. Anno millesimo centesimo sexstodecimo ab incarnatione ejusdem tempore Pascalis pape & Erici imperatoris mense februario indictione decima in loco prope plebem sancti Dietali sita Musee sancto ac venerabili monasterii sancti Benedicti in Bifurco, in quo Deo nunc protegente domnus Tedericus monacus presbyter atque abbas ejusdem monasterii preesse & servire videtur, ideo nos quidem in Dei nomine Guido comes filius Guidonis comitis & Imigla jugalis comitissa, una per consensum & data licentia predicti viri mei per hoc instrumentum donationis, offersionis, transfersionis & alienationis firmiter donamus & transferimus res nostras pro remedio anime nostre nostrorumque filiorum & heredum tibi presenti donno Tederico abbati monasterii sancti.... sito in alpibus de Bifurco, tuisque successoribus atque fratribus de eodem monasterio in perpetuum, idest omnes res & pertinentias integras, quantacumque nobis quoquo modo pertinet de monasterio sancti Andree in duo Vadora, & de pertinencia ipsius monasterii jure patronatus, vel aliquo quoquo modo ubicumque invenitur esse, in quibuscumque locis & plebibus constitutis sub jugo & dominio monasterii sancti Benedicti, & de suis rectoribus permaneat semper, & abbates & priores, & monachos & alios homines in ipsa ecclesia mittere & retraere, si oportunum fuerit, & si placuerit sine aliqua contradictione vel controversia, & hoc totum facimus pro Dei omnipotentis timore & remedium anime nostre & de quondam parentum nostrorum, & nostrorum filiorum, vel heredum, ut a presenti die aut quandocumque volueritis, licitum sit tibi quietum & justum introitum habere per hanc cartulam donationis a nobis in te factam, ac tuis successoribus, atque traditam tamquam per legitimam & nostram corporalem traditionem, quamque eciam & per istum missum nomine Ugonem monacum atque presbyterum, quem constituo, ut te investiat corporaliter vice nostra, quieto tramite habendi dominium & potestatem ordinandi, & disponendi in eodem monasterio in perpetuum jure salario permanenda, sicut diximus, pro remedio anime nostre & de quondam parentum nostrorum, atque filiorum vel heredum, & ab obierna die non liceat nobis donatoribus neque nostris heredibus ullo unquam in tempore movere questionem, repeticionem aut occasionem, ullamque molestiam generare contra te, neque contra tuos successores de predicto monasterio, neque in placitum, neque extra placitum, set inmo omni tempore securi & quieti exinde maneatis in omnibus in perpetuum. Omnia vero suprascripta observare & firma tenere promittimus per nos, nostrosque liberos & heredes tibi predicto abbati tuisque successoribus, atque fratribus sub nomine pene auri optimi libras quinque, & soluta pena hec pagina donationis, ofersionis maneat firma. Scripta per manum Johannis notarii, que scribere rogavimus sub die & mense & indictione decima. Guido comes & Imigla comitissa ad omnia suprascripta, Rolandus judex sacri palatii, & Ugolinus de Aldobrando, & Ugolinus de Gumgnulo, & Brunettus de Rasorio, & Johannes de Crignano, & Ulmolus, & Aldrobrandus. † Et ego Johannes notarius Deo annuente rogatus scripsi, complevi & absolvi.

Et ego presbyter Nasimbene capelanus monasterii sancti Benedicti in alpibus, sive in Bifurco, imperiali auctoritate notarius visum & lectum & diligenter examinatum suprascriptum instrumentum nichil addendo, nec minuendo de mandato domni abbatis sancti Benedicti scripsi & exemplavi, & meum singnum apposui consuetum.

CLXXX.

CLXXX.

Maurus subdiaconus donat terras Uberto priori S. Frigdiani Pisarum.

Anno 1116. x. kl. Decembris.

Ex autographo olim penes Abrahamium canonicum Pisanum.

Ad lib. XXV. n. 49.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo septimo decimo nonas decembris indictione decima. Manifestus sum ego Mauro subdiacono filius quondam Neritii, quia per hanc cartulam vendo, & trado tibi Ubertus priore, & custode ecclesie, & monasterij sancti Fridiani a parte & utilitate ipsius monasterij medietatem integram de quinque petiis de terris, que sunt posite in loco & finibus Carrarie prope ecclesiam sancti Salvatoris, quarum una est sedium cum cassina & curte & orto, tenet unum caput in via publica, & aliut in terra Roti notarij, & de suis consortibus, lato uno tenet in terra ecclesie sancte Marie, & in terra predicti Roti notarii, & de suis consortibus, & aliut latus in terra suprascripti Roti & de suis consortibus, & est pro mensura ad justa seminatura stariorum quinque, & panorum duo. Secunda petia cum vinea super se habentes in ipso loco tenet ambo capita cum uno latere in terra suprascripti Roti, & de suis consortibus, & aliut latus in terra regia est a justa seminatura stariorum quatuor & panora duo. Tertia vero petia in eodem loco tenet uno capert in flumine Sercli, & aliut in terra suprascripti Roti, & de consortibus suis, latus unum tenet in terra Bonci fabri, & aliut in terra Bonfilii quondam Boni, & Sifridi quondam Pisani, & in terra, quam tibi nunc suprascriptus venundare videor, & est ad justam seminaturam stariorum octo, & panorum decem. Quarta petia in ipso loco tenet uno caput in terra suprascripti Sifridi, & in terra Stefani quondam Petri, & aliut in terra suprascripti Roti, & de suis consortibus, latus unum in suprascripta terra, quem ic tibi supra venundavi, aliut in terra Ingeltie relicte quondam Adaldi, & filie quondam Geraldi, & de consortibus suis, & in terra Speciose . ... quondam Gerardi, & est ad justa seminatura stariora duo, & panorum octo. Quinta petia ibi prope tenet unum caput cum unum latus in terra canonice . . . . . & aliut in via Carraricia, aliut latus in terra Carletti quondam Glandulfi, & de consortibus suis, & in terra de filii quondam Gerardi de Modana, & est ad juxta seminatura stariorum quinque, & panora duo. Predictam medietatem integram jam dictarum quinque petiarum de terris, qualiter hab omni parte circumdate, & mensurate sunt per designata loca in integrum &c. Actum suprascripte canonice.

Signa manuum Bernardi quondam Mori, & Signorecti quondam Johannis, & Bernardi quondam Bonfilii, & Guilielmi quondam . . . . . testium.

Ego Andreas notarius domni regis post traditam complevi & dedi.

Et promissio ad defendendum, qui per manum tenet, a penam argenti obtimi libras quinquaginta suprascripto merito, & testibus & datare.

CLXXXI.

Manens comes donat monasterio S. Petri in Campo medietatem castri Castellionis.

Anno 1117. mense martio.

Ex codice delle coppe *cancellariæ Montis-politiani*. p. 125.

Ad lib. XXV. n. 47.

IN nomine Domini, Amen. Hoc est exemplum cujusdam publici & originalis, instrumenti, cujus tenor talis est. In nomine sancte & individue Trinitatis anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo decimo sexto mense martii indictione x. Manifestus sum ego Manente comes comitis Peponis emancipatus filius, qualiter per hanc cartulam donationis, traditionis, dono, trado medietatem Castellionis pro remedio peccatorum meorum atque parentum meorum monasterio sancti Petri in Campo in presentia Petri Clusini episcopi, & Guidonis Clusine ecclesie prepositi, & in manibus dompni Guidonis ejusdem monasterii abbatis & dompni Peponis sui prioris. Sunt autem termini suprascripte donationis a Cruce de colle Ferralla usque ad castellum Lazzari, & a fossato Cavo usque ad alium fossatum quod vocatur vulgo de colle Serpentaja. Ex hac tamen donatione excipio terram laborativam, que est a via, que descendit ad collem ab ea parte, ubi

ubi piscinia est. Excipio quoque terram laboratoriam Raginerii Mantesi, que est ab ea parte: Suprascripte itaque donationis possessionem suprascripto episcopo, preposito, abbati atque priori trado, servisque servorum Dei in suprascripto monasterio habitantibus dominii proprietatem transfero. Interea quoque promitto vobis suprascriptis patribus, quod nec ego, nec mei heredes, nec aliquis meo consensu jamdictam partem supranominati castelli tollet vel contendet. Quod si aliquis vobis vel vestris successoribus tollere aut contendere voluerit, tunc promitto me meosque heredes, & in judicio & extra judicium eamdem rem defensare, & si quis suprascriptam possessionem invaserit, promitto me, meosque heredes obbligo ad accipiendum, & post recuperatam possessionem ad retinendum per bonam fidem vobis vestrisque successoribus adjuvaturos, & si hec omnia ego vel mei heredes vobis vestrisque successoribus .... quinquaginta libras Lucensis monete nomine pene compositurос, & soluta pena maneat firma hujus inscriptionis donatio, atque omnia laudo atque jurejurando corporaliter prestito confirmo.

Ardicione Seracini de Collepoli, & Dualandello, & Guidone Rustici, Ardicione Barotti & Duicciardo de Radicofano, Rolandino Rollandi Cuinizi, & Ranerio & Abolino rogatis testibus.

Ego Rolandus causidicus interfui, & scriptori dictando annuntiavi.

CLXXXII.

Rainerius marchio una cum Uguccione filio donat Bellino priori S. Savini de Chio mansum de Robianle.

Anno 1117.

Ex autographo Fontis-boni.
§. Recordationes. n. 18.

Ad lib. XXVI. n. 2.

CUm omnibus fidelibus sancte Dei ecclesie constet sine Domino, qui omnia regit & gubernat, nichil abere possunt, ideo rogandus est, ut semper donet, cum ipse dare vult, maxime tamen obnixe rogandus est, quoniam nullus homo a semetipso aliquid valet bonum agere, sicut a semetipso didicimus: sine me nihil potestis facere.

Igitur ego Raignerius filius Ragineri marchionis cum Uguicione filio meo cognoscimus potentiam ejus, statuimus & ordinamus & offerimus in manibus domni Belini prioris sancti Savini, & Gerardi pro redemptione anime nostre & parentum nostrorum, refutamus de manso Robianle, que est rectum & tenutum per Petrum & Raginerium, omnem albergariam, excepto quando studiose sumus vvarniti, & ibi custodiamus secundum possumus. Hoc factum est juxta ecclesiam sancti Martini a Scisciano in presentia ...... & Gerardini de Cornito, & Onganelli, & Bernardi & Rihetti, & Wargneri de Montanina, & Alferi de Pojone, & Walteri de Perle, & multorum hominum, quod longum est numerare. Et est factum ab anno Dominice incarnationis M. centesimo XVII. indictione X.

Gratia Domini nostri Jesu Christi sit semper cum omnibus nobis. Amen.

CLXXXIII.

Præceptum Henrici IV. imperatoris pro monasterio S. Severi prope Ravennam.

Anno 1117. III. mense januarii.

Ex autographo abbatiæ Classensis.

Ad lib. XXVI. n. 3.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Henricus divina favente clementia quartus Romanorum imperator augustus. Omnium sancte Dei ecclesie nostrorumque fidelium noverit universitas, qualiter nos pro remedio anime nostre nostrorumque parentum regum & imperatorum, necnon interventu principum nostrorum Jeremie Ravennatis archiepiscopi, Petri Forolivienfis episcopi, Turibi Vincentini episcopi, Sigefridi Vercellensis episcopi, Arponis Feltrensis episcopi, Vel....i Tridentini episcopi, Olderici Constantiensis episcopi, abbatis Er....i Wldensis, Warnerii marchionis, Anselmi marchionis, Alberti comitis de Martilingo, Malevicini comitis aliorumque nostrorum fidelium, rogatu etiam Petri venerabilis abbatis suorumque confratrum, ecclesiam sancti Severi, & quidquid ad eamdem pertinet vel pertinere debet, sub mundiburdio nostre tuitionis suscepimus, concessimus etiam eis quidquid antecessores nostri concesserunt, & que precepta & privilegia eidem confirmaverunt, idest nostram domnicatam insulam a monasterio ad mare, ab Adareno flumine usque ad Candiani portum, scilicet totam & integram cum piscationibus & pascuis & dimidiam portam

tam

tam sancti Laurentii cum ripis fluminis, & omnia mobilia . . . . possessionis a jura, que idem prefatum monasterium sancti Severi habet in episcopatu Ravennati, vel in comitatu Anconiense, vel.... vel in Senogallia, vel in Pesariense, vel in Ariminensi, vel in Ficoclensi, vel Cesinensi, vel Populiensi, vel Liviensi, vel Faventini, vel Ymolensi, vel Bononiensi, vel Ferrariensi, vel Comaclensi, vel Gubiensi, aut in comitatu Calensi, vel Cast . . . Felicitatis, vel Bobiensi, vel in qualicunque loco nostri imperii obtinuerit. Volumus etiam & precipimus dictum monasterium ab omni datione, functione, albergaria, pedagaria, & ripatico liberum esse & absolutum. Insuper vero dicto sancto loco concedimus, ut ab hinc Aldionis seu Aldiones, sive quilibet residentes ad nullum placitum vadant, ad nullamque districtionem, nisi in dominium & districtionem abbatis ejusdem monasterii, scilicet abbatem & monachos pro Dei amore animeque nostre remedio sub nostre tuitionis protectione quiete vivere & Deo famulari, & pro nobis Dominum deprecari, omnium hominum contradictione remota. Si quis ergo hujus nostre auctoritatis seu confirmationis preceptum quandoque temerario ausu infringere temptaverit, sciat se compositurum auri obtimi libras centum, medietatem camere nostre, & medietatem regentibus ejusdem venerabilem locum. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manu propria roborantes, presentem paginam nostro sigillo jussimus obsignari.

Signum domni Heinrici quarti Romanorum imperatoris invictissimi. Loco ✠ Sigilli

Burchardus . . . . .
& cancellarius recognovit.

Data III. nonas januarii indictione x. anno Dominice incarnationis . . . . XII. regnante Heinrico quarto rege Romanorum anno imperii VI. Actum Cortine in archiepiscopatu Ravennat. in Christo feliciter. Amen.

CLXXXIV.

Bannum Henrici ducis, ne molestentur bona ecclesiæ S. Mariæ de Carceribus.

Anno 1117. IIII. octobris.

Ex Muratorii Antichità Estensi P. I. p. 284.

DUm in Dei nomine in comitatu Patavensi in villa, que vocatur Este juxta sanctam Teclam ejusdem ville. Cum permaneret ibi domnus Henricus dux, manentibus cum eo Johannes causidicus, Girardus, Albertus da Este, Bonizus da Este, Johannes filius Esti & reliqui plures. Ibique in eorum venerunt prescentia presbiter Andreas & presbiter Petrus, archipresbiter Tribani, ceperunt dicere ac mercedem postulare. Petimus a vobis domne Henrice duce, ut propter Deum & animam vestram, vestrorumque parentum, ut mittatis bannum supra rebus ecclesie sancte Marie, tam supra illis rebus, quas nunc habet, quam in illis, quas adquirere potuerit, ut nullus homo audeat disvestire, vel molestare partem suprascripte ecclesie sine legali judicio. Cum presbiter Andreas & presbiter Petrus taliter retulerunt, ad hec recordatus domnus Henricus dux divino imperio me regnare, per consilium illorum suprascriptorum, qui cum eo aderant, per fustem, quem in sua manum tenebat, misit bannum de duobus milibus mancusceis aureis supra rebus sancte Marie de li Carcere, tam supra illis rebus, quas nunc habebat, quam supra illis rebus, quas exinde in antea Deo propicio adquirere potuisset, ut nullus quislibet homo audeat disvestire partem suprascripte ecclesie, neque molestare, neque suos servientes, tam illi qui nunc serviunt, quam sui successores sine legali judicio; qui hoc fecerit sciat se compositurum predicta duo mille mancusia aurea, medietatem suprascripte ecclesie & medietatem Kamare suprascripti Henrici ducis. Et hanc notitiam qualiter acta est inde fieri ammonuerunt. Quidem ego Anoaldus notarius, simulque legis peritus ex jussione suprascripti Henrici ducis & ammonitione scripsi. Anno Domini millesimo centesimo septimo decimo, quarta die intrante octobris indictione decima.

† Signum suprascripti Henrici ducis qui

Ad lib. XXVI. n. 5.

qui hoc signum crucis fieri jussit.

† Signum Bernardi capellani ducis, qui interfuit.

CLXXXV.

Donatio Imiliæ facta monasterio S. Christinæ Septem-fontium.

Anno 1118.

Ex autographo S. Christinæ de Bononia. I. 10.

Ad lib. XXVI. n. 8.

IN nomine Domini nostri Jhesu Christi. Anno ab incarnatione Domini nostri Jhesu Cristi millesimo centesimo octavodecimo regnante domino Enrico filius quondam Enrici imperatoris anno vigesimo quarto die octavodecimo mensis . . . . . indictione undecima. Et ideo ego quidem in Dei nomine Imigla filia Petri Baldoini bono animo . . . . . mee placa . . . . . . venit mihi, ut per hanc cartam donacionis atque transhaccionis dono & c . . . . . Imigla pro remedio & luminarie anime mee in nomine ecclesie sancte Scristine de loco, qui vocatur Pasteno . . . . . . ta & ordinata in nonorem Dei & monasterio sancti Salvator mundi Camaldulensis, & in tibi Imelghina . . . . . . ce per persona & in vice donna Matilda monacha & abatipsa, & in tuisque successores ad abendum &c. idest de omnibus rebus & possessionibus meis, seu mobilibus vel immobilibus, que mihi pertinet, aut potuerit mihi pertinere, sive a paterna vel ex materna linea, vel de inter fratribus & consororibus meis, vel mihi pertinere poterit per aliquod jus, titulum, vel ingenium terris & vineis, campis, pratis &c.

Actum in vico Roncalgle indictione undecima.

† Signum manus, que supra Imigla, donatrice omnia, ut superius legitur, fieri rogavi.

† Signum manuum Ildebrandus filius Rolandi, & Rolando filio ejus, & Petrus filio Bertuzo, & Petrus clericus, & Martinus, & Zambono germano filiis Urso de Petrus Vetre, & Guido filio Johannis de Tizonello rogati testibus.

† Tabellio Martinus Ulzianensis castro omnia, ut superius legitur, scripsi, & firmavi atque complevi.

CLXXXVI.

Altera donatio in favorem ecclesiæ S. Mariæ in loco Monte.

Anno 1118. mense martio.

Ex archetypo Fontis-boni. §. Donatio. n. 263.

Ibidem.

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis millesimo centesimo octavo decimo mense martio indictione undecima feliciter. Auxiliante Deo & Domino nostro Jehsu Christo profiteor me Gulielmo filio b. m. Petroni, quia professus sum legem viventibus Romana, presente & stante me coram testibus & bonis hominibus, pro mea bona hac spontanea voluntatem per ujus vocis transfersionis perpetualisque transactionis seu firmamentum, quem & paginam per remedium anime mee & de genitori meo & de genitrice mea per hanc cartulam offersionis nomine a presenti die dare, & tradere, atque offerre, seu confirmare providi in ecclesia & oratorio sancte Marie sitam in loco Monte, ubi Martinus presbyter presens esse videtur, in perpetuum pro futuris temporibus possidendum do, concedo, offero, trado & transfero perpetualique trasacto facio de meo jure meoque dominio meisque heredibus, alieno & transcribo & subduco in jure & dominio ipsius ecclesie, idest integram meam portionem de integra ipsa terra & vinea & casa, quem ego visus sum abere vel possidere proprietario jure infra territorio de plebe sancte Marie sitam Partina in casale Petrito, & in la Casella & in Orzale, & omnia ipsa terra, & res que mihi pertinet de predicta ecclesia sancte Marie. Ideo predicta terra, & res una cum omnia jacentia & pertinentia sua cum omnibus suorum edificiis super se & infra se abentes in integrum in ipsa sancta ecclesia dare & tradere & offerre providi, ut omni tempore ad jura proprietatem de ipsa ecclesia ad habendum, tenendum &c. Acta ante hostium suprascripta plebe sancte Marie feliciter.

Singnum manus suprascripti Guilelmi, qui hanc cartulam, sicut superius legitur, fieri rogavit.

Singna manuum Petri filii quondam Rodulfi, & Ugo filii b. m. Alberti, & Rustico filii b. m. Folcoli, & Johannis filii b. m. Petronis, & Guido clericus filii

filii olim Johannis rogatorum testium.
Ego Ildebrandus notarius scripsi & complevi.

CLXXXVII.

Bulla Gelasii II. papæ pro monasterio insulæ Montis-Christi.

Anno 1118. kl. octobris.

Ex autographo S. Michaelis in Burgo Pisarum.

Ad lib. XXVI. n. 6.

GElasius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Henrico abbati monasterii sancti Mamiliani, quod in Monte Christi situm, tuisque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Nos, qui disponente Domino ad sancte sedis servitium promotos agnoscimus, ut ejus filios auxilium implorantes tueri ac protegere, prout Dominus dederit, debeamus. Proinde nos dilecte in Christo fili Henrice abbas tuis petitionibus annuentes beati Mamiliani in Monte Christi monasterium, cui auctore Deo presides, apostolice sedis protectione munimus. Statuimus enim, ut insulam vestram nullus neque cum bestiis, vel cum aliquo machinamento perturbet, & universa, que in proxima XII. indictione in Corsica, vel Sardinia, in Planusio, vel Ilba, vel alibi vestrum monasterium possidet, quieta vobis & integra conserventur, in quibus hec propriis duximus nominibus adnotanda. In Sardinia ecclesiam sancte Marie de Scala, sancti Helie, & sancti Gregorii, necnon sancti Mamiliani de Sumassi cum pertinentiis earum. In Corsica monasterium sancti Stephani de Venaco, monasterium sancte Marie de Canovaria, ecclesiam sancti Peregrini, & ecclesiam sancti Pauli de Conca cum pertinentiis suis. Quecumque etiam in futurum annuente Deo juste poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat idem monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum substentatione & gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Obeunte te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem, & beati Benedicti regulam providerint eligendum. Sepulturam quoque ejusdem monasterii & cellarum ejus liberam esse decernimus, ut eorum, qui illic sepeliri deliberaverint, devotioni, & extreme voluntati, nisi forte excommunicati sint, nullus obsistat. Decimas vero vestrarum terrarum, quas ubilibet habetis, sine ulla episcoporum, vel episcopalium ministrorum actione quietam vobis manere concedimus. Sane laicos seu clericos seculariter viventes ad conversionem suscipere nullius contradictio vos inhibeat. Si qua igitur ecclesiastica, secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam venire temptaverit, secundo, tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore, ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem monasterio justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Gelasius ecclesie catholice episcopus ss.

Datum Pisis per manum Grisogoni sancte Romane ecclesie diaconi cardinalis kal. octobris indictione XII. Anno Dominice incarnationis M. CXVIIII. pontificatus autem domni Gelasii secundi pape anno I.

CLXXXVIII.

Placitum Mathildis reginæ pro monasterio S. Mariæ foris portam Faventiæ.

Anno 1118. IIII. novembris.

Ex Italia sacra Ughellii. T. II. col. 364.

Ad lib. XXVI. n. 9.

IN nomine sancte & individue Trinitatis, Patris & Filii, & Spiritus sancti. Anno ab incarnatione filii Dei M. C. XVIII. tempore Henrici serenissimi imperatoris IIII. mensis novembris indictione XII. apud plebem sancte Reparate de Castro-caro. Ea, que juste rationabiliterque gesta esse videntur, maxime quidem de rebus ecclesiasticis, ne

forte

forte oblivioni tradantur, memorie commendare duximus; quapropter nos quidem Burebundus clericus & capellanus clarissime domine regine Mathildis in presentia electi archiepiscopi Ravennatis ecclesie Philippi, & cancellarii imperatoris, & Erbordi Siniscalchi, & comitis Cavalcacomitis, & Tationis & Martilingi, & Petri ducis, & Alberici, & aliorum illustrium virorum, adjuvante Domino, jussu & consensu domine nostre regine Mathildis scripsimus, ut hoc equidem, quod in presentia nostra, & predictorum actum est, nullatenus imposterum oblivioni tradatur. Itaque dominus Vuitto monachus & diaconus una per consensum & per jussionem domni Johannis abbatis sancte Marie de Foris-portam, & ceterorum confratrum, accessit coram domina nostra Matilde regina, & proclamavit, ex eo quod Petrus ille Liviensis electus post biennium transactum partem quartam premisse ecclesie sancte Reparate, quam ex concesione & cartularia institutione seu corroboratioue priorum Liviensium episcoporum diu ecclesia sancte Marie de Foris-portam possederat & obtinuerat, invasit & fraudulenter subripuit. Tunc domina Mathildis regina in conspectu omnium predictorum, & aliorum virorum surrexit, & imposuit bannum super capita omnium, ut si quis deinceps sive vir, sive mulier prenominato monasterio sancte Marie partem illam ecclesie sancte Reparate usurpare voluerit, & aliquo in tempore molestari, indignationem per controversiam predicto abbati vel successoribus suis generaverit, sub pena regalium decretorum constituatur. Similiter autem, & sub eadem pene impositione precepit, ut comes Bonifacius cum ceteris de Castro-caro procurationem & concordiam hujusmodi de predicta causa sancte Marie haberent, nequaquam ulterius prefato monasterio inde pateretur. Ad hec precepit Johanni, ut dominum Wittonem de prelibata parte ecclesie investiret, & omni modo in sua vice premissum monasterium sancte Marie ex ea re corroboraret; quod factum est, & jussum est, Johanni Canis sine mora perfecit.

CLXXXIX.

Largitio terrarum facta ab Alberto & Actone monasterio S. Victoris de Clusis.

Anno 1119. mense aprili.

Ex autographo S. Blasii de Fabriano.

Ad lib. XXVI. n. 14.

IN nomine ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi anni sunt millesimo centesimo nonodecimo & regnante manno Rigo nostro imperator & die mense aprilis indicione XII. dugatu Spoletino territorio Castellano. Ideoque nos quot sumus Alberto & Acto filii Donadeo ambi insimul communiter propria nostra bona voluntate, & secundum nostram legem Langobardorum damus & tradimus & concedimus aliquit de terra nostra, quam nos abemus ad monasterio sanctu Victore, qui est edificatu in fundo Victorianu ad te domnus Albrico abbas ipsius monasterio tuisque successoribus in perpetuum, posita est ipsa res nostra in fundo Massiano staria novem, a lateribus eis est primo latere terra de Gozo de Rigo, secundo latere de Ugolino comes, tercio de Adamo presbiter, quarto latere de ipso monasterio perveniente in primo latere, infra isti lateribus damus at ipso monasterio de res nostra, sicut superius legitur at justa mensuram staria novem abere & tenere, possidere ipsa terra cum omnia, que infra se abentes vel supra jacentes in integrum, & faciendi de ipsa terra omnia quitquit volueritis sine omnis calunnia, & insuper damus & concedimus at obitum nostrum, & de nostris eredibus masculini quale testamentum, & quale res pro anima nostra dare potuerimus, veniat ipso monasterio & at suis ecclesiis, que est de ipso monasterio, & omnis anno pensionem siamus daturi at ipso monasterio de . . . . . . aut valiente pro ipse staria novem, quot recepimus in tercia persona & staria tres, quos at nos dedit ipso predicto abbas de terra sui monasterii. Et insuper promittimus & obligamus nos benefactori cum nostris eredibus, quia si contra ista carta, quam pro anima nostra facimus, ire, agere, retollere, removere aut spodestare voluerimus ipsa terra at ipso monasterio, aut ipso testamentum, quod pro anima nostra dare promittimus at ipso monasterio non opservaverimus, quot superius legitur, ipsa terra sicut quod per- scri-

ſcriptum abemus, at ipſo monaſterio revertat ſine omnis calumnia abere & tenere, & faciendi omnia quotquot volueritis tu ſupraſcriptus abbas & cum ſupceſſoribus, & ech carta ſit firma, & ſtabile permaneat, ſicut ſuperius legitur.

Sinu manu de Alberto & Acto, qui iſta carta fieri rogavimus.

† Albrico de Ugo rogatus teſtu ſumus.

† Acto de Martino rogatus teſtu ſumus.

† Ramdo rogatus teſtu ſumus.

Alberto judice ſcripſi, complevi.

CXC.

Eccleſia S. Georgii de Apibus traditur monaſterio Rotenſi.

Anno 1119. menſe aprili.

Ex autographo Fontisboni, §. Donatio. n. 265.

Ad lib. XXVI. n. 12.

IN nomine ſancte & individue Trinitatis. Anno ab incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo centeſimo nono decimo de menſe aprili indictione duodecima. Quiſquis in ſanctis ac venerabilibus locis de ſuis bonis aliquid contulerit, omnipotentis voce centuplum percipiet, & inſuper vitam conſequetur eternam, & quia divinorum operum perfectio & ordinatio magis magiſque de die in diem provei, & ad meram & perfectam debeat procedere puritatem. Ideoque ego Ranuccius filius quondam Guidonis aurificis de monte Leſcario, & Aigolus Ildibrandi & Rolandinus Gerardi, & Berardinus filius quondam Alberici, & Ugolinus Anſaldi, & Ugolinus Gottoli, & Brunettus, & Paganuccius Bertelli, & Brettuſcius filius quondam Bonizi, & Ranuccinus Ranucci, nos omnes in ſimul & unanimiter concedimus, damus, tradimus, & refutamus per hoc ſcriptum tibi domino Rainerio venerabili abbati monaſterii ſancti Petri de Ruota ad onorem Dei, & ſancti Salvatoris monaſterio de Camaldoli, videlicet ordinationem, regimen & gubernationem eccleſie ſancti Georii delli Aipi, omniumque terrarum, ſilvarum, vinearum, bonorumque omnium mobilium & immobilium pertinentium ad prefatam eccleſiam ſancti Georii, quatinus tu prenominatus abbas, ceteri quoque abbates rectoreſque, qui pro tempore ibi fuerint, regant, & gubernent, & ordinent ſine noſtra prenominatorum ſociorum refutatorum contradictione aliqua, noſtrorumque eredum. Et hoc promittimus nos jamdicti omnes ſocii Ranuctius Guidonis videlicet, & Paganuctius, & Aigolus cum ceteris una cum noſtris heredibus, quod ſi aliquando vobis moleſtiam, vel replicationem, ſeu repetitionem, vel fatigationem, ſeu ſucceſſoribus tuis rectoribus jam nuncupati monaſterii qualitercumque de predicta eccleſia ſancti Georii bonorumque ſuorum mobilium & immobilium intulerimus, & ſi omni tempore taciti & contemti exinde non permanſerimus, & tibi prenominato domino abbati tuiſque ſucceſſoribus quinquainta libras argenti optimi, & poſt ſollutam penam hec ſcriptura ſua permaneat firmitate & robore. Et hoc volumus, & Deum omnipotentem exinde deprecamur, & obteſtamur, & beatam virginem Mariam, omneſque Sanctos ejus, quod ſi aliquis temerario auſu pollutus, quod futurum eſſe non credimus, contra hanc noſtram refutationem & conceſsionem qualitercumque ire temptaverit, iram Dei incurrat exinde omniumque Sanctorum, veniantque ſuper eum omnes ille maledictiones, quas in populum Divini precepti prevaricatorem ſeſe miſſurum intentavit, deglutiadque illum tellus ceu Datan & Abiron & Core. Ecce qualis fuit noſtra voluntas, nec nobis ullo tempore liceat nolle quod voluimus, ſed quod a nobis ſemel factum eſt, ſemper firmum ratumque permaneat. Quod vero hoc ſcriptum refutationis, qualiter ſuperius legitur, Rodulfo domni imperatoris Henrici judice ſcribi rogavimus. Acta hec in comitatu Senenſi prope caſtellum de monte Leſcario. Signum manus ſupradictorum refutatorum Ranucci, & Aigoli, & Rolandini, & Berardini, & Ugolini, & Brunetti, & Ugolini Gottoli, & Paganucci, & Bretuſsi & Ranuccini Ranuccii, qui hoc ſcriptum refutationis, qualiter ſuperius legitur, ſcribi rogaverunt.

Signum manus Senucci Martini, & Malitalioli da Silvole, rogatis teſtes omnes hii.

Ego Rodulfus domini imperatoris Henrici judex poſt traditum complevi & dedi.

CXCI.

CXCI.

Commutatio inter Ludovicum abbatem S. Michaelis in Burgo Pisarum & Guidonem.

Anno 1119. prid. kl. junii.

Ex autographo ejusdem monasterii.

Ad lib. XXVI. n. 34.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo vigesimo pridie kalendas junii indictione duodecima. Nos Lodoicus abbas ecclesie, & monasterii sancti Michaelis hedificati in Pisana civitate, & Guido clericus filius quondam Gerardi, ut in Dei nomine, de quibusdam terris, que sub jure nostro esse videntur, ad hutilitatem, & commodum utrorumque permutationem faceremus. Predictus itaque ego Guido vobis jamdicto donno abbati in commutatione dono, & trado vestro jure .... duas partes integras unius petie de terra cum vinea super se posita in loco & finibus, ubi dicitur Gerbareto & Petrafitta, habet unum caput in terra Lamberti quondam Petri, & aliud caput in terra filiorum quondam Ansoaldi, latus unum in terra predicti monasterii sancti Michaelis, & aliud latus in terra Petri quondam Alberti, & filii Petri fabri, & est per mensuram ad justam seminaturam sistariorum octo, & panorum decem. De hac predicta petia de terra cum vinea qualiter ab omni parte circumdata, & mensurata est per designata loca duas partes integras cum inferioribus, & superioribus suis, seu cum finibus, & ingressibus suis, ut dictum est, vobis jamdicto abbati eam in commutatione dono & trado. Unde ego predictus Lodoicus abbas tibi jamdicto Guidoni in commutatione donavi, & tradidi quinque petias de terris, una quarum posita in loco Reto, ubi dicitur alle Groci, habet ambo capita cum ambobus lateribus in terra sancti Stephani, & est per mensuram sistariorum quinque, & panorum unum. Secunda petia prope ecclesia sancte Marie, & flumen Osoris, ubi dicitur Burgo sancti Petri, habet unum caput in Osore flumine ....& aliud in terra Pandulfi, latus unum in terra de Familiati, & aliud latus in terra sancti Alexandri. Tertia petia cum vinea posita, ubi dicitur Fossabandi habet unum caput in via, & aliud caput in terra filii Aloise, latus unum in terra Rainerii quondam Rainerii, & aliud latus in terra Johannis da Nothano, & est per mensuram sistariorum .... quarta petia posita ad Orticaria, que est canneto, habet unum caput in terra filiorum Gerardi de Modana, & aliud caput cum uno latere in terra filii Serbuli, & aliud latus in terra Gerardi vicecomitis, & est per mensuram sistariorum ...... quinta petia cum vinea in Quarantula habet unum caput .... item donavi, & tradidi tibi quartam partem integram unius petie terre posita a Quarto, & dicitur Aqua viva, habet unum caput in via publica, & aliud caput in terra Pipini quondam Radulfi, & suis consortibus, latus unum in terra suprascripti Pipini, & Bernardi quondam Tederici, & aliud latus in via publica. Has predictas terras, ut supra, leguntur integras cum inferioribus & superioribus suis, *&c.*

Actum aput predictum monasterium sancti Michaelis.

Ego Ildebrandus judex sacri palatii Lateranensis, & nunc per Dei gratiam Pisane civitatis consul interfui & ss.

Signa manuum suprascripti Giraldi, & Rustici extimatorum, qui ipsas terras extimaverunt.

Signa manuum Rollandi quondam Benedicti, & Alkeri filii Lamberti, & Pandulfi de Melda testium.

Ego Rodulfus notarius apostolice sedis hanc commutationis cartulam scripsi, & manu propria firmavi.

CXCII.

Guidonis episcopi Arretini donatio eremo Camaldulensi.

Anno 1119. mense novembri.

Ex autographo Fontis-boni, §. Donatio. n. 266.

Ad lib. XXVI. n. 11.

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis millesimo centesimo nonodecimo regnante Henrico rege mense novembris indictione tertiadecima. Diversorum genera negotiorum, que geruntur, eodem modo, eodemque cursu conscriptionibus denotare indubitati juris est. Et ideo in Dei nomine manifestus sum ego Guido Dei gratia Aretine sedis antistes, quod ex honore clericatus & episcopii dignitate lege profiteor vivere Romanorum, qualiter per hanc cartam offersionis & perpetue donationis dona-

donamus, tradimus & inrefragabiliter concedimus tibi domno Johanni priori venerabili patri atque rectori sancte heremi Camaldolensis tuisque confratribus in perpetuum, scilicet totam & integram usuariam, quam nos aut ministri nostri soliti sumus sive juste, sive injuste auferre, videlicet de toto & integro uno tenimento, quod nuper fuit detentum per Bonisum Johannis Dominici, & modo detentum est per uxorem suam a vobis, quod vero tenimentum est in curte de Biblena in advocabulo Camprena. Prenominatam itaque integram usuariam justam & injustam, & omne tolloneum, quod inde soliti sumus tollere nos, aut ministri nostri in integrum, sicut superius legitur, nos pro remedio anime nostre nostrorumque antecessorum & successorum tibi prefato priori & tuis confratribus heremitis, & vestris successoribus donamus, tradimus atque concedimus, & refutamus, & ratum & firmum atque inconcussum vobis omni tempore manere volumus. Ex parte Dei Patris omnipotentis, & Jesu Christi, & sancti Spiritus interdicimus, & modis omnibus jubemus & obligamus nos & nostros posteros successores tibi predicto priori & tuis confratribus heremitis & vestris successoribus, ut nullus noster successor, nulla magna parvaque persona te predictum domnum Johannem prescripte heremi rectorem, & tuos posteros successores fratresque heremitas audeat disvestire, tollere vel deminorare, vel aliquo modo inquietare presumat, aut alie personе perturbare permittat. Quod si aliquis ausus fecerit, vel factum sustinuerit, ferietur pena centum solidorum bonorum denariorum Lucensium, & insuper vinculo anathematis mancipetur, & in die tremendi judicii seseque tamquam reum & sacrilegum pertimescat condepnandum. Unde hec carta fieri rogata est, ut supra. Actum in domo sancti Donati feliciter.

Ego Guido Dei gratia Aretine ecclesie episcopus ss.

Ego Panzo Dei gratia Aretinus archidiaconus ss.

††††† Signum manuum Rigonis filii quondam Pagani, & Ildebrandi filii Berardi, & Malclavelli filii quondam Guidonis, & Petri filii quondam Gerardi Baii, & . . . . . filii quondam . . . rogatorum testium.

Ego Servus Dei sacri scrinii notarius huic gratuite donationi causa pietatis & misericordie facte rogatus interfui, scripsi, & complevi & denotavi.

CXCIII.

Charta donationis factæ monasterio Berardingorum.

Anno 1119. mense decembri.

Ex codice delle coppe *cancellariæ Montis-politiani.*

Ad lib. XXVI. n. 12.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo nonodecimo mense decembri indictione XIII. Manifestus sum ego Gogottolus de Largnano filius quondam . . . . Traccia Privignus ejus filius quondam . . . . . . jugalis interrogata a propinquis meis, si aliquam ex hoc vim passa fuissem ab aliquo homine & professa sum nullam ideo vim substinere, set voluntate propria comuniter per hanc cartam conventione inter nos habita dare & tradere nomine pignoris providemus ad onorem Dei & sancti Salvatoris monasterio Berardingorum, & sancti Salvatoris de Camaldoli per manum domni Petri presbyteri & monachi, idest integra nostra pars totius masse & sortis del Zacharia, & totius masse & sortis del Macagnano, que uterque sunt posite infra curtem de Pancole non longe a Caspreno, & integras terras nostras de prato di Monte, excepta terra nostra & vinea de ripa *&c.*

CXCIV.

Bulla Calixti II. papæ ad Johannem priorem Camaldulensem pro monasterio Sextensi.

Anno 1120. XII. kl. junii.

Ex autographo Fontis-boni. §. Privileg. n. 21.

Ad lib. XXVI. n. 16.

CAlixtus episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo filio Johanni Camaldulensium fratrum priori salutem & apostolicam benedictionem. Que religionis prospectu statuta sunt, firma debent pepetuitate servari. Siquidem dominus predecessor noster sancte memorie PASCHALIS papa Sextense monasterium, quod videlicet beati Petri juris est, & in solius apostolice sedis tutela & dispositione existit tibi karissime in Christo Johannes prior tuisque successoribus regen-

gendum disponendumque commisit, ut ibi per curam vestram & studium monastici ordinis disciplina cooperante Domino servaretur. Idem enim locus in spiritualibus & temporalibus admodum diminutus in religionis statum reformari posse per vos potissimum videbatur. Nos ergo & tuis, & fratrum tuorum petitioni clementius annuentes, & predicti loci meliorationi & apud Deum, & apud homines propensius intendentes, quod a predicto domino nostro factum est, auctore Domino, confirmamus, & prefatum Sextense sancti Salvatoris monasterium sub tuo tuorumque successorum regimine, dispositione & subjectione futuris temporibus permanere decernimus. Unde liberam vobis concedimus facultatem secundum congregationis vestre consuetudinem abbatem in loco ipso per Dei gratiam statuendi, & monasterium in spiritualibus & temporalibus disponendi, omnem, que cenobio eidem a nostris predecessoribus concessa est, libertatem prestante Domino confirmantes. Salvo in omnibus apostolice sedis jure & reverentia. Confidimus enim in Domino, quia per instantiam vestram & sollicitudinem sepe dictus locus & in religionis monastice disciplinam reformabitur, & rerum temporalium accipiet incrementum. Si quis igitur pagine hujus tenore cognito temere, quod absit, contraire temptaverit, honoris & officii sui periculum patiatur, aut excommunicationis ultione plectatur, nisi presumptionem suam digna satisfactione correxerit.

✠ Ego Calixtus catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Lambertus Hostiensis episcopus ss.

† Ego Deusdedit card. presbyter tit. sancti Laurentii in Damaso ss.

† Ego Petrus card. presbyter sancte Susanne ss.

† Ego Johannes presb. cardinalis tit. sancti Grisogoni ss.

† Ego Petrus diaconus cardinalis sanctorum Cosme & Damiani ss.

† Ego Gregorius diaconus cardinalis sancti Angeli ss.

† Ego Petrus diaconus cardinalis sancti Adriani ss.

Datum Vulterris per manum Grisogoni sancte Romane ecclesie diaconi cardinalis ac bibliothecarii XII. kal. junii indictione XIII. incarnationis Dominice anno Domini M. C. XXI. pontificatus autem domni Calixti secundi pape anno II.

CXCV.

Bulla ejusdem pro monasterio Morronensi.

Anno 1120. XII. kl. junii.

Ex archivo archiepiscopii Pisani. n. 261.

Ad lib. XXVI n. 17.

CAlixtus episcopus servus servorum Dei dilecto filio Gerardo abbati monasterii sancte Marie de Morrona, ejusque successoribus regulariter instituendis in perpetuum. Et divinis preceptis instruimur, & apostolicis monitis informamur, ut pro ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu. Proinde dilecte in Christo fili Gerarde abbas petitionibus tuis clementer annuimus, & beate Marie monasterium, cui Deo auctore presides, cum omnibus ad ipsum pertinentibus sub tutela sedis apostolice suscipientes beati Petri, cujus juris esse cognoscitur, patrocinio communimus. Per presentis igitur privilegii paginam eidem monasterio in perpetuum confirmamus universa, que ei aut a nobis . . . . . Ugiccione comite, & filiis ejus Ugolino, Rainerio, Lotherio, & Bulgarino, aut ab aliis quibuslibet fidelibus legitime collata, vel concessa sunt . . . . castellum de Vivario cum pantano & aliis pertinentiis ejus, possessiones de Morrona, de castello de Sojana, de Negotiana, de . . . . . alto, de Massa de Monte Gemmule. Quecunque preterea in futurum, largiente Domino, idem monasterium juste atque canonice poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. Nulli ergo omnino hominum liceat sepedictum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum substentatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temtaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore, & sanguine Dei, & Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem

eidem

eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus hic fructum bone actionis percipiant, & apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant.

† Ego Calixtus catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Lambertus Hostiensis episcopus ss.

† Ego Petrus cardinalis presbyter tit. sancte Susanne ss.

† Ego Johannes presbyter cardinalis tit. sancti Grisogoni ss.

Datum Vulterris per manum Chrisogoni S. R. E. diaconi card. & bibliothecarii XII. kal. junii indictione XIII. incarnationis Dominice anno M. C. XXI. pontificatus autem domni Calixti II. pape anno II.

CXCVI.

Ildebrandus prior S. Benedicti de Bifurco omnia sua donat Teuderico abbati.

Anno 1120. v. mensis julii.

Ex autographo S. Laurentii de Florentia. n. 35.

Ad lib. XXVI. n. 18.

IN nomine Domini nostri Jhesu Christi. Anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo vigesimo, tempore Calixti pape & Enrici imperatoris quondam secundi Enrici filii die quinto mensis julii indictione quintadecima in monasterio sanctorum Laurentii & Ipoliti. Omnis contractus fide perficitur, sed tamen scriptura apparente melius cognoscitur, atque ideo ego quidem in Dei nomine donnus Ildebrandus prior & monachus monasterii sancti Benedicti a presenti die do, & cedo, atque mando tibi presenti in Christi nomine donno Teuderico abbati ejusdem monasterii sancti Benedicti, & pro te infrascriptum monasterium tuisque successoribus in perpetuum, idest hoc quod habeo & teneo, & mihi pertinet ex successione patris & matris mee infra plebe sancte Marie in Ceperano, sive in Paterno, quod est in eadem plebe, & hoc quod mihi pertinet in plebe sancti Martini in Golfare, quod scilicet est in Azello, & hoc quod mihi pertinet in Maurano, & in Cesauro, & in Cavalioni, & in Vissano, & in Montauri, & in Cella, & in Nigoladi, & in Lisino, quod est in plebe sancti Savini, & insuper omnes actiones, ac jus, que mihi pertinent quocumque jure, tam super his rebus superius dictis, quam super aliis quocumque modo, ut habeatis, & exerceatis, atque defendatis eas ad utilitatem & proficuum supradicti monasterii nostri, a presenti die liceat tibi supradicto abbati predictas res accipere & intromittere per traditionem, vel consensum istius mei missi nomine Sifredi, ut illuc veniat & corporaliter predictam rem tradat, atque te inde investiat & liceat vobis ordinare & disponere has omnes res tantum more salario, & non liceat mihi suprascripto donatori, neque meis successoribus amplius aliquam litem sive molestiam ex predictis rebus sive actionibus facere, neque aliquam controversiam generare adversus supradictum monasterium, sive contra monachos & deservientes prefato monasterio, set securi & quieti exinde maneatis in omnibus, que superius diximus. Et insuper auctorizare & defensare promitto vobis contra omnem personam hominum, sive possideatis, sive contra possidentem agatis. Et si hec omnia, itaut superius dictum est, non observaverimus, & contra agere presumpserimus ego supradictus Ildebrandus aut mei successores, promitto nos esse daturos tibi suprascripto abbati & collegio tuo vestrisque successoribus nomine pene auri libram unam, & maneat firma hec donationis pagina. Que scripta & completa est per manum Petri Faventini scribe rogatu mei suprascripti donatoris.

† Ego Ildebrandus prior & monachus monasterii sancti Benedicti in hac donacione a me facta manu mea ss.

† Sifredus de Inginulfo & Garlandus frater ejus, atque Dominicellus pilizarius, & Fantinellus Dominici de Ansano, & Ugo de Barbano, & Alfredolus clericus, qui omnes rogati interfuerunt huic contractui.

† Ego Petrus Faventinus scriba hoc donationis instrumentum rogatu supradicti prioris complevi & absolvi.

CXCVII.

Azo marchio Estensis donat terras ecclesiæ S. Mariæ ad Carceres.

Anno 1121. mense junio.

Ex Canneto apud Muratorium Antich. Estens. P. I. p. 327.

Ad lib. XXVI. n. 24.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu

Jesu Christi millesimo centesimo vigesimo primo, quarto die exeunte mense junii indictione decima quarta. Ecclesia beate Marie virginis, que est edificata in finibus Este in loco, ubi dicitur Carcere, ego Azo marchio filius Hugonis marchionis, qui professus sum lege vivere Langobardorum offertor & donator ipsius ecclesie propterea dixi: Quisquis &c. Ideo ipse Azo dono & offero in eadem ecclesia sancte Marie a presenti & ordino, ut dentur pro anima mea & parentum meorum mercede duas petias de terra in territorio nostro Pataviensi in finibus Palsi. Prima petia de terra in loco, ubi dicitur de Boscholungo, & est per mensuram justam per longitudinem perticarum triginta quinque, per traversum perticarum quattuordecim, coheret ei ab uno latere Gulielmus, ab alio latere jura sancte Marie, ab uno capite via, ab alio capite via & fossa. Secunda petia de terra in loco, ubi dicitur Albaredo, est per longitudinem perticarum quadraginta duarum, per traverso perticarum septem, coheret ei ab uno latere Robertus, ab alio latere .... ab uno capite via, & ab alio capite via, sibique alie sunt coherentie. Que autem petie de terra juris mei una cum accessione & ingressione seu cum superioribus & inferioribus, qualiscumque mensure & coherentie sint, offero illas ab hac die in eadem ecclesia, do & dono, & per presentem chartam offersionis proprio meo nomine in ecclesia ad habendum confirmo, spondeo atque promitto ego qui supra Azo una cum meis heredibus ex parte ipsius ecclesie istas petias de terra qualiter sunt, totas ab omni homine defensare; quas si defendere non potuerimus aut si nollent exinde aliquid ... in duplum eamdem offersionem, ut sit vobis restitutio, sicut pro tempore fuerint meliorate, aut valuerint sub estimatione in consimili loco.

Actum in loco sancte Marie feliciter.

Singnum manibus Azo, qui hanc chartam offersionis fieri rogavi.

Signum manibus Fulcho marchio, Azo filio ejus, Robertus marchio, Angelus, Balaldo, Aroldo, Siverardo, Octo, Balduino, Machabruno testes.

Ego Adam notarius, qui hanc chartam offersionis scripsi.

CXCVIII.

Sinibaldus episcopus Patavinus privilegio munit eamdem ecclesiam.

Anno 1122. xv. kl. augusti.

Ex Muratorii antiquit. medii ævi. T. V. col. 262.

IN nomine Domini Dei & hominis. Anno incarnationis ejusdem millesimo centesimo vigesimo secundo xv. kalendas augusti indictione xv. Sanctam Dei ecclesiam &c. quam rem, ego Sinibaldus episcopus Dei gratia Paduanus pertractans, ecclesiam sancte Marie in Paduano episcopatu sitam in loco, qui dicitur ad Carceres, ubi nunc dilectissimus filius meus Fabianus presbyter cum fratrum suorum collegio, cui preest, vite active ministeriis vacans sub canonice institutionis norma vivere curat & satagit, presentis privilegii sanctione munire decrevi, quatenus canonici, qui modo adsunt, & qui postmodum ordinabuntur, libere ibidem ac quiete Dei servitiis inherere, ac bona sua, que nunc habent, & que juste legaliterque quovis in tempore acquirent, sine molestatione quantum ad episcopum Paduanum, & ad subditas sibi personas adtinet, possidere valeant. In primis itaque pro remedio anime mee omniumque antecessorum & successorum meorum in catholice fidei unitate perseverantium predicta sancta ecclesia beate Marie libera sit ab omnibus & nulli subjaceat ecclesie, sed per se Paduano, qui pro tempore fuerit episcopo, respondeat & obediat, ita tamen ut episcopus ei nullam violentiam nullamque de bonis suis lesionem inferat, nullamque a clericis ejus temporalem exactionem perquirat, nec per quatuor anni tempora solitas presentias exigat. Postremo per se, neque per suos legatos apud ipsam ecclesiam vel in ejus possessionibus albergarias faciat, excepto si contigerit pro aliqua loci utilitate illuc pergere. Tunc enim cum paucis vadat ipse vel ejus missi sine ipsius ecclesie damno vel oneroso incommodo. Preterea ex parte Dei omnipotentis & sancte Marie semper virginis & nostra episcopali auctoritate sciat sibi omnis persona magna vel parva penitus interdictum, ne ullo modo audeant inquietare vel molestare jamdictam ecclesiam sancte Marie, nullum eidem predium auferre, nullum vecti-

Ad lib. XXVI. n. 26.

vectigal imponere, nullumve tributum exigere, nec ejus clericis invitis vel laicis in ejusdem ecclesie possessionibus albergarias facere. Quicumque igitur &c.

Actum & datum Padue. Feliciter.

Ego Bellinus archipresbyter manu mea subscripsi.

Obertus presbyter ss.

Ego Ubertus presbyter ss.

Ego Torengus subdiaconus manu mea ss.

Ego Nicolaus diaconus ss.

Rogati autem sunt testes Rolandus de Coriano, Petrus, Nicolaus, atque Ubaldinus pater & filii, Paganus Bastardus, Octo Buczarella, Henricus de Vico de Argere.

Jonas causidicus, nunc denique tabellio dictus, hec digitis scripsi, ceu vidi mentemque fixi.

CXCIX.

Confirmatio donationis castri de Soci facta Johanni priori Camaldulensi a Cunizina.

Anno 1123. mense februario.

Ex autographo Fontis-boni. §. Emptio. n. 158.

Ad lib. XXVI. n. 29.

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis millesimo centesimo vigesimo tertio regnante Henrico rege mense februario: Manifesta sum ego Cunizina filia quondam Uberti .... filii cujusdam Rodulfini, qualiter cum licentia prefati viri mei, at .... rogatione Ildebrandini & Guilielmini filiorum meorum, a quibus interrogata ....ctum legis Longobardorum, in quorum presentia & testium subterscriptorum .... facio professionem me nullam pati violentiam in hac re, sed mea bona voluntate huic venditioni & transactioni faciende consentio. Similiter & nos prefati fratres scilicet Ildebrandinus & Guilielminus filii quondam Bernardini, & ego Guilielminus cum licentia & auctoritate prefati fratris & curatoris mei nos omnes insimul viri, & mulier cum communi consensu & pari voluntate per hanc cartam venditionis & transactionis, convenientie & promissionis vendimus, tradimus & transigimus tibi Johanni priori ecclesie & heremi sancti Salvatoris de Campo amabili vice ejusdem ecclesie & heremi, scilicet totas & integras omnes res illas, quas ego prefata Cunizina una cum Bernardino preterito viro meo domno Martino antecessori tuo per cartam dedimus, nominative totum castrum de Soci, quicquid nobis quocumque modo jure vel titulo tunc pertinebat vel in tota curte ejus, tam de casis, quam de terris, vineis, ortis, olivetis, silvis, stirpetis, aquis, rivis, pascuis, domnicatis & mansis, & cum hominibus & tenitoribus nostris & servitio eorum &, albergariis, usibus cum omnibus prediis rusticis & urbanis. Prenominatas itaque totas & integras omnes res de toto castro de Soci, cum muris & omni edificio suo, & de tota curte ejus ubicumque esse invenitur cum inferioribus & superioribus eorum, & cum omni jure prediorum urbanorum & rusticorum, & usariam in integrum, sicut supra legitur, nos omnes prefati insimul jugales & fratres tibi prefato domno Johanni priori vice ecclesie & heremi vendimus & tradimus & transigimus, extinguendo pactum, quod in prefata cartula anteriori scriptum fuit pro nostra voluntate, & per hoc venditionis & transactionis instrumentum te exinde vice heremi investimus de hoc, quod est proprietas ad proprium, que vero libellaria seu jure feodi, vel cujuslibet tenimenti secundum illud jus & directum, quod nobis exinde pertinet, investimus, & per nostrum legatum corporalem investituram, facimus exinde autem recepimus loco pretii mobiles res in idem valens, sicut inter nos convenit. Quatenus ab hodierna die habeatis, & teneatis, & possideatis suprascriptam nostram venditionem & transactionem tam tu prefatus prior quam tui posteri successores, vel congregatio predicte heremi, aut cui vos eam dederitis, unde neque a nobis, neque a nostris heredibus ullam habeatis molestiam vel litis causationem. Quam etiam transactionem sub Aquiliana stipulatione & acceptilatione ad resecandam omnem actionem confirmamus deducendo in stipulatu, & quod si in aliquo exinde vos presumpserimus molestare, tollere, contendere vel minuere, intromittere, intentionare, seu in placito, aut extra placitum fatigare per nos vel per aliquam personam a nobis summissam, aut in posterum submittendam &c. Aut si non defensaverimus ab omnibus hominibus, tunc componere promittimus &c. in duplum & componamus, & insuper penam viginti librarum optimi argenti, & post penam solutam hec transactio firma permaneat. Unde hec carta fieri rogata

gata est, ut supra. Actum juxta castrum de Subiano, feliciter. Et pro hac sponsione & premissa pena recepimus meritum mobiles res pro libris xx.

††††. Signa manuum suprascriptorum jugalium & fratrum, qui hanc cartam fieri rogaverunt.

†††††. Signa manuum Ugicionis filii quondam Rolandi Froge, & Arduvi filii quondam Guidonis, & Rodulfi da Subiano, & Gerardi de Pino rogatorum testium.

† Ego Servusdei sacri scrinii notarius scripsi, & complevi, ac denotavi.

CC.

Bulla Calixti II, papæ pro abbatia Vangaticiensi.

Anno 1123. II. nonas martii.

Ex apographo antiquo ejusdem abbatiæ.

Ad lib. XXVI. n. 23.

CAlixtus episcopus servus servorum Dei dilecto filio Litaldo abbati Vangadiciensi monasterii sancte Marie, quod in comitatu Montis silicani super Athicem veterem situm est, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Offitii nostri cura nos amonet ecclesiarum quidem omnium, presertim ad jus beati Petri, ac sancte Romane ecclesie pertinentium, & utilitati intendere & quieti salubriter auxiliante Deo providere. Tuis igitur dilecte in Domino fili Litalde abbas precibus annuentes Vangadicense beate Dei genitricis virginis Marie monasterium, cui Domino auctore presides, quod a nobilis memorie Ugone marchione constructum, & ab ipsa fundatione sui per predecessorem nostrum sancte recordationis papam Silvestrum libertate donatum est, sedis apostolice patrocinio communimus. Possessiones namque ipsius & bona omnia, que vel idem marchio, vel alii quilibet homines de suo jure loco illi attulerunt, vel in posterum ei juste offerre a quocumque contigerit, firma tibi tuisque successoribus & illibata permanere censemus; in quibus hec propriis duximus nominibus annotanda. Villam scilicet abbatie, in qua monasterium consistit cum plebe sancti Johannis, villam Vangaditiam cum ecclesia sancti Michaelis, villam, que dicitur Salvaterra cum ecclesia sancti Antonini, villam Cavazzanam cum ecclesia sancti Laurentii. In episcopatu Veronense ecclesiam sancti Salvatoris infra civitatem constructam cum pertinentiis suis. Possessiones Illasi, & in Bardulino, & in aliis locis ejusdem episcopatus. In episcopatu Vicentino terram de Albareto. In episcopatu Patavensi ecclesiam sancti Petri sitam in Monte silicano cum pertinentiis suis, curtem vallis Almerici cum ecclesia sancti Andree. In Este ecclesiam sancti Firmi & sancti Petri cum pertinentiis suis. In Palso ecclesiam sancti Michaelis, possessiones in curia Ville, & in aliis locis ejusdem episcopatus. In episcopatu Adriensi ecclesiam sancti Petri in villa Comeda, ecclesiam sancti Bartholomei de Gorgnano, Borsetum cum ecclesia sancti Zenonis. In Contina ecclesiam sancti Sixti, Venece cum ecclesia sancti Martini, & alias possessiones in eodem episcopatu vel comitatu. Possessiones in episcopatu Ferrariensi, & in episcopatu Bononiensi ecclesiam sanctorum Simonis & Jude de Urbizano cum suis pertinentiis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat idem monasterium temere vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum substentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Prefati quoque predecessoris nostri statuta servare cupientes, apostolica sancimus auctoritate, ut monasterium ipsum sub apostolice sedis tuitione salvum & in cunctis quietum consistens a potestate seu dominio episcoporum cum omnibus, quas in presentiarum possidet, ecclesiis, vel quas in futurum juste adeptum fuerit, permaneat liberum, & a sinodalibus prorsus exactionibus absolutum. Liceat itaque tibi tuisque omnibus successoribus singulas ecclesias vestras cum cimiteriis, baptisteriis, capitulis, sinodis libere possidere, easque per proprios instituere sacerdotes absque alicujus episcopi contradictione. Vestrorum insuper promotiones clericorum, consecrationesque basilicarum, atque infantium in villis vestris constitutorum consignationes episcoporum, quos invitare dignum duxeritis ministeriis, celebrari firmiter stabiliterque censemus. Preterea sacerdotibus in parochialibus ecclesiis monasterii quolibet tempore degentibus tam publicas, quam privatas parochianis utique suis imponendi penitentias presentis favore privilegii licentiam indulgemus, quorum etiam studio questiones apud ipsos de conjugiis exorte, ut juxta sanctorum patrum terminentur institutiones, ad te tuosque successores referantur. Sacrosanctum vero chrisma singulis anni abbas mo-

monaſterii per ſuos a quocumque voluerit epiſcopo legatos accipiat, acceptum autem baptiſmalibus conſueto more ſtudeat eccleſiis diſtribuere. Sane curtis abbatie, Vangaditie, Salvaterre, ſimulque Cavazane decimas miſerationis intuitu ex integro vobis habendas concedimus, in aliis vero locis prediorum, que ſumptibus propriis excolitis, reddituumque veſtrorum decimationes noſtra vobis vendicare liceat auctoritate. Obeunte te nunc ejus loci abbate vel tuorum quolibet ſucceſſorum nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia preponatur, niſi quem fratres eorum conſenſu vel fratrum pars conſilii ſanioris de ſuo, vel ſi neceſſe fuerit, de alieno religioſorum fratrum collegio ſecundum Dei timorem, & beati Benedicti regulam providerint eligendum, electus autem ad Romanum pontificem conſecrandus accedat. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſecularisve perſona &c.

Scriptum per manum Gervaxii ſcriniarii regionarii & notarii ſacri palatii.

Ego Calixtus catholice eccleſie epiſcopus.

Firmamentum eſt Dominus

SCS	SCS
PETRUS	PAULUS
CAL	IXTUS
P P.	II.
timentibus	*eum.*

BENE VALETE

Datum Laterani per manum Ugonis ſancte Romane eccleſie ſubdiaconi II. nonas martii indictione prima incarnationis Dominice anno M.C.XXIII. pontificatus autem domini Calixti pape II. anno V.

CCI.

Donatio facta eccleſiæ S. Marinæ de Vatho.

Anno 1123. XIII. kl. junii.

Ex autographo S. Laurentii de Florentia. n. 34.

Ad lib. XXVI. n. 18.

IN nomine Patris, & Filii & Spiritus ſancti. Anni ab incarnatione ejuſdem milleſimo centeſimo . . . . . tempore Calixti pape & Enrici imperatoris terciodecimo kl. junii indictione prima apud locum, qui dicitur Vatho ſancta ac beatiſſima venerabile eccleſia ſancte Marine in co nunc Deo protegente Johannes presbyter predicte eccleſie, & ideo ego quidem in Dei nomine Rolandus quondam Gerardi filius preſente & conſentiente Indiola jugale mea pro oblatione & inluminatione ſeu eterna remuneratione anime mee & quondam parentum meorum tibi Johannes presbyter acceptor pro te & tuis ſucceſſoribus de predicta in perpetuum eccleſia more ſalario permanendum, quadam re ego ſupraſcriptus Rolando prono animo ac ſpontanea mea voluntate, & meo proprio deliberationis arbitrio dando dono, cedo, trado & transfero, atque tranſacto inde meo jure meoque dominium, meique ehredibus alieno, & tranſcribo in jus, & dominium ſupraſcripta eccleſia pro te ſupradicto Johannes presbyter tibi tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum more ſalario permanendam id, que abere & detinere videor, ideſt ſervum unum, qui vocatur Vivianus, & oc quod abet & detinet Martinus Creſpiolo, & Dominicus de Grenario meo jure infra pertinentia de Grenario cum omnibus ſibi pertinentibus, ut a modo a preſenti die, aut quandocumque volueris, liceat tibi ſupraſcripto Johannes presbyter tuiſque ſucceſſoribus in predicta re in ibidem introire & preocupare, abere & tenere terram & ſervum ex poteſtate per anc paginam a me in te factam atque traditam, ſicut per legiptimam & meam corporalem traditionem, quamqne etiam pro iſto meum miſſum nomine Albertum de Ugo, quem de meis manibus in tuis mitto, ut illuc tecum pergat a ſupradicta re, & corporali tibi vel tuis ſucceſſoribus inveſtiat in mea vice habendi dominium & poteſtatem quieto tramite habeas, teneas ordinandi & diſponendi in eadem eccleſia in perpetuum, & ab odie nuncquam liceat mihi ſupradicto donatori, neque mei filii & heredibus ullo umquam in tempore aliquo aliquam vim exinde facere, queſtiones, reeetitiones, ullaſque moleſtias generare contra te ſupraſcripto Johannes presbyter, neque contra tuos ſucceſſores de predicta eccleſia, ſet in omni tempore ſecuri, & quieti exinde maneatis in perpetuum, quod ſi omnia ut ſuperius legitur, non obſervavero, & non adimplevero, daturo & compoſituro eſſe promitto per me meoſque ehredes tibi tuiſque ſucceſſoribus ſub nomine pene ſolidos quadraginta denariorum Lucenſium, & poſt pena ſoluta hec cartula donacionis

nis obfertionis maneat firma. Scriptam per manum Mainfredi nutu Dei notario Drudo vocatus de Trolius, quem fcribere rogavi fub die & menfe indictione prima.

Signa manus Rolandi jamdicto donatore omnia fuprafcripta. Alberto de Ugo, & Dominicus de Grenario, & Berardus da Monte rotundo fuprafcripto, & alii teftes.

† Ego Drudo nutu Dei notario ujus rei defcriptor complevi & abfolvi.

CCII.

Altera donatio Albrico abbati S. Victoris de Clufis.

Anno 1123. menfe junio.

Ex originali S. Blafii de Fabriano.

Ad lib. XXVI. n. 30.

ANno Dominice incarnationis mille C. XXIII. menfe junius indictione prima regnante Enrigo imperatore & Guarnerius marchione. Ideoque ego Mufco filius quondam Carbone, & Sibilla congnuge ejus ambi infimul cogitantes nos de Dei omnipotentis & de divine pietatis compunctio cordis mei una pro redemcione & obfolucione anime noftre, & de parentibus noftris, ut ille pius Deus aliquit de peccatis noftris minuare dingneris ad illum diem tremendi judicio, quando omnes peccatores refrigerium & indullgneciam defiderant abere, & nos mercedem recipere mereamur ante tribunal Crifti. Propterea ideo damus, tradimus adque trafactavimus in fervo fervorum Dei in ipfo monefterio beato fancto Victore, quod eft pofitum, & eft edificatus in fundo Victuriano territorio Camerino, & tibi donnus Albricus abbas & a tuis pofterisque fupceffforibus in perpetuum pofidendum, ideft omnia noftra rem, hoc eft cum terris, & vineis, caftellis, poigiis, ecclefiis, molendinis, commendacionibus, molendinis, pafcuis, pratis, aquis, aquimolis in ipfo monafterio beato fancto Victore & qualecumque patrocinia nobis pertinet da jura parentibus noftris de predicto monafterio, ideft pertinentiis quoquomodo abetis, in antea aquirere potuerit Deo volente, ipfa predicta res cum omnibus fuis pertinentiis & cum omnes que infra fe aut fuper fe abentes, vel intra fe jacentibus, a primo latere tribio Lentino, & pergit alla ferra fancto Verecundo perveniente a la ferra de Senzano & pergit in flumine Matelcano currente in rave de la clufa, & a fecundo latere rave de la clufa perveniente a fummo monte, veniente ala foffa de lo omo morto, & pergit a fancto Apolenari veniente ad Ivano, veniente a Raparia, pergit a Variano, tertio latere Variano, & pergit a monte curto veniente a Refcedano, & quarto latere Regedano perveniente in tribio Lentino, qui eft primo latere, infra iftis lateribus omnibus noftris pertinentiis abeatis, teneatis, poffideatis tu predicto abbas & tuis fupceffforibus in perpetuum, ibidem introire & inveftire, abere, tenere & facere quidquit tibi placuerit fine lite & fine omni hoccafione legitima. Promittimus nos &c. fub pena de auro bono & obtimo bizancii centum &c.

† Singnum manus Mufco & Sibilla in fimul donatores.
† Rainuccio de Alberto teftis.
† Ugolino de Bulgarello teftis.
† Dago de Atto teftis.
† Fardo de Carbone teftis.
† Alberto . . . . teftis.
Guido tabellio fcripfit.

CCIII.

Libellus emphyteufis fcriptus a Dominico abbate S. Zenonis Pifarum.

Anno 1124. XIII. kl. aprilis.

Ex autographo olim apud canonicum Abrahamium.

Ad lib. XXVI. n. 36.

IN nomine Domini noftri Jefu Chrifti Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus millefimo centefimo vigefimo quarto tertiodecimo kalendas aprilis indictione fecunda. Manifeftus fum ego domnus Dominicus abbas ecclefie & monafterii fancti Zenonis, quia per hanc cartulam vindo & trado tibi Andrea filius quondam Johannis medietatem integram unius petie de terra, que videtur effe pofita in loco & finibus Limite prope ecclefiam fancti Johannis, tenet unum caput in via publica, & aliud caput in Semetula, latus unum in terra de filii quondam Guidonis, & aliud latus in terra tua, qui fupra Andrea. Ut dictum eft, medietatem integram de predicta petia de terra, & cum inferioribus & fuperioribus fuis, feu cum finibus & ingreffibus fuis, & cum omni jure, & actione fua tibi eam, ut

dictum

dictum est, vindo & trado, pro qua a te meritum recepi parium unum de pelli per solidos viginti & quinque in presinito, de quibus denariis comparavimus octo panorum de terra ad juxta seminatura infra una petia de terra, que videtur esse posita in loco & finibus Cararia da filii Bernardi filio Ugonis quondam Balgrighi. Unde repromitto ego, qui supra, Dominicus una cum meis successoribus tibi, qui supra, Andrea, tuisque heredibus, aut cui vos suprascriptam meam vendictionem, & tradictionem dederitis, vel habere decreveritis, ut si nos vobis eam aliquando tempore in alio exinde intentionaverimus, aut retollere, vel subtraere quesierimus nos, *&c.* Spondemus nos vobis *&c.* Actum in loco infra claustra suprascripti sancti Zenonis.

Ego Dominicus abbas hanc cartulam a me factam scripsi.

Ego Ubaldus presbiter & monachus in hac cartula subscripsi.

Ego Glandolfus subdiaconus & monachus in hac cartula subscripsi.

Signa manuum Guiscardi filii quondam Gerardi, & Lanfredi filii quondam Leonis, & Lamberti filii quondam Martini rogati testium.

Ego Rothus notarius post traditam complevi & dedi.

Et promissio ad defendendum, qui per manum tenet, ad penam argenti optimi solidorum sexaginta ad suprascriptum datare meritum & testes.

CCIV.

Guido episcopus Arretinus donat ecclesiam S. Martini & alia bona Johanni priori Camaldulensi.

Anno 1124. mense aprili.

Ex autographo Fontis-boni. §. Donatio. n. 275.

Ibidem.

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis millesimo centesimo vicesimo quarto regnante Heinrico rege mense apreli indictione secunda. Ego Guido peccator monachus quamvis indignus Dei gratia Artine sedis episcopus. Episcopalis est providentie eorum, qui Deo militant, & in ejus contemplatione solitarie vivendo perseverant necessitatibus supvenire, & eorum justis petitionibus aures acomodare, quapropter ego Guido providi pro redentione anime mee & antecessorum meorum episcoporum, providi dare, concedere quasdam res nostri episcopii in usum & sumtum fratrum Camaldolensium donno Johanni priori & successoribus prioribus Camaldolensibus in villa de Monte la parte de leclesie sancti Martini & de toto tenimento, que presbyter Guido retinet cum suis consortibus in tota villa de Monte, & quitquit juris abeo in Partina, & rebus Ermanni vel Ugizonis, quitquit nos donamus, confirmamus, ratum & firmum, atque inconcussum illis homni tempore manere volumus ex parte Dei homnipotentis, patris & filii & santi spiritus interdicimus, & modis homnibus inhibemus, ut nullus noster successor, nullaque magna parvaque persona predictum donnum Johannem prescripte ermi rectorem, ejusque posteros successores fratresque heremitas ibi Deo militantes, que a nobis concessa sunt & confirmata devestire, tollere, molestare, minuere, vel aliquo modo inquietare presumat, aut alii persone perturbare permittat; quod si quis ausum fecerit, in die tremendi judicii sese tamquam reum & sacrilegum pertimescat condenandum, ut itaque hec nostra confirmatio a nobis nostrisque successoribus atque omnibus ominibus inrefragabiliter opservetur ujus privilei nostri painam insigniri precepimus, & manu nostra confirmavimus anc nostram venditionem sup pena trium librarum ariherti, si nos vel nostri successores, vel nostri fideles inscriere volumus.

Ego Guido Aretinus episcopus hanc donationem confirmo, & manu propria ss.

Signa manus Raineri de Galliciola, & Ildibrandini, & Paganucii filiorum ejus, & presbyteri Ugonis, & fratris ejus, & domni Ugonis, & Aldrici modo rogati testes.

Ego Petrus notarius scripsi & complevi.

CCV.

Idem Guido offert abbatiæ Prataliensi ecclesias S. Donati de Marciano & S. Georgii.

Anno 1124. mense aprili.

Ex autographo Fontis-boni. §. Donatio. n. 274.

Ibidem.

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis millesimo centesimo vigesi-

gesimo quarto regnante Heinrico rege mense apreli indictione secunda. Quoniam episcopi officii curam nobis credimus divinitus esse commissam, idcirco ad ea, que ad cultum misericordie pietatisque respectum pertinent assiduo exercitio fideliter sollicitari debemus, quia tunc fieri profecto credimus, si ea que Dei sunt, Deo obtulerimus. Qua propter in Dei nomine manifestus sum ego domnus Guido episcopus & comes, previdendo statum humane fragilitatis, pro mercede ac remedio anime mee ac predecessorum meorum, qualiter per hanc cartam judicati & offersionis ac inrevocabilis donationis inter vivos dono, judico, offero, concedo, summitto tibi domno Johanni abbati monasterii sancte Marie situm in Pratalia ad usum & sumptum monachorum ibidem Deo servientium, idest totam & integram illam ecclesiam, que est dedicata in honore sancti Donati, que est infra castrum de Marciano cum tenimento & omnibus oblationibus & usibus jamdicte ecclesie. Et insuper totam illam ecclesiam, que est dedicata in honore sancti Georgii cum toto tenimento ejusdem. Et insuper totam nostram casam domnicatam, quam habemus infra prenominatum castrum, nullo jure ex ea casa nobis reservato, nisi tantum jus ospitandi in ea, ita quod ex mea in ea me meosque regam & non habeam potestatem aliquo modo alienandi in aliquam personam predictum jus. Jam dictas itaque res, ut dixi, cum omnibus pertinentiis & adjacentiis & accessionibus, ac usibus, ac redditibus earum rerum, & cum omni jure, quod in eas habeo, ego qui supra Guido episcopus tibi prenominato Johanni abati recipienti vice jamdicte tue ecclesie dono, trado, judico, & per hoc meum preceptum in te habendum confirmo, ut sit omni tempore valiturum a nullo penitus removendum, nullatenus in quolibet corrumpendum, inconcussum inviolabile perseverans tam meo tempore, quam meorum successorum. Quod si in aliquo exinde contra vero presumpserimus agere, causari vel per placitum aut extra placitum fatigare per nos vel per summissam aut summittendam personam a nobis, vel si apparuerit datum factumve huic rei nociturum per aliquod ingenium, quod homo in se cogitare poterit, aut si ea vobis & vestris successoribus non potuerimus defensare, auctorizare, guarentare, quod si non defensaverimus, auctorizaverimus, aut si firma & inconcussa omni tempore non tenuerimus, aut si aliquis homo aliquo ingenio infringere temptaverit, & statim, ut hoc audierit, firma non tenuerit, non solum vinculo anathematis illigetur, sed insuper componat jamdicte vestre ecclesie penam sexaginta librarum optimi argenti, & post penam a nobis vel ab aliquo vobis solutam hec carta judicati, & offersionis, ac concessionis, ac donationis inter vivos & precepti, & perpetue obligationis absque ulla permutatione in perpetuum perseveret absque ulla permutatione.

Unde hec carta a me jamdicto Guidone episcopo, ut supra, rogata est.

Actum in domo sancti Donati ante altare sancte Marie virginis domine nostre feliciter.

Signa manus jamdicti Guidonis episcopi & comitis, qui hanc cartam scribere rogavit.

Signa manuum Jngonis vicedomini, & Guilielmi advocati in hac re, domni Ildebrandi archidiaconi, & Ubertini Guilielmini filius, & Ugolini Bernardini filius, & Ubertini Bonci, & Irdemanni filii Guidonis, & Petri ex eodem castro rogatorum testium.

Ego Guido Dei gratia Aretinus episcopus manu mea ss.

Ego Ugo camerarius episcopi manu mea ss.

† Ego Guilielmus notarius scripsi & complevi.

CCVI.

Bulla Calixti II. pp. pro monasterio Bifurcensi.

Anno 1124. III. id. aprilis.

Ex archetypo S. Laurentii de Florentia. n. 39.

Calixtus episcopus servus servorum Dei dilecto filio Teoderico abbati monasterii sancti Benedicti in Bifurco, ejusque successoribus regulariter instituendis in perpetuum. Divinis preceptis instruimur & apostolicis monitis informamur, ut pro ecclesiarum statu impigro invigilemus aspectu, unde oportet nos ecclesiarum curam gerere, & Dei servos religiosos speciale . . . . . dilecte in Christo fili Teodorice abbas preces tuas benignius admittentes, ecclesiam, cui Deo auctore presides, in beati Petri jus & protectionem suscipimus, & contra pravorum hominum nequitiam ejus auctoritate . . . . constituimus quod

Attid. XXVI. n. 34.

quod predia, possessiones & bona omnia, que vel regum collatione, vel aliorum fidelium donatione, aut acquisitione alia ecclesia vestra modo possidet, firma tibi tuisque successoribus . . . . videlicet terminos ecclesie vestre cum vineis & domnicatis suis & alpibus, ab oriente a rivo de lacu, ab occidente ab jugo alpium, a septentrione a Ceresio, a meridie a colina de Gimellis cum decimis & . . . . cum omnibus sibi in integrum pertinentibus: Plebem sancti Martini in Alpe cum vineis & domnicatis suis, & duabus capellis una in castro Plano Mercurii, alia in Monte alto: Ecclesiam sancte Marie in Granario cum omnibus . . . . suis: Plebem sancti Cassiani in Pennino cum terris, & vineis, & domnicatis suis cum omnibus pertinentiis suis, & ejusdem ecclesie capellam sancti Savini cum omnibus ad eam pertinentibus: Plebem sancti Petri in Octantula cum vinea & domnicato . . . . colonis & decimis & primitiis: Ecclesiam sancte Marie in Flumicello cum capella sancte Helene & omnibus pertinentiis suis: Capellam sancte Marie de Sirena cum omnibus pertinentiis suis: Capellam de castro de Mesaurisi cum omnibus . . . . suis: Ecclesiam sancti Petri in Castagneto cum ipsius vineis, & silvis, molendinis, & omnibus pertinentiis suis: Ecclesiam sancti Clementis cum uno manso & omnibus pertinentiis suis: In Galiano capellam unam cum omnibus . . . . sancti Petri in Rivo cum decimis, & primitiis, & oblationibus vivorum & mortuorum: Ecclesiam sancti Andree in Piseto cum oblationibus vivorum & mortuorum, & omnibus pertinentiis suis: Ecclesiam sancti Valeriani cum omnibus . . . . Ecclesiam sancti Jacobi in Mincajello cum domo hospitali & omnibus pertinentiis suis. Extra muros Florentine civitatis juxta ecclesiam sancti Laurentii hospitale unum cum terris & vineis & omnibus pertinentiis suis: Ecclesiam sancte M... de Astole cum omnibus pertinentiis suis: Quecumque denique in futurum juste atque canonice largiente Domino acquisierit, inviolabiliter & sine inquietatione possideat. Nulli ergo mortalium facultas sit eamdem vestram ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere vel temerariis vexationibus perturbare, set omnia integra conserventur eorum, pro quorum substentatione & gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Ad indicium autem juris & tuitionis sancte Romane ecclesie duos aureos annis singulis Lateranensi palatio persolvetis. Chrisma, oleum sanctum, consecrationes ecclesiarum, & ordinationes monachorum vestrorum a diocesano accipietis episcopo, si gratis & sine pretio & exactionibus voluerit exhibere, alioquin sacramenta eadem, a quo malueritis catholico accipietis episcopo. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Calixtus catholice ecclesie episcopus.

Firmamentum †	*est Dominus*
SCS	SCS
PETRUS	PAULUS
CALIX	TUS
PP.	IJ.
timentibus	*eum.*

Datum Laterani per manum Aymerici sancte Romane ecclesie card. diaconi cancellarii tertio idus aprilis anno ab incarnatione M.C.XXIIII. indictione secunda pontificatus autem domni Calixti secundi pape anno sexto.

Ego Rusticus Henrici imperatoris judex ordinarius ac notarius hujus exemplaris authenticum sigillatum bulla plumbea domini pape Calixti secundi vidi & legi, & quicquid in eo continebatur, hic fideliter exemplatum inveni, ideoque subscripsi.

Ego Bartolus Henrici *&c. ut supra.*

Ego Renaldus *&c. ut supra.*

Ego Boninsegna consil. . . . Ottonis quarti Romanorum imperatoris judex publicusque notarius hujus exempli authenticum bullatum bulla plumbea domni pape Calixti secundi vidi diligenter, & legi, & quicquid in eo continebatur, hic

hic fideliter, & per ordinem exemplavi, & scripsi, ideoque subscripsi.

CCVII.

Diploma Henrici IV. imp. pro eremo Camaldulensi & monasterio Sextensi.

Anno 1124. VIII. kl. augusti.

Ex archivo canonicorum Lucensium. AA. n. 53.

Ad lib. XXVI. n. 35.

EXEMPLAR. In nomine sancte & individue Trinitatis. H. divina favente clementia quartus Romanorum imperator augustus. Scientes & nullo modo dubitantes nos per Dei omnipotentis gratiam atque misericordiam non solum id esse quod sumus, sed & futuros esse quod speramus & credimus, universa quidem, que ad eum spectant creatorem videlicet omnium & gubernatorem Dominum nostrum tueri & conservare & debemus & volumus. Sed illa maxime loca venerabilia & sanctissimas domos earumque congregationem privilegiis munire ac preceptis imperialibus corroborare, que divine & sacrosancte religionis tam fama, quam veritate nituntur. Notum sit itaque omnibus nostro subjectis imperio, quod petitione carissimi patris nostri Calixti pape secundi, ac interventu Wilielmi Prenestini episcopi, necnon & precibus Johannis viri & reverentissimi prioris Kamaldulensis monasterii pro salute anime nostre ac antecessorum parentum nostrorum predictum Kamaldulense monasterium & sanctissimam heremum cum omnibus ecclesiis, monasteriis, hospitalibus seu quibuscumque venerabilibus locis & congregationibus eidem monasterio vel eremo commissis seu in antea committendis, omnibusque eorum pertinentiis, personis & rebus, castellis, curtibus seu villis, mobilibus & immobilibus, seu quibuslibet possessionibus eis juste & legaliter adquisitis & adquirendis sub nostre tutele mundiburdio & protectione suscepimus. Insuper & Sextensis monasterii curam & ordinationem a beate memorie Paschale papa predicto Kamaldulensi monasterio seu heremo commissam longe veraciter nobis relatum esse credimus, precedentibus precibus venerabilis pro tempore abbatis ejusdem Sextensis monasterii, & bone memorie Rodulfi Lucensis episcopi, in cujus episcopii parochia situm fuerat predictum monasterium de loco, quod vocatur Sexto, quod Sextense superius appellavimus, sic monere precipimus sicut a predicto Paschale papa ordinatum fuisse & legimus & agnovimus, & hoc nostro imperiali & inviolabili decreto confirmamus. Constituimus insuper, firmiterque decernimus, ut nullus dux seu marchio, comes vel vicecomes, episcopus vel archiepiscopus, nulla omnino magna parvaque persona jamdictum monasterium Kamaldulense vel heremum, seu eis commissa, ut superius scriptum est, neque de personis, neque de rebus seu possessionibus eis juste adquisitis vel adquirendis molestare audeat vel inquietare, tollere, contendere seu minuare, intromittere vel devestire absque legali judicio, seu prefati Sextensis monasterii curam & ordinationem pro nominato Kamaldulensi monasterio, commissam quidem a predicto papa Paschale, a nobis autem salvo jure ac potestate imperii confirmata, contradicere ullo modo presumat. Cujus nostri imperialis precepti seu & confirmationis si quis, quod absit, violator extiterit, sciat se auri purissimi libras centum esse compositurum, medietatem camere nostre, & medietatem ei, vel monasterio vel venerabili loco, quem lesisse constiterit & indubitanter claruerit. Quod ut verius credatur & firmius custodiatur, propria manu subscripsimus & sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Hujus rei testes adhibuimus Guilielmum episcopum Prenestinum & cardinalem, & Pontium Cluniacensis monasterii abbatem, Gotofridum Palatinum comitem, Ottonem comitem, Adulfum comitem, preter alios, qui interfuerunt, quamplures.

Signum Henrici quarti Romanorum imperatoris invictissimi.

Philippus cancellarius recognovi vice archicancellarii Maguntini archiepiscopi.

Data anno Dominice incarnationis millesimo centesimo vigesimo IIII. VIII. kalendas augusti indictione II. Wormatie. Feliciter. Amen.

CCVIII.

Privilegium Honorii pp. II. pro congregatione Camaldulensi.

Anno 1125. nonis martii.

Ex codice antiquo S. Michaelis Pisarum.

Ad lib. XXVI. n. 89.

HOnorius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Johanni priori Camaldulensi, & ejus fratribus tam presentibus, quam futuris in perpetuum. Ad hoc universalis ecclesie cura nobis a provisore omnium bonorum Deo commissa est, ut religiosas diligamus personas, & beneplacente Deo religionem studeamus modis omnibus propagare. Nec enim Deo gratus aliquando famulatus impenditur, nisi ex charitatis radice procedens a puritate religionis fuerit conservatus. Oportet igitur omnes Christiane fidei amatores religionem diligere, & loca venerabilia cum ipsis personis divino servitio mancipatis attentius confovere. Quapropter charissimi in Domino filii justis petitionibus vestris assensum prebentes locum vestrum cum omnibus ad se pertinentibus in beati Petri tutelam, nostramque protectionem suscipimus, & apostolice sedis patrocinio communimus. Per presentis igitur privilegii paginam constituimus, ut Camaldulensis heremi status semper in religionis sue vigore permaneat, & monastice observantie ordo in tota vestra congregatione statutus a nullius protervia commutetur & ne cui fratrum vestre congregationis post monasticam professionem exhibitam, absque prioris & rationabili fratrum licentia egredi liceat, prohibemus, quod si exire presumpserit, & secundo tertiove commonitus redire contempserit, usque ad condignam satisfactionem excommunicationis sententie submittatur. Ecclesiis vero ab ejusdem congregationis fratribus rectis a nullo episcoporum absque canonica examinatione divinum interdicatur officium. Liceat & ecclesiarum vestrarum monachis in communi civitatis, seu parocchie interdicto, clausis janwis, & non admissis diecesanis, divina officia celebrare. Porro, qui propter obsequium servorum Dei, qui in Camaldulensi heremo degunt, perrexerint, in eundo & redeundo & stando a nemine molestentur. Quecumque vero impresentiarum juste ac legitime possidetis, apostolica auctoritate vobis, vestrisque successoribus in eadem religione permanentibus, confirmamus. In quibus hec propriis nominibus duximus exprimenda. Ecclesiam sancti Donati, que Fons bonus dicitur, cum hospitali & omnibus suis bonis. Monasterium sancte Marie in Poplena. Monasterium sancti Petri in Luco. Monasterium sancti Salvatoris secus civitatem Florentie. Monasterium Montis-muri. Monasterium sancti Petri in Cerreto. Monasterium sancte Marie in Policiano. Monasterium sancti Petri in Fontiniano. Monasterium sancti Justi in Vulterris. Monasterium sancte Marie in Morrona. Monasterium sancti Fridiani & monasterium sancti Michaelis infra civitatem Pisarum. Monasterium sancti Savini in territorio ejusdem civitatis. Monasterium sancti Stephani in Cintoria. Monasterium sancti Salvatoris in Cantignano. Monasterium sancti Petri in Puteolis. Monasterium sancti Salvatoris in Silvamunda. Monasterium sancte Marie in Agnano. Monasterium sancti Petri in Rota. Monasterium sancti Salvatoris Berardingorum. Monasterium sancti Vigilii in burgo Senensi. Monasterium sancti Petri in Vivo Montis Amiati. Monasterium sancti Quirici in Rosa. Monasterium sancti Savini in Clio. Heremum de Fleri cum suo monasterio. Monasterium sancti Viriani. Monasterium sancti Bartholomei in Anglari. Monasterium sancte Marie in Trivio. Heremum sancti Petri in Fajolo. Monasterium sancte Marie in Insula. Monasterium sancte Marie in Lacu. Monasterium sancti Angeli juxta castrum Britti. Monasteriolum sancte Christine in eadem curte. In marchia Camerina monasterium sancti Georgii. Monasterium sancti Martini in Accole, cum ecclesia, que dicitur Heremite. In Sardinia Insula monasterium sancte Trinitatis in Zaccari. Ecclesia sancte Eugenie in Samanar. Ecclesia sancti Michaelis & sancti Laurentii in Vanari. Ecclesia sancte Marie & sancti Johannis in Altasar. Ecclesia sancte Marie in Contra. Ecclesia sancti Johannis & sancti Simeonis in Salvenaro. Ecclesia sancti Nicholai in Trulla. Ecclesia sancti Petri in Scano. Ecclesia sancti Pauli in Cotroniano. Ad hec adjicientes statuimus, ut quecumque in futurum largiente Deo, concessione pontificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium juste atque canonice poteritis adipisci, firma vobis, vestrisque subcessoribus & illibata permaneant. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat predictam heremum & congregationem vestram temere perturbare, aut ejus pos-

ſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vels temerariis vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur religioſorum fratrum, & pauperum uſibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica, ſecularisve perſona hanc noſtre conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere temptaverit, ſecundo, tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat. Et a ſacratiſſimo corpore, & ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtricte ultioni ſubjaceat. *Cunctis* autem prefate heremo vel congregationi juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bone actionis percipiant & apud diſtrictum judicem premia eterne pacis inveniant Amen. Amen. Amen.

Oculi †	*Domini*
SCS	SCS
PETRUS	PAULUS
HONO	RIUS
PP.	II.
ſuper	*juſtos.*

Ego Honorius catholice eccleſie epiſcopus.

† Ego Guido Aretinus epiſcopus ss.
† Ego Egidius Tuſchulanus epiſcopus ss.
† Ego Guido Tiburtin. epiſc. ss.
† Ego Vitalis Alban. epiſc. ss.
† Ego Petrus card. presb. tit. ſancte Suſanne ss.
† Ego Anaſtaſius Presb. card. tit. s. Clementis ss.
† Ego Deſiderius presb. card. tit. s. Praxedis ss.
† Ego Sigizo presb. card. tit. s. Xyſti ss.
† Ego Hugo diacon. card. s. Theodori ss.
† Ego Johannes ſacre baſilice ſubdiac. ss.
† Ego Rodulphus ſacre baſilice ſubdiac. ss.

Datum Laterani per manum Aimerici s. Romane eccleſie diaconi card. & cancellarii, nonis martii indictione III. Anno Dominice incarnationis M.C.XXV. pontif. autem domni Honorii ſecundi pape anno I.

CCIX.

Donatio caſtri de Guido facta monaſterio Ss. Andreæ & Gregorii de Urbe.

Anno 1125. menſe aprili.

Ex codice membranaceo ejuſdem monaſterii. p. 59.

IN nomine Domini. Anno Dominice incarnationis milleſimo centeſimo vigeſimo quinto, anno vero primo pontificatus domni Honorii ſecundi pape indictione tertia menſis aprilis die vigeſimo nono. Ego quidem Robertus filius cujuſdam Raynucii de Roberto hac die nullo prohibente, nec contradicente aut vim faciente, propria mea voluntate do, reddo, refuto & concedo tibi domno Roberto Dei gratia abbati venerabilis monaſterii ſanctorum Andree apoſtoli & Gregorii, quod vocatur clivus Scauri, & per te tuo ſacratiſſimo monaſterio & tuis ſucceſſoribus in perpetuum. Id eſt totum, quantum mihi pertinet per locationem, quam predictus Robertus avus meus percepit a predicto monaſterio, ſcilicet de caſtello, quod vocatur de Guido, intus & de foris totum quantum mihi pertinet ſive per locationem, vel qualicumque modo omnia & in omnibus tibi refuto, & omne jus & actionem, quam ibi habeo, refuto de intus caſtellum & de foris, & nihil ibi mihi reſervo, & ab hac hora licentiam & poteſtatem habeatis in omnia intrandi, tenendi, fruendi, poſſidendi & faciendi quicquid tu & tui ſucceſſores volueritis in perpetuum, & numquam a me nec ab heredibus & ſucceſſoribus meis, nec etiam aliqua perſona a me ſubmiſſa habeatis exinde aliquam requiſitionem, aut contrarietatem, nec litis calumpniam, quod ſi, quod abſit, aliquo modo faceremus, & ſi opus & neceſſe fuerit, & cuncta, que dicta ſunt, non obſervaverimus, & evacuare vel frangere voluerimus, componamus vobis pro pena quatuor boni auri libras, & ſoluta pena cartula hec in perpetuum firma permaneat, quam rogavi ſcribendam Falconem ſcriniarium ſancte Romane eccleſie in menſe & indictione ſupraſcripta tertia.

Ad lib. XXVI. n. 42.

Signum † manu dicti Roberti rogatoris cartule hujus.
Dardanus teſtis.
Palumbis teſtis.
Johannes de Borga teſtis.
Petrus Mancinus teſtis.

Bonifarolus testis.
Benedictus de Savino testis.
Sinibaldus testis.
Barancellus testis.
Ego Falconius scriniarius sancte Romane ecclesie complevi & absolvi.

CCX.

Largitio Petri episcopi Montis-feretri eremo S. Johannis inter Paras.

Anno 1125.

Ex autographo Fontis-boni §. Privil. n. 22.

Ad lib. XXVI. n. 41.

IN nomine patris & filii & spiritus sancti. Anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo XXV. indictione III. Cum Calcidonense concilium dicat & precipiat, & in aliis tribus majoribus conciliis, scilicet Niceno, Constantinopolitano, Ephesino inveniatur ordinatum atque constitutum loca santa construere sublevare atque restaurare. Et quoniam scimus quatuor concilia sicuti quatuor evangelia observanda. Ideoque ego Petrus Dei misericordia Feretranus antistes sancti Johannis eremum inter ambas Paras in religiosa fratrum vita constitutam totis desideriis gliscimus confirmare, augere & stabilire. Quamobrem in primis privilegium, quod beate memorie Gregorius apostolice sedis auctoritate domno Gebizoni abbati prefatam eremum statuit, in quantum est mihi possibile, laudo, atque confirmo. Super hec omnia nostris beneficiis locum remuneramus & tibi Laurentio priori & tuis fratribus in eremo ordinatis regulariter viventibus & vestris successoribus in Dei laudibus & sancti Johannis baptiste manentibus pro remedio anime nostre successorumque nostrorum, una cum consensu clericorum nostrorum majorum minorumque concedimus, & tradimus quartam partem de plebe sancti Martini, que vocatur in Veclo, de corpore plebis cum suis decimis & primitiis omnibusque sibi pertinentibus vivorum ac mortuorum. Nec non licentiam habeatis de corpore ejusdem plebis acquirendi, & quicquid acquisitum habetis vel acquisituri estis ex prefatis juribus per hoc preceptum roboratum habeatis, teneatis, & nunquam liceat nobis nostrisque successoribus vobis vestrisque successoribus de his rebus omnibus, que superius leguntur, ullam unquam requisitionem repetitionem, aut causationem vel interpellationem per nosmetipsos vel per nostram summissam personam vel successorum nostrorum facere. Et hec omnia, que superius dicta sunt, sub pensione psalmi Levavi oculos meos ad montes, pro anime nostre remedio ab hodierna die in perpetuum. Et insuper concedimus & tradimus cappellam sancte Marie in Saxeto cum omnibus sibi pertinentibus, etiam redditus sancte sinodi & duos mansos, & medium in loco, qui dicitur Pozolo, qui recti sunt ab Urso & Leone suisque consortibus, & ab Nizzone scario, & alium mansum, qui regitur a Lando suisque consortibus, & dimidium mansum, quem detinent Johannes & Urso suis consortibus, atque illam terram, quam detinet Petrus de Bernardo cum omnibus suis pertinentibus atque subjacentibus cum hoc tamen pacto persolvere debeatis tu & supradicti fratres tui eremite vel tui successores mihi meisque successoribus omnique anno in festivitate sancti Leonis duos cereos, & non habeatis licentiam vos eremite vel vestri successores predictas res vendere nec alienare ad damnationem nostre Feretrane ecclesie. Quod si nos aut nostri successores cunta, que superius leguntur, non adimpleverimus, obligamus nos & nostros successores compositoros penam libram auri unam, & etiam sub auctoritate trecentorum decem & octo patrum anathematis vinculo inodandum cum Juda traditore & impiis omnibus sociandum.

Ego Petrus Dei nutu Feretrane ecclesie episcopus hoc preceptum precepi facere m. ss.

Ego Johannes Feretrane ecclesie archipresbyter presulem meum sequendo hoc preceptum laudo, & confirmo manus mea scribendo.

Benedictus. Dominius. Petrus sacerdotes dicentes hoc preceptum laudamus, confirmamus, & omnes assensimus.

Unganus diacones Andreas hoc preceptum laudaverunt & scribere assenserunt.

Episcopellus & Johannes accolyti hoc preceptum cum suis majoribus fratribus laudaverunt & affirmaverunt.

Ugolinus, Grifonides, & Guido Ugonides hi omnes rogati sunt testes.

Et ego Johannes judex interfui testisque rogatus manu mea scripsi.

Ego Johannes Feretranus notarius hoc preceptum jussu pontificis meis scripsi & complevi.

CCXI.

Donatio facta Johanni priori Camaldulensi ab Ardingo filio Ardingi.

Anno 1126. mense julio.

Ex autographo ejusdem archivi. §. Refutatio. n. 28.

Ad lib. XXVI. n. 45.

IN nomine Domini Dei eterni. Anni ab incarnatione ejusdem millesimo centesimo XXVI. mense julii indictione quarta. Manifesti sumus nos Ardingo olim Ardingi filius, & Adalia cognus ejus, & Rainerius & Sidinia jugalis, filius & nura jam dicti Ardingi, & Bernardus, qui Pilo vocatur, germano predicti Rainerii, set ego Adalia interrogata sum a Bernardo filio meo, & a Wido judex, si ego per alicui ominis virtutem aut de ipso viro meo anc cartula refutationis & promissionis & obligationis fecise aut non, quapropter ego manifeste dixi, quod per nullius ominis virtutem neque de ipso viro meo non fazio, set per meam bonam voluntatem fazio, & ego jamdicta Sidinia consentientem viro meo a comuniter nos jam dicti jugalibus. Quia per anc cartula convenientie nostre & unc scriptum promissionis & refuttazionis atque obligazionis promittimus & refuttamus atque obligamus tibi donno Johanni priori ecclesie & eremi sancti Salvatoris Campo amabilis a vice ipsius ecclesie & tuis posteris successoribus a modo in antea non abeamus licenzia nec potestatem, neque nos jamdicti jugales, ncc nostri eredes contra te jam dictum Johannem priorem vel tuos posteros successores, aut cui vos dederitis agere, causare, tollere, contendere, contradicere, intenzionare vel minuere, aut in qualibet litem mittere non debeamus, nec possimus per ullum ingenium. Nos autem de illa parte de castello & curte, & de ecclesiis, vel undecumque Rainerius germanus & paterterus noster cartula ofersionis vel vendizionis cum Gasdia uxor sua fecerunt trasacto nomine in ecclesia & eremitorio sancti Salvatoris, sicut in illa cartula legitur, & mea continet, una cum omnibus supra se & infra se abentibus in integrum, sicut superius legitur, pretium vero recepimus pro ipsa refuttazione & obligatione libras quatuor de bonis denaris de Luca. Et si presumserimus nos vel nostris heredibus aut submissa persona, quam nos miserimus, vel placitum per nos factum abeamus, aut in antea faziamus contra predictam ec cartulam, vel ejus rectores, aut cui ipsi dederint, agere, causare, tollere, contendere, contradicere, tenzionare vel minuare presumserimus per quolibet ingenium, vel si exinde aparuerit datum aut factum vel quodlibet scriptum firmitatis, quod nos factum abeamus, aut in antea faziamus, & claruerit, exinde omni tempore taciti non permanserimus, vel si predicta carta aut istam promissionem & obligazionem & refuttazionem dicendo, quod falsa sit aut non valere presumserimus. Et si aliquando contingerit aut per nos aut per nostros fideles aliquam ofensionem contra vos vel contra vestros fideles de is suprascriptis rebus ultra tres solidos valentes, & inquisiti non emendaverimus ante tricesimum diem in laudamentum de vestro & nostro minestrale, & si omnia, ut dictum est, non observaverimus, tunc spondimus & obligamus per nos nostrisque eredibus sub nomine pene, quod daturi esse debeamus a partem jam dicte ecclesie nostra partem jamdicti castelli & curtis cum omnibus super se & infra se abentes. Et de nostro dominio in vestram transead potestatem. Et post penam solutam oc scriptum refuttazionis firmum maneat. Actum Talla judicaria Aretina.

Signo manuum jam dictis jugalibus, & Bernardus, qui unc scriptum promissionis & obligazionis, refuttazionis, sicut superius legitur, fieri rogaverunt ss.

Signo manuum Gerardus & Rainerius germani filii Widonis, & Zappo filius quondam Johannis rogati testibus.

Ego Albertus notarius scripsi post tradita complevi.

CCXII.

Privilegium Gothifredi episcopi Florentini pro parthenone S. Petri de Luco.

Anno 1127. mense martio.

Ex archivo ejusdem parthenonis. B. 47.

Ad lib. XXVII. n. 5.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Gottifredus Dei gratia sancte Florentine ecclesie episcopus venerabili patri Azoni Camaldulensi priori ejusque successoribus in perpetuum regulariter substituendis salutem. Juxtis petitionibus annuere eisque celerem adhibere effectum, equitatis postulat ratio, quanto ma-

magis vestra effectui mancipare desideria nos convenit, quam morum honestatem ac vite sanctitatem, utpote patres diligimus & veneramur. Quapropter postulatione vestra sancteque vestre congregationis amore, rogatu nostrorum fidelium, pro remedio anime nostre nostrorumque successorum protectione seu defensione universas terras, & res, quas vestra sancta ecclesia de Luco in Mucello in nostra potestate dignoscitur habere, sive in loco Larciano, sive in aliis locis sint in nostra potestate constitutas. Remittimus omnes usus universasque decimas, quas usque modo nos ipsi aut antecessores nostri soliti erant habere ex eis, aut exigere ad nostrum opus aut ministrorum nostrorum. Promittimus insuper nos ac successores nostri prefatas terras & res, ac universas possessiones vestras sub nostra ditione nostraque potestate constitutas vobis vestrisque successoribus per nos aut per missos seu fideles nostros defendere, adjuvare, nec amplius prefatis possessionibus atque rebus ullo modo pro aliquo usu atque decima exigere a vobis, aut a missis nostris, nisi omni anno in festo sancti Johannis Baptiste mensis junii sex cere libras. Si quis nostrum, quod absit, nostrorumque fidelium aut cunctorum hominum de predictis terris & rebus atque possessionibus, quas vos ipsi habetis in loco Larciano, aut in aliis locis tenetis, sive de possessione, que olim fuit Johannis Rainerii, seu de aliis terris seu possessionibus ubicumque sub vestra potestate constitutis in Mucello, vos aut fideles vestros aut homines absque legali judicio devastare, inquietare aut tollere conati fuerint, aut amplius exigere a vobis preter sex predictas cere libras presumpserit, aut si eas possessiones & terras ab omni persona injuste inquietare nos ipsi aut successores nostri vobis vestrisque successoribus seu parti vestre ecclesie de Luco non defensaverimus absque fraude, & postquam super hoc inquisiti erimus infra continuos triginta dies vos non emendaverimus, aut emendare faciemus & omnia prelibata non observaverimus, tunc hac pagina firma manente, decem libras bonorum denariorum Lucensium nos aut nostri successores parti vestre, & vestris successoribus componere pene nomine promittimus. Et insuper quicumque alius contraire conatus fuerit, excommunicationi subjacebit. Quod ego Azo prior promitto, si constituta die omni anno predictas sex cere libras nos & nostri successores non solvimus vobis & vestris successoribus similem penam componere.

Actum in loco Mucello infra ecclesiam sancti Laurentii siti Burgo comitatus Florentino anno dominice incarnationis millesimo centesimo vigesimo septimo mense martio indictione quinta.

Ego Gotifredus Dei gratia Florentinus episcopus ss.

Ego Petrus sancte Florentine ecclesie archidiaconus ss.

Ego Petrus Florentine ecclesie canonicus interfui & ss.

Signa manuum Geringhi vicedomini, & Olivarii & Ubertini similiter vicedominorum.

Ego Ildebrandus vicedominus interfui & ss.

Ego Pandulfus judex ac notarius interfui & hec scripsi.

CCXIII.

Donatio facta Johanni abbati SS. Laurentii & Hippolyti de Faventia.

Anno 1127. VIII. martii.

Ex archivo ejusdem monasterii.

Ad lib. XXVII. n. 4.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ab incarnatione ejusdem millesimo centesimo vigesimo septimo tempore Honorii pape, & post mortem Enrici imperatoris die nono mensis martii indictione quinta. Faventie in ecclesia sancti Petri apostoli. Omnis contractus fide perficitur, sed tamen scriptura apparente melius cognoscitur, atque ideo nos quidem in Dei nomine Nicola Alberici, & Guilla uxor mea per hoc instrumentum presenti die damus atque largimur pro restauratione rerum, quas injuste abstulimus alicui persone, tibi presenti in Christi nomine domno Johanni abbati monasterii sanctorum Laurentii & Yppoliti accipienti pro te & collegio tuo ejusdem monasterii, & per vos in predictum monasterium vestrisque successoribus in perpetuum, qui pro tempore in eodem monasterio perseveraverint & obsecundaverint, idest portionem nostram de insula, que nobis competit, que est posita prope molendinum vestrum juxta flumen Alimonis, itaut oretis & deprecamini Dominum Deum nostrum omnipotentem patrem & filium & spiritum sanctum, ut ignoscat nobis peccata predictarum rerum, quas injuste habuimus. Et a presenti die, aut quando volueritis, liceat tibi supradicto abbati & mo-

& monachis tuis predictam rem accipere & introire per traditionem vel consensum istius nostri missi nomine Farulfi diaconi Faventine ecclesie, quem de manibus nostris in tuas mittimus in presentia testium, qui hic scripti sunt, vel illuc veniat, & corporaliter vobis predictam rem tradat, atque vos in dicta investiat, & in vacuam possessionem inducat, habeatis, teneatis, &c. Hanc autem liberalitatis paginam ego Petrus Faventinus tabellio rogatu utriusque contrahentium partis scripsi & complevi & absolvi, prout superius legitur.

Signa † manuum †† predicti Nicole & Guille uxoris ejus, qui rogaverunt & firmaverunt hunc contractum sicut superius legitur.

Signa † manuum †† Alberici, Petri Ducis, & Sansoli de Raimundo, qui rogati interfuerunt huic negotio, inter quos etiam interfuerunt Vitalis presbyter, & Petrus presbyter, atque alius Petrus, alius Petrus presbyter, & Farulfus diaconus sancte Faventine ecclesie.

CCXIV.

Locatio loci illius, qui vocabatur S. Gregorius, facta a Laurentio abbate SS. Andreæ & Gregorii de Urbe.

Anno 1128. XXI februarii.

Ex veteri codice ejusdem monasterii. p. 60.

Ad lib. XXVII. n. 9.

IN nomine Domini. Anno Dominice incarnationis millesimo centesimo vigesimo octavo, anno vero quarto pontificatus domni Honorii secundi pape indictione sexta mensis februarii die vicesimoprimo. Placuit mihi domno Laurentio Dei gratia abbati venerabilis monasterii sanctorum Andree & Gregorii, quod situm est in clivo Scauri, hac presenti die consentiente cuncta congregatione monachorum fratrum ejusdem monasterii, videlicet Andrea monacho, Nucino monacho, Benedicto monacho, Placido monacho, Gualfredo monacho, Henrico monacho, Petro monacho, locare & secundum subscriptum tenorem concedere tibi Stefano de Micino vita tua & tuis legitimis filiis masculis tertia generatione, idest locum illum, qui vocatur sanctus Gregorius, in quo olim ecclesia beati Gregorii in honorem ejusdem constructa & dedicata, nunc autem destructa esse videtur, cum terra sementaritia & sylva, sicut infra hos affines concluditur, & quartam partem de sylva de Cancellata cum vineis ibidem & cuncta circa se cum filis salinarum ad excolendum cum campis, pratis, pascuis, fontibus ac rivis, cum sylva & pantano, in quibus potestatem habeatis ligna cedere pro sua utilitate, & vestros porcos glande in ipsa sylva & pantano depascendos, sicut alii, qui in eadem sylva per nos detinentur, & cum omnibus ad ipsum locum generaliter & in integrum pertinentibus. Positis in fundum, qui vocatur Cancellata, juxta Campum majorem salinarum. Inter hos affines, a primo latere tenimentum monasterii sancti Pancratii, a secundo latere tenent heredes Theobaldi, & est juris nostri monasterii, a tertio latere tenent heredes Centii Guidonis, & Otto de Franco, & est juris nostri monasterii, a quarto latere est predictus campus salinarum juris nostri monasterii ad tenendum, laborandum & meliorandum, & sicuti dictum est tertia generatione fruendum & possidendum. Pro qua denique locatione triginta Papiensium solidos denariorum nobis dedisti, & omni anno in festivitate sancti Gregorii octo denarios Papienses nomine pensionis nostro monasterio persolvatis. Preterea dicimus de nostris rebus neque per te, nec hominibus tuis fraudem, nec consensum prebeat faciendi, quod si quo casu accidere contingerit, citius ad emendationem ejus perveniatis, & nulli ecclesie vel pio loco habeatis potestatem predictum locum relinquendi, nec in ulla persona hominum, sed, sicut dictum est, tertia generatione fruendi & possidendi, mortuis vero te, & vestris legitimis filiis, sicut dictum est, locus ille, sicut fuerit melioratus, sine omni mora & contrarietate in predicto monasterio, cujus est proprietas, revertatur. Nos autem & nostri successores defendemus eum vobis ab omni homine, si opus & necesse fuerit. Si qua vero pars &c.

Signum † manu dicti Stefani rogatoris cartule hujus vel appare.

Josеppus filius Johannis Exeq... testis.

Astaldus filius Johannis Maramoni testis.

Nicolaus de Rocca testis.

Millelaude Johannis adulterini testis.

Gilius de Giordano testis.

† Ego Falconius scriniarius sancte Romane ecclesie complevi & absolvi.

CCXV.

CCXV.

Petrus abbas S. Zenonis Pisarum vendit terras.

Anno 1128. III. id. martii.

Ex autographo apud can. Abrahamium.

Ibidem.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo vigesimo octavo tertio idus martii indictione sexta. Manifestus sum ego Petrus humilis abbas ecclesie, & monasterio sancti Zenonis, quia per hanc cartulam vindo & trado tibi Andrea filius quondam Johannis duo petia de terris cum ortis super se, & terra vacua laboratoria, que videntur esse posite in loco & finibus Veclano Litti, ubi dicitur . . . . . Prima petia de terra tenet unum caput cum unum latus in vie publice, & aliud caput in terra filiorum quondam Gerardi vicecomitis, & in terra predicti sancti Zenonis, & aliud latus in terra Signorecti filii quoudam Biloni, & de suis consortibus, & est per mensura ad juxta seminatura stariorum novem, & panorum duo. Secunda petia de terra in ipso loco tenet unum caput cum unus latus in vie publice, & aliud caput tenet in Semitula, & aliud latus in terra Morecti filii quondam Corbi, & est pro mensura ad juxta seminatura stariorum tres, & panorum quatuor. Predictis duo petiis de terris cum ortis super se, & terra laborativa, qualiter ab omni parte circumdati sunt, & mensurati per designata loca, & cum inferioribus & superioribus suis, *&c.* vindo, & trado, & per suprascriptam meam vendictionem, & tradictionem recepi a te pretium solidos quinque centum viginti in prefinito, de quibus denariis dedimus propter debitum, quod nos fecimus in comune civitatis presenti. Quam meam vendictionem, & tradictionem isi ego, qui supra, Petrus Abbas, vel mei successoribus, *&c.*

Actum infra claustra predicte ecclesie & monasterio sancti Zenonis.

Ego Petrus humilis abbas sancti Zenonis in hac cartula a me facta subscripsi.

Ego Gerardus filiaster Nepi in hac cartula ss. & consensi.

Ego Ambrosius monacus, & camerarius sancti Zenonis in hac cartula ss. & assensum dedi.

Ego Bernardus prior sancti Zenonis in hac cartula ss.

Andreas monacus scripsit se testem rebus in istis.

Ego Ragnerius diaconus, & monachus in hac cartula scripsi.

Signa ††††† manuum Gerardi filii quondam Andree, & Alberti filii quondam Gerardi, & Ildebrandi filii Signorecti, & Benedicti filii quondam Martini, & Gerardi filii quondam Boni rogatorum testium.

Ego Nothus notarius post tradita complevi, & dedi.

Et promissio ad defendendum, qui per manum tenet, ad penam argenti optimi libras quinquaginta ad suprascriptum datare, meritum & testes.

CCXVI.

Locatio castri de Guido facta a Laurentio abbate Ss. Andreæ & Gregorii de Urbe.

Anno 1128. III. junii.

Ex codice ejusdem monasterii. p. 61.

Ibidem.

IN nomine Domini. Anno quarto pontificatus domni Honorii secundi pape indictione sexta mensis junii die tertio. Ego quidem dompnus Laurentius Dei gratia abbas venerabilis monasterii sanctorum Andree apostoli & Gregorii apostolici, quod vocatur clivus Scauri, cum consensu & voluntate ceterorum monachorum ejusdem monasterii, hac die propria spontaneaque nostra voluntate locamus vobis Johanni & Stefano filiis vero Stefani, atque Leoni & . . . . . olim Johannis de Stefano, quibus datus est tutor & curator Johannes Benecasa a Transtiberi, nec non filiis Alberti Chii vestri vobis & legitimis filiis vestris masculis & feminis vite vestre in tertiam generationem, idest castrum totum, quod appellatur de Guido, cum omnibus criptis, terris, canapinis, silvis, pantanis & cum omnibus suis tenimentis & pertinentiis intus & foris positis extra portam sancti Petri apostoli. Affines ejus, sicut modo sunt, & ab origine fuerunt, juris supradicti monasterii ad tenendum, fruendum, & sicut dictum est, tertia generatione possidendum. Ideo supradictum castrum cum toto suo tenimento intus & de foris, ut superius dictum est, locamus, quia vos cum Benecasa tutore & curatore vestro refutastis predicto monasterio, & no-

nobis dictum castrum cum omnibus suis pertinentiis, & omni anno pro pensione persolvistis nostro monasterio in festivitate sancti Andree tres soldos denariorum Papiensium, & quindecim salmas . . . . & hec omnia observare & defendere promittimus in omni loco & in omni placito, quod si defendere noluerimus aut non potuerimus, componamus vobis pro pena centum boni auri libras, soluta pena hec cartula locationis firma permaneat. Quam scribendam rogavi Rogerium scriniarium sancte Romane ecclesie in mense & indictione suprascripta sexta.

Signum † manuum supradictorum omnium rogatorum cartule hujus.

Leo Frajapanis.

Nicolaus causidicus testis.

Heinricus de Heinrico testis.

Centius Pica testis.

Centurius de Saxo testis.

Beno testis.

Dardarus a septem viis testis.

† Ego Nicolaus scriniarius sancte Romane ecclesie, sicut inveni in dictis Rogerii scriniarii, ita scripsi, complevi & absolvi.

CCXVII.

Altera locatio ejusdem castri Guidonis.

Anno 1128. III. junii.

Ex eodem codice membranaceo. p. 61.

Ibidem.

IN nomine Domini. Anno quarto pontificatus domni Honorii secundi pape indictione sexta mensis junii die tertio. Ego quidem Albertus filius de Stefano una cum Benecasa curatore meo, qui datus est mihi a manibus domini Gregorii dativi judicis, & curator Johannis & tutor Stefani Leonis & Johannis hac die nullo prohibente, nec contradicente, sed propria spontaneaque nostra voluntate renuntiamus & refutamus & publice investimus tibi domno Laurentio abbati venerabilis monasterii sanctorum Andree apostoli & Gregorii apostolici, quod appellatur Clivus Scauri, tuisque successoribus in perpetuum; id est castrum, quod vocatur castellum Guidonis cum omnibus terris, vineis, canapinis, silvis, paludibus & cum omnibus suis pertinentiis, quod est positum extra portam sancti Petri apostoli. Affines ejus, sicuti nunc sunt, & ab origine fuerunt. Predictum vero castrum intus & de foris, & cum suis pertinentiis, sicuti dictum est, tibi & predicto monasterio & successoribus tuis renuntiamus & refutamus, & publice investimus una cum predicto Benecasa curatore & tutore nostro, itaut ab hac hora in antea licentiam & potestatem habeatis in predictum castrum, & in omnibus pertinentiis suis intrandi, tenendi, &c.

Signum †††††† manuum supradictorum Alberti, Johannis, Stefani, Leonis, Johannis & Benecase tutoris & curatoris eorum rogatorum cartule hujus.

Leo Frangenspanem.

Nicolaus causidicus testis.

Henricus filius Henrici testis.

Centius Pica testis.

Ego Nicolaus scriniarius sancte Romane ecclesie, sicuti inveni in dictis Rogerii scriniarii, ita scripsi, complevi & absolvi.

CCXVIII.

Privilegium Gualterii archiepiscopi Ravennatis pro monasterio S. Severi prope Ravennam.

Anno 1128. VIII. julii.

Ex veteri authentico archivi Classensis.

Ad lib. XXVII. n. 4.

EXemplum privilegii, cujus forma & series hec est. *Autographum.* In nomine Domini anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo vigesimo octavo tempore domni Honorii pape die octavo mensis julii indictione sexta Ravenne in palatio sancte Ravennatis ecclesie. †. Gualterius servus servorum Dei divina gratia archiepiscopus sancte Ravennatis ecclesie oblator exiguus. Cum summe divinitatis potentia in sacra regiminis arce non meritorum gratia, sed ineffabili sue pietatis arbitrio pro multorum optutibus nos locare dignatus est, illud nos ambire cotidie amonet, quod ad perhennem capescendam indulgentiam, censuram pertinere potissimum & fore dinoscitur. Unde & beatissimorum sanctorum, & maxime confessoris christi Severi necessitudo me adire compellit suffragia, ut qui propriis viribus ad tantam sarcinam perferendam nequaquam existo ydoneus, Deo prece placentium ejusque confessoris oraculo sustenter, si non in omnibus, in quibusdam tamen presulatus officio dignis tamen vite mee moribus valeam adequare. Igitur ego Gualterius humilis

atque peccator ſancte catholice Ravennatis eccleſie archiepiſcopus in tuo venerabili cenobio beatiſſime Severe confeſſor Chriſti, in eo Divizo presbyter atque abbas preeſſe videtur, modis omnibus previdi conſtituere atque confirmare tibi tuiſque ſucceſſoribus & in veſtro venerabili collegio imperpetuum anteriora precepta, & inſuper que in illis leguntur; ideſt monaſteria ſanctorum Gaudentii, Sergii, Theodori & ſancte Agnetis, & ſanctorum Coſme & Damiani, que omnia olim fuerunt ſita in civitate Claſſis cum omnibus rebus & poſſeſſionibus eorum ſitas tam in civitate Claſſis, quam extra vel in civitate Ravenna vel ubicumque inveniuntur per diverſa loca. Confirmamus etiam vobis ſecundum antiqua veſtra privilegia vel inſtrumenta extra jam dicta civitate Claſſis monaſterium ſanctorum Johannis & Stephani ad Titum, qui nunc demolitum eſſe videtur, & locum, ubi olim fuit jam dictum monaſterium, & omnes res & poſſeſſiones ejus imperpetuum tam in civitate Ravenne & in civitate Claſſis, quam extra, vel comitatu Decimano, ſive in comitatu Bononienſe, aut Cornelienſe, vel Faventino, aut Livienſe, ſive Pupilienſe, nec non Ceſinate, aut Ficoclenſi, ſeu etiam Ariminenſe, ſive Penſarienſe, aut Faneſtre, vel Senogalienſe, Eſinante, aut Anconitano, vel Auſimano, aut in aliis comitatibus. Inſuper etiam confirmamus tibi tuiſque ſucceſſoribus & tuo venerabili collegio imperpetuum, atque innovamus ſecundum antiqua privilegia tua monaſterium ſancti Pullionis & ſancte Marie in Senodochio in civitate Ravenne cum omnibus rebus & poſſeſſionibus eorum tam in eadem civitate Ravenna, quam extra, aut in civitate Ferraria vel in comitatu ipſius Ferrarie, aut in burgo ejus, ſeu in comitatu Ceſinate, vel ubicumque inventa fuerint per diverſa loca vel territoria. Preterea confirmamus tibi, ut ſuperius legitur, eccleſiam & monaſterium ſancti Laurentii, qui dicitur in Caſtagnola, cum omnibus rebus & poſſeſſionibus ſuis ſibi quoquomodo pertinentibus in quibuſcumque locis ſint vel comitatibus invente fuerint. Similiter confirmamus in prefato monaſterio ſancti Severi confeſſoris Chriſti & tibi Divizoni abbati, tuiſque ſucceſſoribus imperpetuum eccleſiam & monaſterium integrum, cui vocabulum eſt ſancti Thome apoſtoli conſtitutum foris porta ſancti Laurentii non longe, ſed prope ipſam portam cum omnibus rebus & poſſeſſionibus ſuis tam in civitate Ravenna conſtitutis & in comitatu & territorio, vel comitatu Ceſinate vel Ferrarienſe aut in aliis comitatibus vel territoriis. Nec non etiam confirmamus tibi, ut ſuperius legitur, duas integras manſiones in Arimino prope poſterulam da mare, & unam manſionem in civitate Ravenna in regione Erculana in curte Berengari, quam detinet Johannes de Ota. Et fundum unum vobis concedo integrum, qui vocatur Maſſenzanum conſtitutum territorio Ceſinate plebe ſancti Stephani in Piliniano. Que omnia igitur venerabilia loca, ut ſuperius legitur, ſub tali videlicet ratione confirmamus tibi tuiſque ſucceſſoribus imperpetuum, quatenus ut tu & tui ſucceſſores & confratres, qui ibi ſunt vel per tempora ibidem ordinati fuerint, pro remedio anime mee meorumque ſucceſſorum omni anno, precipue in die anniverſarii noſtri, presbiteri ipſius monaſterii ſancti Severi pro venia delictorum noſtrorum ſingulas cantent miſſas, ceteri vero cujuſcumque ordinis pſalmos ſcientes cantent pſalmos quinquaginta, pro rebus vero omnibus, videlicet caſis, fundis & pertinentiis omnibus, quas vos . . . . . . prefata eccleſia pertinere videmini de jure ſancte Ravennatis eccleſie, & pro poſſeſſionibus predictarum eccleſiarum penſionem hactoribus ſancte Ravennatis eccleſie perſolvere debeatis, per ſingulas indictiones denarios Lucenſes tres tt. Si quis vero tam noſtri ſucceſſores, quam quevis major aut minor perſona contra hujus noſtre confirmationis vel conſtitutionis precepti ſeriem quidquam aliter agere preſumpſerit, & prefata loca & res ad ipſum monaſterium pertinentes a jure & dominio regularium monachorum, qui per tempora fuerint in templo beati Severi, quovis tempore per colibet, ut dictum eſt, contractum alienaverit vel diminutiones innovaverit, niſi reſipiſcat & emendet, ſuſcipiat indiſſolubile anathematis vinculum trecentorum ſanctorum decem & octo patrum Niceni concilii, atque cum Juda Scariothis Jheſu chriſti domini noſtri traditoris compar exiſtat, & cum antiquo oſte condempnetur diabolo, & habitaculo juſtorum privetur eterno, & nullo modo in memoriam veniat apud Deum. Iis qui a tuo venerabili templo, & omnium, que a me tibi confirmata atque innovata ſunt beate Severe confeſſor Domini noſtri ſubripere, ut ſupradiximus, temptaverit ea, que ex tuis propriis muneribus ad tua limina tibique deſervientium regularium monachorum perhen-

henniter tribuimus possidendam. Quam ob rem enixa prece deposco, ut mihi inutili famulo licet inmerito, ad tamen pro summo desiderio cordis prelibata munuscula amoris studio tibi confirmare atque innovare disposui pater, quatenus digneris obsecrationibus obtinere apud omnipotentem Dominum, ut abolitis meorum scelerum vinculis eterne vite participem efficiat. Quam preceptionis & voluntarie nostre confirmationis ac innovationis paginam Ugoni notario sancte nostre Ravennatis ecclesie scribendam libenter precipimus, & ut verius credatur, subter manu propria, ut perpetualiter maneat, roborandam mandavimus sub suprascripta indictione.

Ego Gualterius sancte Ravennatis ecclesie archiepiscopus hoc preceptum confirmans fieri precepi.

Ego Petrus Fieoclensis episcopus subscripsi.

Ego Gregorius Adriensis episcopus subscripsi.

Extat & transumptum anni 1286. die sexta januarii indict. XIV. *tempore nobilis viri Guidonis quondam Lamberti de Polenta potestatis Ravennæ confectum a Bellino quondam domini Lotoringi notario Ravennate, ad petitionem domini Gerardi abbatis S. Severi, & subscriptum a quinque aliis notariis.*

In quodam exemplo perantiquo membranaceo donationis Gualterii archiep. anni 1128. carente tamen chronicis notis leguntur hæc sancti Severi bona cum suis confinibus, quæ non apparent in superiori Gualterii pagina.

Monasteria sanctorum Gaudentii, Sergii & Theodori, & sancte Agnetis & sanctorum Cosme & Damiani, que olim fuerunt sita in civitate Classis.

Monasterium sanctorum Johannis in Armenia, & sancti Stephani ad Titum, quod nunc demolitum esse videtur, & res &c.

In Foropopuliensi totam massam de Sclao, que Sansana vocatur.

Monasterium sancti Pullionis, & sancte Marie in Senodochio in civitate Ravenna cum omnibus &c.

In comitatu Ferrarie in loco, qui dicitur Canara, fundum integrum cum ecclesia sancte Sophie in eodem fundo fundata. Fundum Rustizane in burgo Ferrarie.

Duas integras mansiones in Arimino prope pusterulam da mare.

Unam mansionem in civitate Ravenne in regione Erculana in curte Berengari, quam detinet Johannes de Ota.

In territorio Cesenate fundum unum Mansenzanum, plebe sancti Stephani in Pisigano.

Ecclesia & monasterium sancti Laurentii, qui dicitur in Castagnola, cum castro suo, & cum terris &c. & fundum Folanum, qui la Petula vocatur, & fundum Farnasculum, & medietatem silve de Guardengo, & molam sancti Laurentii, & fundum Lacedo, & unam partem de mola de Sayno intra fines, a primo latere flumen Esinum usque ad medium, a secundo latere via publica, que pergit per Catenellam, & vadit ad vetreta de sancto Laurentio, & vadit ad Labisina de lo Guardingo, & vadit ad Carpinum album, & redit ad Trepontium, a tertio latere Trepontium usque in via de lo Difitto, a quarto latere ipsa via de lo Fitto usque ad ripam de Gualdo & flumen Esinum, qui est a primo latere.

Ecclesiam sancte Marie, que est fundata in fundo de lo Remorto cum omni ornamento ecclesiastico, & cum ipso fundo integro, & cum sua insula & ecclesiam sancti Blasii, que est in ipsa insula, cum suis habitatoribus, & fundum le Letice, & fundum le Cone, & fundum le Macie, a primo latere flumen Esinum, & molia Sauna, a secundo latere fundum Fosanum, a tertio latere via, que venit ad sancto Laurentio & dicitur Anconitana, & pergit juxta silvam de Guardengo, & vadit ad viam terra Altese, a quarto latere ipsa via terra Altese, & vadit ad flumen Esinum, quod est a primo latere.

Insulam, que dicitur Alamacaso, cum curte sua &c. Fundum Sanguineto & ecclesiam sancti Johannis, que est fundata in fundo Aucano, que terra alta vocatur, cum libris, terris &c. & fundum Felcareta & Roverase, a primo latere fundum Scotaneto, & fundum Agelli, & rivus, qui dicitur Gabariano, a secundo latere via publica, que pergit Agellum, & dicitur Anconitana, & venit per lacu, & redit ad sanctam Mariam de lo Remorto, a tertio latere via publica, que venit a sancta Maria & vadit per lo Remorto, & pergit le Lenze, & pergit per canala de terra alta juxta fluvium Esinum, & vadit ad cavam antiquam, a quarto latere fossato de Gambariano, & fundum de Scotaneto, qui est a primo latere.

In comitatu Senogallie ecclesiam sancti Johannis in fundo Pergomato cum omni ornamento suo, terris &c. a primo latere flumen Esinum usque ad rivum

de Triponzo, a secundo latere rivus de Triponzo usque in lo difitto de Gualdo, a tertio latere via, que venit per Gualdum a capite jam dicto difitto, & vadit inter fundum Pergomatum & Ficajola per silva de Castagnola & via publica de Padule, a quarto latere ipsa via publica, que venit a capite jam dicto, & vadit in flumen Esinum, quod est a primo latere. Ecclesiam sancti Benedicti in fundo Brazale, & fundum Ingiltruda cum molendinis &c. a primo latere flumen Esinum, a secundo via publica, que venit a capite Padulis, & vadit per silvam de Castagnola ad Calcinarum de jam dicta ecclesia usque ad Agrifolum, a tertio latere alia via publica, que venit da la Buba juxta dictum Agrifolum, & vadit ad limitem de Campo, a quarto latere jam dictum limitem usque ad flumen Esinum, quod est a primo latere. In eodem Comitatu in fundo Campore mansum, qui fuit de Johanne. Fundum Laureti majoris & minoris, & montem Laureti, & fundum Fontanelle, & fundum Petola, que Preretola vocatur, & fundum sancti Marcelli.

In comitatu Anconitano monasterium sancte Marie in fundo Tugano cum rebus &c. & fundum Ancarianum, & fundum Monte de abbate, & fundum de Sala & de valle Lotosa, & fundum de Camorata cum ipsa ecclesia sancte Marie ibi fundata, & fundum Cornaleto, & fundum monte Valentino, Riviano Frivianelo, Provetolo, &c. a primo latere flumen Esinum usque ad medium, a secundo latere rivus Azelli usque in rivum de Cero pullino, a tertio latere dictus rivus qui vadit per rivum de Sala, & pergit ad viam publicam, que vadit ad sanctum Paulum, a quarto latere via publica, que venit a Presenzano, & pergit per casam Naulam & redit ad crucem de sancto Petro, & vadit in flumen Esinum &c. Totam massam de Parano &c. ecclesiam sancti Angeli de fundo Casaleclo &c. totam insulam de Casaleclo cum habitatoribus, passagio, & reditu de ponte de Casaleclo, a primo latere flumen Esinum usque ad medium, a secundo latere rivus, qui dicitur Mazzo usque in Flamneam, a tertio latere ipsa Flamnea usque in rivum de Groara, & terra Anconitane ecclesie, a quarto latere rivus Groara usque in flumen Esinum, castrum de li Masi &c. fundum de Faldo, ecclesiam sancti Angeli in fundo Turricella, fundum Mimanu cum castro suo, & ecclesiam sancte Marie in fundo Mimano, a primo latere fundum Bissanum, a secundo Camenano, a tertio fundum Marianum, a quarto fundum Gaona, & fundum Corzano, a primo latere fundum Bissano, a secundo fundum Asisano, a tertio fundum Persesianum, a quarto fundum Galignanum. Fundum Cannagregola, & fundum Gaona.

In comitatu Esino de jure monasterii sancti Johannis, & sancti Stephani, qui dicitur ad Titum, ecclesiam sancti Stephani in Limizano cum libris, paramentis &c. fundum Limizanum, fundum Gorgonianum, fundum de Menzo, fundum Bazzatti, fundum Monte diacono, fundum Saturniano cum vineis &c. a primo latere via publica, que vadit per la Serra, & per monte, a secundo via publica, que vadit ad sanctum Abundium, a tertio alia via publica, a quarto via, que vadit ad Violam, & per Montem aureum, & redit ad Serram.

In comitatu Senogallie de jure dicti monasterii sanctorum Johannis & Stephani ad Titum castrum unum, qui dicitur la Fara cum habitatoribus &c. & ecclesiam sancti Johannis de Alsano cum terris &c. sub plebe sancti Clementis. Et de fundo de Cassiano undecim uncias principales, & mansum quem habuit Bucco, & fundum de Pezzo, & in fundo de Vacaria septem uncias principales cum &c. & in fundo Albiniano sex uncias principales, & fundo Sicco quatuor uncias principales, in fundo Catiliano novem uncias principales, a primo latere rivus, qui currit in Alparice & vadit in Flaminea, a secundo ipsa Flaminea usque in Tripontio, a tertio rivus ipsius Tripontii usque ad fossatum de Presenzano, a quarto fossatum de Presenzano & vadit in Cortuletum, & redit ad fossatum de Alparice. Castrum de Luzano &c. & tres uncias principales in fundo de la Plana, & ecclesiam sancti Jacobi fundatam in fundo Cornutula cum libris, paramentis &c. & tres uncias principales in fundo de Cornutula, a primo latere via publica, que venit per Cornutulam & vadit ad Veranum, a secundo & tertio detinet Senogalliensis ecelesia, a quarto jura Clementis ducis, & in Asoloco Alissano novem uncias principales &c. & fundum, qui dicitur Palumbice, que omnia &c.

CCXIX.

CCXIX.

Rodulfus abbas Marturiensis vendit Rogerio archiepiscopo Pisano jura & castra aliquot sui monasterii.

Anno 1129. kl. septembris.

Ex tabulario archiep. Pisarum penes Murator. Antiq. T. III, c. 1143.

Ad lib. XXVII. n. 13.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo trigesimo, ipso die kalendis septembris, indictione septima. Oportet universarum Dei ecclesiarum rectores, & cunctorum venerabilium locorum dispensatores ecclesiis & locis, quibus Deo auctore presunt, prospicere, & ad utilitatem & commodum seu meliorationem, prout possunt, earundem Dei ecclesiarum & locorum modis omnibus elaborare. Ideoque ego Rodulfus in Dei nomine abbas de ecclesia & monasterio sancti Michaelis de loco Marturi, communicato consilio fratrum meorum monacorum, & advocati, ceterorumque fidelium predicti monasterii, pro competenti utilitate predicti monasterii, per hanc cartam vendo & trado tibi Rogerio Dei gratia sancte Pisane ecclesie archiepiscopo, ad partem predicte ecclesie, totum, quod predicte nostre ecclesie & monasterio pertinet in castro de Vico, qui dicitur Auserissula, infra ipso castello, quam & de foris, & in curte ejus. Et in loco & in finibus Cesano, tam infra ipsam villam, quam & de foris, & in curte ejus. Et a Camuliano sicut Hera mittit in Arno usque ad mare. Et ex altera parte fluminis Arni a Montecelo similiter usque ad mare, ut dictum est, omnia, que supra leguntur, in integrum cum inferioribus, & superioribus suis, seu cum finibus, & ingressibus suis, & cum omni jure & pertinentiis earum tibi ea, ut dictum est, ad . . . . . predicte ecclesie vendo, & trado. Pro qua a te meritum recepi solidos tria millia quingentos quadraginta in prefinito. Quam meam venditionem & traditionem, si ego, qui supra, Rodulfus abbas, vel mei successores, sive cui nos eas dedissemus, aut dederimus, retollere vel minuere quesierimus per aliquod ingenium tibi, qui supra, Rogerio archiepiscopo vel tuis successoribus, aut cui vos ea dederitis vel habere decreveritis, etsi nos exinde auctores dare volueritis, & ea vobis ab omni homine defendere non potuerimus, & non defensaverimus, spondemus nos vobis componere suprascriptam nostram venditionem, & traditionem in duplum in ferquido loco, sub extimatione qualis tunc fuerit. Et in tali hordine hec scribere rogavi Ugonem notarium apostolice sedis.

Actum infra ecclesiam sancte Marie, posita in castello, qui dicitur Casale.

Ego Rodulphus abbas Marturiensis monasterii in hac cartula a me facta confirmando subscripsi.

Ego Guido monachus, & sacerdos subscripsi.

Ego frater Albertus monachus & sacerdos subscripsi.

† Ego frater Dominicus monachus & sacerdos subscripsi.

Ego Bernardus monachus & sacerdos subscripsi.

Ego frater Azzo monachus & Levita subscripsi.

Ego frater Albertus monachus subscripsi.

Ego frater Petrus subscripsi.

Ego frater Placidus subscripsi.

Eno frater Rainerius subscripsi.

Ego frater Lambertus subscripsi.

Signum † manus Sinibaldi advocati suprascripti monasterii, qui interfuit, & consensit, & ratum habuit.

Signa †††††††††††††††† manuum Arnulphi quondam Stefani, & Vesco quondam Benthulini, & Sassi quondam Rainerii, & Lotteri quondam Teci, & Henrici quondam Adalardi, & Berlingherii quondam Petri, & Henrici quondam Alfredi, & Rogerini quondam Guidiccionis, & Jacop. quondam Ildebrandi, & Sismundi quondam Conecti, & Palmenti filii Ugonis, & Teberti quondam Sassi, & Truffa quondam Corradi, Gerardi quondam Andree, & Guidonis quondam Pisani, & Bernardi quondam Signorelli, & Aleherii quondam Paganucci, Bernardi quondam Rosignoli, rogatorum testium.

Ego Ugo notarius apostolice sedis post traditam complevi & dedi, & repromissionem ad defendendum, qui per manum tenet, ad penam argenti optimi librarum ducentarum ad suprascriptam data re, meritum & testes.

CCXX.

CCXX.

Concordium inter Bujanum electum episcopum Arretinum & Rambertum abbatem Pratalia circa castrum Marcianum.

Anno 1130. mense januarii.

Ex autographo Fontis-boni. §. Investitura. n. 9.

Ad lib. XXVII. n. 19.

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis millesimo centesimo tricesimo residente Honorio papa secundo mense januario indictione octava. Quoniam rerum gestarum memoriam aboleri facile temporum prolixitate contingit, tum nature imbecillitate, tum incuria desidiosi cujuslibet negligentissimi hominis: Iccirco ea, que inter Bujanum prius quidem prepositum canonice sancti Donati, nunc autem electum ab ordinariis Aretine ecclesie, & a clero ac populo civitatis & comitatus, & domnum Rambertum abatem monasterii sancte Marie siti Pratalie gesta sunt, nulla vi vel metu, dolove intercedente, sed amicitia altrinsecus interveniente cum juris effectu nitantur, nec aliquid injuria commissum ibidem esse videatur, litteris adnotari multa utilitate provisum est. Actum est autem sic. Cum idem predictus domnus Bujanus comitis fungeretur offitio, causasque sibi commissas suo & juris peritorum ingenio subtiliter examinaretur, statuit consilio vicedomini Ingonis & aliorum procerum, & Ildebrandini advocati, audito jam consilio Ildebrandi archidiaconi, & Ugonis primicerii, & consilio vavassorum suorumque fidelium dare custodiam turris Marciani, & vicecomitatum, & castaldionatum, ut sit quasi secundus post eum in predicto castro ac curte jam dictus abbas ac sui successores; eorum autem, que more solito sub constituta quasi pensione ac redditu offerebantur episcopis sancti Donati in festo natalis Domini ac resurrectionis & sancti Donati, & eorum, que dantur a castaldionibus ingredientibus castaldionatum medietatem predictus abbas & sui successores sibi retinerent, alteram autem jam dicto B.. sine fraude ceterisque episcopis restituerent. Preterea obligavit se suosque successores jamdicto abati suisque successoribus, quod si aliqua questio moveretur vel de suprascriptis vel de superficie turris vel de ambitu illo, qui est circa turrim quasi quedam incastellatura, lignamine tamen casarum ejusdem incastellature excepto, ipse defendere predictum abatem suosque successores omni tempore ab omni persona, & promisit se de cetero non acturum, non molestaturum, non causaturum de predictis, nec dedisse, nec fecisse, nec facturum, se huic rei nocitura, & si adversus suprascripta fecisset, compositurum penam sexaginta librarum optimi argenti se suosque successores jamdicto abbati suisque successoribus, & post penam solutam hoc scriptum ac traditio, & feodalis concessio firma in perpetuum maneret, que hanc habuit originem. Superficiarius invaserat suprascriptam turrim, & post invasionem possessionem ejus, quam non legaliter recuperaverat, domno Bujano, ut suo presuli & comiti restituerat, benigne quidem vi nulla cogente. Visum est ergo utile predicto presuli, nec huic redderet, secundo scilicet invasori licet superficiario, nec primo invasori, utpote actori, secunde invasionis. Concessit ergo eam cuidam membro sue ecclesie & famulo sue ecclesie, habito consensu & auctoritate prioris invasoris, cui possessio de jure restituenda erat, Petri scilicet Rodulfi, qui testis fuit in hac concessione, licet predicti omnes nomine suprascripte [ecclesie possiderent,] cum & hic, qui nunc possidet, nomine ejusdem ecclesie sancti Donati possideat, quod & antecessor ejusdem abatis disposuerat cum antecessor predicti presulis utrique quidem sciente hoc utrique esse profuturum. Est igitur abbas in possessione concessa presuli a superficiario, & a presule concessa abati. Tutum ergo est in ea superficie adversus eos, qui non edificaverunt, adversus edificatores autem secundum predictam obligationem, & scilicet jus quod concessit sibi Petrus Rodulfi, qui fecit cessionem omnium actionum suarum predicto abbati adversus edificatores, eos quidem invasores, in quibus continetur restitutio possessionis, & amissio juris, & mulcta penarum Romano & Longobardo jure.

† Ego B.. Aritinus episc. sss.

† Ego Ingo vicedominus mmss.

† Ego presbyter Johannes sss.

Signa manuum Ingonis vicedomini, ac Munaldi filii Aldebrandini & Aldebrandini advocati, & Rodulfini de Talziano, & Petri Rodulfi, & Ardemanni de Partina, & Guidonis Gotifredi & .... rogatorum testium.

† EGO GUILIELMUS judex ac notarius SCRIPSI & COMPLEVI.

CCXXI.

CCXXI.

Refutatio facta monasterio Ss. Justi & Clementis prope Volaterras.

Anno 1130. mense junio.

Ex autographo penes V. Cl. Antonium Biscionium.

Ad lib. XXVII. n. 21.

IN Cristi nomine. Breve per securitatem & fucturis temporibus ad memoriam abenda vel retinenda, qualiter in loco ubi dicitur intus civitate Voloterense in presentia bonorum hominum, quorum nomina subter leguntur, venerunt Enrichus filius quondam Bruni cum filii sui, & Gottifridi, & Wido germani filii quondam Ughi, & Cunitio clerico filio quondam Terini, & Terinello filio quondam Donus Dei per pergamina, quam in suis manibus detinuerunt ita... u... refutaverunt tibi Deo & ecclesia & monasterio sancti Justi, & sancti Clementis sito loco prope mura de civitate Voloterense dui petii de integra terra, que est in Felliano, & est de fine botro de Cruce usque ad strada, & uno lato tenet in terra Rolandi filio quondam Tescini, & alio lato tenet in terra sancti Justi, & in terra Guiniti in ca. & dabaco; alia petia de terra & de fine botro de colle Bocciori usque ala strada; & tertia petia de terra, que est al poio Carboni, capo de supra tenet in strada, & alio capo tenet in fossato de Folliano, & uno lato tenet in terra sancte Marie, & alio lato tenet in terra ti... filii Pagani quondam Gerardi, & hoc quod abebant in Sprunalbo & Alafrico, & scepto una petia de terra, quod abebant filii Terini ad manus suas, & sicut currit fossato de Verrumchie usque ad poio presbyteri Dominichi ad suprascripta terra, quod omni parte sunt circumdata & designata locas, cum fundamentis & omnibus edificiis earum, & cum omnia quantum ad suprascripta terra est pertinentes modo, vel pertinentes esse invenitur, una cum inferioribus & superioribus suis, cum accessionibus & ingressoras earum, & cum omnia supra se & infra se abentes, sic itaque refutavimus & insuper spopondimus ipse Enrichus cum filii sui & suprascripti germani & Cunitio clerico & Terinello vel nostris heredibus adversus jamdicte ecclesie & monasterio ejusque rectores agere, aut causare sive molestare vel per placitum fatigare presumpserimus pro quolibet ingenio; vel si aparuerit ullum nostrum datum vel factum in alias partes & omni tenore non permanserimus taciti & contenti de suprascripta terra, que superius legitur, tunc spondimus nos qui supra Enricus cum filii sui & suprascripti germani, & Cunitio clerico & Terinello una cum nostris heredibus componimus tibi Deo & suprascripta ecclesia & monasterio ejusque rectores pena numerum argentum obtimum libras decem, & pro suprascripta refuttazione & sponsionem fecit meritum Wido filio quondam Teutie coronam unam prevalentes sol. sidicim ad suprascriptis ominibus, qui supra leguntur, in vice de suprascripte ecclesie & monasterii. Hoc factum est in presentia Bruni filio quondam Widi, & Viviani filio quondam Atitii, & Malagallie filio quondam Johanni, & Enricho filio quondam Brune, & Bruno filio quondam Granchieri, & alii plures. Anni Domini millesimo centesimo tricesimo rogatum est in mense junii indictione octava.

CCXXII.

Venditio facta monasterio S. Michaelis in Burgo Pisarum.

Anno 1130. III. augusti.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Ibidem.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno hab incarnatione ejus millesimo centesimo trigesimo primo, tertio nonas augusti indictione octava. Manifesti sumus nos Bernardus filius quondam Marignani, & Agentina jugalis filia Ughitionis, quia consentiente mihi suprascripto viro meo, ubi interesse videtur notitia Boni judicis sacri Lateranensis palatii, a quo secundum legem interogata & cognita sum nullam me pati violentiam, sed pura & integra mea bona voluntate secundum edicti paginam per hanc cartulam comuniter vendimus, & tradimus vobis domno Lodovico abbati monasterii beatissimi sancti Michaelis unam integram petiam de terra arabilis posita in loco, & finibus, ubi dicitur a la Leona, habet unum caput in fluvio Arno, & aliud caput in palude, latus unum in terra predicte ecclesie, & monasterii sancti Michaelis, & aliud latus in terra filiorum quondam Uberti. Hec predicta petia de terra &c. tibi eam vendimus & tradimus, pro qua a Bon-

a Bonfilio Pilato pro vestra persona, qui supra abbas, meritum recepimus anulum unum aureum per solidos duomilia denariorum Lucensium in prefinito. Quam nostram vendictionem, & traditionem *&c.* Actum Kintica infra ecclesia sancte Christine.

Signa manuum suprascriptorum jugalium, qui comuniter & consentientes hanc cartulam fieri rogaverunt.

Ego Bonus sacri Lateranensis palatii judex interfui, & ss.

Signa manuum Corbuli de Putignano quondam Henrigi, & Ughiccionis filii Lamberti, & Albertini filii quondam Guffredi, & predicti Bonfilii Pilati rogatorum testium.

Ego Rodulfus notarius apostolice sedis post tradita complevi & dedi.

CCXXIII.

Commutatio bonorum inter Henricum præpositum Arretinum & Azonem priorem Camalduli.

Anno 1130. VI. kl. octobris.

Ex autographo Fontis-boni. §. Permutatio. n. 18.

Ad lib. XXVII. n. 20.

IN Dei nomine anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo tricesimo residente papa Innocentio, & regnante rege Lothario sexto kalendas octobris indictione VIII. Quoniam rerum gestarum memoriam aboleri facile contingit tum temporis prolixitate & imbecillitate nature, tum desidia & incuria alicujus neglegentis & incuriosi hominis, idcirco ea, que acta sunt inter Azonem monachum Camaldulensem, & Henricum prepositum canonice sancti Donati, est visum esse utilius litteris denotare, quam solummodo memorie commendare. Et ideo ego Henricus prepositus & gubernator suprascripte Dei ecclesie, & canonice, cum non mea culpa res maxime & valde utiles suprascripte canonice fere omnes pignori sint posite, & quodamodo deperdite, nisi a creditoribus luerentur, cum res mobiles nulle superessent nobis, & immobilium nulle, que minus utiles essent, cum etiam quasdam utiliores nostre ecclesie & canonice in commutationem pro infrascriptis rebus recipere debemus, cum consensu & voluntate nostrorum fratrum disposuimus quamdam curtem nostram nomine Modiona & Corsignano & Sparena tradere & commutare ecclesie sancti Salvatoris site in heremo Camaldulensi. Quapropter manifestus sum ego Henricus prepositus, qualiter bona & propria voluntate do, trado atque jure commutationis concedo tibi donno Azoni monacho recipienti vice venerabilis Azonis prioris Camaldulensis & ecclesie sancti Salvatoris site in heremo Camaldulensi, idest integram curtem nostram nomine Modiona, & Corsignano, & Sparena, aut quicquid habemus & detinemus vel alius detinet pro suprascripta canonica, vel si non tenemus, jure tamen tenere debemus, sicut currit rivus Arclanus ab alpibus usque ad Arnum fluvium, & sicut ab introitu Arclani in Arnum, Arnus currit usque ad alpes per omnes alpes usque in Romaniam, sive in plano, sive in collibus, sive in montibus invenniatur. Excepta villa, que dicitur Angaruna, & excepto quod habemus in sancto Marco. Predictam itaque terram nostram cum omnibus accessionibus suis & cum omnibus, que super se & infra se habet cum casis, vineis, arboribus, & residentibus, cum pratis, aquis, paludibus, silvis, fontanis, aquarumque usibus, terram denique cultam & incultam, & jus omne, aut quicquid nobis in suprascriptis locis pertinere poterat jure vel titulo vel aliquo alio ingenio vel modo tibi suprascripto Azoni monacho recipienti vice domni Azonis prioris Camaldulensis & sancti Salvatoris siti in heremo Camaldulensi do, committo, atque jure commutationis pro utilitate nostre ecclesie perpetualiter concedo, & de nostro jure in vestrum jus transfero, & exinde vice supradicte Dei ecclesie & fratrum ibidem Deo servientium, te suprascriptum Azonem monachum ad proprium investio, & corporalem investitorem do Ugonem primicerium nostre ecclesie. Exinde autem excepimus in commutationem, que habemus in curte de Piscinale, & quicquid habemus in plebe sancti Stephani sita Classe, & alias quasdam res, quorum nomina longum est enarrare, quatenus ab odierna die suprascripta Dei ecclesia sancti Salvatoris & donnus Azo prior cum suis in predicto officio successoribus sine mea michique in prepositura & officio meo succedentibus molestia vel litis causatione. Quod si in aliquo exinde vos presumpserimus molestare, contendere, minuare, aut per placitum vel extra placitum fatigare per nos, vel submissam a nobis personam, aut in posterum submittendam, aut si ab omnibus ho-

hominibus non defensaverimus, auctorizaverimus, vvarentaverimus, aut si apparuerit datum factumve a nobis huic nostre commutationi nociturum, tunc obligo me & meos successores in officio, suprascripte Dei ecclesie sancti Salvatoris, & donno Azoni priori ejusdem loci & suis successoribus in predicto officio componere eas res in duplum, sicut tunc fuerint meliorate sub estimatione pretii, & insuper pene nomine argenti optimi libras centum, & post penam solutam valeat hec carta, & liceat vobis eam in judicio ostendere, & cum ea loco auctoris vestram causam agere & legitime definire. Unde hec carta commutationis fieri rogata est. Actum juxta civitatem Aretinam in ecclesia sancti Michaelis feliciter.

† Ego Bujanus Aretinus electus Aretine canonice previdens utilitatem confirmo, & subscribo, & refuto scutellas, & omne jus pro me, & meis successoribus.

Ego Ildebrandus archidiaconus atque canonicus ss.

† Ego Rainerius diaconus & canonicus ss.

Ego Majanus canonicus & presbiter ss.

Ego Homodei canonicus & diaconus ss.

Ego Henricus Aretinorum fratrum minister pro utilitate nostre ecclesie hanc cartam fieri rogavi & ss.

Ego Gressa ss.

Ego Dominicus presbiter & canonicus ss.

Ego Girardus presbyter canonicus ss.

Ego Johannes canonicus & presbiter ss.

Ego Gierardus presbiter & canonicus ss.

Ego Ugo canonicus & primicerius interfui & ss.

Ego Pepo canonicus & subdiaconus ss.

Ego Johannes canonicus ss.

††††† Signa manuum Pagani filii quondam Aritii, & Rigoli Johannis Fusci, & Lodomeri, & Bruneti filius quondam Gerardi, & Rigoli Paganelli rogatorum testium, & Ildebrandini de Falciano, & Ardimanni de sancto Paulo.

Ego Gerardinellus subdiaconus & canonicus ss.

Ego Rodolfus presbiter & canonicus ss.

Ego Vivianus judex & notarius scripsi & complevi.

Insuper comitisse dedimus libras quadraginta. Ugolino Palmole unum equum per quattuor libras. Drudolo viginti soldos, Rodulfino de Biblena viginti soldos.

CCXXIV.

Traditio turris de Arcionibus facta monasterio S. Gregorii de Urbe.

Anno 1131. 1. novembris.

Ex codice ejusdem monasterii. p. 232.

Ad lib. XXVII. n. 26.

IN nomine Domini. Anno Dominice incarnationis millesimo centesimo trigesimo primo, anno vero secundo pontificatus domni .... indictione decima mensis novembris die primo. Ego quidem Grisottus de Stefano Centii de Baruntio curator in hac re Stefanie sororis mee, dato ei a domino Nicolao archario judice sacri Lateranensis palatii una cum predicta Stefania, & cum Astallo viro suo, hac die nullo prohibente, nec contradicente, sed propria spontaneaque nostra voluntate vendimus & publice investientes corporaliter tradimus tibi domno Laurentio Dei gratia humili abbati venerabilis monasterii sanctorum Andree apostoli, & Gregorii apostolici, quod vocatur clivus Scauri, & per te predicto monasterio & tuis successoribus in perpetuum, idest sextam partem de turre de Arcionibus, cum sexta parte de domibus, edificiis, terris, vineis, vel si plus ei pertinet, tibi vendimus & nihil ibi nobis reservamus cum introitibus suis, & cum omnibus suis usibus & utilitatibus, & cum omnibus suis pertinentiis, positis via Albanensi in predicto loco, qui vocatur Arciones, sicut a suis finibus circumdantur, sicut predicte Stefanie pertinet per Falcidiam filii sui, que habuit ex predicta evicione vel aliquo quocumque modo, sic tibi & per te predicto monasterio sextam partem ipsius turris cum sexta parte de domibus & vineis, terris vendimus, & publice investientes tradimus, & nihil ibi reservamus pro decem libris denariorum Papiensium, novem nobis dedisti pro toto pretio, nobisque valde placentes, & viginti solidos pro animabus defunctorum predicte ecclesie donavimus, itaut ab hac hora licentiam & potestatem habeat in eam intrandi, tenendi &c. Quam cartulam scribendam rogavimus Nicolaum sancte Romane ecclesie scriniarium in mense & indictione suprascripta decima.

Signum ††† manuum dictorum Grisocti, Stefanie & Astaldi viri rogatorum cartule hujus.

Raynerius de Benedicto Bonadie testis.

Cintius frater ejus testis.
Rusticus Leonis de Berta testis.
Johannes de Raynerio testis.
Romanus naturalis filius domini Astaldi testis.
Millo filius Rufini testis.
Nicolaus Johannis de Castello testis.
Ego Nicolaus scriniarius sancte Romane ecclesie complevi & absolvi.

CCXXV.

Bujanus episcopus Arretinus confirmat eremo Camaldulensi privilegia suorum antecessorum.

Anno 1132. v. kl. junii.

Ex autographo Fontis-boni. §. Privilegia. n. 24.

Ad lib. XXVII. n. 28.

CReator *&c. ut in illa Mauri infra.* Quocirca ego Bujanus Dei gratia Arretinus episcopus ac comes tibi domno Azoni Camaldulensis ecclesie archimandrite tibique successuris in posterum affectu pietatis considerans, quid per te rebusque tibi commissis faciat, quid obsistat, dispono disponendo, confirmo confirmando, per tabellionem conscribo me illam de cetero vobis exhibiturum cautelam, quam pater filiis carissimis pietatis inpartitur affectu, ut que vobis solatiantur, vel adversantur, michi quoque credam profutura vel nocitura, & ejusdem fortune eventu me quoque sublimari vel deprimi. Ideoque quod meorum antecessorum, scilicet Teodaldi episcopi, item Constantini, Gualterii, ac Guidonis contullere rescripta a me visa & ante me perlecta celebri dispositione confirmo. Ut que nunc habetis ac tenetis, vel si non tenetis, jure tenere debetis, vel de hinc Deo propitio adquiretis, vobis ac vestris successoribus inconcussa perseverent, nulla alicujus persone temeritate violata, sed a me meisque successoribus inviolabiliter custodita sub pene interminatione anime corporisque dispendio & perpetui anathematis periculo, sive sit donatio, que ex alicujus liberalitate vestra lucratur ecclesia, vel quevis alienatio, vel alicujus rei respectu pietatis translata concessio. Preterea pro remedio anime mee ac meorum successorum meorumque parentum concedo, confirmo vobis quicquid habeo ac teneo, aut aliquis nomine meo detinet in loco in manso, qui dicitur de Cecini. Item integras letanias de plebe de Miciano, que est prope castrum, quod dicitur Angulare. Insuper etiam omnibus menbris vestris vobis in Christo subpositis eamdem affectionem, eamdemque cautelam observare polliceor, ita tamen si per vos non steterit emendatio, post inquisitionem a me vel meis successoribus factam, si nobis aliquatenus offenderint. Ut igitur hec, que supra confirmata ac concessa sunt, nulla presumptionis temeritate violentur, inhibemus omnibus ex parte Dei omnipotentis ac beati Donati martyris & nostra, sub honere etiam banni episcopalis, ut nullus clericus, nullusque laicus predictis nostris confirmationibus vel concessionibus audeant obviare, vel disvestituram aut violentiam aliquam inferre, minuendo, molestando, inquietando, hujus etiam nostri privilegii paginam sancti Donati effigiem presentis sigilli impressione roborando signari jussimus, manu propria subscribendo confirmavi.

† Ego Bujanus Dei gratia episcopus & comes omnia supradicta confirmo vobis devotus in omnibus.

Ego Ugo primicerius ss. atque confirmo.

Ego Rainerius Aretine ecclesie archidiaconus ss. & confirmo.

Ego Johannes presbyter & canonicus ss.

Ego Dominicus presbyter & canonicus ss.

Ego Henrigus Aretine ecclesie prepositus ss. & confirmo.

Data juxta ecclesiam beati Michaelis in suburbio Aritine civitatis millesimo C. tricesimo secundo, sedente papa Innocentio mense madio v. kalendas junii, indictione x. sub presentia horum testium, Tribaldi filii Ubertini, & Alberti filii Guilielmi Saxonis, & Paganelli de Orsale, ac Rigetti Panzonis de Capannole, & Rolandini Pagani, & Pagani Aritii Furconis, & Rigonis filii Johannis, & Bosetti Ugonis, & Gregorii filii Pagani, ac Lodomoni, & Ordelaffi filiorum Aldebrandini. Actum est in presentia domni Rolandi & domni Azonis.

† Ego Saracenus judex huic officio ab imperatore delegatus prescriptis confirmationibus & concessionibus interfui & ss.

Signa manuum Vicedomini & Aldebrandini advocati rogatorum testium.

† Ego Guilielmus notarius ad jussum predicti episcopi scripsi.

Deperditum est sigillum.

CCXXVI.

CCXXVI.

Benedictus prior Fontis-avellanæ commutat ecclesias cum Bernardo abbate S. Geruntii.

Anno 1132. mense julio.

Ex annalibus Calliensibus Francisci Brichi.

Ad lib. XXVII. n. 29.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Amen. Ab incarnatione ejusdem anno M. C. XXXII. die .... mensis julii indictione quartadecima. Clausula cambiationis, quam facio ego domnus Benedictus prior & rector sancte Crucis cum consensu monachorum ipsius ecclesie tibi sancto Gerontio, & domno Bernardo abbati ejusdem monasterii, & vestris successoribus in perpetuum, tantum de re sancte ipsius Crucis, que est posita in comitatu Callense, in loco qui dicitur sanctus Nicolaus de Busso cum aliis ecclesiis, que vocantur sanctus Sebastianus, & sanctus Leo, & sanctus Vitalis, atque sanctus Petrus cum ipsis libris & calice, ac cum paramentis tantumodo sancti Nicolai, & cum alio ornamento dicte ecclesie cum terra & vinea, quantum ad dictam ecclesiam pertinent. A primo latere est flumen Buxi pergens usque ad Candilianum, a secundo ipso Candigliano surgente usque ad summitatem montis, a tertio mons Lironi ac Pasie, ac arcis montis Petrani pergente a primo, secundum infra istos fines. Habeatis omnia, que infra se, & supra se videbitur habere mobiliter & immobiliter cum usu & decreto, & cum decimis & primitiis, & rebus mortuorum ac vivorum, & aquis, aquivolis, molendinis cum omnibus, sicut supra legitur, habendum, tenendum, & quicquid vobis placuerit facere in perpetuum; quia nobis dedistis cambium, sicut jure nos convenimus; unde habeatis licentiam supradictam rem ibidem ire, introire, & ingredi cum vestris successoribus in perpetuum, spondemus nos & rectores sancte ✠ per nos & per nostros successores in perpetuum dictam rem defendere & guardare contra omnes personas, & si non fecerimus & non observaverimus, vel contra clausulam ire tentare voluerimus, vindemus nos & rectores sancte ✠ vobis, & rectoribus sancti Gerontii nomine pene tantam rem duplicatam, & postea firma permaneat in perpetuum.

Signo manuum domni Gerardi monachi dicte ecclesie sancte Crucis parabolam dantem.

Ego Benedictus prior consensi & subscripsi.

Ego Leo sacrista consensi.

Ego Johannes plaga consensi.

Ego domnus Gerardus & domnus Urso & domnus Fidorius Urbin... consensimus

Episcopus Quinicus.

Presbiter Martinus filius Felicis huic actui fuerunt testes.

Ego Johannes notarius scripsi.

CCXXVII.

Bulla Innocentii II. papæ pro monasterio Morronensi.

Anno 1133. x. kl. Februarii.

Ex authentico episcopatus Volaterrarum.

Ibidem.

INnocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Gerardo abbati monasterii sancte Marie de Morrona ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Religiosi viri quanto familiarius omnipotenti Deo adherere noscuntur, tanto studiosius paterne sunt affectionis intuitu confovendi. Ea propter dilecte in Domino fili Gerarde abbas tuis rationabilibus postulationibus clementer annuimus, & beate Marie monasterium, cui Deo auctore preesse dinosceris, cum suis omnibus pertinentiis sub apostolice sedis tutelam & protectionem suscipimus, & beati Petri ad quem specialiter pertinet, patrocinio duximus muniendum. Statuimus enim, ut quecumque predia, quecumque possessiones, seu bona a nobilis memorie Uvicione comite & filiis ejus Uvolino, Rainerio, Lotherio, & Bolgarino, aut aliis catholicis viris vestro monasterio sunt juste concessa, tibi tuisque successoribus in perpetuum firma & illibata manere sancimus. In quibus hec propriis nominibus annotanda subjunximus. Castellum videlicet de Vivario cum paritario & aliis pertinentiis ejus; possessiones de Morrona, possessiones de castello de Sojana, de Negotiana, de Rivoalto, de Massa, de Montegemule. Quecumque preterea bona prefatum cenobium in presentiarum juste & legitime possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, vobis presentis scripti pagina con-

confirmamus. Decernimus ergo ut nulli epiſcopo, nulli omnino hominum liceat prefatum cenobium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum gubernatione & ſubſtentatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura. Si qua in poſterum eccleſiaſtica ſecularisve perſona hanc noſtre conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire temptaverit &c. Cunctis autem &c.

Ego Innocentius catholice eccleſie epiſcopus ss.

Adiuva nos †	*Deus*
SCS PETRUS	SCS PAULUS
INNO PP.	CENTIUS IJ.
ſalutaris	*noſter.*

† Ego Guilielmus Preneſtinus epiſcopus ss.

† Ego Johannes Oſtienſis epiſcopus ss.

† Ego Anſelmus presbyter card. tit. S. Laurentii in Lucina ss.

† Ego Lucas presb. card. tit. ſanctorum Johannis & Pauli ss.

† Ego Martinus presb. card. tit. ſancti Stephani in Celio monte ss.

† Ego Oddo diac. card. ſanctorum Coſme & Damiani ss.

Datum Piſis per manum Aimerici S. R. E. diaconi cardinalis & cancellarii x. kl. februarii indictione XI. incarnationis Dominice anno M.C.XXXIIII. pontificatus vero domini Innocentii pape II. anno III.

† Ego Marcheſius ſacri Lateranenſis palatii . . . publicus judex authenticum . . . vidi & legi & ss.

† Ego Albertus notarius apoſtolice ſedis authenticum illud vidi & legi & ss.

† Ego Ugo notarius apoſtolice ſedis authenticum illud vidi, & legi & ss.

CCXXVIII.

Venditio terrarum facta abbati S. Michaelis Piſarum ab abbate Verrucenſe.

Anno 1134. III. kl. februarii.

Ex archivo ejuſdem monaſterii S. Michaelis.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus milleſimo centeſimo trigeſimo quarto tertio kalendas februarii indictione duodecima. Manifeſtus ſum ego donnus Bernardus Verrucenſis abbas monaſtrii ſancti Angeli de Verruca, quia communicato conſilio, & pura abita concordia, per hanc cartulam vendo & trado vobis venerabili abbati Lodoico monaſterii ſancti Michaelis de Piſa unam integram petiolam de terra arabilis poſita in loco & finibus Mezzana. Habet unum caput cum uno latere in terra tui monaſterii, qui ſupra Lodoice, & aliud caput in terra ſancte Marie, & aliud latus in via publica, & eſt per menſuram ad juſtam ſeminaturam ſiſtariorum unum. Hec predicta petia de terra &c. Quam meam venditionem, & traductionem, ſi ego qui ſupra, Bernardus abbas, vel mei ſucceſſores vobis, qui ſupra, donno Lodoico Abbati, vel veſtris ſucceſſoribus &c. Actum aput monaſterium ſancti Nicolai in Piſa.

Ad lib. XXVII. n. 38.

† Signum manus donni Bernardi Verrucenſis abbatis, qui hanc cartulam fieri rogavit.

Signa manuum Guilielmi Familiati, & Rainerii quondam Montemagni, & Baldiccionis quondam Gerardi, & Bonfilii Pilati teſtium.

Ego frater Benedictus in hac cartula ſubſcripſi.

Ego Rodolfus notarius apoſtolice ſedis poſt traditam complevi & dedi.

CCXXIX.

Imilia comitiſſa & Guido comes fundant monaſterium ſanctimonialium prope Poplenam.

Anno 1134. IIII. kal. maji.

Ex archivo S. Jo. Prati-veteris. n. 1.

IN Dei nomine. In preſentia bonorum hominum ſcilicet Guidi filii Uber.

Ad lib. XXVII. n. 34.

bertini & Ugolini Palmole & Ardemanni & Uberti Soderini juriſdici, & Viviani judicis & aliorum quamplurium, quorum nomina longum eſt enarrare. Comitiſſa Imillia & Guido comes filius ejus rogaverunt venerabilem patrem donnum Azonem Camaldulenſem priorem, ut conſtitueret & ordinaret monaſterium monacharum in eccleſia ſancte Marie ſite Poplena. Qui conſenſu fratrum & communicato conſilio, pro amore Dei & predicte comitiſſe & filii ejus annuit petitioni eorum, itaut in predicta eccleſia nulla eligatur aut ſit abbatiſſa ſine conſenſu & permiſſione ſua predicti patris & ſuorum ſucceſſorum catholicorum in officio prioratus. Item nulla perſona recipietur in predicta eccleſia ordinate ſine conceſſione ſupraſcripta. Item quecumque abbatiſſa eſſet, non debet alienare proprietatem earum rerum, que ſunt predicte eccleſie, aut in antea erunt, nec in feodum dare, nec conceſſionem facere, unde aliquid dampni patiatur eccleſia. Hec omnia non debent ſine conſenſu & permiſſione jamdicti patris prioris Camaldulenſis & ſucceſſorum ſuorum in predicto officio. Quod ſi aliqua abbatiſſa vel aliqua perſona contra ſupradicta facere temptaverit, & ea que ſupraſcripta ſunt, non obſervaverit, tunc quamcumque vindictam predictus pater voluerit exercere contra tranſgreſſores, ſit licitum & ſuis catholicis ſucceſſoribus in officio; ita tamen ut puellare non deſtruatur, ſed ſecundum Dei voluntatem regulariter ſubjecte & obedientes permaneant tam ſupraſcripto priori Camaldulenſi, quam ſuis ſucceſſoribus in perpetuum. Ut autem hec omnia ita fiant, predicta comitiſſa & filius ejus promiſerunt ſeſe & ſuos heredes adjuturos ſecundum voluntatem priorum Camaldulenſium, qui pro tempore erunt. Quod ſi ita non facerent, obligaverunt ſeſe comitiſſa & filius & ſuos heredes componere nomine pene ſupraſcripto priori Camaldulenſi & omnibus ſucceſſoribus ſuis in predicto officio argenti libras centum. Et ut hec habeantur in memoria & firmius tenerentur, rogaverunt Vivianum judicem, ut hec omnia ſcriberet & denotaret.

Actum anno milleſimo centeſimo trigeſimo quarto IIII. kalendas madii indictione duodecima regnante Lothario & reſidente Innocentio papa, in loco, qui dicitur Poplena, juxta eccleſiam ſancte Marie feliciter.

† Ego Vivianus judex hec omnia ſcripſi & denotavi.

Ad lib. XXVII. n. 38.

Ad lib. XXVII. n. 34.

CCXXX.

Bulla Innocentii II. pro monaſterio Sextenſi.

Anno 1134. v. idus junii.

Ex authentico SS. Bartholomæi & Pontiani de Luca.

Innocentius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Henrico abbati ſancti Benedicti ſupra Padum ejuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum. Et temporis neceſſitas nos urget, & inminutio exigit perſonarum, ut ſi quando religioſa quondam monaſteria a ſue religionis nitore defecerint, ei manus auxilii porrigamus, & ad eorum reparationem cooperante Domino totis viribus intendamus. Sextenſe ſiquidem monaſterium, quod ſpetialiter beati Petri juris exiſtit, in vera religione & poſſeſſionum temporalium abundantia priſcis temporibus floruiſſe cognoſcitur. Set quia habundante iniquitate multorum caritas refriguit, & hominum malitia inolevit, locus ipſe tam in temporalibus quam in ſpiritualibus, quod dicere ſine dolore non poſſumus, plurimum eſt attritus. Unde nos, qui loco ejuſdem apoſtolorum principis reſidentes eccleſiarum omnium & earum precipue, que ad jus ſancte Romane eccleſie pertinent, attentam debemus ſollicitudinem gerere, cum fratribus noſtris ſollicite pertractavimus, atque poſt diutinas diſcuſſiones tandem eccleſiaſtice utilitatis ſeu diſpenſationis cauſa id noſtro ſedit arbitrio, ut videlicet tibi dilecte in Domino fili Henrice abbas tuiſque ſucceſſoribus idem monaſterium committere debeamus. Per preſentis itaque privilegii paginam apoſtolica auctoritate ſtatuimus ejuſdem Sextenſis monaſterii magiſterium de cetero habeatis, & ad ejus reparationem ſollicite intendatis. Quatenus ibidem religione veſtro ſtudio reformata, & ea, que in eodem loco corrigenda fuerint, veſtra induſtria corrigantur, & abbas, qui pro tempore inibi ſtatuendus fuerit, veſtra proviſione atque conſilio eligatur. Sane de novitiis ejuſdem monaſterii hoc ſtatuimus, ut ſi tibi vel tuis ſucceſſoribus utile viſum fuerit & religioni congruum, iidem novitii ab abbate Sextenſi infra annum ad beati Benedicti monaſterium tranſmittantur, & vice ipſorum de eodem clauſtro alii aſ-

Ad lib. XXVII. n. 19.

ſuman-

sumantur. Nulli ergo hominum fas sit super hac nostra concessione vos temere perturbare, aut prefatum cenobium a vestro magisterio & correctione subtrahere. Sed tam abbas quam fratres ejusdem loci futuris temporibus vestre discipline subjecti & obedientes existant. Salva nimirum beati Petri proprietate, & apostolice sedis debita reverentia. Ad inditium autem, quod eadem ecclesia apostolice sedis juris existat, tres Bizantios nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Si quis autem adversus hanc nostram constitutionem temerario ausu venire temptaverit, indignationem beatorum apostolorum Petri & Pauli se noverit incursurum. Conservantes autem eorumdem Apostolorum gratiam consequantur. Amen. Amen. Amen.

Adjuva	† *nos Deus*
SCS PETRUS	SCS PAULUS
INNO PP.	CENTIUS II.
salutaris	*noster.*

Ego Innocentius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Guilielmus Prenestinus episcopus ss.

† Ego Mattheus Albanensis episcopus ss.

† Ego Hubertus Pisane ecclesie archiepiscopus ss.

† Ego Anselmus presb. card. tit. sancti Laurentii in Lucina ss.

† Ego Lictifredus presb. card. tit. Vestine ss.

† Ego Martinus presb. card. tit. sancti Stephani in Celio monte ss.

† Ego Guido indignus sacerdos ss.

† Ego Romanus diaconus card. sancte Marie in Porticu ss.

† Ego Oddo diac. card. sancti Georgii ad velum aureum ss.

† Ego Guido card. diaconus sancti Adriani ss.

† Ego Lucas presb. card. tit. sanctorum Johannis & Pauli ss.

Datum Pisis per manum Aimerici sancte Romane ecclesie diaconi cardinalis & cancellarii v. idus junii indictione XII. incarnationis Dominice anno. M. C. XXXV. pontificatus domni Innocentii pp. II. anno v.

Ego Vido Henrici Pepe imperialis aule judex & notarius authenticum illud, unde hoc sumptum est exemplum, cum sigillo domni Innocentii pp. II. vidi, legi & fideliter exemplavi.

Ego Bonotius sacri palatii notarius de Gunzaga authenticum illud bullatum sigillo domni Innocentii pp. II. unde hoc sumptum est exemplum, vidi legi & ideo hic ss.

Ego Agnellus sacri palatii not. de loco Gunzage &c.

Ego Arloctus sacri palatii not. de Gunzaga &c.

CCXXXI.

Fulco marchio Estensis liberat quædam bona ecclesiæ S. Salvatoris de Fracta.

Anno 1134. VIII. kl. augusti.

Ex autographo Padolironensi apud Muratorium Antich. Estensi. P. I. p. 320.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo trigesimo quarto octavo kal. augusti indictione duodecima. Breve recordationis ad memoriam retinendam pro futuris temporibus de feudo Azonis filii Ubaldi, quam Fulco marchio dedit pro allodio ad ecclesiam sancti Salvatoris, qui habetur ex parte Frate ibi circa ipsam ecclesiam, factum est; hoc accepto cambio, prefatus Azo refutavit in manibus Dominici judicis, nec non in manibus Rodulfi de Lendenaria in vicem marchionis in presentia bonorum hominum, qui ibi aderant, nomina quorum hec sunt: Justus presbiter, & Albertus atque Vinizo de Riciis, Richerius de Merlaria, Vuarno de Urbana, Albertus comitis, & Luizo & alii quam plures; postea vero refutavit idem Azo cum hoc breve super altare in presentia fratrum dicte ecclesie eo modo, quod amplius nec per se, nec per suos debet se intromittere, & si forte contigerit (quod absit) quod ibi aliquid imponere eis voluerit, vel aliquam in eos opprimere tentaverit, centum libras denariorum Veronensium in camera marchionis persolvat, & terram penitus perdat, & quod gravius sibi fuerit, omnes ille maledictiones, que leguntur, in se & in suos veniant, & si firmum & ratum tenere voluerit, Salvator mundi, cujus tempora sunt, custodiat corda & corpora eorum in caritate Dei & patientia Christi. Inter

Ad lib. XXVIII. n. 39.

Inter etiam hoc facto placuit ex utraque parte, quod dominus Azo suscepto cambio, quem a marchione accepit, dedit statim ecclesie sancti Salvatoris eo pacto, eaque conditione, quod per unumquemque annum in assumptione sancte Marie debent esse, qui nunc adsunt clerici vel alii, qui post eos venturi sunt domino Azoni .... & si quis super istum factum aliquod imponere voluerit, vel infringere tentaverit, terram hanc perdat, & sancti Salvatoris maledictiones insuper habeat.

Ego Isnardus notarius sacri palatii ex authentico vidi, legi, & omnia, que continebantur in ea, complevi preter litteras minusculas.

CCXXXII.

Bujanus episcopus Arretinus confirmat hospitium de Arcena eremo Camaldulensi.

Anno 1134. mense septembri.

Ex autographo Fontis-boni. §. Donatio n. 295.

Ad lib. XXVII. n. 37.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ab incarnatione ejus centesimo tricesimo quarto post mille mense setembris indictione XII. feliciter. Manifestus sum ego Bujanus Aretinus episcopus, quia per hanc cartam nostre convenientie pro amore Dei & remedio anime mee dare & confirmare providi in ecclesia & oratorio Salvatoris mundi sito in Campo amabili, ubi modo domnus Azo prior Deo servire videtur, integre, quod Albertinus filius quondam Aritii habuit & tenuit, vel aliquis per eum pro hospitio de Arcena, hoc est ospitium cum omnibus rebus ad eum pertinentibus ubicumque inveniuntur. Concedo itaque ipsas terras & res suprascripte sancte Dei ecclesie, ut a presente die habeat & teneat & firmiter possideat, & faciant exinde rectores, qui modo sunt ejusdem sancte ecclesie aut in antea erunt, quicquid facere voluerint sine omni mea suprascripti Bujani aut meorum successorum contradictione, & per nostram plenissimam largitatem, ut quod a vobis exinde factum fuerit, firmum & stabile permaneat semper. Quod si in aliquo exinde prefatam Dei ecclesiam molestare presumserimus, contendere aut intentionare per placitum vel extra placitum fatigare, vel aliquem usum aut jus requirere per nos vel per aliquam personam a nobis submissam vel submittendam, vel si ab omni persona hominum jure non defenderimus, tunc duplas tantas & tales res, quales tunc ipse fuerint, eidem ecclesie restituere & persolvere debeamus, & insuper penam viginti librarum. Unde hoc scriptum scribere rogavimus.

Actum Biblina feliciter.

Signum manuum Vicedomini, & Remaldi de Montoti & Isimbardi filii bone memorie Pagani, & Weriscii de Gressa, & Ubaldi Ugonis & Bernardi Ubertini rogatorum testium.

Ego Ugo judex & notarius scripsi & complevi.

CCXXXIII.

Venditio castrorum facta Uberto archiepiscopo Pisano a Gerardo abbate Morronense.

Anno 1135. IIII. kl. aprilis.

Ex Muratorii antiquit. medii ævi T. III. c. 1153.

Ad lib. XXVII. n. 41.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnationis ejus millesimo centesimo trigesimo sexto IIII. kalendas aprilis indictione tertiadecima. Manifestus sum ego Gerardus in Dei nomine humilis abbas ecclesie monasterii sancte Marie de Morrona, quia gravati & coacti onere debiti suprascripti nostri monasterii, cum non habuerimus alias res nobiles, de quibus ipsum debitum solvere possemus, ideo communi consilio fratrum pro jamdicto debito solvendo & utilitate majoris commodi, quasi loco commutationis per hanc chartam vendimus & tradimus vobis donno Uberto venerabili archiepiscopo Pisane ecclesie medietatem integram de tribus partibus de podio & castello & districto & curte de Acqui, quod Vivajo vocatur; & de podio, & castello, & curte & districto de Morrona; exceptis & antepositis illis terris & acquisitis, que prefato nostro monasterio pertinebant ante illam dationem Ugonis comitis, vel datum quod ipse in eodem monasterio fecit. Predictam medietatem integram de tribus partibus de utrisque prenominatis podiis & castellis, videlicet Morrona & Vivajo & eorum curtibus & districtis, exceptis illis acquisitis, que superius exceptavimus, qualiter ab omni parte per capita & latera, & per

per mensura ipse terre inveniri possunt, cum inferioribus & superioribus suis, seu cum finibus & accessionibus & ingressibus earum, & actionibus & jure in integrum vobis, ut dictum est, vendimus & traditione recepimus a vobis pretium quingentorum solidorum in prefinito. Quam nostram venditionem & traditionem si ego, qui supra Gerardus abbas vel mei successores, sive aliqua nostra summissa persona, cui nos dedissemus, aut dederimus, vobis, qui supra, donno Uberto venerabili archiepiscopo vel vestris successoribus retollere vel minuere quesierimus per quodlibet ingenium, & si eam vobis ab omni homine defendere non potuerimus & non defensaverimus, spondeo ego, qui supra, Gerardus abbas, una cum meis successoribus componere vobis, qui supra, donno Uberto venerabili archiepiscopo vestrisque successoribus ad partem & proprietatem vestre Pisane ecclesie istam nostram venditionem & traditionem in duplum inferquido loco sub extimatione, qualis tunc fuerit, insuper penam argenti optimi librarum centum, quia in tali ordine hanc cartam Falconem judicem & notarium sacri palatii scribere rogavimus.

Actum aput canonicam & majorem ecclesiam archiepiscopatus sancte Marie.

Ego Gerardus abbas ecclesie sancte Marie de Morrona subscripsi.

Signa †††††† manuum Lanfranchi quondam Gerardi, Petri Albithonis, Herithi quondam Herithi, Bernardus Lamberti, Scotti filii Bernardi quondam Rothi, Malagalie quondam Germundi, qui interfuerunt rogati testes.

Ego Falco judex & notarius sacri palatii post traditam complevi & dedi.

CCXXXIV.

Promissio Petri prioris S. Martini in Podio Johanni abbati Ss. Laurentii & Hippolyti Faventiæ pro fundo ecclesiæ Filiulæ.

Anno 1135. xv. maii.

Ex tabulario ejusdem abbatiæ. n. 87.

Ad lib. XXVII. n. 42.

SUb anno Domini M. c. xxxv. die quintodecimo mensis maii indictione terciadecima promisit Petrus prior ecclesie sancti Martini in Podio Johanni abbati monasterii sanctorum Laurentii & Ypoliti accipienti pro se & pro cuncto collegio suo ejusque successoribus prefati monasterii propter terram illam, quam supradictus prior jure enfiteutico receperat a suprascripto monasterio in Filiula, & de cuncto alio tenemento suprascripti fundi Filiule, & nominatim de ecclesia ejusdem fundi prefati, numquam amplius aliquam bricam facient supradictus prior & ejus successores supradicte ecclesie sancti Martini, videlicet prememorato abbati suisque successoribus cum clerico scilicet aut cum laico, & nullum conquisitum exinde facient sine consensu abbatis prefati monasterii, aut sine consensu communi majoris partis monachorum prefati monasterii, & ita prout superius legitur, se suosque successores observaturos fore promisit prememorato monasterio sub pena medie libre auri, & maneat hec promissionis pagina firma; manu Petri Faventioi tabellarii scripta rogatu suprascripti prioris. Interfuere testes huic promissioni Albertus judex, & Bonus, Johannes, Pelicianus.

CCXXXV.

Bulla Innocentii II. papæ pro abbatia Balneensi.

Anno 1136. III. id. januarii.

Ex autographo ejusdem abbatiæ.

Ad lib. XXVIII. n. 4.

INnocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Johanni archipresbytero & canonicis Balnensibus tam presentibus quam futuris in perpetuum. Officii nostri nos hortatur auctoritas pro ecclesiarum statu satagere, atque earum quieti & utilitati auxiliante Domino salubriter providere. Dudum siquidem dilecte in Domino fili Johannes archipresbiter apud nos sepe numero questus es pro injuriis & pressuris, quas Balnensi ecclesie tibi commisse irrogari dicebas. Inter cetera vero, que de eisdem gravaminibus nobis exposuisti, adversus Triviensem abbatem graviter questus es, asserens, quod duodecim capellas cum decimis, oblationibus tam vivorum quam mortuorum, & reliquo parochiali jure ecclesie Balnensi violenter auferret. Quamobrem nuncium nostrum ad partes vestras direximus, qui & negotium ipsum diligenter inquireret, & tam te quam predictum abbatem primis kalendis Maji ad agendam causam sufficienter ante nostram presentiam evocaret. Quo nimirum termino utraque parte nostro conspe-

pectui presentata prefatus abbas quoddam scriptum sub nomine predecessoris nostri pape Paschalis in argumentum cause sue in medium protulit. Quod diligentius intuentes suspectum atque fallatum subtiliter deprehendimus, eo quod quedam rasure inibi invente & alia pro aliis mutatis descripta nominibus; cum luce clarius constet tam auctoritatibus sanctorum canonum, quam etiam generali ecclesie consuetudine capellas quasque suis debere plebibus subjacere, eisque de decimis & aliis ad jus parochiale pertinentibus respondere. Cum manifestum sit eamdem plebem in massa beati Petri apostolorum principis sitam esse, & sub ipsius dominio proprietario jure consistere. Auditis igitur utriusque partis allegationibus, visum nobis est & fratribus nostris super eadem lite diffinitivam ferre sententiam. Ceterum abbas &c. *ut in bulla Adriani IV. Data Narniæ* 1156. *id. aug.* Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat Balnensem super his ecclesiam infestare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet eam molestiis fatigare, sed omnia ei cum integritate serventur vestris usibus profutura. Prohibemus insuper, ut nulli ecclesiastice secularive persone fas sit in predictis capellis, que infra Balnense territorium site sunt, decimas vel oblationes aut reliqua, que ad matricis Balnensis ecclesie dispositiones vel proprietates pertinent, absque ejusdem plebis concessione recipere vel habere. Si quis autem huic nostre constitutioni sciens obviare temptaverit, secundo tertiove commonitus, nisi presumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui periculum patiatur, & a sacratissimo corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi *&c.*

Adjuva nos	*Deus*
SCS	SCS
PETRUS	PAULUS
INNO	GENTIUS
PP.	II.
Salutaris	*noster.*

BENE VALETE

Ego Innocentius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Willelmus Prenestin. episcopus ss.

† Ego Theodevvinus sancte Ruffine episcopus ss.

† Ego Drogo Hostiensis episcopus ss.

† Ego Albertus Albanensis episcopus ss.

† Ego Albericus Bituricensis archiepiscopus ss.

† Ego Umbertus Bisuntinus archiepiscopus ss.

† Ego Rotbertus Erfordensis episcopus ss.

† Ego Milo Lervannensis episcopus ss.

† Ego Ugo Gratianopolitanus episcopus ss.

† Ego Guillelmus Aurasicensis episcopus ss.

† Ego Wido Lausannensis episcopus ss.

† Ego Paganus Nolanus episcopus ss.

† Anselmus presb. card. ss.

† Ego Litifredus presb. card. tit. Vestine ss.

† Ego Lucas presb. card. tit. sanctorum Joh. & Pauli ss.

† Ego Martinus presb. card. tit. sancti Stephani ss.

† Ego Wido indignus sacerdos ss.

† Ego GG. presb. card. tit. sancte Prisce ss.

† Ego Guido presb. card. tit. S. Chrysogoni ss.

† Ego Gregorius diac. sanctorum Sergii & Bacchi ss.

† Ego Guido diac. card. sancti Adriani ss.

† Ego Boetius diac. card. sanctorum Viti & Modesti ss.

† Ego Grisogonus diac. card. sancte Marie in Porticu.

Datum Pisis per manum Aimerici S. R. E. diac. card. & cancell. III. idus januarii indictione XIIII. incarnationis Dominice anno M. C. XXXVI. pontificatus vero domni Innocentii Pp. II. anno VII.

CCXXXVI.

Altera bulla Innocentii II. pro Camaldulensi congregatione.

Anno 1136. x. kl. maii.

x authentico S. Blasii de Fabriano.

INnocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Azoni priori Camaldulensi ejusque fratribus tam presentibus quam futuris in perpetuum. Incomprehensibilis & ineffabilis divine miseratio potestatis, nos hac providentie ratione in apostolice sedis administratione constituit, ut paternam de omnibus ecclesiis sollicitudinem gerere studeamus. Siquidem sancta Romana ecclesia, que

Ad lib. XXVIII. n. 1.

que a Deo sibi concessum omnium ecclesiarum retinet principatum, tamquam diligens & pia mater singulis debet ecclesiis instanti vigilantia providere. Condecet igitur, ut ecclesie & venerabilia loca, presertim que in vere religionis habitu omnipotenti domino famulari noscuntur, spetialioris prerogative sortiantur honorem, & apostolice auctoritatis munimine roborentur. Predecessoris itaque nostri beate memorie pape Honorii vestigiis inherentes & vestris dilecti in domino filii petitionibus annuentes, presenti decreto statuimus, ut Camaldulensis heremus perpetuis futuris temporibus in sui status & religionis vigore consistat, & ordo monastice observantie in tota vestra congregatione statutus nullius persone insolentia & superstitione aliqua permutetur. Hoc etiam adjicientes, ut nemini fratrum vestre congregationis post factam monasticam professionem absque prioris & rationabili fratrum licentia sit egrediendi facultas. Si vero exire presumpserit, & secundo tertiove commonitus redire contempserit, quousque congrue satisfecerit, ipsum excommunicationis sententie subjugamus. Prohibemus insuper, ne in ecclesiis, que a vestre congregationis fratribus gubernantur, a nullo episcoporum absque canonica examinatione, divinum interdicatur officium. Preterea in communi civitatis seu parochie interdicto, clausis januis & non admissis diocesanis, ecclesiarum vestrarum monachi nequaquam prohibeantur divina officia celebrare. Quicumque vero pro obsequio servorum Dei in heremo Camaldulensi degentium ad aliquas partes perrexerint, tam in eundo quam in redeundo, seu etiam in stando a nullo penitus molestentur. Porro quecumque bona, quascumque possessiones impresentiarum juste atque canonice possidetis, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis prestante domino poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus in eadem religione permanentibus in perpetuum & illibata permaneant. In quibus hec propriis nominibus adnotanda subiunximus; ecclesiam videlicet sancti Donati, que Fons-bonus dicitur, cum hospitali & omnibus suis bonis; monasterium sancte Marie in Poplena; monasterium sancte Petri in Luco; monasterium sancti Salvatoris secus civitatem Florentiam; monasterium Montis-muri; monasterium sancti Petri in Cerreto; monasterium sancte Marie in Polliciano; monasterium sancti Petri in Fontiniano; monasterium sancti Justi in Vulterre; monasterium sancte Marie in Morrona; monasterium sancti Fridiani; monasterium sancti Michaelis infra civitatem Pisarum; monasterium sancti Savini in territorio ejusdem civitatis; monasterium sancti Stephani in Cintoria; monasterium sancti Salvatoris in Cantignano; monasterium sancti Petri in Puteolis; monasterium sancti Salvatoris in Silvamunda; monasterium sancte Marie in Agnano; monasterium sancti Petri in Rota; monasterium sancti Salvatoris Berardingorum; monasterium sancti Vigilii in burgo Senensi; monasterium sancti Petri in Vivo Montis-amiati salva ejusdem loci propria consuetudine; monasterium sancti Quirici in Rosa; monasterium sancti Savini in Chio; heremum de Fleri cum suo monasterio; monasterium sancti Viriani; monasterium sancti Bartholomei in Anglari. In episcopatu Castellano abbatiam Dezano, salvo jure Castellane ecclesie; monasterium sancte Marie in Trivio; heremum sancti Petri in Fajolo; monasterium sancte Marie in Insula; monasterium sancte Marie in Lacu; monasterium sancti Angeli juxta castrum Britti; monasterium sancte Christine in eadem curte; In marchia Camerina monasterium sancti Georgii; monasterium sancti Martini in Accole cum ecclesia, que dicitur Heremite. In Sardinie insula monasterium sancte Trinitatis in Saccari; ecclesiam sancte Eugenie in Samanar; ecclesiam sancti Michaelis & sancti Laurentii in Vanari; ecclesiam sancte Marie & sancti Johannis in Altasar; ecclesiam sancte Marie in Contra; ecclesiam sancti Johannis & sancti Symeonis in Salvenero; ecclesiam sancti Nicolai in Trulla; ecclesiam sancti Petri in Scano; ecclesiam sancti Pauli in Cotroniano. Monasterium sancti Bartholomei de Anglari cum castro & omnibus pertinentiis suis; castrum Montorii cum omnibus pertinentiis suis. In civitate Pisana monasterium sancti Zenonis, salvo per omnia jure Romane ecclesie. Villam de Montione, quam emistis ab abbate sancte Flore, & ecclesiam ejusdem ville. Villam de Modiona, quam emistis ab Henrico preposito, & reliquis canonicis, sicut in vestris cartulis continetur; & ecclesiam ejusdem ville cum decimatione; decimationem ville de Latgnano, & ville Agne & ecclesiam ejusdem ville. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat predictam heremum & congregationem vestram

stram temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, religiosorum fratrum, & pauperum usibus omnimodis profutura. Si qua igitur *&c.*

Ego Innocentius catholice ecclesie episcopus ss.

Adiuva nos †	*Deus*
SCS PETRUS	SCS PAULUS
INNO PP.	CENTIUS IJ.
salutaris	*noster.*

† Ego Guilielmus Prenestinus episcopus ss.

† Ego Maurus Aretinus episcopus ss.

† Ego Anselmus presbyter card. ss.

† Ego Lictifredus presb. card. tit. Vestine ss.

† Ego Lucas presb. card. tit. sanctorum Johannis & Pauli ss.

† Ego Wido indignus sacerdos ss.

† Ego Azo presb. card. tit. sancte Anastasie ss.

† Ego Gregorius diac. card. sanctorum Sergii & Bacchi ss.

† Ego Guido card. diacon. sancti Adriani ss.

† Ego Boetius diac. card. sanctorum Viti & Modesti ss.

† Ego Vassallus diac. card. sancti Eustachii ss.

† Ego Hubaldus diac. card. sancte Marie in via lata ss.

† Ego Grisogonus diac. card. sancte Marie in porticu ss.

Datum Pisis per manum Aimerici sancte Rom. ecclesie diac. cardinalis & cancellarii x. kl. maji indictione XIIII. incarnationis Dominice anno M. C. XXXVII. pontificatus vero domini Innocentii pape II. anno VII.

CCXXXVII.

Donatio facta monasterio de Carceribus ab Henrico duce Saxoniæ.

Anno 1136. IIII. idus februarii.

Ex Canneto apud Muratorium Antich. Estensi P. I. p. 287.

Ad lib. XXVIII. n. 9.

IN nomine Domini Dei & hominis. Anno ejusdem secundum assumptam humanitatem post millesimum centesimum trigesimum sextum, quarto idus februarii indictione secunda. Cum ecclesie beatissime Marie semper Virginis matris Domini nostri Jesu Christi constructe in Paduano districtu, Athestensi territorio nostro, in loco videlicet, ubi Carceres nuncupatur, & ubi venerabilis pater Ripandus, & fratrum congregatorum rector, & presidens illius venerabilis loci, in quo divina misteria intime celebrantur, hospitibus ubique locorum advenientibus maxime ministrantur. Nos Henricus divina favente gratia dux Sansonie audientes supradicta, & personaliter videntes, affectantes etiam supplicationes magistri Rambaldi archidiaconi majoris ecclesie Sansoniensis dilectissimi germani nostri atque capellani, qui multoties supplicavit, ut de bonis nostris ecclesie memorate aliquid donaremus. Quod cum ad nostrum dominium spectent multa oppida, castra, atque rura sita in marchia Trivisana, de quibus nullam vim facimus enarrare per ordinem nisi partem, & ea, que in Veronensi districtu habemus, & plenarie possidemus; videlicet comitatum & terram nostram Cavallili cum toto ejus districtu & territorio, tam vassallorum, quam emphiteotarum spectantium ad dictam terram, & comitatum, ejusdem tamen jura vassallorum salva, ita tamen, quod non possint vendere, donare, nec pro anima judicare, nec aliquam permutationem facere, nisi filiis suis liberis ex se descendentibus, vel dicto monasterio pro remedio anime nostre, & eorum omnium, quibus successimus: aliquid de bonis nostris bono animo dare, & offere decrevimus, attendentes illud preceptum evangelicum, quia si pro amore Dei de bonis nostris in eleemosinas ecclesiis, & aliis elargimur, non solum omnia erunt nobis munda, verum in hoc seculo centuplum recipiemus, & quod melius est, in futuro cum Angelis, & electis Dei eternam vitam possidebimus. Offerimus itaque, atque elargimur tibi, Ripande, & ecclesie supradicte, totam villam Cavallili cum toto ejus territorio, & districtu, cum pertinentiis infrascriptis, & cum juribus superioribus & inferioribus a celo usque ad abyssum, cum domibus, terris, cultis, & incultis, pratis, silvis, nemoribus, pasculis, paludibus, aquis, aquarum ductibus, tam intra ducentibus, quam extra ferentibus per Athesis alveum, habendo etiam decursum per foveam Bisigiati usque in paludes Maltee, & dictam foveam cum ageribus, cum omnibus pisca-

ſcationibus ſupradictarum aquarum tam paludum, quam aliarum, & cum omnibus venationibus animalium, & volucrum. Inſuper concedimus & donamus plenam atque liberam poteſtatem ponendi & habendi piſcationes in omnibus aquis, lacubus, atque paludibus Merlarie & faciendi cogolas graas in dictis aquis, & cum omnibus generibus retarum tam ſagenarum, quam aliarum rerum ad capiendos piſces longos & curtos, operandi ad utilitatem fratrum exiſtentium Cavallili.

He vere ſunt coherentie dicte terre. A latere Orientis ora, que Augucianum nuncupatur juris Merlarie, a parte Meridiei ora, que dicitur Cratarolum de ſupradicta terra; a latere Occidentis jura ville Begoſſii noſter diſtrictus; a parte vero Settentrionis jura Terracii & Merlarie: Preterea offerimus atque donamus eccleſie ſupradicte dignitates noſtri comitatus, & jurisdictionem plenam dicte terre noſtre Cavallili, veluti a mero imperio plenarie & libere nos habemus, ut de cetero rectores ſupranominate eccleſie, qui ſunt, vel in futuro erunt, habeant liberam, atque plenam poteſtatem ponendi vicecomitem, vel vicecomites, in dicta terra Cavallili, qui plenarie poſcentibus, & non poſcentibus, rationem de omnibus litibus, queſtionibus, maleficiis, & non maleficiis, judicandis, & abſolvendis, ponendi fodrum, datium victualium, & non victualium, atque rerum omnium, ponendi etiam decanos, maſſarios, camparios, atque officiales omnes predicte terre Cavallili, ponendi angarias & perangarias, banna, luendi ea, & abſolvendi, & condemnandi omnes, qui in dictis bannis ceciderint, & faciendi ex eis quicquid melius ſibi fore gratum, ſine contradictione aliqua aliquorum, & omnia, que ſpectant ad ſuum commodum & honorem dictis ruſticis imponantur, veluti comes verus, primus, liber, & abſque ſervitute aliqua aliquorum dominorum. Et iterum offerimus & largimur decimam totius curie & diſtrictus Cavallili, ſicuti plene & libere habemus in privilegio venerabilis viri epiſcopi noſtri, & in confirmatione ſanctiſſimi noſtri pape Caliſti per me notarium viſis & lectis, tam de terris, quam de aquis & pratis, legnaminibus, animalibus, magnis & parvis, apiculis, avibus domeſticis, & ſilveſtribus, de piſcibus, molendinis, piſtrinis, cabalaticis, circlariis, atque de rebus omnibus, de quibus antiqui dare decimam conſueverunt. Tali vero pacto omnia memorata offerimus, & donamus, quod dicta eccleſia, & rectores teneantur ſemper habere ibi domum in.......... preter guerrarum tempora, vel alia evidenti de cauſa; & cum poſſibilitas adfuerit, quod per predictos coenobium ibi fiat, in quo de dictis fratribus permaneant, & divina officia pro anime noſtre anteceſſorum, atque ſucceſſorum noſtrorum, & aliorum vivorum & defunctorum attentiſſime celebrare teneantur. Et inſuper quod predicta omnia non poſſint vendere, donare, nec ullo modo dictam poſſeſſionem totam, nec partem alienare quoquo modo, ingenio vel pacto; ſed ſemper firmam, ratam atque illibatam pertineant in ſubſtentationem ſupradictorum. Etſi contra predicta fecerint, omnia memorata ſint irrita, inania & vacua, & dicta omnia perveniant domibus Ultramarinis in auxilium, & juvamen Terre Sancte. Attendentes autem omnia nominata, & eo quidem modo, hanc facimus oblationem, quatenus a preſenti die & hora in antea dominium ejus in te, & tuam eccleſiam ſit translatum; & facies exinde tu & ſucceſſores tui ad utilitatem eccleſie tue quicquid juſte & legaliter facere volueritis, ſine omni omnium noſtrum heredumque noſtrorum contradictione. Et ſpondemus atque promittimus nos & heredes noſtri vobis cui ſupradicto omnia....... ad effectum, totum vel partem ab homine defenſare, & ſi defendere non potuerimus, aut ſi vobis exinde aliquid per vim ingeniumve extorquere cognoverimus, tunc in duplum eandem oblationem, ut ſupra legitur, eccleſie memorate reſtituemus, ſicut pro tempore fuerit meliorata, aut valuerit ſub eſtimatione in conſimili loco

Actum eſt hoc in Dolone feliciter Eſten....... manibus magiſtri Rambaldi archidiaconi, Ruberti canonici Sanſonienſis eccleſie, Guidonis......... Vicentini, Griphonis, & Johannis cauſidicorum, Oderici de Palatio........ Adernardi militis dicti Ducis, Maltraverſi de Caſtronovo, atque Ugolini vicecomitis Eſtenſis teſtium.

Ego Draſolphus Sanſonienſis notarius Welphonis Ducis, interfui, & predicta omnia juſſu legi, ſubſcripſi.

CCXXXVIII.

CCXXXVIII.

Maurus episcopus Arretinus confirmat bona & jura eremi Camaldulensis.

Anno 1136. mense septembri.

Ex autographo Fontis-boni. §. Privilegium. n. 25.

Ad lib. XXVIII. n. 2.

Creator cum munere pietatis fungeretur post irrationabilia rationabilem condidit creaturam, que regendis exhiberet rationis regimen & doctrinam, ut que habebat a summo rege principium, haberet insitum summa cum prudentia regendi consilium. Constat igitur Deum non otiose quidem hominem & homini preesse voluisse, ut & subditorum humanitus tractaretur utilitas, & prelatorum in regendo divinitus exhiberetur humanitas. Quo circa ego Maurus Dei gratia Aritinus episcopus Camaldulensium fratrum solatiando laboribus tibi donno & patri Azzoni priori Camaldulensis ecclesie tuisque de cetero successoribus considerans, quid per te faciat, quid obsistat, affectu charitatis & pie devotionis episcopali auctoritate confirmo omnia privilegia ac beneficia a meis antecessoribus heremo Camaldulensi & vestre congregationi collata, videlicet a Teodaldo, Immone, Constantino, Gualterio, Guidone atque Bujano loquentia tam de constitutione, quam de augmentatione heremi Camaldulensis, seu & de sustentatione fratrum ibidem Deo famulantium, donando transferendo, concedendo cum omni jure prediorum urbanorum & rusticorum tibi tuisque successoribus in perpetuum omnia bona, que Bernardinus Sidonie filius aut pater ejus ab ecclesia sancti Donati, & ab episcopis predecessoribus meis abuerunt & tenuerunt, vel aliquis nomine eorum, vel si non tenuerunt, jure tamen tenuisse debuerunt tam in comitatu Aritino quam Castellano, nominative plebem sancte Marie in Miciano cum suis pertinentiis, & quod abuerunt in castello Montis aurei, & in Vivario, aut in aliis quibuscumque locis, reservando tamen mihi meisque successoribus synodum, capitulum & paratam & penitentiam clericorum, canonicamque obedientiam. Letanias vero de plebe Miciani cum integra decima vinee, que est Partene, vobis concedo in perpetuum. Similiter concedo & perpetualiter confirmo predicte heremo suisque rectoribus integrum feodum, quod Bernardinus & Feralmus pater *&c. ut in illa Guidonis*. Insuper concedo ei quicquid ecclesie quocumque modo pertinet de Cicini de monte. Item concedo predicte heremo, quod ei conquisitum est in Lorenzano tam in castro, quam in curte, seu & in ecclesiis. Preterea concedo & confirmo & inviolabiliter corroboro jam dicte heremo suisque rectoribus eorumque confratribus, quidquid predecessores mei *&c. ut in illa Guidonis*. Item pro remedio anime mee meorumque successorum statuo, ut quicumque in prefata heremo suam decimationem, que nec a me, nec a meis antecessoribus recte ordinata, vel recte donata esse dignoscitur, conferre voluerit, nostra episcopali auctoritate liberam abeat facultatem. Nec illud pretermittendum est, sed inrefragabiliter constituendum, & in nullo penitus violandum, ut quidquid juris ecclesia sancti Donati abet vel nomine proprietatis vel nomine usus, vel possessionis in Mojona & in Casaleclo, & in villa de Montione ad sacrosanctam heremum mea meorumque successorum liberalitate devolvatur nostro juri renunciando; cum liceat unicuique suo juri renunciare. Eo insuper addito, ut quicquid prefata heremus suique rectores habent, vel deinceps jure adquisierint, firmum illibatumque permaneat. In virtute igitur sancti Spiritus & hujus privilegii auctoritate constituo, ut nulli omnino liceat prenominatam venerabilem heremum perturbare, vel ejus possessiones auferre, aut ablatas retinere, aut temerariis vexationibus vel predictum venerabilem Azzonem priorem vel ejus successores, vel confratres vel aliquem de sibi servientibus, set omnia quieta & integra conserventur, eorum usibus omnimodo profutura, pro quorum sustentatione & gubernatione collata sunt vel deinceps conferenda. Si quis autem diabolico spiritus ductus hec violare temptaverit; nisi resipuerit, & congrua emendatione satisfecerit, a sacratissimo corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi alienus fiat, & in futuro eternis subjaceat concremandus incendiis.

† Ego Maurus Dei gratia Aritinus episcopus supradicta omnia confirmo, & insuper pro remedio anime mee successorumque meorum concedo ecclesie Camaldulensi, quicquid juris habeo in capella, que est in castro Angularis, & in capella, que est in Monte aureo, & in capella, que est in Viario, & in capella, que est in Montione, & in capella, que est in Mojona, & in omnibus

bus ecclesiis, quas habet in toto episcopatu Aritino. Salvo jure synodi & parate & capituli. Ut autem hec verius credantur, proprio sigillo insigniri precipio.

Ego Ugo Aretine ecclesie prepositus & primicerius confirmo, & propria manu subscribo, & hec confirmavi presentibus fratribus nostris.

Ego Homodei canonicus sancti Donati manu mea subscripsi.

Ego Gerardus plebanus sancte Marie site Gradibus ss.

Ego frater Sichelmus camerarius ss.

Datum in suburbio civitatis Aritine juxta ecclesiam sancte Marie millesimo centesimo XXXVIII. mense setembri regnante Lothario indictione XIIII. in presentia testium Homodei videlicet Becacioni filii, & Rainerii consobrini ejus, & Gregorii filii Pagani, & Tancredi filii Richilde.

† Ego Saracenus judex ss.

† Ego Guilielmus judex & notarius ss.

Ego Niger judex ac notarius scripsi & ss.



CCXXXIX.

Præceptum Lotharii imp. pro Camaldulensi congregatione.

Anno 1137. .III. idus januarii.

Ex veteri codice S. Michaelis in Burgo Pisarum.

Ad lib. XXVIII. n. 11.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Lotarius divina favente clementia tertius Romanorum imperator augustus. Justum est, & omnino imperialem decet munificentiam, ecclesiam Dei semper manutenere, & religiosorum virorum petitionem omni devotione promovere & exaudire, perinde omnium nostrorum fidelium tam futurorum, quam presentium nosse volumus industriam, qualiter nos pro remedio anime nostre, & instinctu dilecte Richirize, interventu fidelis nostri Brunonis Coloniensis archiepiscopi & archicancellarii Camaldulensium monasterium, & heremum sancti Salvatoris & sancti Donati cum omnibus, que ad eam pertinent, nominatim monasterium sancti Bartholomei in Anglari cum castello, & ecclesiis, monasteriis, feudo, harimanniis, & cum omnibus, que fuerunt Bernardini, monasterium sancte Marie in Trivio cum omnibus pertinentiis suis, & monasterium sancti Fridiani, & sancti Michaelis & sancti Zenonis, que sita sunt in Pisis, & sancti Savini, & sancti Salvatoris Berardingorum, & monasterium, quod dicitur Rota, & monasterium, quod dicitur Agnani, & monasterium de Zani, & monasterium sancti Sepulcri in Castello; & monasterium sancti Viriani, & monasterium Poplene, & monasterium sancti Justi, & monasterium Morrone & Polezani, & Cerreti, & Fontiani, & monasterium Cantiniani, & Puteoli, & Centurie, & monasterium sancti Salvatoris Florentie, & monasterium, quod dicitur Lucum cum omnibus pertinentiis suis, & monasterium Insule, & monasterium Montis Muri, & heremum de Fleri, & novam heremum, & monasterium sancti Michaelis

extra

extra urbem Bononiam cum omnibus, que in possessionibus, & in patrociniis communiter datis, vel susceptis a predecessoribus nostris tenere videretur tam in montibus, quam in planis, & alia omnia, que sunt vel erunt sub ejus regimine tam acquisita, vel semper acquirenda in quibuscumque locis sita sint, sub tutelam nostre defensionis per hanc preceptalem paginam suscipimus. Precipimus etiam, ut nullus eorum, qui inibi habitant, vel aliquo tempore habitare vel vivere debent sub ejusdem monasterii regimine, eat ad placitum, vel distringat se ante quamlibet personam, nisi ante domnum papam, vel ante nosmetipsos, sed in omni libertate vivat, & sua bona absque ulla contradictione, vel molestia possideant omni tempore. Si quis igitur dux, marchio *&c.*

Signum domini Lothtarii tertii Romanorum imperatoris invictissimi.

Locus ✠ Signi.

Ego . . . . . . vice Brunonis . . . .

Data anno incarnationis Dominice M.C.XXXVII. IIII. id. jan. indictione XV. anno V. regni regis Lottarii XI. III. Imperii quarto.

Actum apud Fontanam Proccam in Christi nomine feliciter amen.

CCXL.

Imilia comitissa donat Azoni priori Camaldulensi ecclesiam S. Justi de Gricciano.

Anno 1137. VII. id. februarii.

Ex archetypo parthenonis S. Johannis evangelistæ de Pratoveteri. n. 4.

Ad lib. XXVIII. n. 14.

IN Dei nomine. Anno ab incarnatione domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo trigesimo septimo regnante Lothario imperatore nostro, septimo idus februarii indictione XV. Cum ea que geruntur, variis nominibus contractuum denotent, hidcirco litterarum inscriptio perquam utilis est, ut si id, quod gestum est, aliquo tempore in dubium revocatur, litteris constare possit, quod cuique quo jure debeatur. Et ideo ego Imilia comitissa relicta a quondam bone memorie Guidone comite, cogitans humanam sortem, & fragilitatem presentis vite, pro anima olim viri mei & redemptione peccatorum meorum, & salute omnium liberorum meorum, masculorum scilicet & feminarum, manifesta sum, qualiter bona, & propria voluntate trado & concedo, & jure donationis inter vivos perpetue, & inrevocabilis tibi donno Azzoni patri venerabili, & priori Camaldulensi, & tuis in officio successoribus in perpetuum idem integrum jus & directum, quod habemus in ecclesia sancti Justi juxta villam, que dicitur Griciano, & in omnibus pertinentiis ejus, sicut nos emimus eam cum pertinentiis ejus ab abbate de Pratallia. Item eodem jure tradimus & concedimus suprascripto patri & successoribus ejus in perpetuum, quicquid concessimus olim filie nostre Sophie abbatisse, casas denique & plateas & homines residente . . . . . . & terras & vineas, ortos & oliveta, silvas, stirpeta, pascua, rivos, molendinos aquarumque usus. Terram denique cultam & incultam divisam, & indivisam cum cessionibus, & redditibus earum. Eo videlicet modo, ut predictus pater secundum votum nostrum ordinet apud predictam ecclesiam vel in pertinentiis ejus monasterium puellarum permansurum ad honorem Dei in perpetuum ad obedientiam, & correctionem, & ordinationem predicti patris & suorum successorum in jamdicto officio prioratus, & nulla ibi abbatissa eligatur, neque alia persona ordinata recipiatur in predicta ecclesia sine permissione & consensu suprascripti patris & suorum successorum; ita quecumque abbatissa electa sit proprietatem earum rerum, que modo sunt predicte ecclesie, aut in antea erunt, non debet alienare, nec in feodum dare, aut concessionem facere, unde aliquid dampnum patiatur ecclesia sine consensu predictorum patrum, priorum scilicet Camaldulensium, predictam vero donationem ad puellare hedificandum & in perpetuum permanendum tibi suprascripto patri, & tuis successoribus ego suprascripta Imilia trado & concedo, & de meo jure in tuum proprium, & ecclesie sancti Salvatoris site in Campo amabili transfero, quatenus ab hodierna die, sicut dictum, habeatis, & detineatis tam vos, quam vestri successores sine mea suprascripte comitisse, meorumque filiorum vel heredum molestia vel litis causatione. Quod si in aliquo exinde vos presumpserimus molestare, contendere, minuare, aut per placitum, vel extra placitum fatigare, per nos vel summissam a nobis personam, aut si ab omnibus hominibus non defensaverimus, auctorizzaverimus, Waren-

rentaverimus omni tempore, aut si apparuerit datum factumve, vel in posterum faciendum huic mee donationi nociturum; tunc promitto, & obligo me ego suprascripta Imilia meosque filios vel heredes tibi suprascripto Azzoni venerabili patri & tuis successoribus componere eas res in duplum, sicut tunc fuerint meliorate, sub estimatione presenti, & insuper pene nomine argenti optimi libras centum; & preter penam solutam liceat vobis hanc cartam in judicio ostendere, & cum ea loco auctoris vestram causam agere & legitime diffinire. Unde hec carta fieri rogata est. Actum in episcopatu Fesulano in claustro suprascripte ecclesie sancti Justi feliciter.

† Signum manus suprascripte Imilie comitisse, que hanc cartam fieri rogavit.

Ego frater Ambrosius ss.

Ego frater Nicolaus ss.

Ego Rolando manu mea ss.

Ego Rainerius monachus & presbyter manu mea ss.

††† Signa manuum Guidi filii quondam Ubertini, & Ardimanucii filii quondam Ardimanni, & Luppolini filii Garisii, & Rigerii Guilielmi, & Duce de Impoli rogatorum testium.

Ego Atho prior interfui.

Ego Sophia abbatissa interfui.

Ego frater Lambertus subscripsi.

† Ego Vivianus judex & notarius scripsi & complevi.

CCXLI.

Concessio ecclesiæ S. Angeli de Colle facta Berardo priori de Mandriolis.

Anno 1137. mense junio.

Ex autographo S. Blasii de Fabriano.

Ad lib. XXVIII. n. 12.

IN Dei nomine sunt anni Domini millesimo centesimo XXXVII. regnante Luteri imperatore & papa nostro Innocentio in apostolica sede & die mense junius per inditione V. comitato Esi. Ideoque ego Tebaldo filio quonda Alberto in propria & spontanea bona voluntate odierno die vindo & trado & concedo a beato sancto Salvatore de Camaldole, & a beato sancto Johannes, qui est edificato in fundo le Mandriole, & a tibi domno Berardo prior in perpetuum possidendo usque in servos servorum Dei, idest de ipsa ecclesia de sancto Angnelo, que est edificata in fundo lo Colle, hoc est de la mea portione de intro & de foras, & de omnia, que mihi pertinet, oc est de la mea octaba parte de terra, de silva & de omnia & in omnibus, sicut superius legitur, & unde recipimus nos suprascripto datores da vobis suprascripto compra idest pretio valiente solidi XVI. quod aput nos testes sumus abere tantum, & oc repromittimus stare & defensare da omnis omines, quod si defendere non potuerimus, aut non voluerimus, aut minime observaverimus de omni, quod superius legitur, daturi nos promittimus secundum nostra lege Langobardorum dupla & meliorata restituamus sub estimatione, ita ad presentem diem abeatis & teneatis, possideatis, abendi, vindendi, donandi, congambiandi, ec cartula ista vinditione firma permaneat.

† Sinu manu de Tebaldo qui ista cartula fieri rogavit.

Ego Petri de Acto rogatus est.

Ego Acto de Paganello rogatus est.

Ego Albertus tabellio complevit &, finivit.

CCXLII.

Venditio terrarum facta eremo Camaldulensi.

Anno 1137. mense januario.

Ex tabulario Fontis-boni.

Ad lib. XXVIII. n. 13.

IN Dei nomine hanno Dominice incarnationis mille centesimo tricesimo septimo, mense januario indictione quinta. Manifesti sumus nos Ugo filio quondam Tartioni, & Berta uxor mea filia Azoni per datam licentiam viro meo, & Taizo, & Petro & Jurano, & Scheprizo, & Bucaro filii Ugoni, quia leie Romana visi sumus vivere nos insimul, per hanc cartam venditionis vendimus, & tradimus tibi donno Azo prior ecclesie sancti Salvatoris site Campo amabili, hoc est quicunque nobis pertinet de uno molendino, & est posito in comuni Harano in plebe sancti Heleuterii, sito Plano in casale Lorenzano in flume Harno prope hecclesie sancti Vitalis, cum omnibus supra se hac infra se, & cum curso aquarum, & cum omni res, que pertinet a molendinum, & utiliter nos, qui supra venditores tibi predicto emptores vendimus & tradimus, & per hanc cartam ad proprium investimus, & corporalem investitorem tibi

tibi dedimus, qui vobis a proprium investiat, ut diximus, unde nobis neque a nostris heredibus nullum reservavimus dominium vel potestatem, nec vobis aliquit anteposui. Ex qua nostra venditione pretium recepi a te in idem valens, ut inter nos convenit, unde a nobis, neque a nostris heredibus ullam exinde abeatis molestiam vel ullam causationem, quod si in aliquo exinde contra vos presumserimus molestare, vel a quolibet homine minime non potuerimus defensare, hauctorizare, guarentare, & non defensaverimus, hauctorizaverimus, guarentaverimus, quod si defendere non potuerimus, nec datum, nec factum huic rei nociturum per aliquot *injenium* .... aut si eam non defensaverimus & defendere non potuerimus, tunc componere repromittimus, & componemus nos, qui supra, Ugo, & Berta, & Zaizo, & Petro, & Rintino, & Scheprizo, & Bucaro cum nostris heredibus vobis donno Azo prior, & a vostris posteris prioribus penam numerum de bonis denariis Lucensis libras tres, unde carta venditionis a nobis facta est qualiter, ut supra leitur. Hactum Aritio feliciter. Signa manuum Ugo, & Berta, & Taizo, & Petro, & Luntino, & Scheprizo, & Bucaro, qui hanc cartam, ut supra leitur, ita fieri rogaverunt. Signa manuum Uberto filio quondam Luponi, & Corbizo filio quondam Ildoli, & Alberico filio Ugonis jurati testes.

Ego Petrus notarius scripsi & complevi.

CCXLIII.

Venditio terrarum facta hospitali monasterii S. Michaelis in Burgo Pisarum.

Anno 1137. XVII. kl. julii.

Ex archivo ejusdem monasterii.

Ad lib. XXVIII. n. 15.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo trigesimo octavo, septimo decimo kalendas ulii indictione quintadecima. Manifesti sumus nos Johannes & Martinus germani filii quondam Benedicti, & Mingarda jugalis Johannis, & filia quondam Stephani, & Sophia jugalis Martini, & filia Belli, quia comuniter & consentientibus nobis suprascriptis viris nostris, ubi interesse videtur notitia Falconis judicis, a quo interogate, & cognite sumus non pati molestiam, sed pura & integra nostra bona voluntate secundum edicti paginam, per hanc cartulam vendimus, & tradimus tibi Gerardo presbitero procuratori hospitalis ecclesie sancti Michaelis ad utilitatem, & proprietatem suprascripti hospitalis, tria stariora de terra minus panorum duo posita in loco, & finibus Mezzana, que tenet unum caput in via publica, alium caput cum uno latere in terra filiorum quondam Alfei, alterum latus in terra Ildebrandi quondam Ghiselli. Predicta tria stariora de terra minus panorum duo qualiter ab omni parte circumdata est per designata loca *&c.* tibi, ut dictum est, vendimus & tradimus, pro qua a te recepimus solidos quadraginta, & octo minus denarios quatuor in prefinito *&c.*

Actum Pisis.

Signa manuum suprascriptorum jugalium, qui hanc cartulam comuniter, & legaliter dato consensu fieri rogaverunt.

Ego Falco judex sacri palatii interfui & subscripsi.

Signa manuum Uberti quondam Petri, Felicis quondam Pantalei, Falco filius suprascripti judicis rogatorum testium.

Ego Falco notarius sacri palatii post traditam complevi, & dedi.

Et repromissionem ad defendendum, qui per manum tenet, ad penam argenti optimi solidorum centum ad instantiam datare & testes.

CCXLIV.

Gualterius archiep. Ravennas tradit Azoni priori Camaldulensi reformandum monasterium S. Apollinaris in Classe.

Anno 1138.

Ex authentico archiepiscopii Ravennatis. n. 431.

Ad lib. XXVIII. n. 20.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Gualterius Dei gratia sancte Ravenne ecclesie archiepiscopus dilecto in Christo filio Azoni Camaldulensium priori ejusque successoribus in perpetuum. Officii nostri nos hortatur auctoritas pro ecclesiarum statu satagere, earumque quieti & utilitati atque religionis restitutioni propensius auxiliante Domino providere. Namque & honestati conveniens esse cognoscimus, ut qui ad ecclesiarum regimen assumpti sumus, eas & a pra-

vorum hominum nequitia tueamur, beati Apollinaris patrocinio muniamus, & ad reformandam & conservandam religionem attentius intendamus. Quapropter dilecte in Christo fili Azo Camaldulensis prior tibi tuisque successoribus monasterium beati Apollinaris situm in Classe, & universa, que ad prefatum monasterium jure pertinere videntur, solo intuitu & causa reformande religionis, communi assensu tam dilecti filii nostri Guidonis nostre ecclesie archidiaconi, quam omnium cardinalium, cantorum & aliorum ordinum nostre ecclesie concedimus, committimus atque in perpetuum confirmamus; videlicet in territorio Tudertino monasterium unum, cui vocabulum est sancta Luminata cum omnibus videlicet appenditiis circumquaque & ubique adjacentibus, seu etiam in comitatu Perusino cellas quinque, quarum una est fundata in eadem civitate Perusina, cujus vocabulum est sancti Severi; secunda est capella sancte Margarite in massa Saliatica cum omnibus casis & casalibus cunctisque appenditiis earum; tertium est monasterium sancti Petri, quod est fundatum in Colle; quartum est in honore ejusdem sancti Petri, quod est situm in valle de Ponte juxta fluvium Tiberim. Ex altera vero ripa Tiberis est quintum positum in honore sancti Fortunati; hec omnia cum suis pertinentiis & appenditiis ubique consistentibus & adjacentibus. In comitatu vero Eugubino massam, que dicitur Bignoli, sive cetera loca ejusdem comitatus; videlicet curtem, que nominatur Pretorium, & aliam, que vocatur Baroncelli; tertiam vero, que vocatur Narcianula, cum omnibus sibi subjacentibus. In comitatu vero Firmano curtem unam integram, que vocatur Campolongo cum omnibus sibi pertinentibus, necnon castrum unum, cujus vocabulum est Pausuli; alterum vero castrum, ubi turris edificata est, & est vocabulum Petrorii, a primo latere de supradictis curtibus fluvius, qui vocatur Tenna, a secundo latere comitatus Camerinus, a tertio latere fluvius Potentinus, a quarto vero latere litus maris. In comitatu Senogallie massam, que vocatur Merolaria, & casale, quod vocatur Mauri, necnon tres fundos, quorum vocabula sunt Ingalladi & Arille & Donatiano cum suis justis & certis in terra finibus. In comitatu Fanensi mansos quatuor, quorum vocabula sunt sancti Viti, & aliud sancti Marci, tertio sancti Apollinaris, quarto sancte Marie, a primo latere fluvius Salani, ab alio Aquebella, a tertio rivus, qui vocatur Maturius & Sassobarti, a quarto jura sancti Laurentii. In civitate ejusdem ecclesias tres, unam in honorem sancti Viti, aliam in honorem sancti Christophori, qui est edificata in muro publico, tertiam in honore sancti Apollinaris cum casis & edificiis tam in civitate, quam extra civitatem. In comitatu Pisaurensi villam, que vocatur Tresule cum omnibus sibi pertinentibus & subjacentibus, necnon & curtem, que dicitur Vallicella, cum omnibus sibi tam antiquis, quam modernis temporibus additis; castrumque Florentium & fundum unum qui vocatur Raviniana cum suis confiniis & terminis. In comitatu Ariminensi sive in civitate, sive extra civitatem per quecumque loca coadjacentia tam in plateis quam in montibus culta & inculta, & massam, que vocatur Utiana, & castrum unum quod vocatur Gajo cum suis justis & certis in terra finibus, necnon & massa, que vocatur Branchese & Rufiense cum omnibus sibi pertinentibus & certis in terra finibus, nec non & aliam curtem, nec non & curtem unam integram cum castro suo, quod vocatur Pisiatellum, cum casalibus & appenditiis suis & cum omnibus ad eamdem pertinentibus. In eodem autem comitatu curtem unam integram, que vocatur Fontana Sabati cum suis justis & certis terra finibus. Necnon & aliam curtem, que vocatur Sala, & aliam Salam, que vocatur nova, cum omnibus illis pertinentiis & subjacentiis, cui apprestate Sale sunt coherentes undique, a primo latere fluvius qui dicitur Pisatellus, a secundo Vetreta, & Paveriano, a tertio rivus limes, qui dicitur Ager, percurrens in Stratellam, & rivus qui, vocatur de Fabrica deficiens usque in mare, & ipsum litus maris quantulumcumque inibi pertinere videtur in integrum, & quicquid est in Castaneto & in Bulgaria & Branchiso; & castrum unum quod vocatur Casaliclum cum fundis & casalibus suis. In comitatu Cesene tam in civitate, quam extra civitatem, & curtem, que vocatur Succumano cum fundis & casalibus & appendiciis earum. In comitatu Sarsinate monasterium sancti Angeli cum curte integra, que vocatur de Plano, & cum castro & casalibus & appendiciis suis. In comitatu Pupiliensi curtem unam integram cum castro suo, quod vocatur Balneolo, cum fundis & casalibus & appendiciis suis. In comitatu Liviensi massa, que vocatur Barisiano, cum fundis & appendiciis suis,

suis. In comitatu Liviensi massa, que vocatur Barisiano, cum fundis & appendiciis suis, & curtem, que vocatur Pertusiacum, cum certis in terra finibus ejus. In comitatu Faventino curtem, que vocatur Quadrata, cum fundis & casalibus suis, fundum Trentule, & Pituli & Susiane, saltum majorem & minorem, Granariolum, & Ceredum lacum, & Presentianum cum omnibus suis pertinentiis. In territorio Corneliensi monasterium, quod dicitur sancti Petri cum omnibus sibi pertinentibus, & massam, que vocatur Quinta, cum fundis & casalibus suis, necnon & massam, que dicitur Solustra cum fundis & casalibus & appendiciis suis. In territorio Ravenne in Decimo ecclesiam unam cum curte integra, que vocatur Aqualonga, & sancte Marie in Batiano, etiam sancte Marie in Peritella cum fundis & casalibus & appendiciis suis. Confirmamus etiam curtem integram, que vocatur Gamelaria cum justis terminis, & monasterium sancti Marci & Marcelli atque Felicule cum fundis & casalibus suis, tam in civitate Ravenne quam extra civitatem, & monasterium alterum, quod vocatur sancti Vincentii intus in civitate Ravenne, cum casis undique positis & certis in terra finibus; aliud quoque monasterium, quod vocatur sancti Eleocadii & sancti Probi, & terras & silvas circumpositas ejusdem monasterii in terra fines & terminos eorum, ab uno latere ripa, que dicitur Ursaria, usque ad litus maris, percurrens ipsum litus cum suis finibus milliariis tribus, ab ipso autem litore, sive etiam usque ad portum Classicanum, quartum autem latus aqua, que nominatur Refredena, & villa nominata Balneolo. Infra civitatem vero Ravenne monasterium, quod vocatur sancta Maria in Pace cum casis undique positis, & aliud quod nominatur sancta Maria in Hortale cum casis & hortis & omnibus sibi pertinentibus. In comitatu Foro Simphronii monasterium unum, quod vocatur sancta Sophia cum omnibus sibi pertinentibus. In comitatu Ficoclense omnes res quantascumque, quacum scriptione vel deliberatione videmini. In territorio Comiaclense casas, hortos, prata, pasqua, & vineas & salinas in diversis locis positas. Quecumque preterea in futurum idem monasterium largiente Domino juste & canonice poterit adipisci, tibi tuisque successoribus firma & illibata permaneant. Decernimus, ego, ut nulli omnino archiepiscoporum, episcoporum vel alicui hominum liceat monasterium perturbare, ejus possessiones auferre, vel ablata retinere, minuere vel temerariis vexationibus fatigare, salvo tamen in omnibus ac per omnia Ravennatis ecclesie jure ac reverentia, videlicet ut abbas predicti monasterii a sancte ecclesie Ravennatis archiepiscopo, si catholicus fuerit, benedictionem absque juramento accipiat, vocatus ad synodum, & ad capitulum, & ad solitas processiones, nisi canonice prepeditus fuerit, veniat; debitam & canonicam justitiam sub nostra nostrorumque catholicorum successorum, vel nostre catholice sancteque Ravennatis ecclesie jurisdictione faciat & recipiat, excommunicatis sancte Ravenne ecclesie non participet, ordinationem & consecrationem ecclesiarum & personarum a Ravennati archiepiscopo, si catholicus fuerit, accipiat. Quod si catholicus defuerit, seu etiam, quod absit, non catholicum esse contingat, cum licentia sancte Ravennatis ecclesie, si catholica fuerit, accipere nullatenus renuat; sin autem a quocumque maluerit episcopo possessiones predicti monasterii, sine consensu archiepiscopi vel Ravennatis ecclesie & prioris Camaldulensis, nullo modo alienet. Debitas & indebitas consuetudines, videlicet servitium convivii in festo beati Apollinaris, & obsequium, quod exactum esse dicitur in eundo ad papam vel imperatorem, & si que alie exactiones sub arbitrio & beneplacito prioris Camaldulensis & abbatis ejusdem loci relinquimus. Obsequium vero prandii, quod cardinalibus & cantoribus de jure debetur in festo sancti Vincentii, cum honore & reverentia eis tribuatur. Potestatem destituendi vel restituendi ejusdem abbatem, vel monachos, sive conversos Camaldulensi priori secundum consuetudinem de nostrorum fratrum assensu omnino concedimus. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisve sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & domini nostri Jesu christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat, cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant, amen, amen, amen.

Hoc factum est per manum Petri cardinalis & cancellarii anno Dominice incarnationis M. C. XXXVIII. indictione I. die XXI. mensis octobris.

Datum Ravenne in Domino feliciter.

Ego Gualterius sancte Ravennatis ecclesie archiepiscopus licet indignus ss.

Ego Guido archidiaconus ss.

Ego Johannes presbyter de Dindo cardinalis ss.

Ego Paganus diaconus ss.

Ego Paulus diaconus ss.

Ego Guido diaconus ss.

Ego Tuscus diaconus ss.

Ego Henricus subdiaconus & cantor ss.

Dgo Andreas presbyter & cantor ss.

Ego Ugo cantor ss.

Ego Rainulfus cantor ss.

Ego ..... presbyter & cantor ss.

Ego Guinicellus diaconus & cantor ss.

Ego Offolo subdiaconus & cantor ss.

Ego Ugo ostiarius ss.

Ego Bonizo ss.

Ego Johannes presbyter cardinalis ss.

Ego Johannes .... presb. cardinalis ss.

CCXLV.

Concordia Guidonis marchionis cum Azone priore Camaldulensi.

Anno 1138. mense julio.

Ex autographo Fontis-boni. §. Refutatio. n. 33.

Ad lib. XXVIII. n. 23.

IN Dei nomine anno Dominice incarnationis millesimo centesimo tricesimo nono Chunrado rege mense julio indictione prima. Abhorret a legibus, abhorret a bonis moribus indebitum violenter extortum, & monasterium Deo dicatum impie nequiterque vexatum. In quibus & lex, que est ratio summa, repellitur, & Deus, qui est justitia summa, contemnitur. Et cum alterum flagitii pondus crescat ex altero, hec factio pessima multo crimine cumulatur. Est etiam rapine proximum effectuque simillimum, in qua non deletur peccatum, nisi restituatur ablatum. Quod profecto vitium cum sit grave delictum, si in hac vita non corrigitur, ejus venia post mortem frustra postulatur. Quapropter in Dei nomine ego Guido marchio filius quondam Rainerii marchionis consistens in ecclesia sancti Michaelis, que est in suburbio Aritine civitatis, ante quam presente primum Deo, post vero domno Mauro Aritino presule, & donno Azzone priore Camaldulensis ecclesie, quem osculatus sum in signum pacis & concordie, per hoc scriptum refutationis, promissionis & perpetue obligationis, & Aquiliane stipulationis & acceptilationis, ad rescindendam omnem actionem, finio, transigo, refuto tibi domno Azzoni priori Camaldulensis ecclesie omnem usum de donamento, quem vel ego vel mei antecessores exegerunt in rebus Bernardini filii quondam Sidonie, quas tu vel aliquis per te possidet, & tibi serviendo detinentur ab aliquo. Unde michi vel uxori mee vel nostris filiis & heredibus aliisve succedentibus nullam reservavi potestatem, nec aliquid excepi. Exinde autem recepi a te nomine transactionis pretium & meritum in idem valens. Quod si in aliquo exinde ego vel uxor mea vel heredes nostri contra vos vel contra tuos successores aliquo ingenio presumpserimus, agere, causare, intromittere, intentionare, vel perplacitum aut extra fatigare, vel si apparuerit datum factumve huic rei nociturum per aliquod ingenium. Tunc obligo me & meos filios & heredes & pro me & pro uxore mea ego Guido marchio tibi domno Azzoni priori tuisque posteris successoribus in tua ecclesia permanentibus compositurum, & componamus penam centum libras optimi argenti, semper firma manente obligatione & transactione, quam tactis sacrosanctis evangeliis juravi omnia firma & inconcussa omni tempore, ut supra legitur, tenere. Unde hoc scriptum a me rogatum est. Actum in supradicta ecclesia feliciter.

Signum manus suprascripti Guidonis marchionis, qui hoc scriptum scribere rogavit.

Signa manuum Gerardini de Paganello, & Rolandini Pagani, & Pagani Aritii, & Bonatti Tuscani, & Gerardini Gerardi, Ugonis & Guinildi de Colle, & Giraldi de Angulare, & Ugicionis de Guiciardo rogatorum testium.

✠ Ego Guilielmus notarius scripsi & complevi.

CCXLVI.

CCXLVI.

Venditio torrarum facta monasterio S. Michaelis in burgo Pisarum.

Anno 1138. xv. kl. septembris.

Ex autographo ejusdem monasterii.

Ad lib. XXVIII, n. 18.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo trigesimo nono indictione prima, quintodecimo kalendas septembris. Manifeste sumus nos Bona relicta quondam Alferii, & filia quondam Bernardi, & Gualdrada, & Sophia, & Theodora filie quondam Uberti filii suprascripte Bone, quia communiter, & nobis Sophie & Gualdrade .... consentiente & auctoritatem prebente Rolando quondam Fal .... tutore nostro, & mihi Bone eodem Rolando primo suprascripti viri mei .... filii, & mundualdo meo consentiente, interposito quoque decreto Ugonis ..... judicis pro necessario debito funeris supradicti quondam Uberti patris nostri, & filii .... que supra Bone, & pro necessaria conductione nostra cum aliter conducere .. .. eamus & pro dote quam solvere nostre matri Aquile coharte jure .... & pro dote mea, que supra Bona, que tantum in denariis Lucensium mo .... libras centum, ut juravi per sancta Dei evangelia ante Nerbottum ..... judicem, & ante eundem ipsum Nerbottum & Ugonem judices & alios .... pise; per hanc cartulam vendimus & tradimus vobis domno Ildebrando ecclesie, & monasterii sancti Michaelis abbati venerabili, & religioso, ut ipsius ecclesie ... .., unam integram petiam de terra posita, ubi dicitur, Vigna canti ......, unum capud in ripa fluminis Arni, & in ipso Arno aliud in palude ..... in terra ecclesie, & monasterii sancti Viti, aliud in terra Bernardi quondam Stephani, & eunuchi Kaimi, & presbiteri Bullifave. Predictam petiam de suprascripta terra, qualiter ab omni parte circumdata est per designata loca, & quantumcunque est, vobis suprascripto domno Ildebrando abbati venerabili & religioso, ut ipsius ecclesie & monasterii sit, vendimus & tradimus. Unde pro supradictis causis meritum recepimus bonorum denariorum Lucensium solidos duo millia novecentos viginti, quos pro nobis in suprascriptis causis nobis, que supra Gualdrade, & Sophie, & Teodore, & Bone necessariis solvistis Uberto Roiso cognato quondam suprascripti Uberti patris nostri, & germano nostro, que supra Bone, qui & ipse hujus venditionis nobis auctor fuit in prefinito, nostra voluntate, & auctoritate suprascripti Rollandi & interpositione decreti Ugonis judicis. Quam nostram venditionem, &c.

Actum Kinsica domo suprascripti Uberti prope ecclesiam sancti Sepulcri.

Signa manuum suprascripte Bone, & Gualdrade, & Sophie, & Teodore, que, sicut predictum est, hanc cartulam fieri rogaverunt.

Signum manus suprascripti Rollandi tutoris, & mundualdi, qui & auctoritatem dedit, & hanc venditionem fieri, & cartulam rogari cum suprascripte patronus fori fecit, sic tamen ne suprascripta ecclesia diminueret illam obligationem, quam suprascriptus Ubertus eidem ecclesie fecerat.

Signa manuum suprascripti Uberti, qui & auctoritatem dedit, & Ugonis quondam Gerardi, Poppi quondam Uvidonis, Vernaccii quondam Lamberti, Bernardi quondam Folcherii, Johannis quondam Martini, Rolandi quondam Bonii, Eucherii quondam Grarabotti rogatorum testium.

Ego Ugo domni Lottarii tertii Romanorum imperatoris judex judiciorium omnium interfui, & ss.

Ego Ugo notarius apostolice sedis post traditam complevi & dedi.

Et repromissionem ad defendendum, qui per manum tenet, ad penam argenti optimi libras centum ad eundem datare meritum & testes. Et ita corporalem possessionem suprascripte ecclesie & monasterio tradidere, & suprascripta ecclesia & monasterium adeptus est & detinet.

CCXXX.

CCXLVII.

Ugo episcopus Ortellensis in Sardinia donat Azoni priori Camaldulensi ecclesiam S. Petri in Olim.

Anno 1139.

Ex autographo Fontis-boni. §. Donatio. n. 303.

Ad lib. XXVIII. n. 26.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo C. XXXVIIII. indictione II. Decet enim omnes christiane fidei amatores religionem pure diligere, & loca venerabilia, in quibus Deus per suam ineffabilem gratiam semper adesse creditur, cum ipsis personis divino servitio mancipatis attentius confovere. Quapropter ego Ugo licet indignus ecclesie sancti Johannis episcopus site in loco, qui dicitur Ortilli, per hanc paginam damus, concedimus, atque ex hauctoritate sancti Petri apostoli, & sancti Johannis & nostra, caritative tradimus, videlicet ecclesiam sancti Petri sitam in loco, qui dicitur Ollin, cum omnibus sibi pertinenciis ecclesie sancti Salvatoris de eremo Camalduli, quatinus donnus Azo prior, qui ibi preesse dignoscitur, cum ceteris fratribus in eodem loco Christo servientibus, aliique fratres in eadem eremo in perpetuum eremitice viventes ex nostra datione atque concessione habeant, teneant, possideant sine omni nostra nostrorumque omnium successorum contradictione, salvo jure matricis ecclesie. Decernimus igitur, ut nulli omnino hominum liceat eidem eremo prenominatam ecclesiam a nobis per hanc nostre donationis paginam concessam temere perturbare, aut ejus possessionem auferre, vel ablatam retinere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione & gubernatione concessimus usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre concessionis paginam sciens contra eam agere temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, ream se Divino judicio existere, & de perpetrata iniquitate anathematis vinculo dampnatam cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini nostri redemptoris Jesu Christi aliena fiat. Cunctis autem eidem loco ista servantibus fiat pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen.

Sancitum enim est in legibus, quod venerabilibus locis semel datur vel conceditur, nullo modo revocetur.

† Ego Ugo Ortellensis ecclesie episcopus ss.

Ego Petrus Turritanus archiepiscopus interfui & ss.

Ego Gualfredus Plavacensis episcopus interfui & ss.

Ego Johannes Sorrensis episcopus interfui & ss.

Ego Marianus Ardarensis episcopus interfui & ss.

† Ego Balduinus Pisanus archiepiscopus & Romanus legatus hanc cartam offersionis confirmo & subscripsi.

† Ego Azo Tyrensis archiepiscopus hanc cartam offersionis confirmo, & subscripsi.

Visitur adhuc sigillum in cera alba cum tribus consimilibus signis parvulis duas aves repræsentans.

CCXLVIII.

Bulla Innocentii II. papæ pro abbatia Vangaticiensi.

Anno 1139. v. idus aprilis.

Ex autographo penes V. Cl. Joh. Brunatium.

Ad lib. XXVIII. n. 28.

INnocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Litaldo abbati monasterii sancte Marie Vangadiciensis, quod in comitatu Montisfilicani super Adicem veterem situm est, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Apostolice sedis, cui Deo auctore presidemus, nos hortatur auctoritas, pro ecclesiarum statu satagere, & que ad earum sunt quietem disposita, propensiori diligentia stabilire. Eapropter dilecte in Domino fili Litalde abbas tuis rationabilibus postulationibus clementer annuimus, quod Vangadiciense beate virginis Marie monasterium, cui disponente Domino preesse dinosceris, quod utique a recolende memorie Ugone marchione constat esse constructum, atque a predecessoribus nostris sancte recordationis Silvestro & Calisto Romanis pontificibus libertate donatum est, tamquam ad jus beati Petri sancteque Romane ecclesie

clesie speciali prerogativa pertinens apostolice sedis privilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona dictum monasterium impresentiarum juste & legitime possidet, aut in futurum auxiliante Domino poterit adipisci, firma tuisque successoribus in perpetuum & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Villam Abbatie, in qua monasterium situm est, cum plebe sancti Johannis; Vangadiciam cum ecclesia sancti Michaelis; villam, que dicitur Salvaterra cum ecclesia sancti Antonini; Cavazanam cum ecclesia sancti Laurentii. Infra civitatem Verone ecclesiam sancti Salvatoris cum suis omnibus pertinentiis; quascumque possessiones habetis in Ilase, & in Pardulino, & in quibuscumque locis Veronensis episcopatus. In episcopatu Vicentino terra de Albereto. In episcopatu Patavensi ecclesiam sancti Petri sitam in Montesilicano cum omnibus pertinentiis; curtem Vallis Amelrici cum ecclesia sancti Andree. In Este ecclesiam sancti Firmi, & sancti Petri cum pertinentiis suis; in Palso ecclesiam sancti Michaelis; possessiones in curia Ville & in aliis locis ejusdem episcopatus. In episcopatu Adriensi Venece cum ecclesia sancti Martini; Broxetum cum ecclesia sancti Zenonis, in C..tina cum ecclesia sancti Xisti; in Gorgano ecclesiam sancti Bartholomei; in villa Comeda ecclesiam sancti Petri, & quascumque possessiones alias in eodem episcopatu habetis vel comitatu. Possessiones in episcopatu Ferrariensi, & in episcopatu Bononiensi ecclesiam sanctorum Simonis & Jude de Urbizano cum pertinentiis suis. Nulli ergo omnino hominum fas sit prefatum cenobium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere vel aliquibus vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione & substentatione concessa sunt usis omnimodis profutura. Predictorum denique nostrorum statuta predecessorum sine ulla servare volentes refragatione monasterium ipsum sub Romanorum dumtaxat pontificum tuitione positum a reliquorum dominio episcoporum cum universis, quas nunc possidere dinoscitur ecclesiis, seu quas in posterum juste acquisierit, omnino liberum & a synodalibus quibuslibet exactionibus absolutum permanere decernimus. Tibi itaque tuisque omnibus liceat successoribus vestras quaslibet ecclesias cum cimiteriis, baptisteriis, capitulis, synodis quiete possidere, easque per proprios ordinare sacerdotes, nullius episcopi obsistente contradictione. Clericorum quoque vestrorum promotiones, & consecrationes basilicarum silicet, & infantium in villis vestris positorum consignationes, ut a catholicis, quos invitare volueritis episcopis, pro reverentia sedis apostolice, nullius interveniente morbo venalitatis, peragantur, perpetua stabilitate sancimus; presbyteris insuper in parochianis monasterii ecclesiis quocumque tempore constitutis, vulgatorum pariter ac secretorum criminum sibi commissis populis injungendo penitentias presentis auctoritate privilegii sit indulta licentia. Ad eorumdem inspectabit sollicitudinem questiones, que de conjugiis emerserint, ac difficiliora quoque negotia, ut juxta sanctorum patrum terminentur instituta, ad te tuosque referre successores. Studii preterea vestri sit sacrosanctum crisma singulis annis per vestros a catholico quocumque volueritis episcopo legatos accipere, acceptum vero baptismalibus ex more ecclesiis distribuere. Sane curtis Abbatie decimam, simulque Vangadicie, Salveterre atque Cavazane, seu etiam quas antiquitus de territorio Broxeti consuevistis percipere, pietatis intuitu ex integro vobis habendas concedimus. In aliis autem locis predictorum, que propriis a vobis exculta sumptibus fuerint, ac reddituum vestrorum decimationes nostra vobis auctoritate vendicabitis. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate vel tuorum quolibet successorum nullus inibi qualibet subreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quem fuerit communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris de suo, vel de alieno religiosorum collegio, si, quod absit, idoneus ibi repertus non fuerit, secundum Dei timorem & beati Benedicti regulam elegerint, electus autem Romano pontifici consecrandus accedat. Si qua igitur *&c.*

Datum Laterani per manum Aimerici S. R. E. diac. card. & cancellarii v. id. aprilis indictione II. incarnationis Dominice anno M. C. XXXVIIII. pontificatus domni Innocentii pape II. anno X.

CCXLIX.

CCXLIX.

Altera ejusdem Innocentii II. pro monasterio Fontis-avellanæ.

Anno 1139. XVIIII. kl. junii.

Ex authentico archivi secreti Eugubini. A. I.

Ad lib. XXVIII. n. 29.

INnocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Benedicto priori eremi sancte Crucis Fontis Avellane ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris in perpetuum. Sicut injusta poscentibus nullus est tribuendus effectus, ita legitima desiderantium non est differenda petitio. Et quidem si religiosorum virorum precibus benigna mente concurrimus, nostris proculdubio opportunitatibus clementem Dominum reperimus. Ea propter dilecte in Domino fili Benedicte prior tam tuis, quam fratrum tuorum postulationibus apostolica benignitate impertimur assensum, & ecclesiam sancte Crucis Fontis Avellane, in qua divinis estis obsequiis mancipati, apostolice sedis privilegio communimus, statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona idem locus in presentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Videlicet in civitate Ariminensi ecclesiam sancti Silvestri cum omnibus pertinentiis suis; & ea, que vos constat habere tam infra quam extra civitatem Pensauriensium. In comitatu Fanensium infra civitatem ecclesiam sancti Salvatoris cum omnibus pertinentiis suis, & his, que habetis in curte Montis majoris, ecclesiam sancti Martini de Exaltaria cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam sancti Martini de Barti, & ecclesiam sancti Silvestri de Ruico cum eorum pertinentiis. In comitatu Senogaliensi infra civitatem ecclesiam sancti Bartholomei cum palatio, casamentis & aliis pertinentiis suis. Extra eamdem urbem ecclesiam sancti Septimii, plebem sancti Erasmi, & ecclesiam sancte Marie de Cerreniano cum omnibus appenditiis & pertinentiis earum; curtem Fractule cum ecclesiis & omnibus pertinentiis suis; curtem Boni Girardi cum pertinentiis suis; ecclesiam sancti Eleuterii in curte Castellari cum aliis ecclesiis & cum pertinentiis earum; curtem Calcinarie cum pertinentiis suis; castrum Laureti cum ecclesiis & omnibus pertinentiis suis; medietatem castri Nosule cum ecclesiis & pertinentiis suis. In comitatu Hesino ecclesiam sancte Crucis juxta civitatem cum omnibus his, que habetis infra civitatem & extra. In comitatu Auximano ecclesiam sancti Laurentii cum pertinentiis suis; ecclesiam sancti Superantii de Cingulo cum aliis ecclesiis earumque pertinentiis. In episcopatu Humaneto ecclesiam sancte Marie de Racanato cum aliis ecclesiis earumque pertinentiis; ecclesiam sancti Silvestri juxta castrum Guicardi cum omnibus pertinentiis suis. In comitatu Exculano ecclesiam sancti Ilarii cum omnibus pertinentiis suis juxta civitatem. In comitatu Firmano jus, quod habetis in ecclesia sancti Paterniani juxta castrum sancti Johannis cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam sancti Leonardi de Volubrio cum suis ecclesiis earumque pertinentiis. In comitatu Camerinensi ecclesiam sancti Domnini de Valentiana cum ecclesiis & pertinentiis suis; ecclesiam sancti Damiani cum aliis ecclesiis juxta castrum sancte Natolie; ecclesiam sancti Michaelis de Aqua-vivola; ecclesiam sancti Michaelis de Caniscianе cum omnibus earum pertinentiis. In civitate Spoletana ecclesiam sancti Andree cum omnibus pertinentiis suis, & ecclesiam sancti Fabiani de Trevi cum pertinentiis suis. In comitatu Nucerino ecclesiam sancte Crucis de Staviniano; ecclesiam sancti Antonini de Postiniane; ecclesiam sancti Blasii de Balciano; ecclesiam sancti Romani de Gaphano; ecclesiam sancti Prosperi de Glo . . . . . cum omnibus earum pertinentiis; jus quod habetis in plebe sancte Marie de Gualdo, & in ecclesiis sancte Marie de Rotundo, sancti Stephani de Gardinasia, & sancti Laurentii de Lametula cum omnibus pertinentiis suis & ecclesiam de Collalto. In comitatu Eugubino monasterium sancti Andree de Insula cum castris & villis & ecclesiis suis & omnibus pertinentiis; monasterium sancti Bartholomei de Camporegiano cum castris atque ecclesiis, villulis omnibusque pertinentiis suis; monasterium sancti Petri de Salajolo cum ecclesiis, villis omnibusque pertinentiis suis; ecclesiam sancti Apollinaris de Bartiano cum omnibus pertinentiis suis, tam infra civitatem quam extra. Castrum de Castellari cum ecclesiis sancti Silvestri & sancti Christophori cum pertinentiis suis; jus quod habetis in ecclesia sancti Lau-

Laurentii de Postserra cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam sancti Johannis de Bottano cum omnibus pertinentiis suis; jus etiam quod habetis in ecclesia sancti Mariani de Palcano cum omnibus pertinentiis suis; monasterium sancti Habundi & plebem sancti Angeli de Clandida cum ecclesiis omnibusque earum pertinentiis. Castrum .... cum pertinentiis suis, castrum de Ripalta cum ecclesia omnibusque suis pertinentiis; ecclesiam sancte Marie de Pondu cum pertinentiis suis. In comitatu Callense ecclesiam sancti Bartholomei de Fleruleta cum omnibus pertinentiis suis; monasterium sancti Angeli de Sorticulo cum ecclesiis & omnibus pertinentiis suis; castrum de Turre & collem de Benno cum ecclesiis omnibusque pertinentiis suis; totam possessionem Guidonis Actonis in Surclano & aliis locis; ecclesiam sancti Martini de monte Aculeo cum omnibus pertinentiis suis; castrum montis Siconis cum ecclesia sancti Angeli & omnibus pertinentiis suis; ecclesiam sancti Bartholomei, & ecclesiam sancti Marcelli de Taruco; ecclesiam sancti Christophori de Scotaneto, ecclesiam sancti Paterniani, cum jure, quod habetis in plebe sancti Flaviani cum pertinentiis suis. In comitatu Urbinate ecclesiam sancte Marie de Rancalesto, ecclesiam sancte Marie de Spineto, ecclesiam sancti Mariani de ... sancti Petri de Cruccicula cum casamentis & domibus infra civitatem aliisque pertinentiis suis. In comitatu Castellano castrum Montis majoris, monasterium sancte Crucis in eodem castro cum aliis ecclesiis, villis omnibusque suis pertinentiis. Domos etiam & casamenta infra civitatem cum pertinentiis suis. In comitatu Perusino in suburbio civitatis ecclesiam sancti Quirici cum omnibus pertinentiis suis; jus quod habetis in ecclesia de Pilo, ecclesiam sancti Blasii de Rantello, & ecclesiam sancti Martini de Mantiniano cum omnibus suis pertinentiis; heremum sancti Salvatoris de Monte albo cum ecclesiis, villis omnibusque suis pertinentiis. Decernimus ergo, ut nulli hominum liceat vos vel ecclesiam vestram super hac nostra constitutione temere perturbare &c. Si qua igitur imposterum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam &c. Conservantibus autem eidem loco, que sua sunt, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen.

Adjuva	† *nos Deus*
SCS	SCS
PETRUS	PAULUS
INNO	CENTIUS
PP.	IJ.
salutaris	*noster.*

Ego Innocentius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Gerardus presbiter cardinalis tit. sancte Crucis Jerusalem ss.

† Ego Gotifredus cardinalis tit. Vestine ss.

† Ego Martinus presbyter sancti Stephani in Celio monte ss.

† Ego Guido S. Rom ecclesie sacerdos ss.

† Ego Otto diaconus cardinalis sancti Georgii ad velum aureum ss.

Datum Laterani per manum Aimerici S. R. ecclesie diaconi cardinalis, & cancellarii VIIII. kalendas junii indictione II. incarnationis Dominice M.C.XXXVIIII. pontificatus vero domni Innocentii II. pape anno X.

Quod privilegium bullatum est bulla papali plumbea in quadam flecta setæ rubeæ, in qua bulla erant duo capita hominum designata, & super ipsa capita erant tales litteræ S. PA. S. PE. *ex alia vero parte erant aliæ literæ*. INNOCENTIUS PP. II.

Sequuntur obsignationes & testimonia trium notariorum Jacobi Soriane, Petri Joannis, & Joannis Petri, qui anno M. C. LXXVIII. *diploma istud ex autographo descripsisse confitentur coram Andrea judice, qui suum adjecit decretum, aliisque pluribus*.

CCL.

Donatio Azonis & Fulconis marchionum facta monasterio de Carceribus.

Anno 1139.

Ex Canueto penes Muratorium Antich. Estensi. P. I. p. 328.

Ad lib. XXVIII. n. 30.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo trigesimo nono indictione secunda die lune, qui est pridie nonas decembris. Ecclesie beate & venerabilis Marie virginis, que structa esse videtur in comitatu Pataviensi in fundo de Este in loco, ubi dicitur

Carcere, ubi domnus Fabianus prior adesse videtur. Nos quidem in Dei nomine Azo & Fulcho marchiones, qui professi sumus ex natione nostra lege vivere Langobardorum offertores atque donatores, propterea diximus. Quisque in sanctis &c. Ideo nos marchiones Azo & Fulcho concedimus ipsi ecclesie aquam unam ex beneficio nostro, quam nos habere & tenere visi sumus in comitatu Patavensi in fundo de Villa, in loco ubi dicitur Fossa cavata, usque ad locum ubi dicitur Scardevara. Quam istam aquam concedimus ipsi ecclesie eo videlicet ordine, ut presbyteri & clerici, qui ibi ordinati sunt, vel pro tempore ordinati fuerint, & ibidem Deo assidue servierint, habeant potestatem piscandi & cogolaras faciendi, & quidquid aliter sibi opportunum fuerit; sine omni nostra heredumque nostrorum contradictione vel repetitione, & sine aliqua impeditione piscandi, que isti aque aliquo modo noceat pro animarum nostrarum ac nostrorum parentum remedio.

Actum est hoc in Montagnana in Castellaro in domo Bulli.

Raimundus de Parcello, Isnardinus de Revedo, Boverus de Begosso, Decesius presbyter de Roncho, Bullus hujus rei testes.

Ego Opizo notarius interfui & jussione istorum marchionum hanc chartulam scripsi.

CCLI.

Charta emphyteusis facta monasterio Vangaticiensi a Gualterio archiep. Ravennate.

Anno 1139. XVI. decembris.

Ex autographo ejusdem monasterii.

Ad lib. XXVIII. n. 28.

IN nomine Domini. Anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimo nono tempore Innocentii pape die sextodecimo mensis decembris indictione tertia. Ravenne in palatio sancte Ravennatis ecclesie. Gualterius servus servorum Dei divina gratia archiepiscopus sancte Ravennatis ecclesie Liutaldo abbati monasterii sancte Marie de Vangadicia & tribus successoribus tuis post te. Petitioni tue, que habetur in subditis, libenter accommodamus assensum, ob hoc quia nec munificentia deperit, nec percipientibus in perpetuum, quod datur, aquiritur. Et quoniam sperasti uti sex uncias principales integras de fundo Honesti, & de hoc quod remanet de ipso fundo tertiam partem integram, cum terris, vineis, campis, pratis, pascuis, arboribus atque cum omnibus tibi pertinentibus a tribus lateribus supradicti fundi fundus Burseta, a quarto latere fundus Turricla & Nugaritus. Et concedimus vobis, ut superius legitur, fundum integrum, qui vocatur Turricla cum terris, campis &c. sub statuta pensione omni martio mense denariorum Veronensium vigintiquatuor &c. pene nomine auri uncias quatuor &c.

Ego Ugo tabellio Ravennas & notarius sancte Ravennatis ecclesie

† LEGIMUS.

CCLII.

Maurus episcopus Arretinus donat silvam de Pescajole Azoni priori Camaldulensi.

Anno 1140. mense aprili.

Ex autographo Fontis-boni. §. Donatio. n. 305.

Ad lib. XXVIII. n. 33.

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis millesimo centesimo quadragesimo primo Chunrado rege mense apreli indictione tertia. Quamvis inexpleta cupiditas &c. Quapropter manifestus sum ego dominus Maurus Aritine sedis episcopus & comes, qualiter per hanc cartam judicati & offersionis & donationis inter vivos pro salute ac remedio anime mee dono & trado &c. tibi domno Azoni priori monasterii sancti Salvatoris siti in Campo amabili recipienti vice ejusdem monasterii ad sumptum & usum fratrum ibidem Deo servientium &c. Id sunt e sylva nostra de Pescajole, que est non longe a civitate Aritina &c. videlicet a via mediastina inter Remondatum & Pescajole &c. cum omnibus supra se & infra se & cum omni jure predii rustici in integrum .... ego qui supra dominus Maurus episcopus tibi suprascripto domno Azoni priori dono, trado, & per hanc cartam te ex omni jure ac directo & tenimento meo investio ad faciendum tu tuique posteri successores in suprascripta vestra ecclesia permanentes, dantes eos si vobis placuerit jure livellario, vel breviario, aut precario, vel enphiteoticario, cui volueritis, attamen semper remanendo vobis, ut supra scriptum est, jamdicta proprietate & usu quid-

quidquid volueritis sine mea meorumque posterum successorum molestia vel litis causatione, quod si in aliquo exinde contra vos aliquo ingenio presumpserimus agere, causari, intromittere, intentionare, vel per placitum aut extra fatigare, aut si omni tempore ab omni persona non potuerimus defensare &c. quod si non defensaverimus &c. vel si apparuerit datum factumve huic rei nociturum per aliquod ingenium, quod homo in se cogitare potest, aut si nos vel aliqua persona hec infringere temptaverit, & statim, ut hec audierit, non resipuerit a sua mala cogitatione, non solum habeat maledictionem omnipotentis Dei, & omnium Sanctorum & Sanctarum ejus, & cum Dathan & Abiron sit deputatus, & Jude traditori assimilatus, & in perpetuo vinculo anathematis alligatus, sed insuper de nostris ipsis rebus componamus & componat eas vobis in duplum in propinquis & in consimili locis, prout tunc valuerint, sub extimatione pretii, & insuper penam xxx. librarum optimi argenti semper firma manente hac cartula; unde a me suprascripto Mauro episcopo hec carta rogata est.

Actum in suburbio Aritine civitatis. Feliciter.

Signum † manus suprascripti episcopi, qui hanc cartam, ut supra legitur, scribere rogavit.

Signa †††† manuum Gregorii filii Pagani, & Tancredi filii Richelde, & Teuzonis pictoris, & Clavelli filii Guidonis rogati testes.

† Ego Maurus humilis minister Aritine ecclesie subscripsi, sicut supra legitur.

† Ego Rainerius arch. sancte Aretine ecclesie manu mea confirmo & subscribo.

† Ego Sichelmus camerarius.

† Ego Johannes sancti Michaelis sacerdos interfui, & manu mea subscripsi.

† Ego Saracinus judex huic officio ab imperatore delegatus huic pie donationi interfui & subscripsi.

Ego Guillielmus judex & notarius scripsi & complevi.

CCLIII.

Concordia inter Henricum episcopum Bononiensem, & Raynerium abbatem S. Michaelis castri Brittorum.

Anno 1140. v. nonas octobris.

Ex autographo Fontis-boni. §. Transactio. n. 2.

Ad lib. XXVIII. n. 34.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Breve recordationis pro modernis ac futuris temporibus ad memoriam habendam vel retinendam, qualiter fuit litigium inter episcopum Henricum Bononiensem, & abbatem Raynerium monasterii sancti Michaelis, quod est fundatum & edificatum in massa Paterno, videlicet de ecclesia sancti Johannis in Isola, & de presbytero Ugone, qui ibi habitabat, & erat conversus prefati monasterii, atque de ecclesia, que erat in curia de castro Britti, & de placito & banno, quod ibi causabat. Venerunt tamen utrique ante dominum papam Innocentium apud Romam, ibique examinatum fuit. Tunc dominus papa precepit domino Longino presbytero cardinali, ut ipse inter eos definiret. Venit igitur ipse venerabilis cardinalis in territorio Bononiense apud monasterium sancte Cecilie, & ante se fecit utrosque venire, & ibi secundum quod ratio postulabat, inter eos definivit. Tunc episcopus Henricus per ferulam, quam manu tenebat, refutavit in manu supradicti cardinalis ad opus suprascripti monasterii ecclesiam sancti Johannis in Isola, & presbyterum, qui ibi habitabat, & aliam ecclesiam de curia castro Britti statim destruere statuit, & aliam non amplius edificare firmavit in tota curia castri Britti, & placitum, & bannum, & omne jus & actionem, quam in predicta curia vel in suprascripto monasterio causabat, per omnia refutavit. Hoc autem actum est anno Dominice incarnationis millesimo centesimo quadragesimo quinto nonas octobris indictione tertia. In presentia & testimonio monachorum, clericorum & laicorum, Dominici monachi, & Gerardi Ravennatis, & Johannis & Gerardi, qui Birrotio vocatur, & archidiaconi Bononiensis ecclesie, qui Morello vocatur, & Alberti, qui vocatur Mal..s..do, & Angeli, qui Antichristo vocatur, & aliorum plurimorum.

Ego Azo Dei gratia notarius per jus-

sionem predicti domini Longini, & domini episcopi Henrici hanc cartulam, ut supra legitur, scripsi.

CCLIV.

Commutatio ecclesiarum & castrorum facta inter Azonem priorem Camaldulensem & filios Ubertini.

Anno 1141. prid. kl. junii.

Ex autographo ejusdem archivi. §. Permutatio. n. 21.

Ad lib. XXVIII. n. 35.

IN Dei nomine anno Dominice incarnationis centesimo XXXXI. post mille pridie kalendas jungnii indictione quarta feliciter. In Dei omnipotentis nomine & individue Trinitatis, a quo cunta bona procedunt, nos quidem Tribaldus & Guido & Reinerius germani filii quondam Ubertini Guilelmini, & Adalasia filia quondam Ubaldini dicta jugalis predicti Guidonis, & interrogata sum a Servio judice, ut si ego per alicujus hominis virtutem aut ipsius Guidoni mundualdi mei hanc cartulam & commutationem fecisse aut non, set ego manifeste dixi, quod per nullius hominis virtutem nec ipsius Guidonis mundualdi mei facio, sed per mea bona voluntate facio, & ipse mundualdus meus mihi consensit & largietatem dedit; communiter nos germani & Adalasia per hanc cartulam damus & concedimus atque commutamus tibi Azoni venerabilissimo priori ecclesie & monasterii sancti Salvatoris sitam in loco Campo amabile vocabulo a vice ipsius ecclesie & monasterii, videlicet totam ipsam terram integram, quam Albericolus per predictum Ubertinum patrem nostrum per feudum habuit & detinuit, vel alii per eum, quam de ipso feudo esset infra castrum & curtem & districtum de Partina, quia mensurata & existimata est a Servio judice, & similiter quam mensurata & extimata non est, ubicumque invenitur esse, quam de ipso feudo fuit, & insuper tota integra ipsa terra, quam mensurata & extimata a Servio judice de terra ipsa, quam Amedeolo & Caffaro detinuerunt per predictum Ubertinum patrem nostrum infra plebem sancte Marie sitam Partina. Et insuper ego, qui supra, Tribaldus concedo tibi, qui supra Azoni priori vice predicte ecclesie & monasterii totam ipsam integram terram; quam mihi ante hos dies per cartulam venditionis evenit ab Albertino de monte Maio filio Ildebrandi, quam est totam integram suam portionem de curte & castro & districto de Partina cum casis, cascinis, terris, vineis, sortibus & donicatis, & massaritiis, pratis, pascuis, silvis, cultis terris & incultis, divisis & indivisis, & cum patronatu ecclesie sancti Petri sitam Partina cum ejus pertinentiis, & cum aquarum cursu, rivum & fluminum, & cum omnibus supra se & infra se habentes in perpetuum, ut ipse habebat & detinebat, vel alii per eum, & ei a consortibus & parentibus suis partem contangnebat vel contingere debebat in perpetuum, tibi concedo vice predicte ecclesie & monasterii: & insuper totam integram ipsam terram, quam mihi evenit per comutuationem a Reinerio abbate de ecclesia & monasterio sancti Petri sitam in loco Ruota, quam est totam integram ipsam terram, quam ipsa ecclesia abebat & detinebat vel alii per eam. Videlicet quam detinet in Mogiona Leolo Cettighise & Guido Turladore vocatus, & Leolo Macone, & Petrus Grieco, & Brunitto del cavaliere, & Johannes Parliere, & quam Ursulo Bambalo detinuit. Et totam quam ad donicatum abebat in loco Vingnano vel in aliis locis & vocabulis ubicumque ipsa ecclesia & monasterium sancti Petri suo donicato abebat infra predictam plebem sancte Marie, cum ecclesia sancte Flore & ejus possessione; & quam Johannes presbyter & Blanco & consortibus eorum detinent de pratale in valle de Salce vel in aliis locis per predictam ecclesiam & monasterium sancti Petri; omnia in perpetuum ubicumque ipsi tenitores habuerunt & tenuerunt per ipsam ecclesiam, & donicata terra similiter ubicumque abebat tibi predicto Azoni priori vice ecclesie monasterii sancti Salvatoris concedo cum omnibus reditibus & obedientiis & servitiis & usibus & decimis, & tam ipsa servitia, que ipsa ecclesia & monasterio sancti Petri abere solet & debet, quam & ipsa servitia & obedientie & usu juste vel injuste nos predicti germani, que recipere soliti sumus per nos vel per nostros missos de predictis terris; & nullam in nobis reservamus potestatem vel aliquam actionem, aut predicte Adalasie, sed in integrum cum omnibus supra se, & infra se habentes tibi Azoni priori concedo, ut supra dictum est. Et insuper ego, qui supra Tribaldo, concedo tibi predicto Azoni priori vice ecclesie predicte & mo-

& monasterii sancti Salvatoris pro me & vice predictorum Guidonis & Reineri fratrum meorum, & predicte Adalasie, mandatu quorum & consensu, & pro omnibus hoc facio, videlicet totam integram terram, quam nos abemus & detinuemus ad nostrum donicatum in loco a le Purina vocato; & totam integram ipsam terram, quam Johannes Ursuli & Ugo frater ejus detinent in ipso loco a le Purina; & quam Gerardus Romano per nos detinet totam ubique & fuit Albertini de Monte magio; & totam quam Petrus cecus & Ugo filius ejus detinuit similiter; & totam quam Ursulus Ghisulis de Valle detinuit ubique; & totam quam Gerardus, Vacajo vocatus, detinuit per nos vel per predictum patrem nostrum detinuit in loco Munti vel in alium locum ubicumque per nos, vel per predictum patrem nostrum; & terram Mussitti, & fratrum ejus & Leoli Farnai & filii Corbulini in loco Musceo; & terra Frankitti in loco a Locelli; & tres sestariora de terra in loco Partina, quam comutuavimus cum Bernardino Guidonis Reinerii; & una platea terre ante castrum de Partina, ubi est casa de Crevellaro, & totam terram quam Sengnorello de Lunnano, & Ughetto filius Ugonis Rodulfini, & Bulgarino, & Spinellus, & Finellus habent, & detinent, vel alii per eos in culto donicato predicte ecclesie & monasterii sancti Salvatoris in loco Soci; & similiter totam eorum terram in loco a la Bancola; & insuper concedo tibi qui supra Azoni priori vice predicte ecclesie & monasterii sancti Salvatoris quatuor modiora de terra & bosco ad justam mensuram ad sestarium de panibus decem *&c.* Et insuper manifesti sumus nos qui supra germani & vice predicte Adalasie, quia propter nostram concessionem & commutuationem predictam recepimus commutationem a te predicto venerabilissimo Azone priore vice ecclesie & monasterii sancti Salvatoris predicte de terris & rebus ejusdem ecclesie & monasterii, videlicet totam integram portionem de curte & castello de Calcano & districto cum sua pertinentia, quam ei ecclesie & monasterii pertinebat & abebat & detinebat, vel alii per dictam ecclesiam & monasterium; & de curte & castello & turre de Favule cum sua pertinentia, & curte de Punina, & curte de Cinnina; & una petia de terra & olivito posita in curte de Munte Jovi in loco Matrongnano; & una petia de terra in curte de Marcina; & terram in loco Formentioni; & totam terram, quam ipsa ecclesia & monasterium abebat & detinebat, vel alii per eam infra plebem sancti Quirici, in loco Matille vocato, & Ancharuna, & Tuniolo & Vinerbi; & infra plebem sancti Casciani sitam Campavanam in loco Sersina. Ideoque predicta castella & curtes & terre cum casis, cascinis, terris, vineis, sortibus & domnicatis, & massaritiis & ecclesiarum patronatu, & cursu aquarum & fluminum cum molendini edificium, & cum omni supra se & infra se habentes, que ad ipsa castella & curtes & terre sunt pertinentes, & per ministralem predicte ecclesie & monasterii sancti Salvatoris de predicta curte de Cinnina recte erant, excepto terre & curte ejus de Bamsciano, omnia alia a predicto priore recepimus, ut supra dictum est, in perpetuum. Et insuper obligamus nos, qui supra germani, & Adalasia & nostros heredes predicte ecclesie & monasterii sancti Salvatoris, quod si aliquo tempore apparuerit aliquod a nobis vel a nostris heredibus in aliquam personam datum, aut factum, aut scriptum, unde adversum predictam ecclesiam & monasterium sancti Salvatoris aliqua contentio moveatur vel per nos, vel per aliam qualemcumque personam a nobis summissam, vel non tam ipse ecclesie & monasterii, quam & cui ex parte ipsius ecclesie & monasterii predicte res evenerunt, inquietaremus; aut si de alia parte in aliqua lite de predictis terris & rebus evenerit in aliquo modo, & cum ipsa ecclesia & monasterio non steterimus, & ab omnibus hominibus utriusque sexus predicte terre & res non defensaverimus ad partem ejusdem ecclesie & monasterii proprietario nomine, tunc ibi vel in consimilibus locis in duplum compouituros esse debeamus predictum castellum & terre & res ad partem ejusdem ecclesie sancti Salvatoris de nostris propriis curtibus & castellis proprietario nomine & terris & rebus, sicut pro tempore meliorate fuerint aut valuerint sub extimatione ad utilitatem ejusdem ecclesie & monasterii. Acta in castro de Leone feliciter.

Singna manuum predictorum germanorum & Adalasie, qui & que hanc cartulam in omnibus, ut supra scriptum est, fieri rogaverunt feliciter.

Singna manuum Grinte filii Rodulfini de Camparana, & Reineri Griffuli de Fighine, & Fini filii Rodulfini de Linare, & Gottulini de Ringnano filii

Got-

Gottuli rogati testes, ut supra.

Ego Servius Grandi notarius & judex predictam mulierem interrogavi, & hanc cartulam scripsi, & omnia predicta extimavi, & mensuravi, & quam fideliter coequavi ad salvamentum partium.

CCLV.

Testamentum Astulfi, quo heredem bonorum suorum relinquit eremum Camaldulensem.

Anno 1141. mense octobri.

Ex apographo ejusdem chartarii. §. Donatio. n. 307. §. Testamentum. n. 3.

Ad lib. XXVIII. n. 36.

EXemplum cujusdam publici instrumenti, cujus tenor talis est. Quum sacre leges celi & fori ultimas defunctorum voluntates *&c.* Ego Astulfus filius quondam Ugolotti providens mihi & propinquis meis hanc de bonis meis ordinationem facio, scilicet omnia mea bona sub hac conditione patrui meo Quintavalli derelinquo, ut si heredem, idest ex uxore filium filiamve legitimos reliquerit, predicta mea bona inconcusso & perpetuo jure penes eum eosve remaneant. Si autem sine predictis heredibus jamdictus Quintavallis decesserit, prefata omnia mea bona absque omni conditione & gravamine recta via & jure ecclesiam sancti Salvatoris de eremo Camalduli deveniant, ubi domnus Azzo venerabilis prior presse videtur, quatenus exinde perpetua firmitate, & jure inconcusso ipsa ecclesia prefata mea bona cum integritate possideat *&c.* vel si aliquo quocumque modo detenta fuerint ea revocare, vendicare, repetere absque omni exceptione ex mea vel alterius persona nitente potestatem penitus habeat *&c.* Hec omnia suprascripta jam dictus Astulfus disposuit *&c.* in presentia Amidei de Pantaneto, & predicti Quintavallis, & Giraldi de Anglare, Berardi filii Sardole, fratrisque ejus presbyteri Aldebrandi, presbyteri Berardi, archipresbyteri Uberti, Rolandini de Villano. Anno autem Domini M.C.XXXXI. mense octubri indictione IIII. presidente Innocentio papa II. regnante Conrado rege, in episcopatu Castellano Gavizzo episcopo, in Arretino Mauro episcopo.

Ego Johannes notarius huic testamento interfui, & hoc postea scripsi.

Ego Petrus not. *&c.* ego Martellus not. *&c.* ego Bartolus not. *&c.*

CCLVI.

Emphyteusis terrarum facta a Balduino archiep. Pisano Ildebrando abbati S. Michaelis Pisarum.

Anno 1141.

Ex autographo ejusdem archiepiscopii. n. 342.

Ad lib. XXVIII. n. 37.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo quadragesimo secundo tertio kal..... indictione quarta. Manifestus sum ego Ildebrandus abbas monasterii sancti Michaelis, quia vos donnus Balduinus Dei gratia venerabilis Pisanorum archiepiscopus per cartam libellario nomine ad censum perexolvendum dedisti nobis unam integram petiam de terra arabile de tumulo prope ecclesiam sancti Petri ad Gradum habens ambo capita cum latere in terra vestra, quam vobis reservatis, & aliud latus in terra, quam per libellum abemus a predicto sancte Marie archiepiscopatu, & est per mensuram ad justam seminaturam stariorum triginta, hec predicta petia de terra juris sancte Marie, qualiter ab omni parte circumdata & mensurata est per designata loca integra, cum inferioribus & superioribus suis, seu cum finibus & ingressibus suis, ut dictum est, nobis eam libellario nomine dedisti tali ordine, ut a modo in mea meorumque successorum sit potestate, eam abendi, tenendi, imperandi, gubernandi, laborare faciendi & meliorandi, & nobis eam privato nomine habendi, & usufructuandi. Et inde ego, & mei successores per nos, vel per missum nostrum hic Pisis ad curiam vestram vobis, vestrisque successoribus, aut ministeriali vestro, qui pro tempore fuerit, per singulum annum in resurrectionis pascha censum denarios bonos expendibiles Lucensis monete numero duodecim tantum. Si nos vobis hec omnia, que supra leguntur, taliter non adimpleverimus, & non conservaverimus, aut si predictam petiam de terra, quam nobis libellario nomine dedisti, relaxaverimus per quodlibet ingenium, spondeo ego una cum meis successoribus componere vobis, vestrisque successoribus penam argenti optimi libras viginti, & in tali ordine hec scribere rogavimus Rodulphum notarium apostolice sedis. Actum Pisis in ejus curia. Ego Ildebrandus abbas sancti Michaelis in hoc lappa-

ro

ro subscripsi. Et ego Guido prior sancti Michaelis subscripsi. Et ego Bernardus camerarius ss.

† Signa manuum Alberti & Bandini germani filii quondam Alberti, & Burrara quondam Lamberti, & Bonfilii Pilati testium.

Ego Rodulphus notarius apostolice sedis post traditam complevi, & dedi.

CCLVII.

Caccialupus Sutrinus judex cogit Paterenses ad restitutionem eorum, quæ tenebant de jure S. Gregorii de Urbe.

Anno 1142. mense januario.

Ex codice ejusdem monasterii, pag. 181.

Ad lib. XXVIII. n. 39.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ejus millesimo centesimo quadragesimo secundo temporibus domni Innocentii secundi pape januario mense indictione quinta. Quia omnia memorie retinere plus est divinitatis, quam humanitatis, iccirco ego Caccialupus Sutrine civitatis Dei gratia judex auctoritate & precepto domni Leonis Petri Leonis, & Petri filii ejus civitatis Sutrine presidis a domno Innocentio secundo papa delegatorum, in quorum presentia populus Sutrinus causa justitiam faciendi congregatus erat, ea de quibus hec conficere rogatus sum, publicis scripturis ad utilitatem domini nostri Jhesu Christi, & beatorum apostolorum Petri & Pauli, & sancti Andree & sancti Gregorii in clivo Scauri, etiam ecclesie sancte Fortunate denotare curo. Igitur universi, qui vulgo Paterenses vocantur, eo quia sub jugo peccati retinebant omnia, que de predicta ecclesia sancte Fortunate accipiebant, sive per consuetudinem vel feudum, aut alio qualicumque modo petere potuerunt intus & de foris per investimentum ibidem renunciaverunt & refutaverunt Paterenses unus scilicet quisque pro se & pro heredibus suis pro redemptione animarum suarum, renuntiaverunt & refutaverunt in perpetuum: primus equidem Tediscus Girardi de Rupizo in hac refutatione initium sumpsit. Secundus Eurigus cum Cacciaguerra fratre suo. Tertius Donus cum Centio & ceteris fratribus suis. Quartus Synibaldus cum Jonata & Maccule fratribus suis. Quintus Lotharingus cum Johanne & Gregorio fratribus suis. Sextus Quintavallis cum fratribus ceteris. Septimus Arciuldus. Octavius Petrus Pupizocli. Nonus Guido calvus. Decimus Tediscius Bonifemoris filius, Undecimus Guidutius Saffonis. Hec omnia suprascripta nos Paterenses pro nobis & pro heredibus nostris observare promittimus in perpetuum: & si contra hanc refutationem in aliquo tempore venire presumpserimus, tam nos quam nostri heredes componamus pro pena monasterio sancti Gregorii unam bonam auri libram, & soluta pena hec cartula firma permaneat. Eamdem vero refutationem fecit Johannes Guidutii Turrionis de duobus mensibus molendini, quos tenebat tali tenore, ut uno ex his duobus se vivente fruatur, post mortem vero suam usufructus ad proprietatem sine calumpnia revertatur.

† Guido Raynerii, Crescius Cresci Arnolfi, Tebaldus Paldini, Gregorius Cerini, Gottifredus Johannis Petri, Conversus Marmorarius, Nicolaus de Mele, Petrus Molinarius rogati sunt testes.

Ego Caccialupus judex signum ad confirmandum signavi.

CCLVIII.

Testamentum Azonis marchionis Estensis.

Anno 1142. xv. julii.

Ex Canneto apud Muratorium Antich. Estensi P. I. p. 330.

Ad lib. XXVIII. n. 30.

ANno Domini millesimo centesimo quadragesimo secundo indictione quinta die quintadecima mensis julii. Bonum & utile est homini ante migrationis sue diem suas res, secundum quod melius videtur, pro anime sue mercede disponere & ordinare coram testibus, & notarium roget scribere, ne post eum jurgia ea ratione generentur. Quapropter ego Azo marchio, qui professus sum lege vivere Langobarda, qui res meas mobiles & immobiles ita disponere volo, ut sic post meum discessum permaneant, qualiter hic subter declaravero; ideoque volo, ut pro anime mee mercede, quod hospitale de Rusalem habeat totum illud, quod habeo jure proprio, jure libellario, emphiteotico seu colonario, omne quod relinquere possum a Lusia & a Remedello de Fratta, & a villa Comitisse usque ad Venetiam, & usque ad plenum mare. Item quod habeo in comitatu Rodigii & Gavelli & Adriani, & meam portionem de hoc quod . . . meo aquisivi in Tribano & in Agua. Hoc totum cum pascuis, cum

silvis,

silvis, cum paludibus, cum aquis & cum omnibus adjacentibus. Volo ut uxor mea Aichiva habeat totum illud, quod habeo in curte Urbane, ita tamen hoc, quod in feudo est, vassalli teneant ab ea sine fidelitate, excepto si ille vassallus est, qui per medium mansum, vel per unum vel per duos usus sit facere fidelitatem. Volo iterum, ut habeat partem meam de Caracedulo, quam divisi a fratribus meis. Volo etiam, ut habeat partem meam de Frata a flumine Athesis usque ad hospitale trium Comitatuum cum omnibus runcis & silvis, que sunt juxta meam portionem Frate, & cum illo territorio, quem Martinus de Ponte tenebat, & cum ea portione de casellis trium Comitatuum, & si quid habeo in sancto Salvatore, quod mei juris sit. Insuper volo, ut habeat meam portionem Silvaroli cum runcis, silvis seo locis, totum hoc relinquo ei pro centum & sexaginta libris Veronensium, quas ego de suis expendi; & pro quanta portione & omni jure, quod habeo in meis rebus, volo ut fratres mei omnes sint mihi heredes & habeant omne, quod habeo in Langobardia & in Merlaria & in Este, & in omnibus aliis locis, exceptis nominatis, & excepta Montagnana & exceptis, que servi mei habent & ancille, & exceptis meis mobilibus rebus, volo autem, ut omnes servi mei & ancille sint libere post meum discessum. Hoc totum volo, ut post meum discessum firmum permaneat semper, quia sic decrevit & statuit mea voluntas.

Actum in Montagnana feliciter.

Signum manibus Johannes & Henricus & alius Henricus judex, Isnardus sacri palatii notarius, Albericus de Nogarola, Albertus, Wido, Rolandus filius Henrici judicis, Manfredus de la Rocha.

Ego in Dei nomine Guibertus notarius hanc cartam testamenti manu propria scripsi & dedi.

CCLIX.

Donatio Quintavallis filii Ugonis facta eremo Camaldulensi.

Anno 1142. mense octobri.

Ex autographo Fontis-boni. §. Donatio. n. 307.

Ad lib. XXVIII. n. 38.

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis millesimo centesimo quadragesimo secundo, mense octobris indictione sexta. Quisquis in sanctis ac venerabilibus locis &c. quapropter manifestus sum ego Quintavallis filius quondam Ugonis, qualiter per hanc cartam donationis atque offersionis ad honorem Dei omnipotentis jure proprietario pro salute anime mee atque parentum meorum do, trado, atque offero ecclesie sancti Salvatoris site Campomaldoli totam terram mei juris, quam ego habeo & teneo, & alius meo detinet nomine, tam in planis, quam in montibus, culta & inculta &c. castella, villas, predia rustica atque urbana preter ea, que pater meus emit ab abbate sancte Flore in Verrazzano. Quam utique terram, preter illam, quam ab hac donatione exceptavimus, cum omnibus rebus, que supra se & infra se habet, & patronatum mearum ecclesiarum in integrum, sicut superius legitur, ego suprascriptus Quintavallis prefate ecclesie do, trado atque offero per manum domni prioris Aczi ad habendnm &c. Faciendum exinde jure proprietario, quicquid jamdictus prior voluerit, aut illi, qui in prefata ecclesia . . . . modo fuerint, & per hoc instrumentum jamdicte ecclesie facio investituram. Et insuper ego Quintavallis promitto atque obligo me meosque heredes prefatam terram suprascripte ecclesie ab omnibus hominibus legaliter defendere, & ex ea per unumquemque annum tres solidos denariorum Lucensium pro pensione per me aut per meum nuntium suprascripte ecclesie persolvere. At si jamdictam terram prefate ecclesie ab omnibus hominibus utriusque sexus legaliter non defensaverimus, aut si eam tollere, contendere & minuere eidem ecclesie aliquo modo temptaverimus, nisi pro comodo ejusdem ecclesie, tunc simus compositturi jamdicte ecclesie LX. libras denariorum Lucensium universaliter currentium nomine pene, & post penam solutam hec carta firma permaneat, & suum vigorem habeat, atque cum rebus in ea scriptis transactive suprascripte ecclesie revertatur. Et pro hac donatione ego suprascriptus Quintavallis a domno priore Azzo, atque a nonno Rolando atque aliis fratribus congregationis recepi meritum seu launechil secundum legem in idem valente. Unde ego Quintavallis hanc cartam donationis atque offersionis, qualiter superius legitur, a Johanne notario scribendam esse rogavi.

Signum manus suprascripti Quintavallis, qui hanc cartam donationis atque offer-

offertionis fieri rogavit.

Singna manuum Ugonis de Colle, atque filii sui, qui eodem vocatur nomine, atque Giraldi de Anglare, atque Berardi filii Sardole, qui rogati sunt testes.

Hec carta tali pacto atque conditione a Quintavalle fieri rogata est, si ipse ab hac vita decesserit, itaut legitimos non relinquat filios, hanc cartam prefate ecclesie revertatur jure proprietario. Item si ipse Quintavallis legitimos reliquerit filios, & ipsi obierint filios legitimos non relinquentes, tunc hec carta cum rebus in ea scriptis transactive jamdicte ecclesie, scilicet sancti Salvatoris absque omni conditione revertatur. At si legitimos reliquerit filios, ipsi habeant, eam terram, sicuti habet pater eorum absque omni conditione & sine omni pacto. Et ipse Quintavallis in suo fine relinquet suprascripte ecclesie xx. libras denariorum Lucensium pro redemptione anime sue, aut per terram, aut per aliud mobile tamtumdem valens, & corpus suum.

Ego Johannes notarius scripsi & complevi, & hanc obligationem statuit prefatus Quintavallis teneri filios & nepotes & pronepotes, ut si decesserint absque filiis legitimis, prefata hereditas per omnes gradus ad predictam ecclesiam revertatur, & sic usque in perpetuum.

CCLX.

Commutatio terrarum inter monasteria Strumi & Prati-veteris.

Anno 1143. mense februario.

Ex archivo parthenonis Prati-veteris.

Ad lib. XXVIII. n. 34.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ab incarnatione ejus M. C. XLIII. mense februarii indictione VI. feliciter. Commutatio bone fidei cognoscitur esse contractus, ut vice emptionis obtineat firmitatem, eodemque nexu obligat contrahentes. Et ideo ego domnus Vitus camerarius ecclesie sancti Fidelis dare providi tibi Johanni castaldio ecclesie de Prato Veteri, ubi modo domna Sophia preesse cognoscitur, integre unam vineam nostram, que est in loco posite prope domum Girardini, sicut olim fuit Azi de Valle Clara, pro qua recepi a te unam petiam terre in campo sodo. Unde obligo me, meosque successores supradicte abbatisse, suisque successoribus, si unquam in tempore presumpserimus, agere, causare, retollere, vel minuare, vel si ab omni persona hominum non defenderimus, tunc in duplo tantas & tales res, quales tunc ipse fuerint, aut valuerint, eidem ecclesie restituamus, & persolvamus. Unde hanc cartam scribere rogavimus.

Actum Strumi feliciter. Signum manus Alberti filii bone memorie Rainerii, & Petri filii olim Alberti, & Godi Davanzii rogatorum testium.

Ego Ugo judex & notarius scripsi & complevi.

CCLXI.

Donatio facta monachis Vangaticiensibus.

Anno 1143. III. idus aprilis.

Ex autenthico abbatiæ Vangaticiensis.

Ad lib. XXVIII. n. 43.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno incarnationis ejus mill. C. XXXX. tertio in die dominico in die tertio idus aprilis inditione VI. Scola monachorum sacerdotum, diaconorum atque clericorum da monasterio sancte Dei genitricis Marie in loco, qui vocatur Vangadiccia, ubi nunc presenti tempore domnus Litaldus abas esse videtur, & multe res a bonis hominibus delate sunt, nos in Dei nomine omnipotentis Prandus & Ma . . . ga jugales de vico Portus, damus, cedimus & offerimus suprascripto monasterio, idest tera cum vineis, que sunt ordines sexdecim juris nostri, & est ad fitum reddendum omni anno denarios duos & medium. Que terra jacet in fundo Portus loci, ubi dicitur Zocoledo, infra ipsam villam; de uno latere Johannes, de alio heredes Turhci, de uno est publica via, de alio Talamacus. Et insuper refudo ego Prandus totum feudum, quem reneo a suprascripto monasterio, ut permaneat jus dicti monasterii, & si frater meus Maletindus aliqua causa monasterium impedire voluerit de suprascripto feudo, tunc volo & do omnes meas rationes suprascripto monasterio, idest cambium, quod dedi suprascripto fratri meo, de hoc feudo, nominative ordines vinearum quattuor usque ad pedes quinque loci Casalpuneno, sicut ipse frater meus confessus est. Et insuper obligationem, quam mihi fecit libras xx. denarios x. si de hoc fundo amplius agere vellet dicendo, quod aliquid sibi pertinet.

net. Que autem suprascripta terra cum vineis juris nostri ab hac die damus, cedimus atque offerimus suprascripto monasterio, usumfructum tamen in nobis retinemus diebus vite nostre, post nostrum autem discessum corporis, tunc ususfructus & omne jus suprascripte offersionis abeat suprascriptum monasterium, ita ut transeat perpetualiter de sacerdotibus in sacerdotibus, qui ibidem militaverint at usum & sumtum suprascripti monasterii. Et insuper volumus, ut habeat nostrum feudum, ut supradiximus, & omnes nostras raciones, sicut superius legitur, sine omni nostra heredumque nostrorum contradictione vel repeticione. Et si ad necessitatem venerimus, ita ut nos retinere non possimus, quod absit, & de monasterio non habuerimus, unde nos retinere valeamus; tunc suprascriptam terram cum vineis, que suprascripto monasterio offerimus in nostra sit potestate, sicut inpignorandi, & utendi, ut nos retinere possimus, post nostrum autem discessum sit ad usum & sumtum suprascripti monasterii, ut superius legitur, & nec nobis liceat ullo tempore nolle quod volumus, sed quod a nobis semel factum est vel conscriptum, inviolabiliter servare promittimus cum stipulatione subnixa. Testibus avocatis his Albertus Andree, Adalardus, Miro, Ugo, Johannes, Brunus Anedi, Idraldus Porti, Martinus Farina, Ugo & plures.

Ego Wilelmus sacri palatii notarius ab omnibus partibus rogatus hoc authenticum exemplum scripsi, sicut in illa cartula legi & reperi, sic complevi.

CCLXII.

Charta emphyteusis pro monasterio S. Hippolyti de Faventia.

Anno 1143. XXVII. junii.

Ex autographo ejusdem monasterii. n. XVI.

Ad lib. XXVIII. n. 42.

IN nomine Domini amen. Anno millesimo centesimo quadragesimo tertio regnante Conrado Romanorum rege die vigesimo septimo mensis junii indictione sexta in monasterio sanctorum martyrum Laurentii, & Ipoliti. Quia petivi a te dopno Johanne Dei nutu presbitero & monacho atque abbate jam fati monasterii per consensum monachorum tuorum dicti monasterii, ideo concessisti mihi presenti Zanzulino perceptori pro me & pro Ermengarde uxore mea, seu filiis nostris masculis, & si masculi deerint, tunc uni filie nostre femine, cui dicta placuerit, tamen sub potestate Drudonis presbyteri, & matris ejus, donec vixerit, idest tertiam partem unius mansi terre in loco, qui dicitur Trebana, vel in tota sua pertinentia, constituta territorio Faventino plebatus sancti Valentini in Tredhaucio cum omnibus sibi pertinentibus, concessisti nobis, ut superius legitur, ad habendum, tenendum, in omnibus meliorandum, supersedendum in annis viginti & novem ad renovandum sub teratico de labore majore septimum, vino tertio, de grano starium unum, in tertiam partem alterum, & habeamus duas tornaturias sine terratico, ubi resideamus, & in omni anno pullos duos, & tortam unam, & in Natali Domini omni tertio anno de porce spallam unam, & fogacias duas, cetera vero servitia secundum morem loci & vestrorum consortum redditum reductum .... est, persolvamus Calciarii nomine solidos decem monete Venete, & auctorizare, & defendere promisisti cum tuis successoribus, ut superius legitur, & nos omnia ista observare promittimus sub nomine pene unius uncie auri, & maneat firma peticio. Scripta per manum Albertini Faventini notarii, prout superius legitur.

CCLXIII.

Donatio facta plebi S. Mariæ de Colle comitatus Senogalliensis.

Anno 1144. mense martio.

Ex autographo S. Blasii de Fabriano.

Ad lib. XXIX. n. 6.

† IN nomine Domini ab incarnatione Domini nostri Jhesu Christi agni ejus millesimo C. LXIIII. & die mense marcio indictione una, & a tenpus de papa Celestio. Ideoquen ego Acto filio de Lubreto propria mea bona voluntates, & secundum mea lex Langobardorum, & per parabula de Acto de Berarde fratre ea vindimus & tradimus & trasactavimus vobis beata donpna sancta Maria plebe Colle sancte Marie, & ad vobis Andrea presens plebano de la plebe & a vestrisque sucebsoribus in perpetuum, est ipsa tera ipso Cerqueto infra comitato Sinogaliensi & in ... de le Mole a primo latere rigu de le Mole, & II. l. via plubica & III. l. de Ogolino de Gozo & IIII. l. de ipsa sancta Maria & infra isti lateribus do vobis omnia ipsa mea pertinen-

tinencia, ficot ego dedi ad Acto de Berta cum cerquetis & silvis, & cum omnia ipsa mea tera, cum & omnia in super se abentem vel sujacenten & a mihi pertine infra isti lateribus, & dedisti de vestro pretio solidi duo Papiensi & dinarii dece tanto quod inter nobis & vobis bene complacui, & a bono animo convenimus, abeatis, teneatis, possideatis, licentia & potestatem abeatis de vindere & donare & pro anima judicare & ecia comutuare & faciatis omnia, sicut vobis placui sine lite & calumpnia, & obligamus ego Acto deautoriare & defendere da omine, sicot lex est, & si removere aut falsare voluerimus, siamus in pe.....de bono ariento solidi sex in corte regis, & poste ista carta firma & stabilem remaneat.

† Sinum manum Acto fieri rogavit.

† Sinum manum Albrieo de Gemartino de Sta.. lucio testum sumus.

† Sinum manum Petro testum sumus.

† Sinum manum Prigo de Petro testem sumus.

Ego Johannes judice scripsi & complevi.

CCLXIV.

Privilegium Hieronymi episcopi Arretini pro Camaldulo.

Anno 1144. VIII. kl. martii.

Ex autographo Fontis-boni. §. Privilegium. n. 29.

Ad lib. XXIX. n. 8.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Hieronymus Dei gratia Aretinus episcopus venerabili fratri Azoni Camaldulensi priori & ejus fratribus in perpetuum. Ad hoc Aretine ecclesie cura nobis a provisore omnium bonorum Deo commissa est, ut religiosas diligamus personas, & bene placentem Deo religionem studeamus modis omnibus propagare, nec enim Deo gratus aliquando famulatus impenditur, nisi ex caritatis radice a puritate religionis fuerit conservatus. Oportet igitur *&c.* & loca venerabilia cum ipsis personis divino servitio mancipatis attentius confovere, quapropter humillimi in Domino fratres *&c.* episcopali auctoritate confirmamus omnia privilegia ac beneficia a meis antecessoribus heremo Camaldulensi & vestre congregationi collata, videlicet Tedaldo, Emmone, Constantino, Gregorio, Guidone, Bujano atque Mauro episcopis, tam de constructione, quam de aumentatione Camaldulensis eremi, seu & de substentatione fratrum ibidem Deo famulantium concedendo & confirmando vobis vestrisque successoribus in perpetuum omnia bona, que Bernardinus Sidonie filius, aut pater ejus ab ecclesia sancti Donati & ab episcopis antecessoribus meis habuerunt & tenuerunt tam in comitatu Aretino quam in Castellano *&c.* Item concedimus & confirmamus vobis letanias de plebe sancte Marie de Micciano, & visitationes plebium Bujani, Biblene & Partine cum omnibus massariis earumdem plebium, ut singuli frumenta singula sextaria & sua decimatione deferant ad victum predictorum fratrum, sicut a predecessoribus meis confirmatum & statutum est. Item concedimus & confirmamus vobis integras decimationes de villa Largnano, & Pergentina, & Corsignano & Avana. Necnon concedimus & confirmamus vobis canonicam sancti Michaelis sitam in suburbio Arretine civitatis, & ecclesiam sancti Nicolai de Curte Lupone cum omnibus earum pertinentiis. Item sicut statutum est ab aliis meis antecessoribus statuo & confirmo, ut quicumque in prefata heremo suam decimationem dare voluerit, que nec a me, nec a meis antecessoribus recte ordinata, vel recte donata est, ex nostra episcopali auctoritate liberam habeat facultatem. Hoc quoque concedimus, ut quicquid juris ecclesia sancti Donati habet, vel etiam usus in Mojona, & in Casaleclo, & in villa de Montione ad Camaldulensem heremum mea meorumque successorum liberalitate firmiter permaneat. Item confirmamus vobis omnes cappellas & ecclesias, quas habetis in episcopatu nostro *&c.* Item confirmamus & generaliter in perpetuum concedimns omnia, que ab antecessoribus meis vobis collata vel concessa sunt, vel aliunde juste & canonice pervenerunt. Ad hec adjicientes statuimus, ut quecumque in futurum legaliter & canonice potueritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat predictam heremum, & ejus bona temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, religiosorum fratrum & pauperum usibus profutura. Si quis autem contra hujus nostre constitutionis paginam agere temptaverit, & ammonitus non emendaverit, in die tremendi judicii sese

ſeſe tamquam ſacrilegum & reum a Domino judicandum pertimeſcat. Ut igitur hec noſtra confirmatio a nobis, noſtriſque ſucceſſoribus atque ab omnibus hominibus irrefragabiliter obſervetur, hujuſmodi noſtri privilegii paginam ſigilli noſtri effigiem ſancti Donati referentis impreſſione roborantes, ſignari juſſimus, & manu propria ſcribendo confirmavimus.

Datum in ſuburbio civitatis Aretine anno ab incarnatione Domini noſtri M. C. XXXXIIII. VIII. kalend. martii indictione ſeptima.

† Ego Hieronymus Dei gratia Aretinus epiſcopus ss.

† Ego Rolandus Dei gratia Aretinus prepoſitus ss.

Ego Rainerius archidiaconus Aretine eccleſie ss.

Ego Hubertus camerarius domini epiſcopi ss.

† Ego Vinavius judex & notarius ex precepto domini Hieronymi Aretini epiſcopi hec omnia ſcripſi & denotavi.

† Ego Ugo ſacerdos de plebe ſancte Marie in Gradibus ss.

Ego ſacerdos Martinus ss.

† Ego Tuſcanus plebanus in Cennano ss.

Ego Acto clericus ſancte Marie ss.

Ego Johannes ſacerdos & canonicus ſancte Marie ss.

Ego Martinus & ſacerdos & canonicus ss.

† Ego Rainerius ſacerdos ss.

† Ego Ardanannus canonicus ſancte Marie ss.

Ego Homodei canonicus ſancti Donati ss.

† Presbiter Petrus ſancti Andree apoſtoli ss.

CCLXV.

Concordia ſtatuta a Cœleſtino II. pp. inter eremum de Vivo, & eremum Camaldulenſem.

Anno 1144. VII. kl. martii.

Ex apographo Fontis-boni. §. Privilegium. n. 28.

Ad lib. XXIX. n. 3.

CELeſtinus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Bono priori de Vivo ejuſque fratribus tam preſentibus, quam futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum. Apoſtolice ſedis amminiſtratione nobis a Deo conceſſa compellimur, religioſorum fratrum ſcandala de medio tollere, & eorum paci & tranquillitati paterna ſollicitudine providere, ideoque controverſiam, que inter vos & religioſos fratres Camaldulenſes diutius agitata eſt, auditis hinc inde rationibus & diligenter inquiſitis, communicato fratrum noſtrorum conſilio, hoc ordine duximus decidendam. Quia igitur locus ipſe fere a principio ſue fundationis per Camaldulenſes fratres in religione profeciſſe dignoſcitur, ut vinculum caritatis inter vos conſervetur, ſtatuimus, ut prior, qui in eodem loco pro tempore fuerit ordinandus, de ipſa congregatione, ſi idoneus ibi repertus fuerit, ſecundum beati Benedicti regulam a fratribus ejuſdem loci eligatur. Electus autem infra XXXX. dies Camaldulenſi priori de ordinis obſervantia obedientiam cum omni humilitate promittat. Si vero, quod abſit, ibidem idoneus reperiri non poterit a fratribus de Vivo, de congregatione Camaldulenſi, ſicut predictum eſt, ſecundum regulam eligatur. Cum autem prior & fratres Camaldulenſes ad Vivum venerint, in choro, in refectorio, & dormitorio tamquam fratres communiter recipiantur, atque prior tam in capitulo, quam in aliis precipuum locum teneat, & que in ordine corrigenda fuerint, rationabili providentia corrigat, & ſtatuenda ſtabiliat. Prior vero de Vivo ad anniverſarium capitulum Camaldulenſium fratrum vadat, & tamquam unus de majoribus prioribus ejuſdem congregationis in loco quam in aliis honoretur. Si vero ipſe & fratres ſui aliquando Camaldulum venerint, tam in choro, quam in aliis communiter in monaſterio tractentur. Brevia vero mortuorum fratrum utrinque ſecundum conſuetudinem Camaldulenſis congregationis recipiantur, & pro eis obſequia celebrentur. Si qua igitur *&c.* Obſervantibus autem ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti *&c.* Amen.

Fiat pax in virtute tua,

SCS PETRUS	SCS PAULUS
CELE PP.	STINUS II.

& habundantia in turribus tuis.

Ego Celeſtinus catholice eccleſie epiſcopus ss.

† Ego Conradus Sabinenſis, epiſcopus ss.

† Ego Stephanus Preneſtinus epiſcopus ss.

† Ego

† Ego Petrus Albanensis episcopus ss.

† Ego Thomas presb. card. tt. Vestine ss.

† Ego Hubaldus presb. card. tt. sancte Praxedis ss.

† Ego Manfredus presb. card. tt. sancte Sabine ss.

† Ego Gilibertus presb. card. tt. sancti Marci ss.

† Ego Gregorius diac. card. sanctorum Sergii & Bacchi ss.

Datum Laterani per manum Gerardi sancte Romane ecclesie presbyt. card. ac bibliothecariij VII. kalend. martii indictione VII. incarnationis Dominice anno M.C.XXXXIII. pontificatus vero domini Celestini II. pape anno primo.

Ego Vitalis notarius in audiendo & asscultando cum originali privilegio interfui & me subscripsi, & meum signum apposui.

Ego Robertus notarius in audiendo & asscultando cum originali privilegio interfui & cum meo singno authenticavi.

Ego Octavius notarius hoc privilegium sumptum ab originali privilegio nihil addendo vel minuendo, quod immutet sensum privilegii, subscripsi & publicavi III. idus maji anno Domini M.CC.XVI. indictione IIII.

Actum in civitate Aretina feliciter coram suprascriptis notariis, scilicet Vitale & Roberto ad hoc convocatis.

CCLXVI.

Bellinus episcopus Patavinus donat decimas monasterio de Carceribus.

Anno 1144. XVIII. kl. julii.

Ex apographo penes V. Cl. Johannem Brunatium.

Ad lib. XXIX. n. 12.

IN nomine Dei eterni. Anno ejusdem incarn. M.C.XXXXIIII. XVIII. kal. julii indictione VII. Bellinus Paduanus episcopus licet indignus tibi Dominico venerabili priori canonice sancte Marie de loco, qui dicitur ad Carceres, tuisque successoribus in perpetuum. Karitatem, que a mero pietatis fonte descendit, votis omnibus diligere complectique debetis *&c.* Ut igitur hujus karitatis in aliqua particula participes fieri mereamur, cordis in mandibulis ruminantes ad memoriam reduximus, teque, tuamque congregationem, cui prees, jugiter in paupertatis camino decoqui, & rerum familiarium usque adeo penuria deprimi, quod nec claustralibus regulariter exercitiis vacare, nec in susceptione pauperum & hospitum necessariam exhibitionem facere potestis. Proinde necessitati vestre subvenire, manumque consolationis porrigere, prout ad presens possumus, dignum esse putamus. Pro remedio itaque anime nostre omniumque predecessorum & successorum nostrorum catholicorum concedimus atque largimur tibi tueque congregationi, tuisque successoribus tres portiones omnium decimarum illarum frugum, que jam nate sunt, queque nascentur in perpetuum in amplis de Scudassia, que noviter runcata sunt, queque runcabuntur, & specialiter in Caracedolo & in Frata trium comitatuum, & in Agutiano. Nam quartam portionem, quibus competit, reservamus ecclesiis. Has denique decimas sub tali vobis conditione concedimus, ut eas dumtaxat ad proprios usus fratrum, & ad pauperum & hospitum substentationem colligatis & habeatis, interdicta penitus inbeneficiandi, locandi vel sub alio titulo alienandi licentia *&c.* Preterea privilegium ab antecessore nostro bone memorie Sinibaldo vestre canonice indultum, & omnia, que in eo continentur, plenarie laudamus & confirmamus, *&c.* Actum & datum Padue feliciter.

Ego Bellinus Paduanus episcopus m.m. ss.

Ego Ubertus archipresbyter majoris ecclesie m.m. ss.

Ego presb. Lemizo m.m. ss.

Ego Torengus archidiaconus in montanis m.m. ss.

Ego Alexander presb. laudo & subs.

Ego Ubertus presb. laudo & subs.

Ego Azo diaconus m.m. ss.

Ego Albericus diaconus m.m. ss.

Ego Albericus diaconus laudo & subs.

Ego Bernardus subdiaconus laudo & subs.

Ego Grimaldus subdiaconus laudo & subs.

Ego Ubicinus accolitus m.m. ss.

Ego Egidio subdiaconus ss.

Ego Warnerius clericus ss.

Ego Dominicus subdiac. ss.

Rogati sunt testes Marcoardus de Transelgardo, Pigulo de Vigoncia, Ungarello, Bertaldus nepos episcopi, Henricus de Steno, Jordanus de Flume, Tempo, Martinus del Pre, Gutfredus de Ugo de Desduno.

Ego Ginannus notarius rogatus a supradicto episcopo scripsi.

CCLXVII.

CCLXVII.

Donatio terrarum facta monasterio S. Salvatoris prope Florentiam.

Anno 1144. v. id. octobris.

Ex archivo S. Mariæ Angelorum Florentiæ.

Ad lib. XXIX. n. 11.

IN nomine Domini. Anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo quadragesimo quarto, quinto idus octobris indictione octava. Manifeste sumus nos Berta filia Stefani, & Lamandina filia illius per consensum Aldibrandi, & Rodulfini germani filii Rainerii, & Johannis filii Aldibrandini mundualdorum illarum, quia per hanc cartulam offerimus, damus, & tradimus, & confirmamus pro Dei timore, & remedio animarum nostrarum, nostrorum virorum, & parentum nostrorum in ecclesia & monasterio sancti Salvatoris situm & ordinatum ad pedem montis, ubi nunc dominus Tederichus priorem & rectorem esse videtur, videlicet duas petias terre posite in loco, qui dicitur Sallicto, une quarum de duabus partibus Grive, & de tertia parte sancti Apostoli, & de quarta parte sancti Salvatoris, alii ibi prope de una parte Viviani, de alia parte sancti Apostoli, & de tertia sancti Salvatoris, & de quarta, qui supra germani, de istis petiis predictis duas partes damus, firmamus in predicta ecclesia, & monasterio proprietario jure, & tertiam partem ad tenimentum, ut pars illius monasterii rectores habeant, & teneant, & serviant senioribus ejusdem terre in nostra vice, & est infra plebem sancti Lexandri sita Jugulo, & si quod fieri non credimus, quod si nos femine Berta & Lamandina, vel nostri eredes, aut summissa persona, quam nos miserimus, vel que cum quolibet nostro facto veniat per quodlibet ingenium, cui nos eam offertionem nostram dedissemus aut dederimus, quod ad partem ecclesie, & monasterii, vel ad suos rectores in aliquid exinde contendere, retollere, minuere, aut intentionare presumpserimus, aut si eam nos ab omni homine & femina defendere non potuerimus, & non defensaverimus, tunc duplam tantam & talem jamdictam offertionem nostram, qualis tunc ipsa fuerit sub estimatione in consimilibus locis de nostris & propriis rebus, & tenimentis proprietario jure, & nomine tenimenti restituere, & persolvere debeamus, & si oportunum fuerit, licentiam, & potestatem habeatis una cum ista cartula, causam exinde agendam, finem ponendum, responsum reddendum, & usque ad veram legem perducendam, quam melius potueritis, sicut nos facere debuimus. Actum in loco Landuli.

Signa manuum predictarum Berte & Lamandine, que hanc cartulam, ut supra legitur, offertionis fieri rogaverunt.

Signa manuum Rodulfi & Aldebrandi germani, & Johannis, qui ad prefatas mulieres consenserunt, ut supra legitur.

Signa manuum Viviani filii Johannis Balistieri, & Gerardi filii Guidonis, & Ugonis filii Dominichi rogati testes.

Ego Petrus notarius post traditam complevi.

CCLXVIII.

Bulla Lucii II. papæ pro abbatia Classensi S. Apollinaris.

Anno 1144. III. kl. decembris.

Ex authentico ejusdem abbatiæ.

Ad lib. XXIX. n. 7.

LUcius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Henrico abbati monasterii sancti Apollinaris in Classe ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Ad hoc universalis ecclesie cura nobis a provisore omnium bonorum Deo commissa est, ut religiosas diligamus personas, & beneplacentem Deo religionem studeamus modis omnibus propagare. Nec enim Deo gratus aliquando apostolicus impenditur famulatus, nisi ex caritatis radice procedens a puritate religionis fuerit conservatus. Oportet igitur omnes christiane fidei amatores religionem diligere, & loca venerabilia cum ipsis personis divino servitio mancipatis attentius confovere, ut nullis pravorum hominum inquietentur molestiis, vel inportunis angariis fatigentur. Ea propter dilecte in Domino fili Henrice abbas tuis justis postulationibus clementer annuimus, & prefatum monasterium, cui Deo auctore preesse dinosceris, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium inpresentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio

pitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. In Marchia cellas quinque, quarum una est edificata in honore sancte Marie cum castro ibi fundato, quod nominatur Fratta, cum capellis, villis & omnibus sibi pertinentibus; alia in honore sancti Martini similiter cum castro sibi subjacente cum capellis, villis & omnibus sibi pertinentibus; tertia in honore sancti Apollinaris in Rotundo cum omnibus ad se pertinentibus; quarta in honore sancti Viti cum omnibus sibi adjacentibus. Item duobus castris & insula, que vocatur Callese cum capellis, villis & omnibus sibi pertinentibus. In civitate Fanense ecclesia sancti Apollenaris cum omnibus ad eam pertinentibus. In comitatu Senegallie ecclesia sancte Marie in Scot cum pertinentiis suis. Quicquid etiam habetis in comitatu Firmano, Pesariensi, Ariminensi, Ravennati, Faventino, Corneliensi, Populiensi, Liviensi, Sarsenate, Feretrano, Eugubino cum rebus & possessionibus suis.... quemadmodum a predecessoribus nostris Romanis pontificibus statutum est, & scriptis eorum firmatum, solidum auri nobis nostrisque successoribus annis singulis censualiter persolvetis. Decernimus ergo &c. Si quis igitur &c. Amen.

Ostende nobis Domine

SCS PETRUS | SCS PAULUS
LU PP. *misericor* | CIUS IJ. *diam tuam*

Ego Lucius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego ....

† Ego Petrus Albanensis episcopus ss.

† Ego Gregorius presb. card. tit. Calixti ss.

† Ego Rainerius presb. card. tit. sancte Prisce ss.

† Ego Nicolaus presb. card. tit. sancti Ciriaci ss.

† Ego Hugo sancte Romane ecclesie presb. tit. sancti Laurentii in Lucina ss.

† Ego Julius presb. card. tit. sancti Marcelli ss.

† Ego Ubaldus presb. card. tit. sancte Crucis in Jerusalem ss.

† Ego Gregorius diaconus card. sanctorum Sergii & Bacchi ss.

† Ego Guido diaconus card. sanctorum Cosme & Damiani ss.

† Ego Guido in Romana ecclesia altaris ....

† Ego Petrus diaconus card. sancte Marie in portichu ss.

† Ego Rodulfus diaconus card. sancte Lucie in septa solis ss.

† Ego Astaldus diaconus card. sancti Eustachii ss.

† Ego Johannes diaconus card. sancte Marie nove ss.

† Ego Berardus diaconus card. sancte Romane ecclesie ss.

Datum Laterani per manum Brunonis sancte Romane ecclesie subdiaconi III. kl. decembris indictione VIII. incarnationis Dominice anno M. C. XLIIII. pontificatus vero domni Lucii II. anno primo.

Exemplata anno 1294. a Villielmo, Marcho & Brancha notariis Foro-liviensibus.

CCLXIX.

Sententia Bellini episcopi Patavini pro ecclesia S. Mariæ de Carceribus contra alteram S. Theclæ de Atheste.

Anno 1144.

Ex autographo S. Michaelis de Muriano.

EGo Bellinus Dei gratia Paduanus episcopus presentibus & adsistentibus fratribus nostris majoris ecclesie & aliis clericis nostris, cum Johanne de Tado legis perito & assessore in hac causa a nobis electo, utrisque partibus consentientibus, videlicet sancte Marie de Carcere & sancte Tecle de Adeste. De contentione, que inter eos erat de persona Ugonis Balestarii & filii ejus, & de bonis ejus rationibus utriusque partis diligenter investigatis & cognitis, divina auctoritate & seculari lege freti, communicato etiam consilio religiosorum clericorum & sapientium laiquorum ac Deum timentium, ex sententia judicamus omnia, que jam dictus Ugo de se, & de filio suo presente & non contradicente, & de bonis suis ecclesie sancte Marie de Carcere promisit, rata esse & inviolabiliter ejus esse confirmamus. Investituram autem & cartulam, quam postea in ecclesia sancte Tecle de Adeste fecit, vacuam & irritam omnino esse censemus. Archipresbytero vero & fratribus ejus de Adeste precipimus, ut jam dictam cartulam & possessionem & personas & omne

Ad lib. XXIX. n. 15.

omne

omne jus, quod ad se pertinere dicebant, ecclesie sancte Marie de Carcere restituant, & eam in pace habere & possidere dimittant.

CCLXX.

Testamentum Tancredi marchionis Estensis.

Anno 1145. III. kl. martii.

Ex Canneto apud Muratorium Antich. Estensi P. I. p. 331.

Ad lib. XXIX. n. 16.

IN nomine Domini. Anno incarnationis ejusdem millesimo centesimo quadragesimo quinto indictione octava tertio calendas martii, presentia testium, qui ad hoc spetialiter convocati fuerant. Tancredus marchio Langobardorum lege vivens statum humane fragilitatis precogitans, ne quandoque si intestatus decederet, ingrati quilibet ad successionem ejus lege vocante venirent, qui pro salute anime ipsius aut certe nihil aut valde parvum quid expendere curarent, ultimam in rebus suis dispositionem fecit, & hoc ultimum elogium condere curavit in hunc modum. Manfredum filium meum heredem mihi instituo & volo atque dispono, ut plenarie mihi succedat, & in funus meum expendat quinquaginta libras denariorum Veronensium, de quibus volo, ut quinque libras habeat patrinus meus, viginti autem habeat sancta Maria de Vangaditia, relique viginti quinque in funus meum expendantur, prout melius visum fuerit viris fidelibus. Quod si Manfredus filius meus in etate decesserit, in qua nec suum testamentum condiderit, nec legitimum filium superstitem vel posthumum reliquerit, tunc ad successionem meam veniant ecclesia sancte Marie de Vangaditia, & ecclesia sancti Fidentii, & ecclesia sancte Marie de Carcere una cum aliis ecclesiis, quas inferius nominabibus, & cum aliquantis ex vassallis meis similiter infrascriptis, & cum universa masnata mea secundum illas distinctiones, quas inferius elucidabimus. Sanctus igitur Fidentius habeat quantascumque terras habeo & teneo ad meas manus inter Ampledam & Ramum, & braydum meum, quod jacet prope casam de Malabroca, & braydum meum de Gorgo, & omne allodium, quod habeo in finibus Salletti, excepto medio manso, quem relinquo sancto Silvestro, qui fuit rectus per... & exceptis illis terris, quas masnata mea tenet ibi. Sanctus Vitalis habeat duo casamenta insimul se tenentia, de quibus unum tenet Ariprandus, aliud Albertinus de Duda. Sancta Maria de Carnese habeat casamentum Octolini storti, & casamentum de Isacho. Sancta Maria de Palso cum sancto Michaele habeat mansum rectum per Girardum de Nichiro. Sola sancta Maria habeat casamentum, quod tenet idem Girardus; solus sanctus Michael habeat petiam unam de terra, que dicitur Petiamala. Sancta Maria de Carcere habeat meam portionem illius terre cum silva, que dicitur Albaretum, & habeat mansum Johannis de Lunisana, qui jacet in Palso cum omnibus terris, quas ipse Johannes tenet a me, & habeat braydum meum de Lovara, & totam illam terram, que mihi pertinet in Cornedo, & petiam unam de terra, que jacet in Palso, ab uno latere cujus coheret sancta Maria de Carcere, ab alio via publica decurrit, & habeat casamentum, quod tenet Johannes de Vitali similiter in Palso, & insuper habeat omnes terras, quas Guarnerius Riculfi quondam filius habet a me, & tenet per beneficium feudi infra fines de Carnese, & Melliadino. Universa masnata mea libera sit, jure patronatus penitus remisso peculiis uniuscujusque sibi concessis, & insuper quicquid per feudum tenebat a me, habet & tenet pro allodio. Volo tamen atque dispono, ut unusquisque de familia mea habitans in episcopatu Paduvino, in Veronensi, in Adriensi ac Ferrariensi, si de mea terra integrum mansum habuerit, det sancte Marie de Vangadicia in anniversario meo XXIIII. denarios Veronensium & libram cere; qui vero dimidium tantum mansum habuerit, det duodecim denarios & det dimidiam libram cere. Qui autem terras non habet, det denarios duos & candelam unam, & qui habitant in ceteris episcopatibus similiter faciant suis majoribus ecclesiis. Henricus de Casario habeat in allodium ex causa legati, & Wibertus habeat suum, & Boccapane suum, Gerardus Inversus habeat in allodium mansum de Cisolis, & casamentum de Casara in Quadrivio piloso, & terram cum vineis, quas Nebula & Ubertinus de Rivello tenent, & campum de clausura de Celso, & insuper quicquid tenet a me extra mansos Grassi, & unusquisque de vassallis de sancto Fidentio in anniversario XXIIII. denarios & libram cere, & accomodet sancti Fidentii archipresbytero caballum semel in anno

usque

usque Paduam vel Veronam, ita quod per octo dies antequam petat, notum fiat ei, qui caballum non habebit. Sanctus Laurentius de Cavazana, & sanctus Petrus cum sancto Vito de Lusia habeant mansum unum cum dimidio, qui jacet in eo loco. Omnia, que superius ad ecclesias pertinere decrevi, volo & statuo, ut prefate ecclesie jure proprietatis habeant cum omni honore, quo mihi pertinere videbantur. Volo etiam, ut Gota uxor mea habeat in allodium feudum Ugonis Talamassii, & feudum Balduini, & feudum Grassi de Runcho nomine scilicet morgincap. Preterea volo & dispono, ut propinqui mei Fulconis filii jure proprietatis habeant, quicquid mihi pertinet in comitatu Rodigii, & Gavelli atque Hadrie salvo morgincap uxoris mee. Consanguinee quoque mee Azonis filie habeant quicquid mihi pertinet in Minervis, salvo morgincap tantum uxoris mee. Quicquid autem juris vel honoris mihi pertinet in Lusina, & in episcopatu Vercellensi, Papiensi, Terdonensi, Placentino, Cremonensi, & Parmensi, & ubicumque allodium habere videor per totam Langobardiam, volo ut matrices ecclesie uniuscuiusque episcopatus habeant illud, quod in finibus suis positum esse videtur, salvo tamen morgincap uxoris mee. His ita premissis ac dispositis, volo & judico, ut sancta Maria de Vangaditia pro remedio anime habeat quantascumque terras extra prescriptam seriem habere videor, aut inveniri poterit cum omni jure & honore, sicut ego habebam, & solvat debitum, quod debebo tempore mortis. Quod si filius meus morte interveniente ad successionem meam venire nequiverit, tunc quinquaginta libre, quas ipse pro anima mea daturus eram ad sanctam Mariam de Vangadicia, & sanctum Fidentium, & sanctam Mariam de Carcere persolvant secundum illas videlicet portiones, quas modo designare volo. Si itaque debitum meum fuerit xx. librarum dumtaxat aut minus, tunc sancta Maria de Vangadicia persolvat medietatem, de reliqua medietate duas portiones persolvat sanctus Fidentius, tertiam sancta Maria de Carcere. At vero si debitum meum transcenderet viginti libras, tunc sancta Maria de Vangadicia nihil ad funus meum expendat, sed sanctus Fidentius de predictis quinquaginta libris duas portiones persolvat, sancta Maria de Carcere tertiam. Hec ita se habeant, reliquis omnibus eo statu & ordine quo supra comprehensa sunt firmiter obtinentibus. Hec est enim mea ultima voluntas, & ultima dispositio, quam in eternum servari volo, & ne ab humana laberetur memoria, eam in scriptis recipi rogavi. Interfuerunt autem testes Henricus causidicus de Casaro, Wibertus notarius, Ubertus Malabroca, Girardus Inversus, Boccapane, Clemens archipresbyter, Laurentius presbyter, Dominicus prior sancte Marie de Carcere, atque Jonas.

Ego Opizo notarius affui, & rogatus hec scripsi.

CCLXXI.

Locatio turris de Arco facta Cinthio Frajapanis a Petro abbate S. Gregorii de Urbe.

Anno 1145. XVIII. martii.

Ex codice ejusdem monasterii pag. 252.

Ad lib. XXIX n. 14.

IN nomine Domini. Anno primo pontificatus domini Eugenii tertii pape indictione octava mensis martii die decimo octavo. Ego quidem domnus Petrus Dei gratia humilis abbas venerabilis monasterii sanctorum Andree apostoli & Gregorii apostolici, quod vocatur Clivus Scauri, per consensum & voluntatem monachorum predicti monasterii, scilicet Andree presbyteri, Desiderii presbyteri & prioris, Andree diaconi, Placidi subdiaconi, Gerontii diaconi, Raynaldi accolyti, Johannis camerarii, Nicolai subdiaconi, & per consensum & voluntatem aliorum monachorum predicti monasterii hac die propria spontaneaque nostra voluntate locamus & concedimus tibi domino Cinthio Frajapanis tuisque heredibus ac successoribus in perpetuum, idest unam turrim, que vocatur de Arco, cum suis scalis & fininis, & sicut modo tu eam tenes, cum introitu & exitu suo, & cum omni suo usu & utilitate, & cum omnibus suis pertinentiis, positam Rome in capite Circli Maximi, sicut a suis finibus circumdatur: & locamus tibi Trullum unum in integrum, quod vocatur Septem solia cum suis scalis & fininis, cum sua clausura, & sicut tu modo eam tenes, cum introitu & exitu suo, & cum omni suo usu & utilitate, & cum omnibus suis pertinentiis positum Rome prope supradictam turrim, & prope diaconiam sancte Lucie, sicut affinatum esse cernitur, juris nostri monasterii, ad tenendum, fruendum & in per-

petuum possidendum, pro qua denique locatione tu reddidisti & refutasti nostro monasterio & nobis quatuor pedicas terre sementaritie positas ad Mandram Camellariam, quas per locationem a nostro monasterio usque nunc tenuisti, & unam pedicam terre positam territorio Albanensi in loco, qui vocatur Auricelli, quam integre a predicto monasterio tenuisti, & dehinc in antea omni anno in festivitate sancti Andree detis nostro monasterio duodecim Papienses denarios nomine pensionis: & si in uno anno non dederitis, alio anno duplicetis, alia pena remota; & nulli ecclesie aliquo modo hanc locationem detis, sed potestatem habeatis exinde faciendi quicquid volueritis in perpetuum, salvo jure predicti monasterii, & promittimus nos una cum nostris successoribus defendere hanc locationem tibi & tuis heredibus ac successoribus ab omni homine, si opus & necesse fuerit. Si qua vero pars contra fidem hujus cartule venire voluerit, componat alteri parti fidem servanti pene nomine octo boni auri libras, & hac soluta pena cartula hec permaneat firma, quam scribendam rogavi Nicolaum scriniarium sancte Romane ecclesie in mense & indictione suprascripta octava.

Signum † manu domini Centii rogatoris cartule hujus.

Gregorius Paparonus testis.

Johannes de Roberto testis.

Petrus de Sinulfo testis.

Maximus filius Maximi testis.

Centius de Arco testis.

Guido filius Romani de Oliverio testis.

Henricus filius Henrici a sancto Eustachio testis.

Ego Nicolaus scriniarius sancte Romane ecclesie complevi & absolvi.

CCLXXII.

Bulla Eugenii III. papæ pro monasterio de Carceribus.

Anno 1145. VI. idus aprilis.

Ex apographis S. Michaelis de Muriano.

Ad lib. XXIX. n. 15.

EUgenius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Dominico priori sancte Marie de Carcere ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Quotiens illud a nobis petitur, quod religioni & honestati convenire monstratur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Ea propter dilecti in Domino filii, venerabilis fratris nostri Bellini Paduani episcopi precibus inclinati, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & ecclesiam beate Marie de Carcere, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & presentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia impresentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, liberalitate regum, largitione principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Decimas omnium novalium, que jam facta sunt & que in perpetuum fient in loco, quem Caracetulum vocant, & in Aguciano; necnon in tota Scudasia & in Fracta. Quecumque etiam a prefato episcopo & antecessore suo bone memorie Senebaldo vobis canonice concessa sunt, nihilominus confirmamus. Sententiam vero illam, quam prefatus Bellinus episcopus super contentione, que inter vos & clericos sancte Thecle de Adeste de persona Ugonis Balistarii & filii ejus & bonis ipsius agebatur, legitime promulgavit, confirmamus, & ratam manere censemus. Sancimus etiam, ut ordo canonicus secundum beati Augustini regulam & fratrum Portuensium institutionem ibidem institutus per Dei gratiam perpetuis temporibus inviolabiliter conservetur. Decernimus ergo ut nulli &c. salva sedis apostolice auctoritate & Paduani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica &c. Amen.

Fac mecum †	*Domine*
SCS PETRUS	SCS PAULUS
EUGE PP.	NIUS IIJ.
signum in	*bonum.*

BENE VALETE (monogram)

Ad lib. XXIX. n. 13.

Ego Eugenius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Conradus Sabinensis episcopus ss.

† Ego Theodevvinus sancte Rufine episcopus ss.

† Ego Petrus Albanensis episcopus ss.

† Ego Gregorius presb. card. tit. Calixti ss.

† Ego

† Ego Gilbertus S. R. E. presb. card. tit. sancti Marci ss.

† Ego Guido presb. card. sanctorum Laurentii & Damasi ss.

† Ego Nicolaus presb. card. tit. sancti Ciriaci ss.

† Ego Manfredus presb. card. tit. sancte Savine ss.

† Ego Alibertus presb. card. tit. sancte Anastasie ss.

† Ego Julius presb. card. tit. sancti Marcelli ss.

† Ego Ubaldus presb. card. tit. sancte Crucis ss.

† Ego Gregorius diaconus card. sanctorum Sergii & Bacchi ss.

† Ego Wido diac. card. sanctorum Cosme & Damiani ss.

† Ego Octavianus diac. card. sancti Nicolai in carcere Tulliano ss.

† Ego Rodulfus diac. card. sancte Lucie in Septasolis ss.

† Ego Gregorius diac. card. sancti Angeli ss.

† Ego Astaldus diac. card. sancti Eustachii ss.

† Ego Berardus diac. card. S. R. E. ss.

† Ego Guido S. R. E. diac. card. ss.

Datum apud Civitatem castellanam per manum Roberti S. R. E. presbyteri cardinalis & cancellarii VI. idus aprilis indictione VIII. incarnationis Dominice anno M. C. XLV. pontificatus vero domni Eugenii III. pape anno primo.

CCLXXIII.

Altera ejusdem Rom. pont. pro monasterio S. Salvatoris Montis-acuti.

Anno 1145. VI. idus aprilis.

Ex apographis ejusdem monasterii.

Ad lib. XXIX. n. 13.

EUgenius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Offredo abbati monasterii Salvatoris Domini in territorio Perusino in loco, qui dicitur sub monte Castellione, ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Apostolice moderaminis clementie convenit religiosos diligere, & eorum loca apostolice tuitionis munimine confovere. Idcirco dilecti in Domino filii petitioni vestre charitate debita impertimus assensum, & predecessoris nostri bone memorie Honorii vestigiis inherentes monasterium sancti Salvatoris, in quo Divino mancipati estis obsequio, protectione sedis apostolice communimus. Presentis igitur privilegii pagina apostolica auctoritate statuimus, ut quecumque bona, quecumque possessiones concessione pontificum, liberalitate regum, vel donatione fidelium, aut aliis justis modis ad idem videntur pertinere monasterium, & quecumque in futuris largiente Deo juste atque canonice poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hec propriis nominibus duximus annotanda, videlicet monasterium sancti Salvatoris situm juxta fluvium Carpini; monasterium sancte Juliane cum capellis & pertinentiis suis; sancti Thome cum ecclesiis & pertinentiis suis; cellam sancti Johannis in Monte acuto cum ecclesiis & pertinentiis suis; ecclesiam sancti Silvestri cum ecclesiis & pertinentiis suis; ecclesiam sancti Pauli de Herodina cum pertinentiis suis; cellam sancti Juliani in insula Pulvensi cum servis & pertinentiis & piscariis suis; ecclesiam sancti Florentii in comitatu Aretino in loco qui dicitur Monsanarii cum pertinentiis suis; cellam sancte Marie in Colognola; cellam sancti Florentii juxta murum civitatis Perusie cum suis pertinentiis; ecclesiam sancte Marie in Clesi cum sua pertinentia; cellam sancte Petronille in comitatu Tudertino; ecclesiam sancti Donati cum ecclesiis & pertinentiis earum; cellam sancti Simeonis cum ecclesiis & pertinentiis suis; cellam sancti Petri in Antoniana; ecclesiam sancti Nicolai & sancti Paterniani cum omnibus earum pertinentiis; ecclesiam sancti Andree in Fracta cum hospitali & earum pertinentiis; cellam sancti Faustini cum ecclesiis & pertinentiis suis; cellam sancti Salvatoris in Jessiola cum sua pertinentia; cellam sancti Petri in Carpine cum ecclesiis, castellis & pertinentiis suis; ecclesiam sancti Paterniani juxta villam, que vocatur Farnetum; ecclesiam sancti Laurentii in Agello; ecclesiam sancti Benedicti in Carseta, & sancti Andree in castro cum omnibus eorum pertinentiis; cellam sancte Marie in Nicona cum pertinentia sua; ecclesiam sancti Christophori in Rufianula; ecclesiam sancti Donati in Monte cum omnibus eorum pertinentiis; ecclesiam sancte Marie in Monte acuto cum sua pertinentia. In comitatu Feretrano ecclesiam sitam in monte Cislo cum sua pertinentia; ecclesiam sancti Gaudentii juxta montem Falconem; ecclesiam sancti Salvatoris in Valle Vienni cum eorum pertinentiis. Terram etiam, que est in Sorbo, in Favula, in Baxio,

xio, & juxta Petram Tifilam & in Valle plena juxta Miratoriam, & in Castagnola, que est juxta Gattariam cum omnibus rebus, que in eodem comitatu ipsi sancto loco pertinere videntur. Cellam sancte Trinitatis in monte Neronis heremitali dicatam conversationi; ecclesiam sancte Marie in Trivio cum earum pertinentiis; ecclesiam sancti Matthei in Valle de Lacu cum omnibus suis pertinentiis. In comitatu castri Felicitatis quicquid habet dono Guicciardi infra vel extra civitatem. Plebem sancti Petri in monte Marciano cum ecclesiis & omnibus suis pertinentiis. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate vel tuorum quomodolibet successorum nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem, & beati Benedicti regulam elegerint a Romano pontifice consecrandum. Chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium sive basilicarum, ordinationes monachorum seu ceterorum clericorum, qui ad sacros fuerint ordines promovendi, a diecesano accipietis episcopo, si quidem gratiam atque communionem apostolice sedis habuerit, & si ea gratis ac sine pravitate voluerit exhibere; alioquin liceat vobis catholicum, quem malueritis adire antistitem, & ab eo consecrationum sacramenta suscipere, qui apostolice sedis fultus auctoritate, que postulantur, indulgeat. Porro laborum vestrorum decimas ob pauperum usus retinendas absque episcopi cujuslibet contradictione concedimus. Precipimus etiam & jubemus, ut omnes contractus, vel chartule ad damnum ipsius monasterii contra jus & fas a pravis rectoribus sive abbatibus de bonis ipsius monasterii facte omnino inanes & vacue habeantur. Missas sane publicas seu stationes in monasterio vestro preter voluntatem abbatis fieri prohibemus. Nec ipsi autem, nec alicui persone liceat monasterii rebus molestias irrogare, fodrum autem, angarias exigere, quatenus annuente Deo in sancte religionis observatione seduli & quieti permanentes Romane tuitionis gratia potiamini. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat idem monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quomodolibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione & substentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate. Si qua sane in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se Divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sanctissimo corpore & sanguine Dei & Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Fac mecum *Domine*
SCS SCS
PETRUS PAULUS
EUGE NIUS
PP. III.

BENE (monogram)

Signum in bonum.

Ego Eugenius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Thomas presb. cardinalis tit. Vestine ss.

† Ego Guido presb. card. tit. sancti Laurentii in Damaso ss.

† Ego Hugo presb. card. tit. in Lucina ss.

† Ego Gregorius diaconus card. sanctorum Bacchi & Sergii ss.

† Ego Oddo diaconus card. sancti Georgii ad Velum aureum ss.

† Ego Octavianus diaconus card. sancti Nicolai in carcere Tulliano ss.

† Ego Rodulfus diaconus card. sancte Lucie in Septa solis ss.

Datum Viterbii per manum Roberti S. R. E. presbyteri cardinalis & cancellarii secundo idus junii indictione VIII. incarnationis Dominice anno M. C. XLV. pontificatus vero domni Eugenii III. pape anno primo.

CCLXXIV.

CCLXXIV.

Venditio terrarum facta ecclesiæ S. Salvatoris prope Florentiam.

Anno 1145. IIII. nonas julii.

Ex archivo S. Mariæ Angelorum Florentiæ.

Ad lib. XXIX. n. 11.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus centesimo quadragesimo quinto post mille quarto nonas julii indictione octava. Manifesti sumus nos Brunictus filius b. m. Uberti de Turre, & Gisla jugalis filia Rainerii Iderocchi, sed ego Gisla interrogata sum a Corbizo judice, ut si ego per alicujus virtutem hominis, aut ipsius viri mei, vel per meam bonam voluntatem hanc cartulam fecissem, aut non. Quapropter manifeste dixi, quod per nullius hominis virtutem, neque ipsius viri mei facio, sed per meam bonam voluntatem facio, & ipse vir meus mihi consentit, & commiatum dedit, comuniter per hanc cartulam vendimus & tradimus in ecclesia & monasterio sancti Salvatoris situm Pede de Monte, ubi domnus Teudericus residet prior, videlicet integram medietatem unius petiole terre, & silve positam in loco Macra, non longe a predicto monasterio. Que sic decernitur de omnibus partibus, & finis terra & silva prenominati monasterii. Predictam medietatem una cum omnibus, que supra se, & infra se habet in jamdicto monasterio, vendimus & tradimus ad possidendum. Pretium pro illa venditione nostra recipimus nos jamdicti jugales venditores ab Ildebrando converso filio Rectoris vice prenominati monasterii emptoris, sicut manifesti sumus, & inter nos convenit, inter argentum, & alias mobilias pro valente bonorum denariorum Lucensium solidos decem. Finito pretio tanto & suppleti sumus, unde *&c.*

Actum Florentia.

†† Signa manuum jam dictorum jugalium, qui hanc cartulam, sicut superius legitur, fieri rogaverunt.

†††† Signa manuum Brunicti filii Petri Clari, & Ugiccionis filii predicti Brunicti, & Manentis filii Pedorlini, & Malarme filii Bellonis rogatorum testium.

Ego Corbizo judex predictam mulierem interrogavi, atque notarius huic cartule completionem imposui.

CCLXXV.

Concordia circa bona ejusdem ecclesiæ S. Salvatoris.

Anno 1146. VII. kl. februarii.

Ex eodem archivo S. Mariæ Angelorum.

Ad lib. XXIX. n. 22.

IN Christi nomine. Breve finitionis, refutationis, & concessionis, securitatis, & firmitatis pro futura ostensione, quod factum est in loco Greve, in presentia Ugui Fabri, & Johannis filii Bonativi, & Beneventani filii Petri, & Bernardi filii Albertini. In eorum presentia predictorum pro Dei timore, & remedio animarum suarum, & omnium parentum suorum Martinus Gatajo filius Petri Gatari, & Mingardina jugales filia Gulielmini per ugnum, quem suis tenebant manibus, finierunt, ac concesserunt ad Tedericum priorem ecclesie, & monasterii sancti Salvatoris site Pede montis vice predicti monasterii nominative piscationem, cursum aque, que est in Greve cum omni jure, & actione, que eis exinde pertinebat, ut ipse jam dictus prior, & sui successores, & cui eam dederint, & concesserint, habeant eam, & teneant, & faciant exinde a presenti die quicquid eis placuerit sine predictorum datorum contradictione. Et firmiter spoponderunt, & promiserunt pro se, suisque heredibus, ut si unquam in tempore per se ipsos, vel per eorum submittentem personam, aut ingenium, vel per eorum factum contra predictum priorem, vel ejus successores, & cui eam tradiderint, & concesserint, agere, causare, tollere, contendere, contradicere, intentionare, vel minuere presumpserint per quodlibet ingenium, vel exinde apparuerint datum, aut factum, vel quodlibet scriptum firmitatis, per quod ipsi exinde in aliam partem factum habeant, aut in antea faciant, & claruerit, & exinde omni tempore taciti non permanserint, & omnia, ut dictum est, non observaverint, tunc composituri & daturi esse debeant ad predictum priorem vel ejus successores nomine pene bonorum denariorum Lucensium solidos CC. Factum est hoc anno Dominice incarnationis centesimo quadragesimo sexto post mille, septimo kalend. februarii indictione x.

† Signa manuum jam dictorum datorum, qui hoc breve, sicut supra legitur, fieri rogaverunt.

† Si-

† Signa manuum jamdictorum Ugui Fabri, Johannis Beneventani, & Bernardi rogatorum testium.

Ego Pandolfinus judex atque notarius huic brevi completionem imposui.

CCLXXVI.

Rambertus episcopus Faventinus concedit Azoni priori Camaldulensi reformandum monasterium SS. Laurentii & Hippolyti de Faventia.

Anno 1146. mense aprili.

Ex apographo ejusdem monasterii.

Ad lib. XXIX. *n.* 21.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno incarnationis ejus M.C.XLVI. die VIII. exeunte mense aprilis indictione VIIII. tempore Eugenii pape & Corradi regis in domo sive palatio domini episcopi Faventini. Et ideo ego quidem in Dei nomine donnus Rambertus sancte Faventine ecclesie episcopus de consilio, & voluntate omnium fratrum nostrorum, & omnium consulum, & aliorum bonorum virorum, tam clericorum quam etiam laicorum Faventinorum do, offero, largior, & concedo tibi dompno Azzoni venerabili priori Camalduli monasterium sanctorum martyrum Laurentii, & Ipoliti situm juxta civitatem Faventinam cum omnibus pertinentiis suis, seu bonis, ac possessionibus suis, & juribus, recipienti tam pro te, quam pro omnibus tuis successoribus in perpetuum vice & nomine Camaldulensis heremi, cui Deo auctore presides. Predictum itaque monasterium cum omnibus quoquomodo constitutis sive pertinentibus tibi tuisque successoribus damus, tradimus, & concedimus vice predicte heremi in perpetuum, & pro vobis vestrisque successoribus, ut absque omni nostra nostrorumque successorum contradictione vel causatione libere & quiete atque pacifice ordinetis, & disponatis, atque tractetis sepedictum monasterium, cum omnibus ad eum pertinentibus secundum Deum, & consuetudinem Camaldulensem, nihil omnino nobis reservantes sive retinentes, nisi quod omni anno teneatur predictum monasterium accommodare nobis unum equum ad festum sancti Vitalis Ravenne, & unum ad festum sancti Apolenaris, & unam comestionem debeat dare secundum quod consuevit hactenus in festo sancti Martini canonicis, nec liceat nobis nostrisque successoribus obtentu alicujus juris vel consuetudinis aliquid preter ista tibi tuisque successoribus seu predicto monasterio superimponere, vel aliquod gravamen, quolibet modo vel ingenio per nos, vel per aliquam personam inferre, aut preter predicta quidquid aliud a vobis vel predicto monasterio extorquere, vel exigere, hac, inquam, causa tam per nos, quam per nostros successores, ut superius legitur, firma & rata habere promittimus in perpetuum. Si autem, quod absit, nos vel nostri successores in aliquo contraire aliquo modo vel ingenio temptaverimus, vel si ab omni homine tibi tuisque successoribus non auctorizaverimus, & defensaverimus, tunc obligamus nos, nostrosque successores pena centum marcharum argenti, soluta pena maneat firma & rata hec donatio seu concessio. Hanc autem donationem fecimus pro remedio anime nostre, & omnium antecessorum nostrorum, & successorum, & pro restauratione ipsius monasterii, quod in spiritualibus erat penitus adnihilatum, & in temporalibus pene omnino destitutum. Testes fuerunt Ubaldus Seniore, Teodoricus, Azzo, Assalon, Rodulfus de Mazolo, Ugo, Pisalanda, Guibertus Pauli, & alii quam plures.

Et ego Albertinus Faventinus tabellio cuncta supradicta vidi & audivi, & rogatu supradicti domini episcopi complevi, & scripsi.

CCLXXVII.

Bellinus episcopus Patavinus subjicit monasterio de Carceribus ecclesiam S. Andreæ de Curte-rodulo.

Anno 1146. IIII. kl. maii.

Ex autographo S. Michaelis de Muriano.

Ad lib. XXIX. *n.* 23.

BEllinus Paduane ecclesie gratia Dei episcopus dilecto in Christo filio Dominico venerabili priori sancte Marie de Carcere, ejusque successoribus regularem vitam professis in perpetuum. Petiit a nobis devota humilitas tua, quatenus ecclesie sancte Marie de Carcere, cujus canonice congregationi te prelatum esse non dubitamus, ecclesiam sancti Andree apostoli de Curte-rodulo cum omnibus rebus, quas habet, quasve canonice legaliterque quovis in tempore habitura est, ut membrum capiti subjiceremus, ut tam tuo quamque tuorum regimini successorum committeremus,

ad

ad hoc videlicet, ut ibi fratres, qui secundum beati Augustini regulam, ac Portuensium fratrum institutionem vivere curent, congreges atque constituas. Quam postulationem, quia ecclesiastice consuetudini & canonibus consentaneam esse cognoscimus, benigne suscipimus & eam ex caritate effectui mancipare satagimus; presertim cum & carissimus filius noster Obertus majoris ecclesie archipresbiter cum confratribus suis pro tua nobis preces ecclesia porrexerit. Pro remedio itaque anime nostre omniumque predecessorum nostrorum prelibatam ecclesiam cum omnibus, que postulastis, ecclesie sancte Marie concedimus atque largimus, & tibi tuisque successoribus in perpetuum regendam committimus, quatenus a modo in antea per te tuosque successores fratres ibi constituantur, qui vobis, ut filii semper obedientes sub nostra tranquillitate quieti & liberi, ut ceteri canonici sancte Marie de Carcere vivant & eamdem regulam & ordinem teneant. Salva in omnibus Paduani episcopi canonica justitia & obediencia, quatenus hii, qui bona sua predicto venerabili loco contulerunt, aut a modo contulerint, omnium eleemosinarum, orationum, sacrificiorum & quorumcumque beneficiorum, que ibi fient, apud Deum participes existant, ac de peccatis suis veniam & remissionem percipiant. Ad hec intercludimus tibi tuisque successoribus omnem licenciam alienandi, inbeneficiandi, pignorandi, vel sub perpetuo jure locandi terras ipsius ecclesie, que a villa, que dicitur Pataviola, in iosum pertinent curie de Curte rodulo, sine Paduani, qui pro tempore fuerit, episcopi eorumque consilio, ad quos ejusdem ecclesie patrocinium spectat. Ut autem ista concessio a nostra largitate inposterum processisse credatur, eam scribi per manum Bernardi palatini tabellarii jussimus, propriique impressione sigilli corroborari fecimus. Data Padue feliciter, anno Dominice incarnationis post millesimum & centesimum quadragesimumque sexto, quarto kalendas madias indictione nona.

Ego Bellinus Paduanus episcopus m.m.ss.
Ego Ubertus Paduane ecclesie archipresbyter m.m. ss.
Ego Alexander presbiter m.m. ss.
Ego Lemizo presbiter m.m. ss.
Ego Torengus in montanis archidiaconus m.m. ss.
Ego Ubertus presbyter m.m. ss.
Ego Cibus diaconus m.m. ss.
Ego Bernardus subdiaconus m.m. ss.
Ego Heinricus subdiaconus m.m. ss.

Rogati sunt testes Dominicus de Steno, & Gumbertus filiaster ejus, Anselmus & Johannes de Sacco juris periti, Lemizo de Aycha, Nicholaus de Petro judice, Cavaturtam & Abbo... Sequenti die post presentia bonorum hominum, quorum nomina dicentur inferius, dominus Tebaldus de Caldenacio, & Dominicus de Steno per suas partes, & Abbo subdiaconus missus domini Wilielmi, & Penzonis & Warinberti de Caldenacio, ipsorum vice atque mandato, secundum quod in eorum breviculo continebatur, refutaverunt cum fuste in manu domini Bellini Paduani episcopi, omne jus & omne dominium, quod ipsi unquam habuerunt, aut hactenus se habere dicebant in supradicta ecclesia sancti Andree. Et hoc fecerunt ipsi in remissionem peccatorum suorum. Ibi erant Lemizo de Ayca, Nicolaus de Petro judice, Dalismanus, Armenardus, Henricus de Bellola, Orlandus frater episcopi, Patavinus nepos Jone, Gumbertus de Carraria.

Ego Bernardus notarius interfui, & omnia supradicta scripsi.

Hic apparebat sigillum cereum.

CCLXXVIII.

Martinus episcopus Clusinus subjicit eremo de Vivo monasterium S. Petri in Campo.

Anno 1146. III. nonas maji.

Ex apographo hospitalis Scalæ Senarum sacc. albo R. n. 1360.

IN nomine sancte & individue Trinitati. Anno Dominice incarnationis Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo XL. sexto tertio nonas madii presidente domno Eugenio universali papa tertio. Quoniam mei officii est curam gerere corporum & animarum gregis mihi commissi, ideo ego Martinus Dei gratia sancte Clusine ecclesie episcopus cogitans de antiquo statu mei episcopatus inter cetera destituta monasterium sancti Petri in Campi ad pristine religionis augmentum restituere, optimum fore credidi. Ea propter frater karissime hoc ipsum monasterium cum omnibus suis pertinentiis, quod mei juris & proprietatis actenus fuisse dinoscitur, communicato consilio meorum fratrum canonicorum & officialium, & domni Peponis ejusdem

Ad lib. XXIX. n. 20.

dem monasterii abbatis suorumque fratrum monachorum, clericorum & laicorum ad honorem Dei omnipotentis & beate Marie semper virginis & beati Petri apostolorum principis & sancti Benedicti & omnium Sanctorum dono tibi domno Rustico priori receptori pro te tuisque posteris prioribus heremi sancti Benedicti de Vivo ad religionem ibidem reformandam. Insuper trado & concedo tibi supranominatum monasterium sancti Petri cum omnibus suis rebus mobilibus & immobilibus sesesque moventibus, & cum his omnibus, que divini vel humani juris sunt, ad usum & proprietatem & ordinationem supradicti monasterii pertinentibus. Quatinus habeatis tu tuique catholici possessores plenam & omnimodam potestatem ordinandi tam personas, quam res ceteras in omnibus suis locis, ut corrigenda corrigatis, & confirmanda confirmetis, & submovenda submoveatis, sub vestra tamen ordinatione & potestate, nomine & honore abbati ibidem conservando. Addimus quoque, ut nullus prelatus alterius ecclesie super vos vel vestra occasione ibi aliquid ordinet vel disponat, aut superesse presumat. Hoc etiam factum esse, frater dilecte, cognoscas salvo honore & jure sancte Clusine ecclesie & mei meorumque successorum episcoporum. Preterea promitto & obligo me meosque postdecessores, quod si ullo unquam in tempore hanc donationem perpetualiter factam per quodvis ingenium rumpere temptabimus, secundo tertiove commonita, ut ad condignam satisfactionem vinculo anathematis innodetur, & a sacratissimo corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi redemptoris nostri aliena fiat, & in die judicii districte ultioni subjaceat. Quicumque autem fideliter observaverit, sit ei pax Domini nostri Jhesu Christi, quatinus hic fructum bone actionis percipiat, & apud supremum judicem premia eterne vite inveniat. Hoc actum est in claustro sancti Secundiani Clusini episcopatus.

Ego Rolandus Clusine ecclesie archipresb. subscripsi.

Ego J.. primicerius ss.

Ego Rustico sacerdos & canonicus licet indignus ss.

Ego Petrus diaconus & canonicus ss.

Ego Martinus Clusine ecclesie episcopus fieri jussi atque subscripsi.

Ego Rollandus causidicus rogatus interfui, & taliter dictando scriptori annuntiavi, & propria manu ss.

Ego Johannes quondam Guidonis Cornachie notarius suprascripti privilegii authenticum cereo sigillo munitum bone memorie patris domini Martini sancte Clusine ecclesie episcopi vidi, legi, & nullo addito vel diminuto, quod supra legitur, hic fideliter sumpsi, & una cum Guiduvino Johannis, Orlandino de Pisana, Palmerio Ranucci, Padrone Gulterotti, & Dieladie notariis testibus, qui viderunt, utrumque diligenter abscultavi, presente domino Pepone de Melianda juris civilis professore ad hec teste, coram domino Gentile de sancto Geminiano judice & assessore communis Senensis, & insinuatione facta coram eo Senis coram dictis testibus in anno Domini M. CC. L. indict. VIIII. die II. nonas febr. de mandato ejusdem assessoris publicavi & subscripsi.

CCLXXIX.

Idem Martinus tradit eidem eremo monasterium S. Benedicti de Moxino.

Anno 1146. nonis maji.

Ex tabulario monasterii Rosæ Senarum, n. 301.

Ibidem.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Anno Dominice incarnationis M. C. XL. sexto nonis madii presidente domino Eugenio universali papa tertio. Quoniam mihi officium est curam gerere animarum gregis michi commissi, ideo ego Martinus Dei sancte Clusine ecclesie episcopus cogitans de antiquo statu mei episcopatus inter cetera destituta monasterium sancti Benedicti de Moxino ad pristine religionis augmentum restituere oportunum fore credidi; ea propter frater karissime hoc ipsum monasterium cum omnibus suis pertinentiis, que mei juris & proprietatis actenus fuisse dignoscitur, communicato consilio nostrorum fratrum canonicorum & officialium & donni Bonizonis ejusdem monasterii abbatis, suorum fratrum monachorum, clericorum & laicorum ad honorem Dei omnipotentis & beate Marie semper virginis & beati Petri apostolorum principis & sancti Benedicti & omnium Sanctorum dono tibi donno Rustico priori receptori pro te tuisque successoribus prioribus heremi de Vivo ad religionem ibidem reformandam. Insuper trado & concedo tibi supranominatum monasterium sancti Benedicti cum omnibus suis rebus mobilibus & immobilibus

Ad lib. XXIX. n. 22.

bilibus seseque moventibus, & cum hiis omnibus, que divini vel humani juris sunt, ad usum & proprietatem & ordinationem supradicti monasterii pertinentibus, quatenus habeatis, teneatis tu tuique catholici postcessores plenam & omnimodam potestatem ordinandi, tam personas quam res ceteras in omnibus suis locis, ut corrigenda corrigatis, & confirmanda confirmetis, & submovendo submoveatis sub vestra tamen ordinatione & potestate, nomine & honore abbatis ibidem conservando. Addimus quoque, ut nullus prelatus alterius ecclesie super vos vel vestra occasione ibi aliquid ordinet adque disponat, aut superesse presumpserit. Hoc etiam factum esse frater dilecte cognoscas, salvo honore & jure sancte Clusine ecclesie, & mei meorum successorum episcoporum. Preterea promitto & obligo me meosque postdecessores, quod si ullo unquam tempore hanc donationem perpetualiter factam per quodvis ingenium rumpere tentabimus, compositurος tibi tuisque successoribus decem libras auri, & soluta pena hec nostre donationis constitutio firma & illibata permaneat. Si qua igitur ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam temerario ausu infringere temptaverit, secundo tertiove commonita usque ad condignam satisfactionem vinculo anathematis innodamus, & a sanctissimo corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi redemptoris nostri aliena fiat, & in die judicii districte ultioni subjaceat. Quicumque autem fideliter observaverit sit ei pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus hic fructum bone actionis percipiat, & apud supremum judicem premia eterne vite inveniat.

Hoc actum in claustro sancti Secundiani Clusini episcopatus.

CCLXXX.

Donatio exactionum de Mojona facta Camaldulo a VVidone comite.

Anno 1146. mense julio.

Ex autographo Fontis-boni. §. Renuntiatio. n. 38.

Ad lib. XXIX. n. 22.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ab incarnatione ejus M.C.XXXXVI. mense julii indictione VIIII. feliciter. Manifestus sum ego Wido comes bone memorie Widonis Werre, & Imigla comitissa mater ejus, quia pro amore Dei & remedio anime nostre, & parentum nostrorum refutamus, & dimittimus omnes exactiones & omnem usum justum & injustum tibi domno Nicolao monacho recipienti vice Azonis Camaldulensis prioris, quem habemus in villa de Mojona; excipimus XXXX. solidos Lucensis monete, quos annualiter nobis vel nostris nuntiis dare debeatis in mense decembris, & nihil omnino amplius, & nisi ita conservaveritis, hec inania sint & vacua, & nullius valentie. At vobis implentibus obligamus nos, nostrosque filios & heredes bonorum, bonorumque possessores vobis & vestris successoribus, si unquam in tempore contra hec agere vel amplius querere per nos vel ministros nostros, vel per aliquam a nobis summissam personam voluerimus, tunc penam XX. librarum vobis componamus bonorum denariorum Lucensis monete, unde duas chartas uno tenore scribere rogavimus.

Actum Strumi. Feliciter.

Singnum manuum suprascripti comitis & comitisse, qui hoc scriptum scribere rogaverunt.

Singnum manuum Rolandini da Licignano, & Ugonis Ubaldini, & Ardimanni filii quondam Ardimanni, & Johannis filii Bernardini rogatorum testium.

Ego Ugo judex & notarius scripsi & complevi.

CCLXXXI.

Privilegium Eugenii III. papæ pro monasterio de Vivo.

Anno 1147. id. januarii.

Ex authentico archihospitalis Senarum facc. albo E. n. 1281.

Ad lib. XXIX. n. 25.

EUgenius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Rustico priori de Vivo ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Pie postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, quatenus & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Hoc nimirum intuitu dilecti in Domino filii vestris rationabilibus postulationibus clementer annuimus, & monasterium de Vivo, in quo divino vacatis servitio, presentis scripti pagina communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bo-

na idem locus impresentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Monasterium videlicet sancti Petri in Campo, monasterium sancti Benedicti de Mojano, monasterium sancti Petri in Arnano cum omnibus bonis & possessionibus suis, quemadmodum a fratre nostro Martino Clusino episcopo ad reformandam religionem vobis canonice concessa sunt, & scripto suo firmata. Quia vero monachi & religiosi viri de aliorum fidelium elemosinis atque beneficentia debent vivere, auctoritate apostolica constituimus, ut de laboribus, quos propriis manibus sumptibusve colligitis, alicui dare decimas non cogamini. Mansuro quoque in perpetuum per Dei gratiam decreto sancimus, ut clericos vel laicos e seculo fugientes, dummodo nulli conditioni teneantur obnoxii, postulata ab episcopis suis licentia, ad conversionem suscipiendi, eisque monastice professionis habitum tribuendi facultatem liberam habeatis absque aliquorum contradictione sive molestia. Sicque ab omnium hominum infestationibus expediti omnipotentis Dei servitio libere & absque molestia insistatis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum *&c.* Salva sedis apostolice auctoritate, & Clusini episcopi canonica justitia. Si qua igitur ecclesiastica secularisve persona *&c.* Cunctis autem *&c.*

Fac mecum Domine

SCS PETRUS	SCS PAULUS
EUGE PP.	NIUS IIJ.

BENE VALETE

signum in bonum.

Ego Eugenius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Theodevvinus sancte Rufine episcopus ss.

† Ego Albericus Hostiensis episcopus ss.

† Ego Imarus Tusculanus episcopus ss.

† Ego Humbaldus presbyt. card. tit. sanctorum Johannis & Pauli ss.

† Ego Guido presb. card. tit. sancti Laurentii in Damaso ss.

† Ego Oddo diac. card. sancti Georgii ad velum aureum ss.

† Ego Octavianus diac. card. sancti Nicolai in carcere Tulliano ss.

† Ego Guido diac. card. sancte Marie in porticu ss.

† Ego Jacintus diacon. card. sancte Marie in Cosmedin ss.

Datum apud Marturam per manum Guidonis sancte Rom. ecclesie diaconi card. & cancellarii id. januar. indictione x. incarnationis Domini nostri Jesu Christi anno M. C. XLVI. pontificatus vero domni Eugenii III. pape anno II.

Ego Johannes quondam Guidonis Cornachie notarius *&c. ut supra ad calcem chartæ Martini episcopi Clusini ad annum 1146.*

CCLXXXII.

Alterum ejusdem Rom. pont. pro monasterio S. Petri de Puteolis Lucensis diœcesis.

Anno 1147. III. id. februarii.

Ex autographo canonicorum Lucensium.

EUgenius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Alberto monasterii sancti Petri de Puteolis ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est facilem prebere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Ea propter dilecte in Domino fili Alberte abbas tuis justis postulationibus clementer annuimus, & prefatum monasterium, cui Domino auctore presides, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus; statuentes ut quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: terram videlicet, quam habetis in plebe sancti Pauli; terram quam habetis in plebe de Lunata, terram quam habetis in plebe de Brancalo, terram quam habetis in plebe sancti Januarii, & terram quam habetis in villa de Gragnano. Sane laborum vestrorum, quos propriis sumptibus alitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus a vobis decimas exigere presumat. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum qui se illic

Ad lib. XXIX. n. 26.

illic sepeliri deliberaverint, devotioni & extreme voluntati, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia matricis ecclesie. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate, & diocesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur *&c.* Cunctis autem *&c.* Amen.

Fac mecum SCS PETRUS EUGE PP. | *Domine* SCS PAULUS NIUS III. | BENE VALETE

Signum in bonum.

Ego Eugenius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Oddo diaconus card. sancti Georgii ad velum aureum ss.

† Ego Guido presbyter card. tit. sancti Grisogoni ss.

† Ego Teodovvinus sancte Ruffine episcopus ss.

† Ego Hubaldus presb. card. titulo sanctorum Johannis & Pauli ss.

† Ego Albericus Ostiensis episcopus ss.

† Ego Johannes diaconus card. sancte Marie nove ss.

† Ego Guido presb. cardinalis tit. sanctorum Laurentii & Damasi ss.

† Ego Imarus Tusculanus episcopus ss.

† Ego Guido diaconus card. sancte Marie in Porticu ss.

† Ego Jacintus diac. card. sancte Marie in Cosmydin ss.

† Ego Ugo presb. card. tit. in Lucina ss.

† Ego Guido presb. card. tit. Pastoris ss.

† Ego Jordanus presb. card. tit. sancte Susanne ss.

Datum Luce per manum Guidonis S. R. E. diaconi cardinalis & cancellarii III. idus februarii indictione X. incarnationis Dominice anno M.C.XLVI. pontificatus vero domini Eugenii III. pape anno secundo.

CCLXXXIII.

Ejusdem bulla pro Camaldulensi congregatione.

Anno 1147. VIII. id. februarii.

Ex veteri codice S. Michaelis in Burgo Pisarum.

Ad lib. XXIX. n. 27.

EUgenius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Azzoni priori Camaldulensi ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est facilem prebere consensum *&c. Heic nonnulla brevitatis gratia ommittimus, quæ in bulla Honorii II. papæ sub anno 1125. leguntur; Eugenius enim hac bulla ea tantummodo Camaldulensibus confirmat, quæ antea idem Honorius II. & Innocentius II. anno 1137. confirmaverant in suis diplomatibus. Verum monasteria, & loca in ipsa Eugenii III. bulla recensita, & sub apostolica protectione suscepta, hæc sunt.* In episcopatu Aretino ecclesiam videlicet sancti Donati, que Fons Bonus dicitur, cum hospitali & omnibus suis bonis. In ipsa civitate monasterium sancti Petri piculi, & ecclesiam sancti Michaelis; monasterium Silve munde; monasterium sancte Marie in Agnano; monasterium sancti Petri in Rota; monasterium sancti Salvatoris Berardingorum; monasterium sancti Quirici in Rosa; curtem Luponis cum ecclesia; heremum Fleri; monasterium sancti Viriani; monasterium sancti Bartholomei in Anglari cum castro & omnibus pertinentiis suis; villam de Monthione, quam emistis ab abbate sancte Flore, & ecclesiam ejusdem ville; villam de Modiona, quam emistis ab Henrico preposito, & reliquis canonicis, sicut in vestris cartulis continetur, & ecclesiam ejusdem ville cum decimatione; decimationes ville Agne, & ecclesiam ejusdem ville, & decimationem de Largnano. In episcopatu Fesulano monasterium sancte Marie in Poplena. In episcopatu Castellano monasterium de Diciano; monasterium sancti Sepulcri cum toto Burgo. In episcopatu Florentino monasterium sancti Petri in Luco; monasterium sancti Salvatoris juxta civitatem. In episcopatu Lucano monasterium sancti Petri in Puteolis cum cappella Burgi Porcarie, & cappella castri; monasterium sancti Salvatoris in Cantiniano; hospitale juxta Burgum sancti Genesii. In episcopa-

ſcopatu Vulaterrano monaſterium ſancti Juſti prope civitatem; monaſterium ſancti Petri in Cerreto; monaſterium ſancte Marie in Puliciano; monaſterium ſancti Petri in Fontiano. In epiſcopatu Piſano monaſterium ſancti Stephani in Cintoria; monaſterium ſancti Savini in Montione. In ipſa civitate monaſterium ſancti Michaelis; monaſterium ſancti Fridiani, monaſterium ſancti Zenonis ſalvo jure Romane eccleſie. In epiſcopatu Cluſino monaſterium ſancti Petri in Vivo Montis Amiati, quemadmodum a predeceſſore noſtro fel. mem. papa Celeſtino diffinitum eſt. In Sardinie inſula monaſterium ſancte Trinitatis in Saccaria; eccleſiam ſancte Eugenie in Samanar; eccleſiam ſancti Michaelis & ſancti Laurentii in Vanari; eccleſiam ſancte Marie & ſancti Johannis in Altaſar; eccleſiam ſancte Marie in Contra; eccleſiam ſancti Johannis & ſancti Symeonis in Salvenaro; eccleſiam ſancti Nicholai in Trulla; eccleſiam ſancti Petri in Scano; eccleſiam ſancti Pauli in Controniano; eccleſiam ſancti Petri in Heolin. In marchia Camerina monaſterium ſancti Georgii; monaſterium ſancti Martini in Accole cum eccleſia, que dicitur Heremite. In Galiata monaſterium ſancte Marie in Inſula; heremum Fajoli. In epiſcopatu Populienſi eccleſiam ſancti Paterniani in Ferracciano. In epiſcopatu Faventino monaſterium ſancti Yppoliti juxta civitatem. In epiſcopatu Ravennate monaſterium ſancti Apollinaris in Claſſe. In epiſcopatu Bononienſi monaſterium ſancti Michaelis; monaſterium ſancte Chriſtine. In ipſa civitate eccleſiam ſancti Damiani. Item in epiſcopatu Aretino eccleſiam ſancti Savini in Clio; eccleſiam de Caſtillione. Item monaſterium de Morrona Hec igitur omnia cum omnibus ad ipſa monaſteria pertinentibus ſtatuimus, & apoſtolice ſedis auctoritate ſancimus, tamquam corpus unum ſub uno capite, ideſt ſub priore Camaldulenſis heremi temporibus perpetuis permanere, & in illius diſcipline obſervatione perſiſtere. Sub illo, inquam, priore, qui ab ipſius congregationis abbatibus ſive prioribus, & ab heremitis regulariter electus preſtante Domino fuerit. Porro congregationem ipſam ita ſub apoſtolica ſedis tutela perpetuo confovendam decernimus, ut nulli epiſcoporum facultas ſit aliquod ex hiis monaſteriis abſque prioris conniventia, vel apoſtolice ſedis licentia excommunicare, vel a divinis officiis interdicere. Fratribus autem Camaldulenſis heremi licentia ſit, a quo maluerint catholico epiſcopo conſecrationum & ordinationum ſacramenta ſuſcipere. Decernimus ergo, ut nulli hominum *&c.* Si qua igitur *&c.* Cunctis autem *&c.*

Fac mecum	*Domine*
SCS PETRUS	SCS PAULUS
EUGE PP.	NIUS III.

BENE VALETE

Signum in bonum.

Ego Eugenius catholice eccleſie epiſcopus ss.

† Ego Guido presb. card. tit. ſancti Griſogoni ss.

† Ego Oddo diac. card. ſancti Georgii ad Velum aur. ss.

† Ego Albericus Hoſtienſis epiſcopus ss.

† Ego Guido presb. card. tit. ſanctorum Laurentii & Damaſi ss.

† Ego Johannes diac. card. ſancti Adriani ss.

† Ego Hugo presb. tit. in Lucina ss.

† Ego Julius presb. card. tit. ſancti Marcelli ss.

† Ego Jordanus presb. card. tit. ſancte Suſanne ss.

† Ego Theodevvinus ſancte Rufine epiſcopus ss.

† Ego Humbaldus presb. card. ſanctorum Jo. & Pauli ss.

† Ego Octavianus diac. card. ſancti Nicholai in Carcere Tulliano ss.

† Ego Imarus Tuſchulanus epiſcopus ss.

† Ego Guido presb. card. tit. Paſtoris ss.

† Ego Johannes diac. card. ſancte Marie nove ss.

† Ego Guido diac. card. ſancte Marie in porticu ss.

† Ego Jacintus diac. card. ſancte Marie in Coſmydyn.

Datum apud ſanctum Geneſium per manus Guidonis S. R. E. diac. card. & cancellarii VIII. id. febr. indict. X. incarnationis Dominice anno M. C. XLVI. pontificatus vero domni Eugeniii III. pape anno ſecundo.

CCLXXXIV.

CCLXXXIV.

Altera pro parthenone S. Petri de Luco.

Anno 1147. VII. id. februarii.

Ex archivo ejusdem parthenonis. n. 74.

Ibidem.

EUgenius episcopus servus servorum Dei dilecte in Christo filie.. abbatisse monasterii sancti Petri siti in Luco.... Quoniam sine cultu vere religionis nec caritatis unitas potest subsistere, nec Deo gratum haberi servitium, expedit apostolice auctoritati religiosas personas diligere, & earum quieti auxiliante Domino salubriter providere. Quapropter, dilecte in Domino filie, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prefatum monasterium, in quo divino mancipate estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. Statuimus, quod quascumque possessiones, quecumque bona idem cenobium ex oblatione bone memorie Gotidii & concessione Rodulfi Camaldulensis prioris in presentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione principum, vel oblatione fidelium, seu aliis justis modis largiente Domino poterit adipisci, firma vobis, & eis, que post vos successure sunt, & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis, partem de oppido Luci cum pertinentiis suis; Larciane ville partem cum pertinentiis suis; possessiones in Tiliano, & in Fortunio & in Prata; partem de Cantamerulo; partem de Rivofrigido cum pertinentiis suis; partem de Rivocornoclario cum pertinentiis suis; partem de villa Castri, & de villa Silve, & de villa Frene cum pertinentiis suis; ecclesiam sancte Christine prope castrum Septemfontium cum pertinentiis suis. Sane laborum vestrorum, quos propriis sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus omnino a vobis decimas exigere presumat. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum, qui se illic sepeliri deliberaverint, devotioni aut extreme voluptati satisfiat, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva justitia matricis ecclesie. Porro locus ipse semper sit sub Camaldulensis prioris dominio, atque provisione permaneat, nec episcopo, nec episcopi ministris liceat ejusdem loci congregationem aut ejus presbiteros excommunicare vel interdicere, aut super alio negotio molestare, nisi prius Camaldulensem priorem caritatis studio requisierit. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat idem cenobium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integre conserventur earum, pro quarum gubernatione & substentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate & diocesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si se satisfactione congrua non emendaverit, excommunicationi subjaceat, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Domini & redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus & hic fructum bone actionis percipiat, & apud districtum judicem premia eterne pacis inveniat. Amen. Amen. Amen.

Datum apud sanctum Ginesium per manum Guidonis sancte Romane ecclesie cardinalis & cancellarii septimo idus februarii indictione decima anno Dominice incarnationis millesimo centesimo quadragesimo sexto pontificatus nostri domini Eugenii pape tertii anno secundo.

Ego Eugenius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Guido presbiter cardinalis tit. sanctorum Laurentii & Damasi ss.

† Ego Oddo diaconus card. tit. sancti Georgii ad velum aureum ss.

† Ego Octavianus diaconus card. tit. sancti Nicolai in carcere Tulliano ss.

† Ego Johannes diac. card. tit. sancti Hadriani ss.

† Ego Johannes diac. card. tit. sancte Marie nove ss.

† Ego Guido diac. card. tit. sancte Marie in porticu ss.

† Ego Jacintus diac. card. tit. sancte Marie in Cosmedin ss.

† Ego Julius presb. card. tit. sancti Marcelli ss.

† Ego Theodovinus sancte Ruffine episcopus ss.

† Ego Albericus Ostiensis episcopus ss.

Ego Bencivieni notarius quondam domni

mni Johannis Malabocchi authenticum hujus exempli vidi & legi, & quicquid scriptum est, hic per ordinem, scripsi & publicavi.

Ego Rainerius de Montefical li notarius authenticum hujus exempli vidi & legi, ideoque ss.

Ego Tedericus quondam Berardi de Capraja judex ordinarius & notarius huic exemplo rite ex authentico sumpto &c. ss.

CCLXXXV.

Commutatio inita inter Hieronymum episcopum Arretinum & Rambertum abbatem Pratalia.

Anno 1147. mense septembri.

Ex autographo Fontis-boni. §. Investitura. n. 11.

Ad lib. XXIX. n. 30.

IN Dei nomine. Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi M. C. XXXXVII. rege Cunrado mense septembris indictione X. Cum rerum gestarum memoriam aboleri facile contingat &c. idcirco ea, que acta sunt inter dominum Jeronymum Dei gratia Aretinum episcopum & domnum Rambertum abbatem monasterii sancte Marie de Pratallia, visum est utilius literis denotare, quam solummodo memorie commendare. Quapropter manifestus sum ego Aretinus episcopus qualiter propria voluntate & pro utilitate utriusque ecclesie, tam nostre, quam ipsius monasterii, tradimus & concedimus tibi domno Ramberto abbati tuisque in predicto officio successoribus in perpetuum, idest integrum vescontandum & quardiam de castello & curte & pertinentiis & adjacentiis & redditibus & usibus Montis-fatucli, sicut ex antiqua consuetudine solitum est ad vicecomitem pertinere. Et pro hac causa recepimus a te suprascripto abbate castellum Marcianum cum curte sua, quod habebas pignori & ypothece obligatum pro LX. libris a Bujano quondam Aretino episcopo. Exinde autem obligamus nos & nostros in episcopatu successores tibi Ramberto abbati, tuisque in officio successoribus, quod predictum vesconta dum & quardiam & tenimentum de suprascripto castello Montis-Fatucli, & curte ejus non tollemus, neque contendemus, & in nullo studialiter diminuemus, sed semper firma & inconcussa & immutata, que inter nos gesta sunt, tenebimus. Quod si contra hec agere temptaverimus, & omnia suprascripta non adimpleverimus, tunc simus compositurі, & componamus vobis predictis abbatibus & suprascripte Dei ecclesie & monasterio de Pratallia duplum guerimonii, & insuper pene nomine argenti optimi libras centum, & post penam solutam liceat vobis hanc cartam in judicio hostendere, & cum ea loco auctoris vestram causam agere, & legitime diffinire. Unde hec carta fieri rogata est.

Actum juxta civitatem Aretinam in palatio plebis sancte Marie feliciter.

Pacta quoque inter episcopum & predictum abbatem fuere, quod si pro hac causa predictus abbas & monasterium suum guerram ab aliquo haberet, dominus episcopus debet ita adjuvare eum, ut perveniat in quiete & pace, & si hoc facere non vult, vel non potest, aut reddere debet pignus suprascriptum, aut integram pecuniam LX. librarum persolvere ad utilitatem predicti sine fraude.

† Ego Jeronimus Dei gratia Aretinus episcopus in hac carta a me facta ss.

† Ego Rolandus Dei gratia Aretine ecclesie prepositus propria manu ss.

† Ego Gregorius Dei gratia Aretine ecclesie primicerius ss.

† Ego Ubertus Dei gratia Aretine ecclesie archidiaconus ss.

† Ego Vivianus judex & notarius scripsi & complevi.

CCLXXXVI.

Donatio facta a Barusone judice Arborense die consecrationis ecclesiæ S. Mariæ de Bonarcantu in Sardinia.

Circa annum 1147.

Ex archivo S. Michaelis in Burgo Pisarum.

Ad lib. XXIX. n. 31.

Ad lib. XXIX. n. 32.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Ego judice Barusone de Serra potestate de logu de Arborea fazo custa carta pro saltu, qui do a sancta Maria de Bonarcatu in sa sacracione de sa ecclesia nova pro anima mea, & de parentes meos, da unde lu cognosco su regnu d'Arborea, & pro le deme Deus & sancta Maria vita, & sanitate, & figios bonos, qui potesten su regnu post varacione mea do li su saltu & Anglone &c.

Testes donnu comite de Laccone arquipiscobu Doristanes, donnu Pauca Pelea piscobu de sancta Justa, donnu Ildibrandinu piscobu de Ferralba, donnu Rellu piscopu

piscobu Dustellus, donnu Aju arquipiscobu de Turres, donnu Mariane Thelle episcobu Gisandu in eo & sunt a sacra sa ecclesia & essos & populum a quanta ibi fuit a sa sacration sunt testes. Et ego judice Barusone, qui fazo a teru bene a santa Maria de Bonarcatu pro Lucrellu tu regnu a Tunguli, a su saltu, & clesia de Petra pertusa, qui habeant a gradu de cavallos &c.

Et sunt testes donnu Villanu archipiscobus de Pisas, qui fuit bennedu pro cardinale de Roma, cum omni clericatu suo, & judice Constantine de Plominos, judice Gunari de Jugadore, judice Constantine Gallulesa connatu meu &c.

Et qui dixerit, quia bene est, habeat benedictionem a Deus & a sancta Maria, & cui non placuerit & condemnaverit hec ordinatio, habeat maledictionem de Deus & de sancta Maria, & de quatuor evangelistas, & XII. apostolos, de XVI. prophetas, de XXIV. seniores, de CCC. patres sanctos, e M. C. XLIIII. Innocentes martyres, & apat persone cum Juda traditore, & cum Herode, & cum diabulum in infernum. Amen, Amen. Fiat fiat.

CCLXXXVII.

Libellus Villani archiepiscopi Pisani Ildebrando abbati S. Michaelis in Burgo.

Anno 1147. kl. octobris.

Ex autographo ejusdem monasterii.

Ad lib. XXIX. n. 31.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus M. C. XLVIII. ipso die cal. octubris indictione XI. Manifestus sum ego Villanus Dei gratia Pisanorum humilis archiepiscopus, quia per hanc cartulam libellario nomine ad censum perexolvendum dare videor tibi domno Ildebrando Dei gratia venerabili abbati ecclesie, & monasterii sancti Michaelis, unam integram petiam de terra arabili de tumulo posita prope ecclesiam sancti Petri in Grado, que est juris archiepiscopatus sancte Marie, que est posita juxta aliam petiam, quam donnus Balduinus archiepiscopus predecessor meus vobis per libellum dedit, que habet ambo capita cum uno latere in terra sancte Marie, quam nobis reservamus, & aliud latus in predicta terra, quam vobis jamdictus archiepiscopus per libellum dedit, & est per mensuram ad justam seminaturam sistariorum quadraginta. Hec predicta petia de terra qualiter ab omni parte circumdata, & mensurata est per designata loca integram cum inferioribus, & superioribus suis, seu cum finibus, & ingressibus suis vobis eam, ut dictum est, qui supra, donno Ildebrando abbati damus tali ordine. Ut a modo in vestra, vestrorumque successorum sit in potestate eam habendi, tenendi, imperandi, gubernandi, laborare faciendi, meliorandi, & vobis eam privato nomine habendi, & usum fructuandi, & inde vos, & vestri successores per vos, & per missum vestrum hic Pisa ad curiam nostram archiepiscopatus, nobis & nostris successoribus, vel ministeriali, vel pro tempore ibi fuerit ordinatus, per singulum annum in resurrectione Pasce denarios bonos expendibiles Lucensis monete numero octo solvere & dare debeatis. Tantum sicut hec omnia nobis taliter adimpleveritis, & conservaveritis, ut supra legitur, & nos vobis dictam petiam de terra, quam vobis libellario nomine dedimus, retollerimus, vel minuaverimus, vel aliquid amplius vobis superimposuerimus pro quolibet ingenium. Spondemus nos vobis componere penam argenti obtimi libras viginti, & tali ordine convenimus, & duo libella scribere rogavimus Rodulphum notarium apostolice sedis. Actum in curia ipsius donni archiepiscopi Villani.

† Ego Villanus Pisanorum archiepiscopus ss.

Signa manuum Signorelli quondam Curradi da Fillano, & Gerardi quondam Germundi da Morrona, & Bernardini quondam Albonelli & Bonfilii Pilati, & Bottaheini q..... testium.

† Ego Rolandus diaconus, & canonicus ss.

† Ego presbyter Lambertus sancti Petri in Vinculis canonicus, & domini archiepiscopi cappellanus ss.

† & Ego Cantarinus Pisanus cancellarius, & Pisane curie clericus.

Ego Rodulphus notarius apostolice sedis post traditam complevi, & dedi.

CCLXXXVIII.

Bulla Eugenii III. papæ, qua confirmat eremo Camaldulensi donationes Hieronymi episcopi Arretini.

Anno 1148. idibus novembris.

Ex autographo Fontis-boni. §. Privilegia. n. 31.

Ad lib. XXIX. *n.* 34.

EUgenius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Azoni priori Camaldulensi ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Locorum venerabilium cura nos admonet pro eorum pace & quiete sollicite cogitare, & ea, que a fratribus nostris ad utilitatem ipsorum rationabiliter stabilita sunt, auctoritatis nostre munimine roborare. Ideoque dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Camaldulense monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus ea, que a venerabili fratre Jeronymo Aretino episcopo, ejusque predecessoribus Camaldulensi heremo concessa sunt, nominatim duximus exprimenda. Omnia videlicet, que Bernardus Sidonie filius aut pater ejus ab ecclesia sancti Donati & ab Arretinis episcopis habuerunt, quemadmodum in eorumdem episcoporum privilegiis continetur &c. Nulli ergo hominum liceat jamdictam heremum temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet molestiis fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura &c. Si qua igitur &c. cunctis &c. Amen.

Fac mecum +	*Domine*
SCS PETRUS	SCS PAULUS
EUGE PP.	NIUS IIJ.
signum in	*bonum.*

BENE VALETE (monogram)

Ego Eugenius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Conradus Sabinensis episcopus ss.

† Ego Hubaldus presb. card. tit. sanctorum Johannis & Pauli ss.

† Ego Gilbertus indignus sacerdos tit. sancti Marci ss.

† Ego Guido presb. card. tit. sanctorum Laurentii & Damasi ss.

† Ego Aribertus presb. card. tit. sancte Anastasie ss.

† Ego Julius presb. card. tit. sancti Marcelli ss.

† Ego Guido presb. card. tit. Pastoris ss.

† Ego Jordanus presb. card. tit. sancte Susanne ss.

† Ego Oddo diacon. card. sancti Georgii ad velum aureum ss.

† Ego Octavianus diac. card. sancti Nicolai in carcere Tulliano ss.

† Ego Gregorius diacon. card. sancti Angeli ss.

† Ego Jacintus diac. card. sancte Marie in Cosmydin ss.

† Ego Johannes diacon. card. sancte Marie nove ss.

Datum Pisis per manus Guidonis sancte Romane ecclesie diac. card. & cancellarii idibus novembris indictione XII. incarnationis Dominice anno M. C.XXXXVIII. pontificatus vero domni Eugenii pape III. anno IV.

CCLXXXIX.

Altera ejusdem pro monasterio S. Mariæ de Morrona.

Anno 1148. x. kl. decembris.

Ex tabulario archiepiscopii Pisani. n. 363.

Ad lib. XXIX. *n.* 11.

EUgenius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Guidoni abbati sancte Marie de Morrona, ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris regulariter substituendis in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est facile prebere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulatio-

lationibus clementer annuimus, & predecessoris nostri felicis memorie pape Innocentii vestigiis inherentes, monasterium beate Dei genitricis Marie, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium in presentiarum juste, & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu etiam aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Partem vestram in ipso castro, & curte ejus, plebem, & capellam ejusdem castri cum decimis suis, & quicquid habetis in curte Aquisiana; balneum, & aqueductum usque in Cascina; terras, quas habetis in Palude & Pantano cum decimis earum; ecclesiam de Thora cum suis pertinentiis; ecclesiam de Montanino cum medietate castri, & pertinentiis suis, salva convenientia, que inter Ubertum venerande memorie Pisanum archiepiscopum, & Gerardum abbatem facta est, & scripto firmata. Si qua vero libera & absoluta persona, in vita sua sive in morte, in suprascripto monasterio se conferre voluerit, recipiendi eam absque ulla contradictione liberam facultatem habeatis, salva justitia matricis ecclesie, decernentes, ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, seu quibuslibet vexationibus fatigare. Sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione, & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate, & diocesanorum episcoporum canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica *&c. ut in privilegio Calixti II.*

Ego Eugenius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Conradus Sabinensis episcopus ss.

† Ego Oddo diaconus card. sancti Georgii ad Velum aureum ss.

† Ego Guido presbyter card. tit. sanctorum Laurentii & Damasi ss.

† Ego Gregorius diaconus card. sancti Angeli ss.

Datum apud sanctum Geminianum per manum Guidonis S. R. E. diaconi cardinalis & cancellarii x. kal. decembris indictione XII. incarnationis Dominice anno M. C.XXXXVIII. pontificatus domni Eugenii pape III. anno IV.

CCXC.

Hieronymus episcopus Arretinus largitur monasterio Prati-veteris ecclesiam S. Hilarii & S. Sepulcri.

Anno 1149. prid. kl. maji.

Ex tabulario ejusdem monasterii n. XI.

Ad lib. XXIX. n. 40.

JEronimus Dei gratia Aretinus episcopus venerabili abbatisse Sophie monasterii sancti Johannis evangeliste siti in loco, qui dicitur Prato veclo, ejusque sororibus ibidem Deo famulantibus salutem & benedictionem. Religiosis desideriis & piis petitionibus dignum est assensum prebere, & equalitatis ratio postulat, ut sancta postulario pium sequatur effectum. Unde karissima in Domino filia tuis postulationibus annuentes concedimus tam tibi, quam in officio tuo in predicta ecclesia sancti Johannis succedentibus, & predicto monasterio ecclesiam quamdam juris nostri, & nostri episcopatus prope civitatem Aretinam juxta castrum, quod nuncupatur Pulia, que est dedicata ad honorem sancti Hilarii & sancti Sepulchri, salva nimirum debita reverentia ejus plebis, sub cujus parochia esse dignoscitur. Item concedimus, & perpetuo firmamus predicto monasterio, & ejus pro tempore abbatisse integra tenimenta, & possessiones, que nunc habet, aut in antea juste, & canonice Deo propitio habitura est. Ordinationem quoque & regimen tam rerum, quam personarum ejusdem loci, tam in mundanis, quam in his, que ad Deum, & religionem pertinent, vobis nostra episcopali auctoritate permittimus. Si quis vero contra hanc nostram permissionem, & concessionem sciens temerario ausu facere presumpserit, nisi cito resipuerit, si laicus est, anathematis vinculo feriatur, si vero clericus ab omni ecclesiastico officio degradetur.

† Ego Jeronimus Dei gratia Aretinus episcopus ss.

† Ego Ubertus Dei gratia Aretine ecclesie archidiaconus ss.

† Ego Johannes camerarius ss.

† Ego Gregorius ejusdem ecclesie primicerius ss.

† Ego Rainerius presbyter canonicus ecclesie sancte Marie ss.

† Ego Martinus presbyter canonicus ecclesie sancte Marie ss.

† Ego Atto canonicus ecclesie sancte Marie, & plebanus de Biblena ss.

† Ego Ildebrandus Partinensis ecclesie plebanus ss.

Actum est autem hoc anno M.C.XLVIIII. ab incarnatione Domini anno XII. regni domini Cunradi pridie kal. madii indictione XI.

† Ego Vivianus judex ex precepto domini Jeronimi Aretini episcopi hec scripsi.

CCXCI.

Petrus abbas S. Gregorii de Urbe tradit castrum Vetulum in emphyteusim.

Anno 1149. prid. kl. maji.

Ex codice ejusdem monasterii p. 172.

Ad lib. XXIX. n.42.

IN nomine Domini. Anno quarto pontificatus domni Eugenii tertii pape indictione duodecima mensis octobris die tertio decimo. Ego Petrus Dei gratia humilis abbas venerabilis monasterii sanctorum Andree apostoli & Gregorii apostolici, quod vocatur clivus Scauri, per consensum & voluntatem monachorum predicti monasterii .... &c. hac die propria, spontaneaque nostra voluntate locamus, & concedimus omnibus filiis legitimis masculis, qui nati sunt & nascituri sunt de Raynerio de Durante, & de Nutio Guelfino de Durante, de Gerardo de Durante, de Stulto de Scotto, de Girardo filio Girardi, de Petro de Gregorio, de Nutio de Quintavalle, de Stefano de Girardo de Galerano de Durante de Offo O..ff..o de Vito eorum legitimorum filiorum masculorum tertia generatione: idest castellum, quod vocatur Vetulus, cum domibus, casalenis, terris, vineis, ortuis, cum silvis, pantanis & pratis cum aquis, aquimolis, rivis & fontibus, cum montibus & collibus, plagiis & planitiis, cum arboribus fructiferis & infructiferis, cum introitibus & exitibus suis, & cum omnibus suis pertinentiis, exceptatis his causis, que nobis retinemus, & vobis non locamus, scilicet terram & curtem unam, ubi intra castellum predictum nobis facere placuerit, & unam griptam, & omnes ecclesias cum tenimentis earum, & primitie decime & mortuorum, & reservato nobis quartam nostro monasterio de frumento, & de vino, de canape omni anno, sicut homines de castello Mazzani nobis dant per meliorem locationem, quam eis fecimus, & per unamquamque domum omni anno detis nobis nomine pensionis unam funem, & nos & successores nostri omni anno damus vobis de supradicto frumento quatuor modios grani. Predictum vero castellum est positum in territorio Nepesino juris nostri monasterii ad tenendum, fruendum, meliorandum, &, sicut dictum est, tertia generatione possidendum. Pro qua denique locatione &c. refutatione seu transactione nostro monasterio & nobis supradicti patres vestri fecerunt, & per predictum castrum guerram & pacem faciatis, inimicis nostris, & nulli alii ecclesie hanc locationem aliquo modo detis, nisi nostre voluntatis, & filiis vestris omnibus obeuntibus, predictum castellum, sicut fuerit melioratum, sine omni mora & contradictione nostro reddatur monasterio & ..... pena decem librarum auri. Hoc factum est in presentia domini Galgani primicerii judicum, & domini Oddonis Frangentispanem.

Rotius Centii de Rotio testis.

Raynerius de Monteoli testis.

Georgius Leonis de Crescentio testis.

Crescentius Petri de Fusio testis.

Johannes Micinus testis.

† Ego Philippus scriniarius sancte Romane ecclesie, sicuti inveni in dictis Nicolai quondam scriniarii olim bone memorie mei olim proavi, ita in hac cartula exemplavi.

CCXCII.

Gerardus episcopus Bononiensis confirmat bona parthenonis Septem-fontium.

Anno 1149. IIII. kl. novembris.

Ex autographo parthenonis sanctæ Christinæ de Bononia. C.n. 2.

Ad lib. XXIX. n. 41.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Anno Domini millesimo centesimo quadragesimo nono quarto kalendas novembris indictione duodecima. Petitionibus emphiteoticariis annuendo, Ego quidem dominus Gerardus Dei gratia sancte Bononiensis ecclesie episcopus hoc concessionis instrumento presenti die do & concedo tibi domino Fantino presbytero & Ahimerico de Cave de colle accipientibus in honorem Dei & ecclesie sancte Christine in Pasteno, que est sitam in plebem sancti Johannis in Tauraciano, & domna Lucia abbatissa ejusque consorores & successores eidem monaste-

rio

rio, usquedum juste & regulariter ibi steterint. Id est omnes scilicet res, que ipso monasterio habet & tenet, & quod juste adquirere potuerit in curia & loco Uzano, & in curte Cagnano, & in curte Septemfunti. Simul etiam concedo omnes, que habuit & tenuit Ugo de Alberto a comite Ubaldo, & petia una terre in loco, qui dicitur sancto Leo, jura scilicet sancte Bononiensis ecclesie, omnia cum ingressu & egressu earum usque in via publica & cum omnibus super se & infra se habentibus in integrum, omnia, ut superius dixi, in integrum. In presenti do & concedo vobis prenominatis acceptoribus pro predicta ecclesia, & domina abbatissa ejusque consorores & successores, usquedum regulariter permanserint, ad habendum, tenendum ac possidendum, & predicta domna Lucia abbatissa ejusque successores placuerint ad utilitatem predicte ecclesie faciendum, salvo honore & reverentia sancte Bononiensis ecclesie, & earum rerum nomine liceat ipsa domina abbatissa ejusque sorores & successores pensionis gratia singulis annis denarium unum Lucense michi & meis successoribus exsolvere, ab omni vero homine predictas res semper legitime defendere & auctaurizare predicta abbatissa, & ejus consorores & successores promitto. Et si ego vel mei successores predicta omnia firmiter semper observare noluerimus, pene nomine decem libras Lucenses dare jamdicta abbatissa & ejus consorores & successores promitto, & insuper predicta omnia, ut superius legitur, semper incorruptam tenere spondeo.

Actum est hoc Bononie in domo ipsius episcopi indictione predicta.

Prenominatus dominus predicta omnia, ut superius legitur, scribere rogavit.

† Ego Gerardus episcopus manu mea ss.

Dominus Guido presbyter & Gottuda da Ozano investitor, & Rolandus filius Petri Veicli & Corvulinus filius Rodulfi de Leo de Blatta rogati sunt testes.

Ego Ugo notarius de ecclesia sancti Petri predictam concessionem, ut superius legitur, scripsi & firmavi.

CCXCIII.

Transactio inter abbates S. Michaelis de Verruca, & S. Michaelis in Burgo Pisarum.

Anno 1150. xv. kl. septembris.

Ex tabulario S. Michaelis in Burgo.

In nomine Domini Dei eterni viventis in secula. In presentia subscriptorum bonorum hominum, testiumque idoneorum, quorum nomina notata sunt inferius. Domnus abbas Gerardus divina gratia largiente ecclesie & monasterii beatissimi Michaelis archangeli de rocca Verruce per baculum, quem in suis detinebat manibus, fecit finem & diffinitionem & dationem, atque refutationem & transactionem venerabili domno abbati Ildebrando ecclesie, & monasterii similiter beatissimi Michaelis archangeli de Burgo Pisane civitatis, siquidem de universis residuis, si quolibet ingenio sunt vel fuerunt de terris seminatis in loco & finibus, ubi dicitur Bottano, quod ab hinc in antea supranominatus domnus abbas Ildebrandus cum suis omnibus in perpetuum successoribus ad partem supranominate ecclesie, & monasterii beatissimi Michaelis archangeli jure proprietario habeat, & detineat firmiter possideat absque omni querimonia, & calumnia, ut in cartulis scriptis per manus Gerardi apostolice sedis notarii continetur. Quod ab hac hora in antea, nec supranominatus abbas Gerardus ecclesie & monasterii beatissimi Michaelis archangeli de Verruca, nec sui in perpetuum successores, neque cui ipsi dederint, vel habere decreverint adversum supranominatum domnum, & reverentissimum abbatem Ildebrandum ecclesie & monasterii similiter beatissimi Michaelis archangeli de Burgo civitatis Pisane, & suos in perpetuum successores, aut cui ipsi a parte dicte ecclesie, & monasterii dederint vel habere decreverint, habent inde agere, vel causare, sive molestare, atque per placitum fatigare, &c.

Ad lib. XXIX. n. 45.

Actum infra consistorium supranominate ecclesie & monasterii beatissimi Michaelis archangeli de Burgo Pisane civitatis. Anno salutifere incarnationis Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo quinquagesimo primo quintadecima kalende septembrium indictione tertiadecima.

Signum manus suprascripti venerabilis

lis domni Gerardi abbatis monasterii beatissimi Michaelis archangeli de Verruca, qui hanc deffinitionis & transactionis cartulam scribere rogavit.

† Ego Gerardus abbas sancti Michaelis de Verruca subscripsi in hac cartula a me facta.

† Ego Bencho prior sancti Nicholai subscripsi.

† Ego Petrus sancte Viviane prior subscripsi.

Signa manuum Alberti filii quondam item Alberti, & Bonefidei filii quondam Ildebrandi, & Ranerii de Perlascio filii quondam Henrici Monaci, & Rainerii Boffula foglia filii quondam Lamberti, & Gusmani magistri filii quondam Lamberti Lerscii, qui interfuerunt rogati testes.

Ego Gerardus apostolice sedis notarius ibi fui, & rogatu nominati domni abbatis Gerardi de Verruca hoc scriptum feci & complevi, & dedi.

CCXCIV.

Bulla Eugenii III. pp. pro monasterio S. Quirici de Rosis.

Anno 1151. III. kl. aprilis.

Ex autographo Fontis-boni. §. Privilegia. n. 33.

Ad lib. XXIX. n. 53.

EUgenius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Antonio priori monasterii sancti Quirici de Rosis, ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris monasticam vitam professis in perpetuum. Quotiens illud a nobis petitur, quod religioni & honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Quapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prefatum beati Quirici monasterium, cui divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona in presentiarum juste & canonice possidetis, aut in futurum rationabilibus modis prestante Domino poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis, ecclesiam videlicet sancti Georgii in castro de Fracta Guinildi, castrum etiam ipsum cum curte ejusdem castri; quicquid habetis in curia de Fojano; quicquid habet monasterium vestrum in curia de Marciano; quicquid habet in curia de Licignano; quicquid habetis in curia de Puteo; quicquid habetis in curia de Fracta Rainucci; quicquid habetis in curia Cese; quicquid habetis in curte de Donna; quicquid in curte Fracte de Paterno; quicquid habetis in villa Albula, & quicquid habetis in Broilo, & in curte de Ficareto; quicquid habetis in villa sancte Lucie. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare *&c.* Si qua igitur *&c.* Amen.

Ad lib. XXIX. n. 54.

Fac mecum	*Domine*
SCS PETRUS	SCS PAULUS
EUGE PP.	NIUS III.

BENE VALETE

Signum in bonum.

Ego Eugenius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Imarus Tusculanus episcopus ss.

† Ego Nicolaus Albanensis episcopus ss.

† Ego Gregorius presb. cardinalis tit. ..... ss.

† Ego Ubaldus presb. card. tit. sancte Praxedis ss.

† Ego Ubaldus presb. card. tit. sancte Crucis in Hierusalem ss.

† Ego Jordanus presb. card. tit. sancte Susanne ss.

† Ego Rolandus presb. card. tit. sancti Marci ss.

† Ego Otto diac. card. sancti Georgii ad velum aureum ss.

† Ego Gregorius diacon. card. sancti Angeli ss.

† Ego Johannes diac. card. sancte Marie nove ss.

† Ego Guido diac. card. sancte Marie in porticu ss.

† Ego Johannes diac. card. sanctorum Sergii & Bacchi ss.

Datum Ferentini per manus Mariniani sancte Romane ecclesie scriptoris III. kalendas aprilis indictione XIIII. incarnationis Dominice anno M. C. LI. pontificatus vero domini Eugenii pape III. anno VII.

CCXCV.

CCXCV.

Donatio ecclesiæ S. Crucis facta monasterio Vallis-castri.

Anno 1151. mense septembri.

Ex autographo S. Blasii de Fabriano.

Ad lib. XXIX. n. 54.

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis mille C. quinquagesimo primo die mensis septembris indictione XIIII. tempore Eugenii pape & Conrado regnante. Ideoque nos qui sumus Berardus & Hoctorinus filius cujusdam Rolandi & Dialta conjugem suam nomine proprio per hanc chartam donationis pro redemptionis anime nostre simulque parentum nostrorum donamus ad te donnus Nicolaus prepositus sancti Stephani de Agelli, & per te in venerabili monasterio sancti Romualdi in perpetuum permanendum *&c....* jura Guilielmo abbati, idest omnia nostra parte de ecclesia sancte Crucis, & intus castrum edificata cum muris & altaris, & libris & campanis; terris & cellis, & cum omnia, que ad ipsa ecclesia pertinent intus & extra cum introitu & exitu suo, ut in omnibus liceat tibi tuisque successoribus jure utendi, fruendi, alienandi, & in eodem monasterio in perpetuum permanendi, & ab odierno die nunquam liceat nobis aut nostris heredibus aliquam molestiam generare contra supradicto monasterio, aut ad supradicti institutoribus supra de nostra pars de supradicta ecclesia & de supradicta terra per ullam nostram facta ..... posteriora neque per submissam vel submittendam personam, nullaque ratione contrarietatis, quam sensus humanus argumentare potest, & da omni persona defensare autorizare promittimus una cum nostris heredibus. Quod si minime fecerimus, & omnia, ut superius leguntur, non observaverimus, tunc daturos & compostituros nos esse promittimus una cum nostris heredibus tibi tuisque successoribus, aut a suis aministratoribus pene nomine dare & componere solidos C. denariorum de Luca. Et post pena soluta hec cartula firma sit omni tempore.

††† Signum Berardi, & Octorini, & Dialta scribere rogaverunt.

Ad hoc testes fuerunt presbyter Berardus, Guido presbyter, Ugoni de Martinus, Guilielmus de Gualfredus, Johannes de Guido, & Tudino.

Ego Rolandus notarius scripsi & complevi.

CCXCVI.

Commutatio terrarum inter Mariam Grifoli & monasterium Prati-veteris.

Anno 1151. mense octobri.

Ex archivo ejusdem monasterii.

Ibidem.

IN Dei nomine. Anno ab incarnatione Domini M. C. LI. rege Cunrado anno regni ejus XII. mense octobris indictione XIV. Manifesta sum ego Maria filia Grifoli, & sum uxor Jacob filii quondam Ysembardi, qualiter cum licentia & consensu supradicti viri mei, & cum notitia & interrogatione Viviani judicis, a quo inquisita & interrogata sum secundum legem, in cujus presentia & testium infrascriptorum professa sum me nullam violentiam pati, sed mea spontanea voluntate cum supradicto viro meo, & nos Ysembardi filii Jacob, & Vicedominus cum predicta Maria nos omnes insimul tradimus, & jure commutationis reconcedimus vobis donne Sophie venerabili abbatisse monasterii sancti Johannis siti Prato veclo; idest integra viginti sextariora in plano civitatis Aretine in advocabulo Rio tenculi, sicut determinata est cum omnibus, que super se, & infra se habet, vobis supradicte Sophie abbatisse jure commutationis tradimus, & concedimus, & exinde vos, & monasterium vestrum sancti Johannis ad proprium investimus, accepta a vobis in commutationem casa, que fuit quondam Guaski, sicut in carta, quam nobis fecistis, continetur, quatenus ab hodierna die habeatis, & possideatis tam vos, quam vobis in officio succedentes, & tam supradictum monasterium, quam rectores ejus pro tempore sine nostra, nostrorumque filiorum vel heredum molestia, vel litis causatione. Quod si in aliquo exinde vos presumpserimus molestare, contendere, minuare, aut per placitum, vel extra placitum fatigare per nos, vel summissam a nobis personam, vel imposterum summittendam, aut si ab omnibus homi-

hominibus non defensaverimus, auctorizaverimus, vvarentaverimus, aut si apparuerit datum, vel factum a nobis huic nostre traditioni nociturum, tunc promittimus, & obligamus nos, & nostros filios, vel heredes vobis supradicte Sophye abbatisse, & predicto Dei monasterio, & rectoribus ejus pro tempore, componere eas res in duplum, sicut tunc valuerint sub estimatione presenti, & insuper pene nomine argenti optimi libras decem. Unde hec carta fieri rogata est. Actum in civitate Aretina in ospitali de Vinea regis feliciter.

††† Signa manuum supradictorum Marie & Jacob, & Vicedomini, qui hanc cartam fieri rogaverunt.

††† Signa manuum Gualfredi filii quondam Saxoli, & Guidi Gotofredi, & Ardimanni Brinciali, & aliorum multorum rogatorum testium.

Ego Vivianus judex & notarius scripsi & complevi.

CCXCVII.

Confirmatio concordiæ statutæ ab Octaviano cardinale inter episcopum Faventinum & abbatem S. Hippolyti.

Anno 1152. x. martii.

Ex tabulario monasterii S. Hippolyti.

Ad lib. XXX. n. 1.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo quinquagesimo secundo die x. mensis martii indictione xv. Faventie. Quidquid inter aliquos positum, & locatum est atque definitum, ad rei memoriam scripture nobis adnotare equum est, ut in futurum semper clarius esse videatur, ne vergentia temporum in oblivione mandetur. Ideo ego quidem in Dei nomine donnus Ubertus abbas cum consensu monachorum meorum ejusdem monasterii sanctorum Laurentii, & Ipoliti promitto & obligo me meosque successores firmum tenere & ratum habere, & non corrumpere in perpetuum donno Ramberto Faventine ecclesie episcopo suisque successoribus id & hoc, quod cardinalis Octavianus inter episcopum Rambertum & abbatem sancti Ipoliti constituit atque decrevit. Solemnis noticia. Ante ergo quod si abbas in suo fundo sive possessione aliquam ecclesiam habeat, ipse quidem una cum .... & ipsi episcopo presentare debeat, qui de ecclesia presbyterum investiat, eique curam animarum conferat. Presbyter vero debitam reverentiam in spiritualibus episcopo exhibeat, & omne jus parochiale, & in sinodo, & in omnibus integrum ei custodiat. Cum autem presbyterum electum episcopo confirmandum abbas offerat, episcopus sine justa causa, & cognita causa repudiare non debeat. Abbati vero in temporalibus presbyter serviat, & pro debito canone in omnibus reverentiam exhibeat. Quod nisi fecerit, episcopus ex officio suo eum coerceat, alioquin presbyterum coercendi abbas liberam potestatem habeat. Hoc totum, quod superius legitur, ego jamdictus abbas promitto pro me meisque successoribus firmum tenere, & ratum habere, & non corrumpere in perpetuum sub pena unius libre auri, & post solutionem pene maneat hec obligatio, & promissio firma, uti supra legitur. Scripta manu Gerardi Faventini notarii rogatu nostrorum supradictorum contrahentium. Hoc factum est in presentia presbyteri Fuscardi, presbyteri Beniamin, presbyteri Petri, presbyteri Guidonis sancte Crucis, presbyteri Ugoni sancti Paterniani, & Americi diaconi, Dominici Johannis comitis, & Belenensis, & aliorum plurium, quorum nomina longum est enarrare.

Ego Ubertus abbas monasterii sanctorum Laurentii & Ypolyti licet indignus subscripsi & firmavi.

Hoc autem exemplum scriptum est a me Denago Faventino notario, ut supra legitur, prout in autentico instrumento a Gerardo Faventino notario condito vidi, & relegi, nihil addens vel diminuens, neque in aliquo predicti instrumenti stylum commutans. Sub anno Dominice incarnationis M. C. LXXXIX. tempore Clementis pape, & Frederici imperatoris die ultimo mensis madii indictione septima Faventie.

CCXCVIII.

Caleth præpositus S. Fortunatæ de Sutrio commutat terras.

Anno 1152. mense martio.

Ex codice S. Gregorii de Urbe, p. 182.

Ad lib. XXX. n. 4.

IN nomine Domini nostri Jhesu Christi. Anno ejusdem ab incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo secundo temporibus domni Eugenii tertii pape mensis martii indictione quintadeci-

tadecima. Ego quidem Caleth prepositus sancte Fortunate do tibi Tedisco bone memorie Senioris, & Gothifredo filio tuo tantum propria & spontanea mea bona voluntate in contracambium de una plagia juxta campanile ejusdem ecclesie, quam mihi restitues duos ortos .... montem ejusdem, affines a duobus lateribus ortus coheredum Modanensis, ab alio rivus aque, ab alio plagia Sutrinensis, & unum ortum ad fontem Cameratam ejusdem affinem ortus sancti Benedicti, ab alio ortus Guiducii de Geraldo, ab alio ortus Pisanelli, ab alio via cum introitibus & exitibus eorum, & omnibus eorum pertinentiis, ut per omnem annum in festo sancte Fortunate pro pensione unum Infortiatum mihi des pro istis tribus ortis, & vinea quam tenes in Tuncetula juxta vineam Tediscus de Giraldo, post mortem vero vestram jam dicti orti & vinea cum omni sua melioratione nostre ecclesie revertantur. Si qua vero pars *&c.*

Johannes Petri Mancini rogatus testis.

Crescentius Crescentii de Zita rogatus testis.

Ego Crescentius sacri palatii judex & notarius complevi & absolvi.

Ego .... sancte Romane ecclesie scriniarius, sicut inveni in instrumento publico confecto per manum Crescentii judicis & notarii, ita scripsi.

CCXCIX.

Venditio facta Villano archiepiscopo Pisano ab abbate Morronæ.

Anno 1152. III. kl. septembris.

Ex archivo Pisani archiepiscopii. n. 376.

Ad lib. XXX. n. 3.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus M. C.LIII. III. kal. septembris indictione XV. Manifestus sum ego Jacobus abbas ecclesie, & monasterii sancte Marie de Morrona, quia per consilium domni prioris Camaldulensis, & fratrum meorum monachorum, pro magna & competenti utilitate supradicti monasterii, pro edificanda claustra in loco, ubi dicitur Podium, que prius erat in loco abbadie vetere, per hanc cartam vendo, & trado tibi Villano Dei gratia venerabili Pisane ecclesie archiepiscopo, quidquid predicto monasterio pertinet in castro, quod dicitur Monte-vasi, & usque ad medietatem loci, que est inter ipsum castrum, & castellum quod dicitur Montanino, & quidquid predicto monasterio pertinet per circuitum totius castri Monte-vasi, tantum longe a predicto castro, quantum predicta medietas, que est inter ipsa castella, est longe a predicto castro Monte-vasi. Item vendo & trado tibi quicquid predicte ecclesie, & monasterio pertinet de loco, qui dicitur Mortajolo, ut dictum est, omnia, que supra leguntur in integrum cum inferioribus & superioribus suis, seu cum finibus & ingressibus suis, & cum omni jure & proprietate, & pertinentia & hactione earum tibi, ut dictum est, ad partem predicte ecclesie archiepiscopatus sancte Marie, vendo & trado tibi, quas possidebatis, & continua longi temporis possessione a morte comitis Ugolini usque ad presentem diem prescripsisse dicebatis, sicut in judicio, quod inter vos, & episcopum Vulterranum testibus juratis manifestum fuit. Et pro suprascripta mea venditione & traditione recepi a te meritum annulum aureum pro solidis quatuorcentis in prefinito. Quam meam venditionem & traditionem si ego vel mei successores, sive cui nos eam dedissemus aut dederimus, retollere vel minuere quesierimus per aliquod ingenium tibi, qui supra, archiepiscopo, tuisque successoribus, aut cui vos eam dederitis vel habere decreveritis, & si nos exinde auctores dare volueritis, & eam vobis ab omni homine defendere non potuerimus, & non defensaverimus; spondemus nos vobis componere supradictam meam venditionem, & traditionem in duplum in ferquido loco sub extimatione, qualis tunc fuerit, & insuper penam argenti optimi libras viginti. Et in tali ordine hec scribere rogavi Albertum notarium apostolice sedis. Actum Pise in palatio prefati archiepiscopi. De supradictam vero venditionem exceptamus Riparossulam, si infra prescriptos fines comprehenditur.

Ad lib. XXX. n. 4.

Ego Rodulphus prior Camaldulensis subscripsi.

Ego Ubertus abbas sancti Zenonis ss.

Ego Jacobus abbas predicti cœnobii ss.

Ego frater Benedictus ss.

Ego frater Johannes ss.

Ego frater Florentius ss.

Ego frater Manfredus ss.

Ego Ildebrandus abbas sancti Michaelis ss.

Signa manuum † † † † † † Sicheri quondam Gualandi, & Villani quondam Guido-

Guidonis tunc temporis consulum, Pelavicini quondam Lamberti, Graffi q.... Alberti quondam Ildebrandi, Sismundi quondam Connecti, Bardoni filii Alferii rogatorum testium.

† Ego Burgundius sacri Lateranensis palatii judex interfui & ss.

† Ego Albertus notarius apostolice sedis post tradita complevi & dedi.

CCC.

Rainerius comes cum Altruda matre tradit eremo Camaldulensi monasterium SS. Trinitatis de Monte-herculis.

Anno 1153. mense junio.

En autographo Fontis-boni. §. Donatio. n. 319

Ad lib. XXX. n. 5.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Anno incarnationis ejusdem M. C. LIII. in mense unii indictione XV. temporibus Eugenii pape. Omnibus manifestum est atque congrua ratione dispositum libenter debere eorum desideriis annuere, pro quibus &c. Ideo nos quidem in Dei nomine Rainerius comes, & Altruda uxor quondam comitis Rainerii concedimus & largimur & transactamus tibi domno Rolando abbati monasterii Insule acceptori vice domni prioris Rodulfi de Camaldulo, videlicet monasterium sancte Trinitatis de Monte Herculis cum omnibus possessionibus ejus, que usque hodie habet & detinet sub nostro dominio undecumque sibi advenisse cognoscitur, & cum omnibus cappellis, quas nunc habet in castro & curte sancte Agathe, videlicet cappellam sancti Andree in Cerafusti, & cappellam sancte Barbare, & cappellam sancti Donati, & cappellam sancte Marie in fundo Majano, & cappellam sancti Mauritii in loco Ausi, & cappellam sancte Agathe in supradicto castro, & cappellam sancte Christine in fundo Casatico, & cappellam sancti Pauli in fundo Buzano, & cappellam sancti Andree in loco Plegole, & cappellam sancti Paterniani in curte de Antiquo, & cappellam sancti Angeli in curte Scaulino, & cappellam sancti Angeli in Serzano, & unam partem in cappella sancti Martini in Casatico, & unam portiunculam de cappella sancti Andree in Azello, & unam portiunculam de cappella Montis sancti Laurentii, & unam partem de cappella sancte Marie in Antiquo, & medietatem de cappella sancte Paule in Rotario. Et similiter damus vobis vestrisque successoribus in perpetuum omne jus patronatus, quod usque hodie habuimus in eodem monasterio sive in cappellis, sive in possessionibus, sive in colonis, & omnem antiquum usum sive novum, excepto de placito homicidarum, adulterorum, perjurorum, & furum, vel sanguinem fundentium, & hec communiter judicare debemus cum abbate, aut cum ejus misso, si noluerit interesse. Et hoc fiat de personis illis, que sunt extra monasterium. De illis vero personis, que erunt pro tempore in monasterio, fiat in arbitrio abbatis ejusdem loci. Hec omnia supradicta cum omnibus suis pertinentiis, cultis & incultis, pratis, rivis, & pascuis, major pars quorum est in episcopatu Feretrano, in plebibus sibi constitutis, omnia in integrum nos dicti comes & comitissa concedimus, damus & transactamus, & in proprium jus Camaldulensium vestrorum successorum transferimus pro remedio animarum Rainerii comitis olim defuncti, & ejus patris Cavalcacomitis, & pro remedio nostrorum peccatorum, quatenus mihi Altrude orationibus & precibus venerabilium fratrum Camaldulensium Deus mea dignetur dimittere peccata, & filio meo vitam tribuere, suoque servicio manu tenere. Hec omnia concedimus &c. in congregatione Camaldulensi sub regimine abbatis de Insula, qui pro tempore ibi erit, & ea concedimus ad reformandam religionem & ordinem in eodem monasterio, & debitam & indebitam consuetudinem ibi largimur. Et ab hodierna die non liceat nobis, neque nostris heredibus ac proheredibus vobis vestrisque successoribus exinde aliquam molestiam inferre per nos, vel per summissam personam, set modo, omnique tempore quieti permaneatis in perpetuum. Et si quis vobis amodo exinde aliquam injuriam inferre voluerit, nos omni tempore promittimus defendere & authorizare ab omnibus hominibus. Quod, si quod absit, omnia, que supradiximus, non observaverimus, vel non adimpleverimus, & si contra hec ire, vel agere, aut contendere, aut corrumpere voluerimus, nunc daturos nos esse promittimus cum nostris heredibus vobis vestrisque successoribus penam auri obtimi libras centum, & post solutionis penam hec pagina donationis & transactionis permaneat suo robore plenissima firmitate, sub mense & indictione suprascripta.

Singnum † manus Rainerius comes scribere rogavit.

Singnum † manus comitisse Altrude scri-

fcribere rogavit ea, que fupra leguntur.

Singnum manibus Henrici olim filius Johannis de Gisla, & Jacobus ejus nepos, & Armannus Galfoli filius, & Galfreduci, & Rainutini, & Leonis clerici, & Johannis Viezi, & Martini Tebaldi, & Johannis marchionis, & presbiteri Ugonis. Isti vero & multi alii rogati teftes huic pagine funt.

Et ego in Dei nomine Johannes tabellarius fcripfi & complevi.

CCCI.

Privilegium Eugenii III. papæ pro Camaldulenfi congregatione.

Anno 1153. XVI. kl. julii.

Ex authentico S. Blafii de Fabriano.

Ad lib. XXX. n. 7.

EUgenius epifcopus fervus fervorum Dei dilecto filio Rodulpho Camaldulenfium priori, ejufque fratribus tam prefentibus, quam futuris regularem vitam profeffis in perpetuum. Religiofis defideriis dignum eft facilem prebere confenfum, ut fidelis devotio celerem fortiatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, veftris juftis poftulationibus clementer annuimus & predeceſſoris noftri felicis memorie Pafchalis pape veftigiis inherentes precipimus, & prefentis decreti auctoritate fancimus, ne cuiquam omnino perfone, clerico, monacho, laico cujufcumque ordinis aut dignitatis prefentibus aut futuris temporibus liceat congregationes illas & loca illa, que Camaldulenfis eremi five cenobii difciplinam & ordinem fufceperunt, queque hodie fub illius regimine continentur, ab ejus ullo modo fubjectione & unitate dividere. Que videlicet loca & congregationes confervande unitatis gratia fingularibus vifa funt vocabulis annotanda. In epifcopatu Aretino monafterium fancti Salvatoris Berardingorum, fancti Petri in Rota, fancte Marie in Agnano, fancti Quirici in Rofa, eremus Fleri, monafterium fancti Viriani, fancti Bartholomei in Anglare, juxta Balneum monafterium fancte Marie in Trivio, in Galiata monafterium fancte Marie in Infula. In epifcopatu Montis-Feretrani monafterium Montis-Herculis. In epifcopatu Foropopilienfi hofpitale Almerici. In epifcopatu Penfaurienfi monafterium fancti Decentii, heremus Fajoli. In epifcopatu Bononienfi monafterium fancti Archangeli juxta caftrum Britti; fancti Felicis. In epifcopatu Florentino monafterium fancti Petri in Luco, fancti Salvatoris juxta civitatem. In epifcopatu Fefulano monafterium fancte Marie in Poplena, ecclefiam fancte Margherite. In epifcopatu Vulterrano monafterium fancti Petri in Fontiano, fancte Marie in Puliciano, fancti Petri in Cerreto, fancti Jufti prope civitatem. In epifcopatu Pifano monafterium fancte Marie de Morrona, monafterium fancti Stephani in Cintoria, fancti Savini in Cerafolo, in ipfa civitate monafterium fancti Michaelis, fancti Fridiani. In epifcopatu Lucano monafterium fancti Salvatoris in Cantiniano, fancti Petri in Puteolis. Item in Sardinia in archiepifcopatu Turritano monafterium fancte Trinitatis de Saccaria, ecclefiam fancti Petri de Scanno. Item in Tufcia in epifcopatu Clufino eremum Vivi in Monteamiato cum omnibus fupradictorum locorum pertinentiis. Hec igitur omnia cum omnibus ad ipfa monafteria pertinentibus ftatuimus, & apoftolice fedis auctoritate fancimus, tamquam corpus unum fub uno capite, ideft fub priore Camaldulenfis eremi, temporibus perpetuis permanere, & in illius difcipline obfervatione perfiftere, fub illo, inquam, priore, qui ab ipfius congregationis abbatibus five prioribus, & ab eremitis regulariter electus, preftante Domino, fuerit. Porro congregationem ipfam ita fub apoftolice fedis tutela perpetuo confovendam decernimus, ut nulli epifcoporum facultas fit, aliquod ex his monafterium abfque prioris conniventia vel apoftolice fedis licentia excommunicare, vel a divinis officiis interdicere. Fratribus autem ipfis licentia fit, a quo maluerint catholico epifcopo confecrationum & ordinationum facramenta fufcipere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum &c. Si qua igitur &c. cunctis autem &c.

Fac mecum ✝ Domine	
SCS PETRUS	SCS PAULUS
EUGE	NIUS
PP.	IIJ.
fignum in	bonum.

BENE VALETE

Ego Eugenius catholice ecclefie epifcopus ss.

✝ Ego Conradus Sabinenfis epifcopus ss.

✝ Ego GG. presb. card. tt. Calixti ss.

† Ego Guido presb. card. tit. sancti Grisogoni ss.
† Ego Manfredus presb. card. tt. sancte Savine ss.
† Ego Arimbertus presb. card. tt. sancte Anastasie ss.
† Ego Julius presb. card. tt. sancti Marcelli ss.
† Ego Ubaldus presb. card. tt. sancte Crucis in Hierusalem ss.
† Ego Octavianus presb. card. tt. sancte Cecilie ss.
† Ego Gherardus presb. card. tt. sancti Stephani in Celio monte ss.
† Ego Johannes Paparo presb. card. tt. sancti Laurentii in Damaso ss.
† Ego Oddo diaconus card. sancti Georgii ad velum aureum ss.
† Ego Guido diac. card. sancte Marie in porticu ss.
† Ego Johannes diacon. card. sanctorum Sergii & Bacchi ss.
† Ego Gerardus diac. card. sancte Marie in via lata ss.

Datum Rome apud sanctum Petrum per manum Rolandi presbyteri cardinalis & cancellarii XVI. kl. julii indictione prima incarnationis Dominice anno M. C. LIII. pontificatus vero domini Eugenii III. pape anno VIIII.

CCCII.

Aliud ejusdem pro monasterio S. Silvestri Montis-subasii.

Anno 1153.

Ex veteri exemplo Fontis-boni. §. Recordationes. n. 30.

Ad lib. XXX. *n.* 8.

EUgenius episcopus servus servorum Dei dilectis fratribus de Monte Suavi salutem & apostolicam benedictionem. Quoniam sine religionis observantia tu .... nec unitas charitatis existit, nec Deo gratum exhibetur obsequium, convenit apostolice auctoritati religionem statuere, & stabilitam exacta diligentia conservare. Inde est, quod nos in monasterio vestro religionem, que peccatis exigentibus valde noscitur imminuta, Domino auxiliante reformare volentes, monasterium ipsum dilecto filio nostro R.. priori Camaldulensi commisimus ordinandum. Statuentes, ut ordo monasticus, qui in eodem monasterio noscitur institutus, secundum beati Benedicti regulam & Camaldulensium fratrum constitutiones, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Ut autem faciliu- & convenientius hoc ordine possit impleri, per presentia vobis scripta precipiendo mandamus, quatenus, sicut quidam vestrum in presentia nostra fecerunt, supradicto priori ejusque successoribus obedientiam secundum beati Benedicti regulam & ordinem Camaldulensem promittatis, & tam in temporalibus quam in spiritualibus ei absque ulla contradictione obediatis, ut & predictum monasterium pristinum religionis statum recipiat, & vos frugi melioris vite restitui Domino cooperante possitis.

Datum .....

CCCIII.

Testamentum Bonfilii Pilati pro monasterio S. Michaelis in Burgo Pisarum.

Anno 1153. VIII. id. augusti.

Ex chartulario ejusdem monasterii.

Ad lib. XXX. *n.* 9.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo quinquagesimo quarto octavo idus augusti indictione prima. Cum juris imperatione nequid falsitatis incurrat, testamenta sollemniter debeant celebrari, congruum existimavi testibus ceterisque sollemnibus, pro ut potui, velle meum testari, & ad quos commodum successionis mee pervenire velim, publice confiteri. Ideoque ego Bonfilius Pilatus filius quondam Leonis similiter Pilati, licet gravi infirmitate constrictus in lectulo jacens, tamen adhuc bene loquens, ac recte intelligens, & discernens volo, ordino, judico, & jure testamentario pro remedio anime mee habere concedo ecclesie beatissimi Michaelis archangeli, & monasterio, ubi nunc domnus Ildebrandus divina gratia largiente reverentissimus abbas preesse videtur, unam integram petiam de terra cum olivetis, & vineis super se, que esse videtur in finibus & districtus Calci, & in valle sancti Donati, & non multum longe a suprascripta ecclesia, habet unum capud in terra Johannelli Grilli, aliud capud tenet in terra nepotorum quondam Gerardi Vicecomitis cum uno latere, aliud latus tenet in terra ecclesie & archiepiscopatus sancte Marie. Hanc igitur petiam de terra *&c.* omnipotenti Deo, & supramemorate ecclesie & monasterio beatissimi Michaelis archangeli pro remedio anime mee subscri-

pro

pro ordine do, concedo & trado, quod absit, dum Leulinus nepos meus, & Contessina ejus germana similiter neptis mea infra legitimam hetatem, & sine legitimus heredibus decesserint, ut jure testamentario ipsam ecclesiam & monasterium imperpetuum prefatam petiam de terra cum vineis & olivetis, & omnibus suis juris, & edeficiis ac pertinentiis jure proprietario habeat & detineat, firmiterque possideat absque ulla querimonia & calupnia. Et si quemlibet horum infra prescriptam etatem, & absque legitimis heredibus obierit, succedat ei alter, qui supervixerit, si ad prescriptam legitimam hetatem pervenerit, & heredes legitimos reliquerit. Et si uterque vixerint, & ut supra legitur ad prescriptam legitimam hetatem pervenerint, & legitimos heredes reliquerint, volo ac jubeo, & firmiter ordino, ut uterque videlicet nominatus Leolinus, & Comitissa cum supradictis eorum heredibus hereditario jure habeant & detineant, firmiterque prescriptam petiam de terra cum vineis, & olivetis, & omnibus suis adjacentiis, & edeficiis, ac pertinentiis absque omni calupnia, & querimonia hanc meam voluntatem ratam, & firmam volo, ut supradictum est, & si que juris deest sollemnitatis, tamen firma & stabilis voluntas mea permaneat, omni jure, quo voluntates defunctorum, & res suas disponentium custodiuntur. Et in tali ordine hoc meum judicatum, & testamentum Gerardum apostolice sedis notarium scribere rogavi. Actum intra claustrum monachorum dicte ecclesie, & monasterii beatissimi Michaelis archangeli in domo infirmorum.

Signum manus supranominati Bonfilii Pilati, qui hanc judicati cartulam scribere rogavit.

Signa manuum Hursicchi filii quondam Alcherii Deintadi, & Pandulfi Cerdonis filii quondam Rustichi Biscordie, & Rainerii Pelagallo filii quondam Cighi, & Bacarelli, & Benenati germanorum filiorum quondam Leonis Pilati, & Petri filii Benenati Pilati, qui interfuerunt rogati testes.

Ego Gerardus apostolice sedis notarius interfui, & rogatu nominati Bonfilii Pilati hoc scriptum feci, complevi, & dedi.

CCCIV.

Bulla Anastasii IV. papæ pro monasterio de Agnano.


Anno 1154. id. januar.

Ex archivo S. Mariæ in Gradibus Arretii. n. 68.

Ad lib. XXX n. 15.

Anastasius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Saxoni abbati monasterii sancte Marie de Agnano, ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Pie postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, quatenus & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prefatum monasterium, in quo Divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascunque possessiones, quecunque bona idem monasterium in presentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant. In quibus hec duximus propriis exprimenda vocabulis. Monasterium sancte Marie in Graticciata juxta civitatem Aretinam, ecclesiam sancti Blasii in ipsa civitate, monasterium sancti Gaudentii, ecclesiam sancti Quirici de Vicione, hospitale ipsius loci, ecclesiam sancti Michaelis de Caphajora, ecclesiam sancti Michaelis de Tuntinano, ecclesiam sancti Stephani de Crovule, & ecclesiam sancte Cecilie de Ferrata cum earum pertinentiis, curtem de Vertige, curtem de sancto Loterio. Quicquid juris in castro de Pergine, molendinum, quem habetis in flumine Arni juxta montem de Valle, molendinum in flumine Ambre de Poce, & molendinum in flumine Else de Pedemontis. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse sancimus, ut eorum, qui se illic sepeliri deliberaverint, devotioni, & extreme voluntati nullus obsistat. Salva justitia matricis ecclesie. Decernimus ergo &c.

Domine ut † *pupillam*
SCS PETRUS | SCS PAULUS
ANASTA | SIUS
PP. | IIIJ.
oculi custodi me.



Ego Anastasius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Ymarus Tuscul. episcopus ss.

† Ego Octo diacon. card. sancti Georgii ad velum aureum ss.

† Ego Hugo Hostiensis episcopus ss.

† Ego Gregorius presb. card. tit. Calixti ss.

† Ego Guido presb. card. tit. sancti Grisogoni ss.

† Ego Manfredus presb. card. tit. sancte Savine ss.

† Ego Aribertus presb. card. tit. sancte Anastasie ss.

† Ego Julius presb. card. tit. sancti Marcelli ss.

† Ego Ubaldus presb. card. tit. sancte Crucis in Jerusalem ss.

† Ego Johannes diac. card. sanctorum Sergii & Bacchi ss.

† Ego Odo diacon. card. sancti Nicholai Carcer. Tull. ss.

† Ego Octavianus presb. card. tit. sancte Cecilie ss.

† Ego Gerardus presb. card. tit. sancti Stephani in Celio monte ss.

† Ego Johannes presb. card. sanctorum Johannis & Pauli tit. Pamachii ss.

Datum Laterani per manum Rolandi sancte Romane ecclesie presbyteri cardinalis & cancellarii idibus januarii indictione II. incarnationis Dominice anno M. C. LIII. pontificatus donni Anastasii pape IV. anno primo.

CCCV.

Privilegium Gerardi episcopi Bononiensis pro monasterio S. Christinæ Septem. Fontium.

Anno 1154. III. junii.

Ex autographo S. Christinæ de Bononia. C. 5.

Ad lib. XXX, n. 18.

GERARDUS SANCTE BONONIENSIS ECCLESIE DEI GRATIA EPISCOPUS VENERABILI IN CHRISTO SORORI LUCIE ABBATISSE MONASTERII SANCTE CRISTINE EJUSQUE SORORIBUS TAM PRESENTIBUS QUAM FUTURIS SUBSTITUENDIS IN PERPETUUM.

Equitatis & justitie ratio persuadet nos ecclesiis perpetuam suarum rerum firmitatem & vigoris inconcussi monimenta ubique servare, & ut religiosas personas atque religionem Deo placitam studeamus modis omnibus augendo diligere, & diligendo propagare. Numquam enim obsequium Deo gratum impenditur, nisi ex radice karitatis procedat, & a religionis puritate undique custodiatur. Ea propter dilecta in Domino soror, ecclesiam sancte Cristine, in qua divino mancipata es obsequio, propensiori caritatis studio diligentes, tuis rationabilibus postulationibus clementer annuimus, & tibi Lucie & tue ecclesie tuisque successoribus concedimus, & presenti scripti pagina roboramus, quicquid comes UBALDUS & ejus uxor Julitta dedit, aut pro anima sua ecclesie sancte Cristine reliquit, scilicet de fundo Ugonis de Adelberto, & molendinum in alveo Yllicis, ubi dicitur terra Pozolese, sive etiam terras quascumque aut decimas omnesque alias possessiones quantascumque & ubicumque eidem ecclesie predictus comes vel ejus uxor per legatum vel donationem vel alio modo concessit. Preterea concedimus quicquid habes de jure sancte Bononiensis ecclesie aut in futuro juste acquisieris, & omne quod habetis in tota curia Ozani, in curia Montetenligo, in Septemfonte, in Clagnano, in curia Medicine, in curia castri de Britis. Insuper omne, quod comitissa BEATRIX vestre ecclesie largita fuit. Sepulturas loci vestri liberas esse volumus, scilicet, ut quicumque ibi sepelliri deliberaverit, a nemine aliquo modo impediatur, salvo in omnibus privilegio & reverentia Bononiensis ecclesie. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat ecclesiam vestram super eisdem decimis vel sepulturis temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere sive aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integre conserventur vestris personis & usibus omnimodo profutura. Si quis igitur hujus decreti tenore cognito temere, quod absit, contraire tentaverit, honoris & offitii periculum patiatur, & excommunicationis ultione teneatur, nisi suam presumptionem digna satisfactione correxerit. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jhesu Christi, quatenus & hic bone operationis fructum percipiant, & apud justum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen.

† Ego

† Ego Gerardus episcopus manu mea subscripsi.
† Ego Albertus archipresbyter m.m. ss.
† Ego Guido presbyter m.m. ss.
† Ego magister Ansaldus diaconus m.m. ss.
† Ego Albericus diaconus m.m. ss.
ACTUM Bononie in palatio episcopi per manum Gvvidonis in camera, que est super scalam. Anno Domini M. C. LIV. indictione II. die tertio ingrediente junio.

CCCVI.

Ildebrandinus comes restituit terras occupatas monasterio Berardingorum.

Anno 1154. mense novembri.

Ex libro delle coppe *cancellariæ Montispolitiani.* p. 397.

Ad lib. XXX. n. 16.

IN nomine Domini. Amen. Scriptura retrodonationis, quomodo testamentum Piciavene de Sciano abbatia sancti Salvatoris recuperavit & modo habet. Divine leges habent, & humane firmiterque precipiunt & prohibent, ut nullus presumat res alienas invadere & contra rationem retinere, sed precipue res ecclesiarum & predia nullatenus ab aliquo sunt invadenda, sive ratione ulla retinenda, unde ecclesia Dei, cui jure competunt, aliquod patiatur detrimentum vel jacturam. Proinde sacri canones & divine Scripture auctoritas omnes ecclesiasticarum rerum invasores easque violenter tenentes maledicunt & excommunicant. Quapropter ego Ildibrandinus comes filius comitisse Donnisie dimitto & refuto terras omnes abbatie sancti Salvatoris in manibus Nicolai abbatis ejusdem abbatie, quas Piciavena de Sciano quondam testamento pro anima sua prefate abbatie dereliquit. Has etenim terras usque modo contra justitiam occupatas detineri feci. Ut igitur mihi omnipotens Deus peccata mea & culpas indulgeat, per me & per omnes personas dimitto & refuto, atque renuntio omne jus & omnem usum, si quod forte habui in predictis terris Piciavene, que testamento pervenerunt monasterio sancti Salvatoris Berardingorum. Et quidem per hanc refutationem, quam feci, monachi ejusdem monasterii cum adjutorio Domini nostri Jesu Christi participem & consortem me fecerunt omnium orationum suarum & divini servitii, quod omnipotenti Domino die noctuque exhibere videntur. Et insuper a me humiliter exorati onus trium annorum de penitentia mea super se susceperunt, quam de peccatis meis ab Aretino episcopo acceperam. Refutationem siquidem predictarum rerum primum feci in capitulo apud abbatiam coram monachis ejusdem abbatie, & coram plebano de Rapulano multisque aliis; secundo ante plebem sancte Agate de Asciano in presentia & testimonio jamdicti Nicolai abbatis, & domni Petri olim prioris de Rantessa & plebani de Asciano, & Donodei, & Nontivolio & Griffoli filii Travi & Magialis filii Homodei & quorumdam aliorum. Anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo quarto mense novembris indictione ..... tempore Anastasii pape IIII. & Hieronymi Aretini episcopi.

Ego frater Nicolaus peccator monachus & solo nomine, non opere, dictus abbas predicti monasterii hec omnia vidi & interfui, & omnia suprascripta descripsi, & manu propria sic denotavi. Amen. Amen. Amen.

CCCVII.

Præceptum Friderici I. regis pro congregatione Camaldulensi, & monasteriis imperialibus.

Anno 1154. III. nonas decembris.

Ex codice membranaceo S. Michaelis Pisarum.

Ad lib. XXX. n. 19.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Fredericus divina favente clementia Romanorum rex augustus. Regie majestatis dignitas ecclesias, & ecclesiasticas personas diligere & manutenere consuevit, atque proventibus earum promovendis favorem adhibere. Proinde omnium tam futurorum, quam presentium Christi, regnique fidelium noverit industria, qualiter nos pro remedio anime nostre, omniumque parentum nostrorum, Camaldulensium monasterium & heremum sancti Salvatoris & sancti Donati cum omnibus, que ad eam pertinent, nominatim monasterium sancti Bartholomei in Anglari cum ecclesiis, & villis, & omnibus pertinentiis suis, & castrum de Montorio cum ecclesia & suis pertinentiis, & castellum de Treciano cum ecclesia & suis pertinentiis, & quidquid juris habet in castello de Caprese & in toto districtu ejus, & omnia que fuerunt Bernardini filii Sedonie, & omnia, que

Quin-

Quintavallis per instrumenta dedit Camaldulensi heremo. Item monasterium sancti Sepulcri in episcopatu Castellano cum omnibus ad ipsum pertinentibus, monasterium sancti Appollenaris de Classe, cum omnibus suis possessionibus & rebus, que ad ipsum pertinent, monasterium sancti Archangeli juxta castrum de Britti cum omnibus suis possessionibus, monasterium sancti Savini prope Pisanam civitatem cum omnibus pertinentiis ejus atque possessionibus ubicumque inveniri possunt. In ipsa civitate Pisana monasterium sancti Zenonis cum omnibus, que ad ipsum pertinent sub tutela nostre defensionis per hanc preceptalem paginam suscipimus. Insuper villam de Montione, quam rectores ipsius loci emerunt ab abbate sancte Flore, & monachis, sicut in carta Camaldulensium inde facta continetur, quemadmodum domno papa Anastasio mediante justitia per scriptam sententiam diffinitum est, & ab ejus successore papa Adriano confirmatum eisdem Camaldulensibus, nos quoque confirmamus, & eandem venditionem ratam, & inconcussam perpetuis jubemus manere temporibus. Villam etiam de Mojona, quam emerunt ab Henrico preposito canonice sancti Donati, & canonicis ejus, similiter eis confirmamus. Et ut nulla super hiis venditionibus questio seu molestia eisdem Camaldulensibus ab aliquibus inferatur, imperiali constitutione inrevocabiliter decernimus. Quicquid juris habent in villa de Monte & ejus pertinentiis, & quod habent in castro de Partina & in toto districtu ejus, castrum de Soci & in tota curte sua, & quod habent in Condolese, & in Camprena, & in Caminza. Item, quod habent in curte de Tulliano, & castello, & quod habent in castro de Lorenzano, & in tota curte ejus. Item, quod habent in villa de curte Luponis, & in villa de Cajolo. De hiis omnibus nullus umquam hominum fodrum regis audeat exigere, colligere vel auferre, sed Camaldulenses monachi de prenominatis rebus ipsum fodrum competenter colligant, & cui tunc manifeste dandum fuerit, persolvant, nisi forte vobis servis Dei monachis remittere placuerit. Ex imperiali quoque beneficio licitum sit, atque possibile ipsis monachis facere novum aqueductum per competentia loca undecumque illis melius, ac opportunius visum fuerit, ad utilitatem & meliorationem molendinorum, que habent in villa de Viajo, & sancte Crucis, & in villa de Montione, & que habent in curte de Lorentiano in fluvio Arno, & quod habent sub castello de Biblena similiter in fluvio Arno, & que habent in fluvio de Larclano, nulla prorsus contradicente seu resistente persona. Precipimus etiam, ut nullus &c. Si quis igitur dux &c. Peregrinus Aquilejensis patriarcha, Hillinus Treverensis archiepiscopus, Guerardus Ravenbergensis episcopus, Ordilus Basiliensis episcopus, Hermannus Constantiensis episcopus, Corradus Wormatiensis episcopus, Marquardus Fuldensis abbas, Wibaldus Corbiensis atque Stabulensis abbas, Henricus dux Saxonie, Bertholdus de Ceringa.

Signum domini Frigderici Romanorum regis invictissimi.



Ego Arnoldus Coloniensis archiepiscopus & Ytalici regni archicancellarius recognovi.

Data Roncalie III. nonas decembris anno Dominice incarnationis M. C. LIV. indictione II. regnante domino Friderico Romanorum rege glorioso, anno vero regni ejus tertio.

CCCVIII.

Bulla Adriani IV. papæ in favorem ejusdem congregationis Camaldulensis.

Anno 1155. II. idus martii.

Ex autographo S. Blasii de Fabriano.

Ad lib. XXXI n. 25.

ADRIANUS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Rodulfo Camaldulensium priori, ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Officii nostri nos ammonet & invitat auctoritas pro ecclesiarum statu satagere, & earum quieti ac tranquillitati salubriter auxiliante Domino providere. Dignum namque & honestati conveniens esse dinoscitur, ut qui ad earum regimen Domino disponente assumpti sumus, eas & a pravorum hominum nequitia tueamur, & beati Petri atque sedis apostolice patrocinio muniamus. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clemen-

clementer annuimus, & predeceſſorum noſtrorum felicis memorie Paschalis. Eugenii, & Anastasii Romanorum pontificum veſtigiis inherentes, precipimus, & preſentis decreti auctoritate ſancimus, ne cuiquam omnino perſone, clerico, monacho, laico cujuſcumque ordinis, aut dignitatis preſentibus aut futuris temporibus liceat congregationes illas & loca illa, que Camaldulenſis heremi ſive cenobii diſciplinam & ordinem ſuſceperunt, queque hodie ſub illius regimine continentur, ab ejus ullo modo ſubjectione & unitate dividere, que videlicet loca & congregationes conſervande unitatis gratia ſingularibus viſa ſunt vocabulis annotanda. In epiſcopatu Aretino monaſterium ſancti Salvatoris Berardingorum, ſancti Petri in Rota, ſancte Marie in Agnano, ſancti Quirici in Roſa, heremus Fleri, monaſterium ſancti Viriani, ſancti Bartholomei in Anglare. Juxta Balneum monaſterium ſancte Marie in Trivio. In Galiata monaſterium ſancte Marie in Inſula. In epiſcopatu Montis-Feretrani monaſterium montis Herculis. In epiſcopatu Forumpopilienſi hoſpitale Almerici. In epiſcopatu Penſaurienſi monaſterium ſancti Decentii, heremus Fajoli. In epiſcopatu Bononienſi monaſterium ſancti Archangeli juxta caſtrum Britti, ſancti Felicis. In epiſcopatu Florentino monaſterium ſancti Petri in Luco, ſancti Salvatoris juxta civitatem. In epiſcopatu Feſulano monaſterium ſancte Marie in Poplena & eccleſiam ſancte Margarite. In epiſcopatu Wlterrano monaſterium ſancti Petri in Fontiano, ſancte Marie in Policiano, ſancti Petri in Cerreto, ſancti Juſti prope civitatem. In epiſcopatu Piſano, monaſterium ſancte Marie de Morrona monaſterium ſancti Stephani in Cinctoria, ſancti Savini in Montione. In ipſa civitate monaſterium ſancti Michaelis, ſancti Fridiani, ſancti Zenonis. In epiſcopatu Lucano monaſterium ſancti Salvatoris in Cantiniano, ſancti Petri in Puteolis. Item in Sardinia in archiepiſcopatu Turritano monaſterium ſancte Trinitatis de Saccaria, eccleſiam ſancte Eugenie in Samanar, eccleſiam ſancti Michaelis & ſancti Laurentii in Vanari, eccleſiam ſancte Marie & ſancti Johannis in Altaſar, eccleſiam ſancte Marie in Contra, eccleſiam ſancti Johannis & ſancti Symeonis in Salvenaro, eccleſiam ſancti Nicholai de Trulla, eccleſiam ſancti Petri in Scano, eccleſiam ſancti Pauli in Contrognano, eccleſiam ſancti Petri in Olim. Item in Tuſcia in epiſcopatu Cluſino heremum Vivi in monte Amiato cum omnibum ſupradictorum locorum pertinentiis. Villam preterea de Mojona, quam emiſtis ab Henrico prepoſito & reliquis canonicis cum omnibus pertinentiis ſuis. Villam de Montione, quam emiſtis ab abbate ſancte Flore, quemadmodum in veſtris cartulis continetur, & vobis a predeceſſore noſtro bone memorie papa Anastasio mediante juſtitia adjudicata eſt, & ſcripti ſui ſententia confirmata. Omnia igitur ſupradicta monaſteria cum omnibus ad ipſa pertinentibus ſtatuimus, & apoſtolice ſedis auctoritate ſancimus tamquam corpus unum ſub uno capite, ideſt ſub priore Camaldulenſis eremi, temporibus perpetuis permanere, & illius diſcipline obſervatione perſiſtere, ſub illo, inquam, priore, qui ab ipſius congregationis abbatibus ſive prioribus, & ab eremitis regulariter electus, preſtante Domino, fuerit. Porro congregationem ipſam ita ſub apoſtolice ſedis tutela perpetuo confovendam decernimus, ut nulli epiſcoporum facultas ſit aliquod ex his monaſterium abſque prioris coniventia, vel apoſtolice ſedis licentia excommunicare, vel a divinis officiis interdicere. Fratribus autem ipſis licentia ſit, a quo maluerint catholico epiſcopo conſecrationum, ſeu ordinationum ſacramenta ſuſcipere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum *&c.* Si qua igitur *&c.* cunctis *&c.*

Oculi	*mei*
SCS	SCS
PETRUS	PAULUS
ADRI	ANUS
PP.	IIII.

ſemper ad Dominum.

Ego Adrianus catholice eccleſie epiſcopus ss.

† Ego Ubaldus presb. card. tit. ſancte Praxedis ss.

† Ego Aribertus presb. card. tit. ſancte Anaſtaſie ss.

† Ego Julius presb. card. tit. ſancti Marcelli ss.

† Ego Johannes presb. card. ſanctorum Johannis & Pauli tt. Pamachii ss.

† Ego Henricus presb. card. tt. ſanctorum Nerei & Achillei ss.

† Ego Johannes presb. card. tt. ſanctorum Silveſtri & Martini ss.

† Ego Rodulfus diac. card. ſancte Lucie in Septa ſolis ss.

† Ego Wido diac. card. ſancte Marie in porticu ss.

Datum Rome apud ſanctum Petrum per

per manum Rolandi S. R. E. presb. cardinalis & cancellarii II. idus martii indictione III. incarnationis Dominice anno M. C. LIV. pontificatus vero domini Adriani pape IIII. anno primo.

CCCIX.

Littere ejusdem ad VVibaldum abbatem Stabulensem pro monasteriis de Berardinga & de Rota.

Anno 1155. XIIII. kl. aprilis.

Ex Martene & Durand. collect. veter. monum. T. I. c. 589.

Ad lib. XXX. n. 29.

ADrianus episcopus servus servorum Dei dilecto filio.. Stabulensi abbati salutem & apostolicam benedictionem. Licet omnium ecclesiarum nobis cura & sollicitudo immineat, licet eas debeamus universaliter defendere, religiosa tamen loca nos convenit attentius confovere, & gratiora eis exhibere obsequia, qui propria relinquentes, in domo Domini elegerunt abjecti & despicabiles remanere, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. In episcopatu siquidem Aretino quedam monasteria esse noscuntur, Berardingorum videlicet & sancti Petri de Rota, in quibus religiosi viri fratres Camaldulenses assidue student Domino deservire, qui licet sint rebus temporalibus pauperes, thesauro tamen indeficienti locupletes esse creduntur. Pro ipsis itaque dilectionem tue fraternitatis attentius exoramus, apostolicis literis tue discretioni mandantes, quatinus pro amore Dei, pro beati Petri & nostra reverentia, ita industria tua apud carissimum filium nostrum Fredericum illustrem atque catholicum Romanorum regem efficiat, ut predicti fratres rerum suarum ab his, qui sunt in exercitu, non possint sustinere jacturam, sed potius cum apud christianissimum principem de aliquo querelam protulerint, plenariam valeant ab ipso justitiam obtinere.

Data Rome apud sanctum Petrum XIIII. kal. aprilis.

CCCX.

Privilegium ejusdem Adriani IV. pro plebe S. Hippolyti de Biblena.

Anno 1155. VI. nonas maji.

Ex veteri apographo prepositure Biblenensis.

Ad lib. XXXI. n. 27.

ADrianus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Antonio plebano sancti Ippoliti de Bibiena ejusque fratribus tam presentibus quam futuris canonice substituendis in perpetuum. Pie postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, quatenus & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prefatam ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona in presentiarum juste & canonice eadem ecclesia possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis; ecclesiam sancti Blasii & sancti Jacobi de Bibiena, que cum omni jure suo libere ad plebem vestram pertinere noscuntur, decimas ejusdem castri, villarum circumadjacentium, ecclesiam de Lontrina, ecclesiam sancte Marie de Cursolone, ecclesiam de Montecclo; ecclesiam sancti Nicolai de Vignole, sancte Flore de Sarna, ecclesiam de Campi, ecclesiam de Querceto, sancti Bartholomei de Catarsina, ecclesiam sancti Angeli & sancti Donati cum decimatione cinerariorum de Banzena, ecclesiam sancti Zenonis, ecclesiam sancti Johannis de Tremojano, sancti Clementis de Petra, ecclesiam de Offignano, ecclesiam sancte Marie de Monte cum antiquo & debito redditu de Correzzo, qui vobis debetur, ecclesiam sancti Egidii de Frasseneto, ecclesiam sancti Laurentii de Ceresiolo, ecclesiam de Montefatuclo cum tota decimatione adjacentis ville, que dicitur Gage; ecclesiam sancti Silvestri de Jompareta, & ecclesiam montis Silvestri cum redditu duodecim sextariorum frumenti, qui antiquo & debito

to jure vobis debetur. In supradictarum quoque ecclesiarum decimis antiquis & debitis redditibus quidquid vestri juris esse cognoscitur, vobis auctoritate apostolica confirmamus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum &c. Si qua igitur in futurum ecclesiastica &c.

Oculi † *mei*
SCS | SCS
PETRUS | PAULUS
ADRIA | NUS
P. P. | IIIJ.
semper ad Dominum.

Ego Adrianus catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Imarus Tusculanus episcopus ss.

† Ego Cencius Portuensis & sancte Rufine episcopus ss.

† Ego Gregorius Savinensis episcopus ss.

† Ego Guido presb. card. tit. sancti Chrysogoni ss.

† Ego Julius presb. card. tit. sancti Marcelli ss.

† Ego Ubaldus presb. card. tit. sancte Crucis in Jerusalem ss.

† Ego Octavianus presb. card. tit. sancte Cecilie ss.

† Ego Gerardus presb. card. tit. sancti Stephani in monte Celio ss.

† Ego Johannes presb. card. sanctorum Johannis & Pauli tit. Pamachii ss.

† Ego Henricus presb. card. tit. sanctorum Nerei & Achillei ss.

† Ego Oddo diaconus card. tit. sancti Georgii ad velum aureum ss.

† Ego Rodulphus diac. card. tit. sancte Lucie ss.

† Ego Guido diacon. card. tit. sancte Marie in porticu ss.

† Ego Oddo diacon. card. tit. sancti Nicolai in carcere Tulliano ss.

Datum Rome apud sanctum Petrum per manum Rolandi S. R. E. presbyteri card. & cancellarii sexto nonas maji indictione III. incarnationis Dominice anno M. C. LV. pontificatus vero domni Adriani pape IIII. anno primo.

CCCXI.

Alterum ejusdem pro monasterio S. Mariæ de Carceribus.

Anno 1155. II. nonas junii.

Ex exemplis S. Michaelis de Muriano.

Ad lib. XXX. n. 30.

ADrianus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Dominico priori ecclesie beate Marie de Carcere, ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Justis religiosorum desideriis ac rationabilibus eorum postulationibus clementer annuere apostolice sedis, cui largiente Domino deservimus, auctoritas ac fraterne caritatis unitas nos hortantur. Ea propter dilecti in Domino filii venerabilis fratris nostri Johannis Paduani episcopi precibus inclinati vestris justis postulationibus clementer annuimus, & ecclesiam beate Marie de Carcere, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo canonicus &c. Preterea quascumque possessiones &c. in quibus ecclesiam sancti Andree de Curteroduli cum pertinentiis suis, & decimas omnium novalium, que jam facta sunt, & in perpetuum fient in loco, quem Carracetulum vocant, & in Agucciano, necnon in tota Scodassia, & in Fracta, in Montaniana & Vigezolo propriis duximus vocabulis exprimenda. Quecumque etiam a bone memorie Bellino & Senebaldo Paduanis quondam episcopis vobis canonice data sunt, nihilominus confirmamus. Sententiam vero illam, quam prefatus Bellinus episcopus super contentione, que inter vos & clericos sancte Thecle de Adeste de persona Hugonis Ballistarii & filiis ejus & bonis ipsius agebatur, legitime promulgavit, confirmamus, & ratam manere censemus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum &c.

Oculi † *mei*
SCS | SCS
PETRUS | PAULUS
ADRIA | NUS
P. P. | IIIJ.
semper ad Dominum.

Ego Adrianus catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Manfredus presbyter card. tit. sancte Savine ss.

† Ego Julius presbyter card. tit. sancti Marcelli ss

† Ego Ubaldus presb. card. tit. sancte Crucis in Hierusalem ss.

† Ego Gerardus presb. card. tit. sancti Stephani in Celio monte ss.

† Ego Henricus presb. card. tit. sanctorum Nerei & Achillei ss.

† Ego Johannes presb. card. tit. sanctorum Silvestri & Martini ss.

† Ego Gerardus diaconus card. sancte Marie in via lata ss.

Datum Viterbii per manum Rolandi S. R. E. presbyteri cardinalis & cancellarii II. nonas junii indictione III. incarnationis Dominice anno M. C. LV. pontificatus vero domni Adriani pape IIII. anno primo.

CCCXII.

Tertium ejusdem pro monasterio S. Michaelis in Burgo Pisarum.

Anno 1155. IIII. nonas octobris.

Ex autographo ejusdem monasterii.

Ad lib. XXX. n. 26.

ADrianus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis abbati monasterii sancti Michaelis, quod in civitate Pisana situm est, ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Officii nostri nos admonet, & invitat auctoritas pro ecclesiarum statu satagere, & earum quieti, ac tranquillitati salubriter, auxiliante Domino, providere. Dignum namque, & honestati conveniens esse dignoscitur, ut qui ad earum regimen Domino disponente assumpti sumus, eas a pravorum hominum nequitia tueamur, & beati Petri atque sedis apostolice patrocinio muniamus. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & pro statu monasterii, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum, & beati Benedicti regulam, atque Camaldulensium statutorum consuetudinem in eodem monasterio dignoscitur institutus, futuris ibidem temporibus inviolabiliter conservetur. Propterea quascunque possessiones, quecunque bona idem monasterium in presentiarum juste, & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Ecclesiam sancti Laurentii de Rivolta cum hospitali, & pertinentiis suis; ecclesiam sancte Cecilie; jus vestrum in ecclesia sancti Christophori de Colignola cum integris parochiis, & diecesibus suis; quicquid habetis in villa de Ghezzano, de Colignola, de Mezzano, de Leona, de Bottano, & infra Marceto. Quicquid habetis in ecclesia sancti Petri in Gradu, salvo solito censu presenti archiepiscopo, & quicquid habetis juxta muros civitatis tam in terris, quam in vineis vobis nihilominus confirmamus. Sepulturam quoque eidem liberam esse concedimus, ut eorum, qui se illic sepelire deliberaverint, devotioni, & extreme voluntati, nisi forte excommunicati, & interdicti sint, nullus obsistat. Salva tamen justitia matricis ecclesie. Ordinationes monachorum, seu clericorum vestrorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi a diocesano suscipiatis episcopo, siquidem catholicus fuerit, & gratiam atque communionem apostolice sedis habuerit, & gratis absque simonie pravitate vobis voluerit exhibere, alioquin liceat vobis quemcumque malueritis adire antistitem, qui nimirum nostra fultus auctoritate, quod postulatur, indulgeat. Clericos vero, sive laicos liberos, qui ad vos conversionis gratia redire voluerint, suscipiendi habeatis liberam facultatem. Ad hec presentis decreti assertione sanximus, ut nullus intra terminum parochie vestre, vel ecclesiarum vestrarum, sine consensu diocesani episcopi, & vestro, aliquam ecclesiam edificare presumat. Decernimus ergo &c.

Oculi † *mei*
SCS PETRUS | SCS PAULUS
ADRIA | NUS
PP. | IIIJ.
semper ad Dominum.

Ego Adrianus catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Imarus Tusculanus episcopus ss.

† Ego Cencius Portuensis ecclesie episcopus ss.

† Ego Guido presbyt. card. tt. sancti Grisogoni ss.

† Ego

† Ego Aribertus presb. card. tt. sancte Anastasie ss.

† Ego Astaldus presb. card. tt. sancte Prisce ss.

† Ego Guido presb. card. tt. Pastor. ss.

† Ego Bernardus presb. card. tt. sancti Clementis ss.

† Ego Gerardus presb. card. tit. sancti Stephani in monte Celio ss.

† Ego Johan. presb. card. tit. ss. Sylvestri & Martini ss.

† Ego Oddo diac. card. tt. sancti Georgii ad Velum aureum ss.

† Ego Johannes diac. card. tt. sanctorum Sergii & Bacchi ss.

† Ego Oddo diac. card. tit. sancti Nicolai in carcere Tulliano ss.

Datum Ferentini per manum Rolandi S. R. E. presb. cardinalis & cancellarii IV. nonas octobris indictione IIII. incarnationis Domini anno M. C. LV. pontificatus vero domni Adriani pape IIII. anno primo.

CCCXIII.

Donatio facta ab Alberto monasterio S. Christinæ Septem-fontium.

Anno 1155. mense decembri.

Ex originali S. Christinæ de Bononia.

Ad lib. XXX. *n.* 28.

† IN nomine sancte & individue Trinitatis. Anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo quinto xv. kalendas decembris indictione tercia. Ego quidem Albertus filius Johannis Boni de Alberto hoc donationis instrumento perfecto dominii & proprietatis ac possessionis jure pro anima patris mei presenti die dono tibi domne Lucie abbatisse monasterii sancte Christine tuisque sororibus ac successoribus, idest peciam unam terre arative positam ad pedes montis Argili cum ingressu & egressu suo usque ad viam publicam & cum omnibus super se & infra se habentibus in integrum. Cujus confines hujusmodi sunt. A mane adest via publica. A meridie predictus mons Argilus. A sero .... A septentrione possident heredes Petri Sclibi & si qui alii fines sunt, omne scilicet quod infra hos fines continetur in integrum, ut predixi in presenti, dono tibi prenominate domne Lucie abbatisse tuisque sororibus ac successoribus ad habendum, tenendum ac possidendum, & quicquid tibi placuerit ad utilitatem predicte ecclesie faciendum in perpetuum. Ut nullam litem nullamque controversiam hujus rei nomine a me vel a meis heredibus tu vel tue successores aliquo in tempore sustineas, ab omni quoque homine predictam rem semper legitime defendere & auctorizare tibi & tuis successoribus promitto. Et si ego vel mei heredes predicta omnia firmiter semper observare noluero, pene nomine ipsius rei duplum dare tibi & tuis successoribus promitto, & insuper predicta omnia semper incorrupta tenere spondeo.

Actum in civitate Bononia indictione predicta.

Prenominatus donator hoc donationis instrumentum, ut superius legitur, scribere rogavit.

Presbyter Ubertus sancte Marie speciose, presbyter Teucius de Clagnano, & presbyter Ildebrandus sancte Christine, & Rodulfus de Berta interfuerunt testes.

Hanc ego notarius qui dictus sum Christianus,

Cartam descripsi, velud hec per carmina dixi.

CCCXIV.

Altera facta ecclesiæ S. Martini de Fracta.

Anno 1155. mense decembri.

Ex autographo S. Blasii de Fabriano.

Ibidem.

IN Dei nomine ab incarnatione ejus anni millesimi centesimi quinquagesimi quinti indictione tertia in mense decembri vendo, trado, transfero atque transacto, & corporaliter investio ego quidem in Christi nomine Bonizo de Ugo de Bonizo de Johanne insimul cum matre mea Aldiguisia ecclesie sancti Martini de Fracta filiorum Bonizonis de Johanne, que est sub regimine monasterii sancti Romoaldi de Valle castri, & tibi presbyter Berardo ministro jamdicte ecclesie sancti Martini tuisque successoribus in perpetuum. Idest unam petiam silve, quam ego habeo in comitatu Perusino ad Fractas filiorum Bonizonis de Johanne, & fines ejus sunt hii, a primo latere tenet Armannus de Transerico, a capite est quercetum Armanni & filiorum Janucii, & Stephani de Bernardo de Ugo Blanco, ab aliis duobus lateribus est res predicte ecclesie, predictam petiam terre infra hos fines cum ingressu & egressu *&c.* Et exinde acce-

pi pretium a te predicto compratore decem solidos bonorum infortiatorum. Et si omnia non observavero &c. promitto &c. dare & componere pene nomine viginti solidos bonorum infortiatorum tibi predicto presbytero Berardo &c.

† Signum manus predicti Bonizonis venditoris & Aldeguisie consentitricis.

† Signum manus Guittonis de Bonizo de Johanne, & Armanni de Transerico, & Benedicti de Leo, & Stephani de Bernardo de Ugo Blanco, & Berardi de Guido Manente omnes rogati testes.

Ego Ildebrandus judex scripsi & complevi.

CCCXV.

Gregorius abbas S. Michaelis de castro Brittorum donat parthenoni Septem-fontium ecclesiam S. Andreae de Ozano.

Anno 1156. xv. februarii.

Ex autographo S. Christinae de Bononia.

Ad lib. XXX, n. 32.

† IN nomine Domini. Anno incarnationis ejusdem millesimo centesimo quinquagesimo sexto sub die quintadecima mensis februarii indictione quarta. Et ideo ego Gregorius abbas & monachus ecclesie sancti Michaelis archangeli una per consensum & ortamenta fratrum meorum, & jussione & voluntate Rodulfi prioris Camaldulensis, necnon & patronorum amore Dei & caritate dono, transfero, atque confirmo tibi domne Lucie abbatisse & ecclesie sancte Christine de loco, qui vocatur Pastino, recipienti pro honore Dei & predicte sancte Christine ecclesie, tuisque sororibus & fratribus in eadem ecclesia communiter manentibus in perpetuum; id est ecclesiam sancti Andree cum omnibus, que ad ipsam ecclesiam pertinent, videlicet terris & vineis & cum edificiis, & cum omnibus, que ad ipsam ecclesiam, ut dixi, pertinent, vel pertinere potest in perpetuum, hoc tamen quod superius prelibatum est, videlicet ecclesiam sancti Andree cum omnibus suis pertinentiis eo ordine concedo, do & transfero, ut omni anno a te domna Lucia abbatissa vel a tuis sororibus & confratribus vel successoribus tuvaliam unam quinque brachiarum mihi vel meis fratribus vel successoribus servitio ecclesie sancti Michaelis persistentibus diligenter pensionis nomine deferatur. Et ego prelibatus domnus Gregorius monachus & abbas pro me & meis successoribus vel confratribus predictam ecclesiam cum omnibus suis pertinentiis ab omni homine defendere & auctorizare tibi domne Lucie receptrici honore Dei & ecclesie sancte Christine, & sororibus & fratribus ac successoribus servicio predicte ecclesie persistentibus in perpetunm promitto. Si autem aliquo in tempore suadente aliqua sugestione diabolica ego vel mei aut aliquis successorum meorum de supradictis, que supra per hanc pacinam sive decretum tibi & tuis sororibus vel successoribus concessi aliquo modo vim facere vel tollere presumpserimus, aut facientibus consenserimus & non observaverimus, ut superius legitur, tunc promitto me vel successores mei prefate ecclesie componere & dare tibi & tuis sororibus & successoribus libras denariorum Lucensium quadraginta. Et post penam solutam hoc decretum & cartam inviolatam semper maneat.

Actum in domo juxta ecclesiam sancti Andree Basiliani indictione suprascripta IIII.

† Gregorius monachus & abbas sancti Michaelis hanc cartam vel decretum scribi rogavi.

† Ego Rodulfus Camaldulensis prior hanc cartam confirmo, & ss.

† Investitor Girardus Tetherici, & Oddo, & Drudo Rolandini, & Gottulus Ildebrandini, & Ugo Aigi, & Guido castaldus, & Ulzianus Boni Johannis, & Dominicus Turturini, & Arduinus Verardi & Telinus rogati testes.

† In Dei nomine ego Johannes Ulzianensis notarius hec scribere rogatus.

CCCXVI.

Donatio facta monasterio S. Salvatoris prope Florentiam.

Anno 1156. IIII. id. aprilis.

Ex autographo S. Mariae Angelorum Florentiae.

Ad lib. XXX, n. 34.

IN Christi nomine. Breve investitionis, & concessionis, & ad proprietatem traditionis omnisque jurisdictionis, securitatis, ac firmitatis pro futura ostensione, quod factum est in civitate Florentia in presentia Sichelmi causidici, & Bellerii judicis & notarii, & Pandolfi filii Florentii Pulcini, & Johannis de Cannito. In eorum predictorum presentia Tullitta filia Durnitti de Orto, que

que est uxor Baruncini filii Ildebrandi Vicedomini, & secundum legis edicti tenorem interrogata est a Galitio judice, in cujus presentia, & testium supradictorum manifeste dixit, nullam violentiam se passam esse, sed per suam bonam voluntatem sine alicujus hominis virtute facere, & ipse vir suus tibi consensit, comiatumque dedit per virgam, quam sua detinebat manu, investivit & finivit, atque de suo jure tradidit ad Johannem massarium vice & utilitate ecclesie, & monasterii sancti Salvatoris ad pedem montis prope Florentiam siti, in quo dominus Ugo monachus Dei dono venerandus presidet prior, videlicet quicquid ei venit per cartulam donationis, & concessionis, & scriptum morgincap. & concessionis a predicto Ildebrando, & a Baruncino viro suo, vel unquam aliquo modo requirere poterit de una petia terre prope dictum monasterium posita, que sic decernitur. A duobus lateribus vie sibi recurrunt, ab aliis vero duobus finis est ei terra ejusdem ecclesie, & monasterii predictam terram, & rem, ut dictum est, una cum omnibus supra se & infra se habitis, & omni jure & actione, ac requisitione sibi unquam de ipsa competentibus, ut ipsa ecclesia & monasterium suique rectores, & cui eam dederint, habeant eam, & teneant, & faciant exinde a presenti die proprietario jure, quicquid ejus placuerit, sine predicte Tullitte, suorumque heredum contradictione, vel repetitione. Et insuper spopondit, & promisit ipsa Tullitta, nec non & obligavit pro se, suisque heredibus, ut si unquam in tempore per se ipsos, vel per eorum summittentem personam, aut ingenium, seu per eorum factum contra predictam ecclesiam & monasterium, vel ejus rectores, aut cui eam dederit in aliquod exinde de ea agere, causari, vel eos molestare, aut in placito vel extra placitum fatigare presumpserint per quolibet ingenium, vel si exinde apparuerit datum, vel factum, sive quodlibet scriptum firmitatis, quod in aliam partem factum habeant, aut in antea faciant & claruerit, & exinde omni tempore taciti non permanserint, & omnia, ut dictum est, non observaverint, ut compondituri, & daturi eis esse debeant nomine pene bonorum denariorum Lucensium libras sex. Factum est hoc anno Dominice incarnationis millesimo centesimo LVI. IIII. idus aprilis indictione IIII.

† Signum manus prefate Tullitte, que hoc breve, ut supra legitur, fieri rogavit ....

.... jamdicti Baruncini, qui prefate uxori sue .... predictorum Pandolfi & Johannis rogat...

Ego Sichelmus interfui ....

Ego Bellerius .....

Ego Gali....

idemque notarius.

CCCXVII.

Privilegium Adriani IV. pro ecclesia Balnensi.

Anno 1156. idib. augusti.

Ex autographo ejusdem abbatiæ.

ADrianus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Alberto Balnensis ecclesie archipresbytero ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Effectum justa postulantibus indulgere, & vigor equitatis, & ordo exigit rationis, presertim quando presentium voluntates & pietas adjuvat & veritas non relinquit, quo circa dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prefatam ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus, qui secundum beati Augustini regulam & institutionem sancti Frigdiani in eodem loco noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter conservetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia in presentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Ortus & molendinus in loco, qui dicitur Pantanus, possessiones in Batipalla & quidquid jure habetis in curte Castelline. Diffinitivas quoque sententias, quas predecessor noster felicis memorie Innocentius papa super controversia, que de capellis, decimis, oblationibus, tam vivorum quam mortuorum, & reliquo parochiali jure inter vestram & Triviensem ecclesiam vertebatur, nosci-

Ad lib. XXX. n. 33.

ſcitur canonice protuliſſe, & ſcripti ſui pagina roboraſſe, vobis nihilominus confirmamus. Quas utique ſententias in privilegio ejuſdem predeceſſoris noſtri his verbis perſpeximus eſſe deſcriptas. Dudum ſiquidem dilecte in Domino fili Johannes archipresbyter apud nos ſepenumero queſtus es pro injuriis & preſſuris, quas Balnenſi eccleſie tibi commiſſe inrogari dicebas. Inter cetera vos, qui de eiſdem gravaminibus nobis expoſuiſti adverſus Trivienſem abbatem graviter queſtus es, aſſerens, quod XII. capellas cum decimis, oblationibus, tam vivorum quam mortuorum, & reliquo parochiali jure Balnenſi eccleſie violenter auferret. Quamobrem nuntium noſtrum ad partes veſtras direximus, qui & negotium ipſum diligenter inquireret ..... quapropter ..... one proximis kalendis junii ad agendam cauſam predictam ante noſtram preſentiam evocaret. Quo nimirum termino utraque parte noſtro conſpectu preſentata prefatus abbas quoddam ſcriptum ſub nomine predeceſſoris noſtri beate recordationis pape Paſchalis in argumentum cauſe ſue remedium protulit. Quod diligentius intuentes ſuſpectum atque falſatum ſubtiliter deprehendimus, eo quod quedam raſure ſunt invente, & alia pro aliis mutatis deſcripta fuiſſent, cum luce clarius conſtet, tam auctoritatibus ſanctorum canonum, quam etiam generali eccleſie conſuetudine capellas quaſque ſuis debere plebibus ſubjacere, eiſque de decimis & aliis ad jus parochiale pertinentibus reſpondere. Cum manifeſtum ſit eamdem plebem in maſſa ſancti Petri apoſtolorum principis ſitam eſſe, & ſub ipſius dominio proprietario jure conſiſtere. Auditis igitur utriuſque partis allegationibus, viſum eſt nobis & fratribus noſtris ſuper eadem lite diffinitivas ferre ſententias. Ceterum abbas negocium cupiens protelare, ſubterfugium querere longiores inducias poſtulavit, promittens ſe termino, quem ſibi provideremus, plenius inſtructum adeſſe negocio, & inſtrumenta quedam, que domi reliquerat, allaturum. Nos autem ne forte quicquam precipere videremur uſque ad octavas beati Martini indutias ei dedimus, precipientes qualiter interim erga eamdem eccleſiam, quam beati Petri juris eſſe ſe haberet, eique portiones & oblationes ſeu decimas earumdem capellarum bona fide perſolveret. Statuto itaque termino abbas ad nos rediens quemdam veterem thomum protulit, in quo nichil, quod ad commodum ſue cauſe pertinens invenire potuimus. Qui etiam a nobis ſepius requiſitus prefatas capellas infra ejuſdem plebis parochias ſitas eſſe reſpondit. Adjiciens, quod miniſtri earumdem capellarum cum letaniis & oblationibus ſingulis annis plebem ipſam viſitare ſolebant, & tam eadem plebs, quam capelle ac totus Balnenſis territorii fundus beati Petri juris exiſtat. Sanctorum ergo canonum auctoritate perſpecta, & fratrum noſtrorum ac plurium ſapientum archiepiſcoporum, epiſcoporum, abbatum & aliorum, qui aderant, communicato conſilio, cum prefatus abbas ſuper acquiſitionem earumdem nullum poſſit inſtrumentum authenticum exhibere, decimas omnes predictarum capellarum, quarum nomina ſunt hec, videlicet: ſancti Salvatoris, ſancti Nicholai, ſancti Pauli, ſancti Apollenaris, ſancti Martini, ſancti Paterniani, ſancti Illari, ſancte Flore, ſancte Margarite, ſancti Andree, ſancti Blaſii, ſancti Angeli ac totum jus parochiale in eiſdem capellis tibi dilecte in Domino fili Johannes archipresbyter & per te Balnenſi eccleſie per ſententias reſtituimus atque conceſſimus, ut videlicet eamdem poteſtatem in eiſdem capellis de cetero habeas, quas & in aliis predicte plebi ſubjectis exerces. Id eſt ponendi ſeu removendi presbyteros, interdicendi eos, ſibi officio reſtituendi, & debitas portiones habendi tam de oblationibus vivorum quam mortuorum, & ſi qua alia ſunt, que ad matricem eccleſiam & tuum officium pertinent, conceſſa tibi inſuper facultate diſponendi & diſpenſandi ſecundum ſanctorum canonum inſtituta omnes decimas, que de curtis predictarum capellarum a parochianis quocumque tempore colliguntur, vel de toto Balnenſi territorio habentur. Nos quidem anteceſſoris noſtri Innocentii pape veſtigiis inherentes, ſententiam ipſam rationabiliter ab eo atque canonice promulgatam, ſicut diximus, vobis auctoritate ſedis apoſtolice confirmamus, & eam perpetuis temporibus ratam ac firmam eſſe cenſemus. Prohibemus inſuper ad omne exemplar memorati predeceſſoris noſtri, ut nulli eccleſiaſtice ſecularive perſone fas ſit in predictis capellis ſeu in aliis dictis ſeu in aliis, que infra Balnenſe territorium ſite ſunt, decimas, oblationes aut reliqua, que ad matricis Balnenſis eccleſie diſpoſitionem vel proprietatem pertinent, abſque ejuſdem plebis conceſſione recipere vel habere. Obeunte vero te nunc ejuſdem loci archipresbytero vel tuorum quibuslibet ſucceſſorum nullus ibi qualibet ſub-

ſubreptionis aſtutia ſeu violentia ponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, vel fratrum pars conſilii ſanioris ſecundum Deum & beati Auguſtini regulam providerint eligendum. Concedimus autem vobis tam pro eccleſie veſtre, quam pro totius parochie ad veſtram plebem pertinentis, ordinationibus catholicum, quem malueritis, epiſcopum de provincia Romane eccleſie advocare. Statuimus quoque, ut eadem plebs ſeu ejuſdem clerus loci nulli niſi tantum Romano pontifici debeat in aliquo reſpondere. Neque alicui liceat infra terminos parochie ipſius plebis preter noſtrum noſtrorumque ſucceſſorum conſenſum eccleſiam edificare. Decernimus ergo *&c.*

Oculi	† *Domini*
SCS	SCS
PETRUS	PAULUS
ADRIA	NUS
PP.	IIIJ.

BENE VALETE

ſemper ad Dominum.

Ego Adrianus catholice eccleſie epiſcopus ss.

Ego Guido presb. card. tit. ſancti Griſogoni ss.

Ego Ubaldus tit. ſancte Praxedis ss.

Ego Manfredus presb. card. ſancte Savine ss.

Ego Julius presb. card. tit. ſancti Marcelli ss.

Ego Ubaldus tit. ſancte † in Jeruſalem presb. card. ss.

Ego Bernardus presb. card. tit. ſancti Clementis ss.

Ego Gerardus presb. card. tit. ſancti Stephani ss.

Ego Joh. presb. card. tit. ſanctorum Joh. & Pauli ss.

Ego Joh. presb. card. ſanctorum Silveſtri & Martini ss.

Ego Ymarus Tuſculanus epiſcopus ss.

Ego Centius Portuenſis & ſancte Rufine epiſcopus ss.

Ego Gregorius Sabinenſis epiſcopus ss.

Ego Jacintus diac. card. ſancte Marie in Coſmidin ss.

Ego Octavianus presb. card. tit. ſancte Cecilie ss.

Ego Guido diac. card. ſancte Marie in porticu ss.

Data Narnie per manum Rolandi S. R. E. presbyteri card. & cancellarii idibus auguſti indictione quarta incarnationis Dominice anno M. C. LVI. pontificatus vero domini Adriani pape anno ſecundo.

CCCXVIII.

Donatio facta monaſterio SS. Hippolyti & Laurentii de Faventia.

Anno 1157. VIIII. januarii.

Ex autographo ejuſdem monaſterii.

Ad lib. XXX. n. 38.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti anno incarnationis ejus M. C. LVII. tempore Frederici imperatoris die nono menſis januarii indictione quinta in monaſterio ſanctorum Laurentii & Ipoliti. Facio donum inter vivos ego quidem in Dei nomine Rodulfus de Mazolo cum Mazolo & Albertino filiis meis pro nobis, & noſtris liberis & heredibus prono animo, & ſpontanea noſtra voluntate, & pro ſalute animarum noſtrarum, nec non & anime Adalaſie quondam uxoris, & matris noſtre, & Mazolini filii & fratris, & pro ſalute animarum quondam parentum noſtrorum tibi preſenti in Chriſti nominibus Bernardo abbati jam dicti monaſterii accipienti vice & nominibus predicti monaſterii, & pro toto collegio, quod inibi eſt, vel in eodem manebit, & pro veſtris ſucceſſoribus in perpetuum. Videlicet de uno noſtro campo dopnicato, quem habemus & tenemus in loco, qui dicitur Vacamentum, a primo limite, cujus tenent Faſani, & Fognani & Cafarelli noſtro jure, a ſecundo eſt via, a tertio heredes Georgii de Gerardo Ugonis, a quarto eſt Coſna. Hanc itaque rem pro remedio animarum noſtrarum, & pro amore Dei omnipotentis, & predictorum Sanctorum, nos prefati pater & filii dantes damus, & donamus & a noſtro jure noſtroque dominio irrevocabiliter alienamus ſupradicto monaſterio. Ita ut eam a preſenti die ſecure & libere & abſolute pleno jure habeat & teneat, poſſideat ac vendicet cum omnibus ſibi pertinentibus, & omnibus infra ſe & ſupra ſe, & cum omni jure & actionibus ſuper predicta re nobis aliquo modo competentibus jure proprietatis & alodii in perpetuum *&c.* que eſt ſcripta & completa ab Alberto Faventino notario rogatu ſupraſcriptorum donatorum. Interfuerunt autem huic donationi teſtes Gerardus monachus, Ugo monachus ..... monachus, Benedictus presbiter, Rainaldus Rambutini, Rapatucius, Petrus Lurdus, Dominicus .... Guido Pauli, & Guido Andree, & Paulus Romane manus inveſtitor.

Signa

Signa manuum suprascriptorum Rodulfi, & Mazoli, & Albertini donatorum rogantium, & omnia suprascripta firmantium, uti superius legitur.

CCCXIX.

Literæ Adriani IV. papæ ad monachos Montis-Subasii.

Anno 1157. idib. martii.

Ex antiquo apographo Fontis-boni.

Ad lib. XXX. n. 36.

IN Dei nomine amen. Hoc est exemplum quarumdam literarum domni Adriani pape IIII. quarum tenor talis est. Adrianus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis monachis monasterii sancti Silvestri de Monte Suavi salutem & apostolicam Benedictionem. Predecessor noster sancte memorie papa Eugenius monasterium, in quo elegistis Domino deservire, quod utique ad jus & proprietatem principis apostolorum spiritualiter pertinet, ut ordo monasticus secundum Camaldulensium fratrum consuetudinem in eo posset firmiter observari, dilecto filio nostro Camaldulensium priori & successoribus ejus donavit, atque concessit, quatenus sub ipsius disciplina atque regimine ordo in eo posset monasticus reformari, & beati Benedicti regula firmiter custodiri. Ceterum cum quidam vestrum tunc temporis in ipsius predecessoris nostri presentia plenariam eidem filio nostro priori promiserint obedientiam exhibere, nunc retro respiciunt, & secundum Camaldulensium fratrum consuetudinem tam ipsi, quam vos debitam supradicto filio nostro priori obedientiam subtrahendo beati Benedicti contradicitis regulam observare, in quo facto satis datur intelligi, quod tum de religionis observantia seu de vestrarum animarum salute solliciti non sitis, vel quod diligenti studio nolitis, que sunt Deo placita, operari. Ne igitur Dei omnipotentis & nostram debeatis indignationem incurrere, per presentia vobis scripta precipiendo mandamus, quatenus supradicto filio nostro priori, ut in omnibus secundum Deum & beati Benedicti regulam & consuetudinem Camaldulensium studeatis humiliter obedire, quod si infra unius mensis spatium nolueritis adimplere, ex tunc vinculo vos anathematis noveritis innodatos.

Datum Rome apud sanctum Petrum idibus martii.

CCCXX.

Donatio facta hospitali monasterii S. Michaelis Pisarum.

Anno 1157. III. kl. maji.

Ex autographo ejusdem monasterii.

Ad lib. XXX. n. 38.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo quinquagesimo octavo indictione quinta tertio kalendarum maii. Manifesti sumus nos Rolandus quondam Ildebrandi, & Suavisus quondam Tegnoli, atque Guilia quondam Fred.......... relicta quondam Ildebrandi. Quia consentiente mihi Bandino .... quem meum esse mundualdum profiteor, & consentientibus etiam mihi ipsi .....tis, videlicet Rolando filio meo, atque Suavisio nepote meo per hanc cartulam comuniter vendimus & tradimus presbitero Viviano .... monasterii sancti Michaelis hospitalario ad partem & utilitatem hospitalis ejusdem, unam petiam de terra, que est vinea posita ..... Gheti, cujus unum caput a meridie situm est tenens in ....trata, alterum caput adheret terre Guidonis quondam Lamberti Johannis .... Sconti, latus autem ab oriente conjungitur terre hospitalis ecclesie sancte Marie, aliud latus finit in terra Pellarii & fratris. Hanc petiam de terra &c. vendimus & tradimus pro libris triginta & tribus, & solidos duodicim denariorum in prefinito ..... Quam nostram venditionem & traditionem &c. ad partem, & utilitatem prenominati hospitalis, & cui habere statueritis penam in duplum sub estimatione, qualis tunc fuerit in loco consimili compositturos ..... taliter Guidonem sedis apostolice judicem & notarium hec scribere rogavimus.

.... aurea in ecclesia sancti Petri ad curtem veterem.

.... Inde presbiterum Vivianum ad partem & utilitatem suprascripti hospitalis ....entes ei in manus Feniculum quondam Guittonis castaldum eorum ...... ipsius possessionem tradat.

Signa manuum suprascriptorum Rolandi videlicet, & Suavisi, atque Guilie, qui hanc cartulam comuniter ..... est, fieri rogaverunt.

Signum manus suprascripti Bandini, qui predicte Guillie in hac venditione consensum dedit.

.... Landulfi tunc consulis, filii

filii quondam Rodulfi, Petri quondam Luciforii, Guidonis filii Ughi . . . . : Vittonis, atque Prioris filii Guilielmi rogatorum testium.

Ego Guido sedis apostolice judex & notarius post tradita complevi & dedi.

CCCXXI.

Adrianus IV. pp. confirmat donationem monasterii Pratalia Rodulpho priori Camaldulensi.

Anno 1157. XVIII. kl. julii.

Ex apographo Fontis-boni. §. Privilegia. n. 36.

Ad lib. XXX. n. 37.

ADrianus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Rodulfo priori Camaldulensi, ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Quotiens illud a nobis petitur &c. Petivistis a nobis, dilecti in Domino filii, ut donationem monasterii de Pratallia & concessionem vobis, & per vos ecclesie Camaldulensi a venerabili fratre nostro Jeronimo Aretino episcopo vobis canonice factam auctoritate apostolica muniremus; nos vero ex ejusdem fratris episcopi literarum tenore, quas nobis transmisit, plenarie congnoscentes eamdem donationem canonice factam, donationem ipsam auctoritate apostolica confirmamus, & confirmationem ipsam ratam & inconcussam perpetuis temporibus decernimus permanere. Prefatum ergo monasterium cum ecclesiis & omnibus pertinentiis suis vobis munimine sedis apostolice confirmantes, ipsum sub apostolice sedis & nostra speciali protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum, & beati Benedicti regulam, atque ordinem Camaldulensium fratrum ibidem dignoscitur institutus, perpetuis in eodem loco temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium impresentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis, & his, qui in eodem monasterio studuerint Domino deservire, & illibata permaneant. Sepulturam quoque illius loci liberam esse concedimus, ut eorum devotioni & extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat. Salva tamen justitia matricis ecclesie. Sane novalium ejusdem monasterii, que propriis manibus aut sumptibus excoluntur, sive de nutrimentis animalium nullus decimas presumat exigere. Decernimus ergo &c. Si qua &c.

Oculi | *mei*
SCS PETRUS | SCS PAULUS
ADRI PP. | ANUS IIII.
semper ad Dominum.

BENE VALETE

Ego Adrianus catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Gregorius Sabinensis episcopus ss.

† Ego Manfredus presb. card. tit. sancte Savine ss.

† Ego Julius presb. card. tit. sancti Marcelli ss.

† Ego Hubaldus presb. card. tit. sancte Crucis in Jerusalem ss.

† Ego Guido presb. card. tit. Pastoris ss.

† Ego Octavianus presb. card. tit. sancte Cecilie ss.

† Ego Berardus presb. card. tit. sancti Stephani in Celio monte ss.

† Ego Johannes presb. card. sanctorum Johannis & Pauli tit. Pamachii ss.

† Ego Aldibrandus presb. card. tit. basilice XII. apostolorum ss.

† Ego Oddo diaconus card. sancti Georgii ad velum aureum ss.

† Ego Oddo diac. card. sancti Nicolai in carcere Tulliano ss.

† Ego Bonadies diac. card. sancti Angeli ss.

† Ego Boso diac. card. sanctorum Cosme & Damiani ss.

Datum Laterani per manum Rolandi sancte Romane ecclesie presbyteri cardinalis & cancellarii XVII. kalendas julii indictione V. incarnationis Dominice anno M.C.LVII. pontificatus vero domni Adriani pape IIII. anno III.

Ego Giunta imperiali auctoritate judex ordinarius & notarius publicus privilegium suprascriptum bulla Adriani pape IV. bullatum, ut inveni & legi, nihil addendo vel minuendo de verbo ad verbum scripsi & fideliter exemplavi.

CCCXXII.

Breve recordationis Bonfilii monachi S. Michaelis in Burgo Pisarum.

Circa annum 1158.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Ad lib. XXX. n. 38.

IN nomine Domini. Amen. Ego Bonfilius recordationem facio de judicio, quod feci antequam monachus essem, domui & ecclesie sancti Michaelis. Judicavi ita ut susciperent de meis vel XVIII. libras, vel duas domos, que sunt juxta furnum supradicte domus, & ecclesie sancti Michaelis. In vinea de sopra Castello dedi de meis, silicet mutavi lib. III. & sol. V. hoc modo, quod ego debeam habere fructum in vita mea. Item prestavi libras III. in mulo. Item recordationem facio de prestanza, quam feci. Prestavi isti abbati sol. XXXVIIII. primo, & postea sol. IIII. in quatuor sextariis olei abbati Ildebrando, unum equum, & in itinere ad papam mortuus fuit, & postea Bernardo monacho lib. IIII. quas .... in tufis altaris sancti Andree. Item abbati Ildebrando lib. XV. quas dedit in terra da ...... dedi Ildebrando Maraula sol. XXV. pro amore Dei. In turribulo dedi sol. X. & postea dedi abbati Ildebrando lib. VIII. quas dedit in terra apud sanctum Savinum, in presentia Ildebrandi judicis filii quondam Boni de Mercato, & Camerai. Et item abbati Ildebrando lib. XII. quas quodam tempore post repetivi ab eo, quia mihi non reddebat eas, reclamationem feci inde in capitulo aput civitatem Florentinam, & abbates, qui ibi erant, laudaverunt, ut redderetur mihi id, quod ille debebat, & ille promisit reddere, & non reddidit mihi, nisi libras IIII. in presentia Ugonis Pagani, & remanserunt libre VIII. quas promisit reddere mihi, deinde usque festum sancte Marie augusti, & ille mortuus fuit intra illud tempus. Et isti denarii erant cujusdam mei nepotis. Ego Bonusfilius non habui, neque vestimentum, neque ..... ntum de domo ista. Predicte XII. fuerunt de anti .... mee matris ,....... & cum Dominus eam matrem judicabit, supradictas ......, libras ...., sua filia & de .... libris ...., habere, nisi quatuor libras. Leulus fecit appellationem ex parte imperatoris, & consulibus Pisanorum in testimonium de Ugo de Pagano omne anno XXXVIIII. solid. &c.

CCCXXIII.

Petrus abbas S. Gregorii de Urbe chartam emphyteusis facit stagni a S. Silvia ejus monasterio relicti.

Anno 1158. XXIIII. martii.

Ex codice membranaceo præfati monasterii.

Ad lib. XXX. n. 43.

IN nomine Domini. Anno Dominice incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo octavo, anno vero quarto pontificatus domini Adriani pape quarti indictione sexta mensis martii die vigesimo quarto. Ego quidem domnus Petrus Dei gratia religiosus abbas venerabilis monasterii sanctorum Andree apostoli & Gregorii apostolici, quod situm in clivo Scauri, cum consensu & voluntate monachorum jamdicti monasterii, scilicet Nicolai prioris, Andree presbyteri & monaci, Placidi presbyteri & monaci, Mauri monaci, Johannis monaci, Augustini monaci & aliorum, hac die propria nostra voluntate locamus & concedimus....... tibi Octaviano Alberici de Fusco prioratum subscripte rei, & filiis tuis Johanni & Romano atque Ottoni, & insuper locamus vobis & subscriptis aliis hominibus, scilicet Petro Centii Guidonis, Nicolao de Rustico, Nicolao de Grisoto, & Centio & Boneinsigne filiis, Astaldo scriniario, Ovitio Johannis de Blanca, Johanni Bonofilio suo, Baroni de Massaro, Bonofilio Piliolo, Paulino Ottonis de Johanne, Grisotto Grisecti ferrari, Georgio de Judice, Astaldo Panegrosso, Petro de Rubeo, Petro Ottoni, Nicolao de Adamo, Gentili Pennaleonis, Leoni de Alexandro, Johanni Luci, Baroni de Barone Capitebono, Centio de Massarello, Johanni de Romundo, Romano mos.... Andree & Paulo suo fratri, Johanni de Petro, Bonofilio de Johanne, Baroni suo fratri, Petro Ragnerii, Raynerio de Paulo, Johanni Bono de Gojo, Jacobo filio Baronis, Baroni de Raynerio, Petro Nicolai de Araldo, Bonifatio Astaldo suo fratri, Johanni de Homodeo. Ego Astaldus scriniarius a modo in antea scribo. In primis videlicet Johannes Crescentii, Nicolaus Oddoline, Johannes Filoci Orrigilo, Romano Jamuto, Petrus Millelaude, Johannes & Saxo filii Rubei,

Rubei, Johannes de Giranda, Johannes de Grifalco, Johannes de Petro, Johannes Paladen:........................

....

&c. vita vestra & vestrorum legitimorum filiorum tantum, idest stagnum majorem, quod domina Sylvia mater sancti Gregorii nostro monasterio donavit, quod est situm in Campo majore, tali tenore eum vobis locamus, ut dehinc in antea habeatis potestatem eum tenendi, piscandi &........ pisces apprehenderitis de hinc in antea ab octavo assumptionis sancte Marie, & usque in festum sancti Petri nonam partem nobis nostroque... ..... excepto de anguillis, quas ad flossina capiuntur, & omni tempore vel omni die habeamus ibi duos piscatores, & quicumque..... in locatione ista non intret sine mea licentia, & predicti prioris & Ottonis Capetiani nostri ministri, & quecumque........ in meis manibus deveniat, & si quis de predictis scolensibus furtum de piscibus, quos ibi ceperint, commiserit, predictus Otto .... priori, & si de plano potuerit convenire cum illo, sin autem, ille faciat prior securus per sacramentum sine sacramento malitie..... ministri. Quod si infra terminum quindecim dierum non emendaverit, predictus prior ejiciat eum de scola, & amplius ibi piscari non liceat........ de directo & bando priori similiter. Et si ego vel successores mei ibi causa piscandi venerimus, quocumque tempore venerimus, sine vestra vestrorumque heredum contrarietate licitum sit nobis ibidem piscari, & si monachus ipse hobedientie de Mola rupta pro utilitate nostri monasterii voluerit in predicto stagno piscari, quinque vices per annum licitum sit ibidem fr..... piscari sine vestra contrarietate: & si alius homo, qui non sit de vestris scolensibus ibidem piscari voluerit, predictus prior cum eo ministro ejiciat eum, & non sinat ibi eum piscari, & si opus ei fuerit, vos adjuvetis eos. Et hec omnia attendere & observare vobis promittimus, & defendere ab omni homine, quod si non fecerimus, componamus vobis pro pena quatuor boni auri libras, & soluta pena cartula hec firma permaneat: & si vos hec omnia nobis non observaveritis, similiter in predictis penis nobis inciditis, quam scribere rogavimus Oddonem scriniarium sancte Romane ecclesie in mense & indictione suprascripta sexta.

Signum † manus predicti domni Petri abbatis hujus cartule.

Otto de Johanne testis.
Petrus de Melioso testis.
Jordanellus testis.
Otto scudarius sancti Gregorii testis.
Johanninus testis.

Ego Leonardus sancte Romane ecclesie advocatus & scriniarius, sicut inveni in cartula scripta per manus Oddonis scriniarii, cui Christus indulgeat, ita scripsi, & fideliter exemplavi.

CCCXXIV.

Ubertus abbas S. Michaelis in Burgo Pisarum renuntiat Villano archiepiscopo Pisano ecclesiam S. Christophori de Colignola.

Anno 1158. x. kl. aprilis.

Ex autographo archiepiscopii Pisani, n. 396.

IN nomine summi & eterni Dei amen. Cum scriptum sit servos Dei litigare non debere, congruumque sit magis ea, que ad pacem sunt utiliaque, universos locorum venerabilium rectores providere, ideoque ego Ubertus sancti Michaelis humilis abbas, communicato consilio nostrorum fratrum cum lis de ecclesia, que est in loco, qui Colignola dicitur, cui vocabulum est sancti Christophani, verteretur, ex eaque animi illorum adeo in nos impii efficerentur, quod fere anime eorum periclitarentur, & ob cessationem illorum non domus orationis, sed ad secularem statum redacta videretur, eaque lis & discordia, si illi ecclesie presidemus, minime posse sopiri, tibi omnipotenti Deo & beato sancto Christophoro, atque domno Villano Dei gratia Pisane ecclesie venerabili archiepiscopo do & concedo per fustem, quam in manu teneo, omnia jura & actiones, & jus patronatus, & omnia spiritualia, que nobis aliquo modo pertinent vel pertinere poterant de prenominata ecclesia sancti Christophori, ejusque cimiterio, & utensilibus, que ab hac hora in antea nec ego, nec mei successores, qui pro tempore predicte ecclesie sancti Michaelis preerunt, neque aliqua persona a nobis summissa non agemus, neque molestabimus, sive intentionabimus, nec aliquo modo inquietabimus te prefatum domnum archiepiscopum vel rectores, qui pro tempore erunt de supradicta ecclesia sancti Christophori, ejusque cimiterio. Et insuper ego prememoratus Ubertus

Ad lib. XXX. n. 43.

Ad lib. XXX. n. 41.

bertus abbas spondeo & obligo me, meosque successores debere componere vobis prefato domno archiepiscopo & rectoribus, qui pro tempore erunt de supradicta ecclesia sancti Christophori penam argenti optimi librarum ducentarum, si umquam aliquo tempore contra hanc dationem, & concessionem venire temptaverimus, & eam rumpere, vel evacuare quesierimus quolibet ingenio. Et ad futuri temporis memoriam pro hujus rei confirmatione hoc scriptum scribere rogavi Uguccionem judicem & notarium sacri palatii. Actum in camera curie jam dicti domni archiepiscopi presentibus domno .... priore sancti Pauli de Orto, & Paulo diacono, & Ildebrando subdiacono, & Martino de Travalda, & Folle, & Ildebrando quondam Johannis, Dominice incarnationis anno millesimo centesimo quinquagesimo octavo decimo kal. aprilis indictione sexta.

CCCXXV.

Servitia annualia præstita monasterio Fontis-avellanæ,

Circa annum 1159.

Ex aantiquo codice Vaticano n. 3797.

Ad lib. XXX. n. 44.

AUdite patres mei & domini, qui in conventu sancte Crucis estis, & qui venturi sunt, audite me servulum vestrum. Hec sunt obsequia, hec sunt & exenia, que unaqueque hobedientia per unumquemque annum ad eremum absque ulla commutatione reddere debetis, si fratres illi recte & juste incedere volunt, & si desiderant fraternam dilectionem, que Deus est, captare. Incipiamus ergo ab obedientia sancti Fortunati, in primis & dicamus, que & quanta vel quibus temporibus exenia mittere solent, & sic texendo eamus per ceteras obedientias. Nam in natale Domini sexaginta duo Amiscere de carne, & unum Bathone & unam Auxutiam & XII. Ovatos; in septuagesima XII. Tortelle; in sancti Benedicti XXX. Focatie; in pasca XII. Tord.., in augusto XXVIII. Casate; in sancto Andrea XXX. Focatie; in festo omnium Sanctorum XXX. Focatie, omnia ista reddere debetis. Dicamus de Ripalta; in natali XII. Amiscere de carne, & Batone & Auxutiam, XII. Ovatos, in quadragesima VIII. Amiscere manentum, III. Focatias per unumquemque angaralem; in sancti Benedicti XXX. Focatie *&c.* Dicamus de Montefico; in natali XII. Amiscere de carne & unum Bathone & Assug. & XII. Ovatos *&c.* Dicamus de Loreto; in natali Domini XX. paria Foc.. & XX. paria carnuum, & unum Baptone & Assungi & XII. Ovatos *&c.* in quadragesima XV. paria Focatiarum & duos sextarios Macenate; in pasca XII. Tortelli & XXIIII. Casate *&c.* De Calcinaria V. Amiscere de carne, in augusto V. Casate. De Rotundo habemus Amiscere de carne in natale Domini; in quadragesima XVI. catini de Juncata; in augusto XXVI. Casate. Dicamus de Valentana, in natali *&c.* De casa de Gunzo habemus in natali Domini VII. Amiscere de carne, in augusto VIII. catini. De Sorteceli in natali Domini XXX. scutelas & in pasca similiter, & unam vegetem vini de Venzano. De cambio de sancto Gerontio; in natali VI. Amiscere de carne *&c.* & in augusto X. catini.

Ad lib. XXX. n. 48.

Diximus de obedientiis, que sunt sub montibus, quas & quantas obedientias dare debent, dicendum nobis est de illis, que sunt super montes. In primis ergo dicamus de obedientia de Summo; in natale Domini XXI. Amiscere de carne *&c.* in sancti Andree XXX. focatie & decem solidos Lucensium. Dicamus de Villa majori *&c.* Dicamus de Insula *&c.* Dicamus de sancto Apollenario *&c.* de Monte majori de Castello *&c.* De senarios de curte de Rotundo, in primis Petrus de Salvulo XI. denarios Papienses, Martinus de Basso VIIII. denarios Papienses, Manso de Pulvertua ꝟVI. denarios Papienses *&c.* De Amisser.. de curte de Rotundo, in natali in primis Acto de Cortulo unum parium focatie & duos pullos; Dominico de Basso unum parium spalle & duas focatias *&c.* De Scorclano; in natale Moricoli unum parium spall. & duas focatias, ad curtem unam coxam de carne & duas focatias, ad gastaldum in XL. III. focatias pro amiscere *&c.* ad vineam sapare unam focatiam & unam tortellam *&c.* De cambio sancti Gerontii Andrea de Martulo in natale dat unum parium spalle *&c.* Martinus filius ejus in natale I. Landerese & II. focatias in madio *&c.* Johannes de Martutio in natale *&c.* in vindemia I. torta pullata. Dicamus de curte de Castillone *&c.* curte de Rotundo in quadragesima Petrus de Salvolo unum Catinum & duas Focatias *&c.* Martuso & filii de Zuzo debent dare unum denarium & unam operam a metere *&c.* & pro vinea unum inforzatum & unam

peciam

peciam de carne, & II. Focatias & duo opera &c. Insimul filii Martuzo & filii de Zutzo II. denarios, & VI. focatias, & III. tortellas in uno anno unam Castam &c.

CCCXXVI.

Rodulphus episcopus Imolensis confirmat ecclesiam S. Andreæ de Zagouaria monasterio S. Hippolyti de Faventia.

Anno 1160. V. septembris.

Ex authentico ejusdem monasterii.

Ad lib. XXX. n. 48.

IN nomine Domini. Anno Dominice incarnationis M. C. LX. temporibus Alexandri pape III. & Federici imperatoris die quinta intrantis mensis septembris indictione octava. Actum Bagnarie. Tibi domno Alberto abbati sancti Ipoliti de Faventia ego dompnus Radulfus episcopus ecclesie sancti Cassiani cum consensu fratrum meorum canonicorum concedo & largior, ut ecclesiam & populum de Zagonari regas in spiritualibus & temporalibus, & facias etiam officiari pro voluntate tua per monachum vel conversum tuum sacerdotem vel per alium sacerdotem a te electum & in ecclesia positum, & libero eam ab omni exactione mea & meorum successorum in perpetuum, salvo jure plebis de Barbiano, in baptisterio, in litaniis, & reverentiis, que fiunt in festivitatibus plebis & in cusis de matrimonio. Hanc autem concessionem & liberationem facio pro remedio anime mee & meorum antecessorum & successorum, & semper obligati sitis pro nobis orare, & nos in vestris orationibus recommendare.

Testes interfuere de canonicis presbyteri Rolandus & Gotifridus, Albitius subdiaconus, Visonus acolytus, Zebedeus judex, presbyter Zebedeus, Orlandinus de Cortise & Radulfinus filius ejus.

Ego Petrus notarius, ut audivi & intellexi ab utraque parte, scripsi rogatus.

In Christi nomine. Anno a nativitate Domini M. CC. VIII. decimo, tempore Honorii pape, & imperatoris Ottonis, die decimo octavo augusti intrante indictione sexta, Faventie. Hoc juridicum exemplum ego Aliotus Dei gratia Faventinus notarius legi ut in authentico vidi & intellexi, nihil addens vel diminuens preter forte literam vel sillabam, sed servavi sensum, ut posset percipi de uno quam de altero, ita scripsi & complevi.

CCCXXVII.

Ecclesia S. Mariæ de Segiano traditur Rustico priori S. Benedicti de Vivo.

Anno 1160. more Florentino XVIII. kl. febr.

Ex autographo tabularii Rosæ Senarum. n. 54.

Ibidem.

† IN nomine sancte & individue Trinitatis. Anno ab incarnatione Domini nostri Jhesu Christi M. C. LX. indictione nona n..a januario VIII. decimo kalendas februarii. Quoniam nichil tam conveniens est naturali equitati, quam voluntatem domini rem suam in alium transferri, & presertim in venerabiles ecclesias & ratam haberi. Ea propter in Dei nomine nos Pericciolus filius quondam Asulfi de Seggiano & Spallancana filius quondam Ranucci de Castillione, & Spinellus una cum fratribus meis, & Albertus filius quondam Guerruccii divino instintu permoti ad redemptionem animarum nostrarum & parentum nostrorum libertatis titulo damus & concedimus ecclesie sancti Benedicti de Vivo per manus venerabilis prioris domni Rustici, quia heredes & successores sumus eorum, qui ecclesiam sancte Marie de Seggiano veteri fundaverunt, quicquid juris & potestatis habemus in possessionibus & in omnibus inmobilibus, vel in his, que inter inmobilia computantur, in rebus etiam mobilibus & se moventibus, vel etiam in ipsa ecclesia habemus, & que ad prefatam ecclesiam sancte Marie pertinent in omnibus supradictis, damus & concedimus nos Pericciolus & Spinellus cum fratribus meis predicte ecclesie sancti Benedicti de Vivo q... ad nos pertinentibus ecclesia usque ad Castellare & medietatem Castellaris. Similiter & ego Spallancana do & concedo alteram medietatem Castellaris & unam partem prati, que est pro longitudine XVIII. & sex perticarum per terras versum, XVIII. a capite, a pede XII. que pertica mensurata est viginti pedum, de omnibus his domnum priorem venerabilem patrem Rusticum. Nos Perricciolus Asulfi, & Spinellus, & Monacus, & Rollandinus, & Spallancanna, & Albertus filius quondam Guerruccii, nec non hanc nostram donationem & libertatem confirmamus per nos nostrosque heredes & successores in perpetuum, & ab omni humana persona nos defendere promittimus & obligamus

gamus nos & heredes & successores nostros de hac donatione defendenda, quod si facere noluerimus, vel hec omnia non adimpleverimus, promittimus penam L. librarum purissimi argenti persolvendam per manus piissimi Augusti prefate sacrosancte ecclesie sancti Benedicti de Vivo, & donatio maneat in sua firmitate. Hec ego Petrus apostolice sedis judex & notarius ab utraque parte rogatus scripsi & complevi.

Signum pro manibus predictorum donatorum.

† Signum pro manu Vernacii de Sartiano, qui rogatus, ut testis, interfuit.

† & ego Paulus rogatus ut testis interfui.

Signum pro manu sacerdotis Martini, & presbiteri Romani & Rustichelli de Corsignano, & Montanini de Seggiano & Campuli, qui omnes rogati ut testes interfui.

††† Signum manus mee, qui hanc cartam scripsi & complevi.

CCCXXVIII.

Concessio bonorum & ecclesiarum aliquot monasterii S. Victoris de Clusis facta a Perfecto abbate.

Circa annum 1160.

Ex autographo S. Blasii de Fabriano.

Ad lib. XXX. n. 49.

EGo quidem in Dei nomine Perfectus monasterii sancti Victoris abbas cum consensu & voluntate meorum monachorum jure emphiteosis damus & cedimus adque concedimus tibi in Dei nomine Rolandi Bernardi tuisque filiis masculinis legitimis vel filio, si Deus tibi concesserit, sin autem tibi & filiabus tuis in futurum & nepotibus tuis concedimus jure emphiteosis quidquid unquam habemus aut tu vel alii pro nobis habet & tenet infra istas sinaitas, videlicet prima sinaita currit per fossatum Vellani ad Sassum reum & vadit per ravem Surtis ad summitatem montis Fani, & mergit ad forcam, & vadit ad summitatem Colcilli de Lunatru & mergit ad ripam Rubeni usque ad flumen, & de flumine exit sursum per vallem Zanci usque ad summitatem montis Ergitori, & mergit in planum de Porcario, & vadit per montem Porcarium per viam transversam in castellarem de Muris, & mergit in fossatum, & vadit per stradam super insulam Filelu, & vadit per stradam ad Trivium plebis Fresse, & exit ad castellare Raparie & mergit in puteum, & mergit in vadum Mortarii & venit per stradam usque Iscletum, & venit per stradam infra ambo castra Fabriani, & vadit per stratam ad serram Loza, & mergit per stratam in fossatum Vellani, que est prima finis. Omnia vero etiam infra istas senaitas pertinent ad jus vel ad usum vel usantiam prefato monasterio sancti Victoris, habeas tu predictus Rolandus & filii tui masculini, si Deus tibi concesserit, cum benedictione Dei in emphiteosin sub pensione duodecim denariorum Lucensium, reservata nobis decima & mortorio, sin autem filios masculos vel filium non habueris . . . predicta tibi & filiabus tuis in filiis & nepotibus suis simili jure concedimus, & addimus fructum & usum ecclesie sancti Angeli de Vellane cum suis rationibus & terram de Pratali: Hec etiam in nominibus, terris, vineis &c. & generaliter infra istas senaitas habeatis, ut dictum est. Exceptamus filios Actonis Morutii cum tenimentis pertinentis nobis, & Rainum Johannis Petrutii, & bona Getii Petrutii, & ecclesiam sancti Petri Venbricelli, & filios Actonis Ansi, & partem, quam habemus in canonicam Fabriani similiter. Reliqua vero cuncta ego predictus abbas per me meosque successores vobis supradictis nominatis vestrisque eredibus promitto auctorizare, garentare ac defendere contra omnes personas hominum sub pena duplata, & post pene solutionem nihilominus suprascripta emphiteosis firma & rata usque ad suum constitutum terminum & personas permanead.

CCCXXIX.

Donatio facta a Macelino de Coha monasterio S. Galli in Mosino.

Anno 1147.

Ex autographo tabularii sanctæ Mariæ de Fullina n. 709.

Ad lib. XXX. n. 49.

NOtum sit Christi fidelibus tam futuris quam presentibus quomodo ego Macelinus de Coha cum ire Jerosolimam proposuissem, tradidi ecclesie beate MARIE & beati Galli, que est sita in loco, qui dicitur Mosini, hic astante Udalrico ejusdem loci abbate, in liberam & absolutam possessionem, quicquid habere visus fueram in Karintia in villa que

que dicitur Lonhahc, videlicet sex mansos cum omni mea familia, que in eodem loco habitat, & duas massaritias in loco, qui dicitur Priu, quas ex proprietate mee uxoris possideo, & pratum, quod est juxta ecclesiam sancti Johannis de Ghil.. Hec omnia supradicta tradidi prenominate ecclesie pro remedio anime mee & parentum meorum, ut fratribus ibidem Deo militantibus post mortem meam sive cum prole seu sine prole decedam, in perpetuum serviant, exceptis tantum duobus mancipiis, que ipse abbas mihi concedere voluerit. Hujus rei testes sunt Rodpertus de Thur, & Rodolfus filius ejus, Otto de Coha, Conradus de Farla, Sigardus, Herbort, Heruvvic, Pertoldus, Hartuvvicus de Zuf, Johannes de Castelun, Havvard, Brun, Bernardus, Marquardus, Ascuvvinus. Confirmata est autem hec donatio ab eodem Macelino in manus Pilegrini Aquilegensis patriarche & Henrici advocati, presentibus his, qui subter scribuntur, videlicet Odalrico marchione de Tuscia, Heinrico duce Carinthie, Ottone comite de Ortenpurc, Heinrico filio ejus, Peregrino de Pohul, Wilhalmo comite de Hunburc, Alberto de Albona, Meinardo fratre ejus, Hotaco, Hermanno, Leonardo, Dietrico, Eckepreito, Artroko & ceteris quampluribus clericis & laicis. Ut autem hec donatio rata & inconvulsa permaneat ego quidem Pilegrinus patriarcha rogatus ab utraque parte sigilli nostri impressione firmavimus. Acta vero sunt ista anno ab incarnatione Domini millesimo C. XL. VII. indictione XI. Eodem anno Chunradus rex ivit Jherosolimam.

Loco † sigilli magni cerei.

CCCXXX.

Bulla Lucii papæ III. confirmantis bona & jura ejusdem monasterii Mosacensis.

Anno 1183. XIII. kl. octobris.

Ex authentico prænotati archivi n. 1534.

Ibidem.

HOc est exemplum cujusdam privilegii sic incipientis. Lucius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Guilero abbati sancti Galli de Mosineh ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Quotiens a nobis petitur, quod religioni & honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere & petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prefatam ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum & beati Benedicti regulam in eadem ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur; preterea quascunque possessiones, quecunque bona eadem ecclesia in presentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo prefata ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis. Apud Velach superius & inferius viginti tres mansos. In Obdas tres. Ad montem Abilem duas cum pertinentiis suis. Et quicquid Cazeill... comes .... & apud Fustrih in proprium possidet. Ad Adelarium duos mansos. In loco qui dicitur Fortis duos mansos. Locus etiam, qui dicitur Ingan, sicut predictus comes possederat. Apud Bellunum octo mansos ex dono bone memorie Hulrici quondam Aquilegensis patriarche. In villa, que dicitur Plaguh quinquaginta mansos. Apud Walehen novem mansos. Apud Colles novem mansos. Ad Selcan decem. Utini duos. Ad Vasilanum duos mansos. In villa, que Inpons vocatur, duos. In Versigna duos. In nemore Shint in villa Chaum unum ad nutriendos porcos, & pro utilitate Comunis villarum scilicet Plagut & .... In Castelino sedecim mansos. Pangarie tres mansos. In Aventione unum, & in Istria locus, qui Portus vocatur, cum omnibus pertinentiis suis. Duas etiam molas, quas in Leina sitas vobis donavit. Decimas quoque .... & de quibusdam aliis villis in plebe sancte Marie de Vilach, & in plebe sancti Johannis de Kilsitis, quas ipse in proprios usus habuit, cum decimis juxta lacum Winchinse & duobus mansis piscatoriis. Tres etiam plebes qua....... supradictis rebus convixerit, unam videlicet de Cavaz, & alteram de Ingan, tertiam de Co.. to cum omni jure plebis & placiti christianitatis. Similiter

liter hospitale, quod est ad Clusam, & hospitale, quod est Aquilegie, utrobique ..... patriarcha ordinatum & constructum cum omnibus pertinentiis suis monasterio vestro donavit, sic scilicet ut ab istius loci abbate regatur. Quidque super duodecim prebendas ibidem cotidie pauperibus ordinatas exercuisse...... ad utilitatem vestram comprobatur. Aream unam in Carinthia, que Ekko vocatur, quam dux Henricus pro advocatia Aquilegensi patriarche dederat, cum piscationibus & omnibus ad eam curiam pertinentibus, & transitum apud Pobevvelth, quod specialiter ad fratrum vestimenta ordinavit. Libertates quoque a karissimo in Christo filio nostro Frederico illustri Romanorum imperatore semper augusto monasterio vestro concessas & hactenus observatas, nichilominus auctoritate apostolica confirmamus. Sane novalium vestrorum, que propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos e seculo fugientes liberos & absolutos ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Obeunte te nunc ejusdem loci abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem & beati Benedicti regulam previderint eligendum. Sepulturam preterea monasterii vestri liberam esse decernimus, ut eorum quoque devotioni & extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum &c. Si qua igitur &c. Cunctis autem &c.

Adjuva † *nos Deus*
SCS PETRUS | SCS PAULUS
LUC P. P. | IUS III.
salutaris *noster*.

BENE VALETE

Ego Lucius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Theodinus Portuensis & sancte Rufine sedis episcopus ss.

† Ego Hericus Albanensis episcopus ss.

† Ego Theobaldus Hostiensis & Velletrensis episcopus ss.

† Ego Johannes presb. card. tit. sancti Marci ss.

† Ego Pandulfus presb. card. tit. basilice XII. apostolorum ss.

† Ego Ardicio diac. card. sancti Theodori ss.

† Ego Gracianus sanctorum Cosme & Damiani diac. card. ss.

† Ego Sofredus sancte Marie in via lata diac. card. ss.

Datum Verone per manum Hugonis sacrosancte Romane ecclesie notarii XIII. kal. octobris indictione III. incarnationis Dominice anno M. C. LXXXIIII. pontificatus vero domini Lucii pape III. anno IV.

Ego Conradus imperiali auctoritate notarius supradictum privilegium domini Lucii pape cum ejus bulla plumbea & philo de serico integris & illesis vidi, legi &c. & scripsi &c.

B. RODULPHI PRIORIS IV. CAMALDULENSIS CONSTITUTIONES NUNC PRIMUM PRODEUNT

Ex codice Fontis-boni §. *Statuta n.* 1. & 2.

CAPUT PRIMUM.

Incipit liber eremiticæ Regulæ editæ a Rodulpho eximio doctore anno 1080.

CUm plurimæ species sint religionis, quibus uni Deo servitur, uni regi militatur, una quæritur vita, dicente propheta: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*, solitaria potissimum conversatio præeminere probatur; hæc est enim vita, quæ vincit mundum, reprimit carnem, superat dæmones, delet crimina, vitia cohibet & carnalia desideria, quæ militant adversus animam, funditus enervat; hæc est utique vita, quæ mentem purgat, conscientiam clarificat, mundat intellectum, parit scientiam, acuit ingenium, adhæret Deo, alloquitur angelos, cœlestia cupit, meditatur æterna, thesaurizans sibi thesauros in cœlo, ubi *nec erugo, nec tinea demolitur*, & ubi *fures non effodiunt, nec furantur*: hæc nimirum est mulier illa cœlestis, quæ sobrie, juste pieque vivens in hoc seculo adstat quasi reginæ a dextris Dei in vestitu deaurato circumdata varietate, amicta Sole justitiæ, Lunam secularis gloriæ tenens sub pedibus suis, sapiens, *quæ sursum sunt, non quæ super terram*: cruciatur autem ut pariat, quoniam absque labore certaminis partus non producitur sanctitatis, & sine cruciatu tentationis non paritur justitiæ fructus, idest caritas, gaudium, pax, patientia, ceteraque similia. Stat enim draco ante mulierem volens devorare partum ipsius. Mulier autem fugit in solitudinem, ubi alitur per tempus, & tempora & dimidium temporis usque ad consummationem certaminis, unde apparet evidentissime, quod adversus insidias antiqui serpentis nullum tutius refugium, nulla securior profectio post Deum, atque per Deum invenitur, quam solitariæ conversationis præsidium. Hujus sanctissimæ militiæ tot auctoritates & exempla reperiuntur, ut præ multitudine nu-

merari non possint. Nos vero de multis pauca elegimus, pluraque relinquimus, & prudenti lectori quærenda esse suademus. (*a*) Primo igitur Moses hanc vitam & mysterio signavit & servavit effectu; nam cum minasset oves ad interiora deserti, admirabile vidit prodigium, rubum videlicet sine combustione ardentem. Sed & tu, quisquis es, qui solitudinem colis, & solitariam vitam ducis, ubi oves simplicium cogitationum & humiles effectus ad intima piæ intentionis duxeris, rubum tuæ humilitatis, quæ spinas & tribulos tantum germinare solebat, divino videbis lumine illustratum, dum glorificaveris & portaveris Deum in corde & corpore tuo. Hic est enim ignis divinus non comburens, sed illuminans, non consumens, sed lucens, suis utique tribuens charismatum dona; nam salvo allegorico intellectu ad intemeratam virginem pertinente; rubus sine combustione ardens humana est natura igne divini amoris accensa, nullaque læsione corrupta; postmodum idem Moses ejusdem vitæ fundavit exordia; siquidem turbis in campo relictis, ascendens in montem solitarie vixit, omni humano destitutus solatio, & ut legem Dei mereretur accipere, divinaque visitatione glorificari, quadragenariam servavit abstinentiam: quo exemplo monstravit, quia qui cupit cœlesti visione perfrui, supernaque disciplina formari humano se debet subtrahere alloquio vel contubernio, & per duram abstinentiam membra sua, quæ sunt super terram, mortificare.

(a) S. Pet. Dam. Opusc. xv. cap. ii.

CAP. II.

Exemplum David & Eliæ.

DAvid quoque rex & propheta cum fugeret a facie Saul in desertis Idumeæ, tutissimum habuit latibulum, unde dicebat: *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine, expectans eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus & tempestate*. Elias quoque Jezabel impiissimæ reginæ persecutionem solitudinis præsidio vitare curavit, ubi cœle-

sti

sti cibo, angelicisque monitis confortatus ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb; ibique divina meruit visione recreari. Tu quoque si vis Saulis vel Jezabelis dominium fugere, ut non dominetur tibi omnis injustitia, non petulantia, non avaritia vel superbia præsit, illecebras seculi debes non solum fugere, sed etiam ab eis plurimum elongare; fugere quidem effectu, elongare animo; fugere corpore, elongare desiderio; quia plus est animum subtrahere seculo, quam corpus removere; utrumque tamen subducere perfectorum est. Subducendus est tener populo animus, & parum tenax recti, ne mores bonos corrumpant colloquia vel contubernia mala; quia *cum sancto sanctus eris, & cum innocente innocens eris, & cum perverso perverteris*. Sicque fugiendum est usque ad montem Dei Horeb, ad excellentiam sobrietatis, ad abstinentiæ culmen, ad montem sanctitatis, sic enim interpretatur Horeb, ut desiccatis in te voluptatis humoribus, hostis, qui in locis humectantibus habitat, in te permanere non possit; dicente propheta Domini: *Tu siccasti fluvios Ethan*, idest vitia voluptatis desolasti. Siquidem per loca arida & inaquosa quærit requiem, sed nequit invenire. Sic nimirum tibi nulla nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas; nulla prævalebit tentatio insidiatoris, si nulla te premat delectatio carnis.

CAP. III.

Exemplum Elisei prophetæ.

ELiseus etiam & filii prophetarum hujus vitæ insignes fuerunt auctores, qui paucis panibus hordeaceis & oleribus herbarum contenti, etiam pestiferas colloquintidas & steriles aquas Jericho in cibos sumpsisse leguntur; & ut brevitate aliquid de sacramento tangamus, oportet nos de hortis spiritalis doctrinæ salutares herbas colligere, & exempla Sanctorum in disciplinam solitariæ conversationis assumere; colloquintidas tamen vel steriles aquas devitandas esse noverimus: nam cum gynæceum Salomonis, lapsum David in Bersabee, Samsonis in Dalida, Judæ in Thamar, aliaque similia legis juxta literam intellecta, amarissimas colloquintidas esse & steriles aquas non dubium; nemo talia colligat exempla, nullus has auctoritates historialiter sequatur, quia steriles sunt & infœcundæ, amaræ atque pestiferæ, non solum ab eremitica, sed etiam ab omni Christiana professione respuenda. Sed & verba detractionis & contumeliæ, susurrationis & rixæ colloquintides sunt & steriles aquæ, quæ tamquam pepones agrestes in ore colligentium injuriose distillantur. Hæc igitur & præmissa exempla summo vitanda sunt studio, tota refutanda intentione. Non enim Sanctorum lapsus, sed virtutes imitabiles sunt, & ruina præcedentium sequentium est cautela. Quoniam alienus error cautum te facere debet, non sequacem. Si tamen contingat nos aliquando tales herbulas colligere, hujusmodi exempla sectari, eorum sentientes amaritudinem, mox clamemus ad Eliseum cœlestem, qui fuit vir propheta, potens in sermone & opere coram Deo & omni populo, qui suæ gratiæ farina, suæque sapientiæ sapore dignetur in olla eremitica cibos amarissimos & sterilitatem aquarum sanare, sed & prior eremi vel quilibet peritus vicem tenens Elisei, debet hujusmodi farinæ vel salis adjectione, infusione videlicet correctionis & doctrinæ tales sanare aquas, dulcorare cibos, excessus corrigere, ne forte in olla eremitica mors possit inveniri, ubi vita debet acquiri. Sed & Rechabitæ, quos Jeremia mirabili commendat exemplo, vinum & siceram penitus abhorrentes, eremiticæ vitæ gloriosum dedere incitamentum. Hi nimirum desertum habentes pro patria Chaldaicam captivitatem primo leguntur perpessi, eo quod civitatem ingredi compulsi sunt, hominumque pati frequentiam. Erat enim illis oppidum pro ergastulo, solitudo autem pro Paradiso & pro summis deliciis abstinentia. Breviter ista perstrinximus, quoniam ad alia properamus. Sed jam Novi Testamenti auctoritates & exempla compendiose tangenda sunt.

CAP. IV.

Exemplum Johannis Baptistæ.

JOhannes Baptista præpotens martyr, eremique cultor, solitariæ vitæ in Novo Testamento admiranda posuit fundamenta. Ipse est enim, qui sub teneris annis cives fugit, desertum petiit, & solitarie vivens, silvestres cibos, camelorum pilos, cultum agrestem paternis opibus mundique deliciis præferre curavit, his quippe moribus a Domino præ ceteris meruit commendari.

Cap. V.

Exemplum Salvatoris.

POst ipsum vero, immo ante ipsum, quia posterior tempore, sed prior fuit auctoritate, Salvator hanc vitam suo consecravit exemplo; nam ductus a spiritu in desertum, quadragesimale servavit jejunium, esuriem pertulit, tentationem sustinuit a diabolo, ut eodem ordine vinceret ipsum, quo primus Adam fuerat ab eodem superatus. Sic enim ordo nostræ salutis poposcerat; ars ut artem vinceret, & sapientia malitiam superaret, non virtute potestatis, sed argumento rationis. Postmodum vero ascendens frequenter in montem, & aliquando solus, nonnumquam cum paucis orans hujus nobis vitæ ostendit imitationem.

Cap. VI.

Exemplum Patrum antiquorum.

QUis commendare sufficiat antiquos in Ægypti, Thebaidæ, Nitriæ desertis patres commorantes, Paulos, Antonios, Macarios, Arsenios plerosque alios, qui solitariam vitam ducentes tamquam micantes stellæ Plejadum & astra mundissima splenduere? qui quanto se amplius subtraxerunt ab illecebris mundi, tanto magis effluxere gloria Dei. Hi sunt, qui circuierunt in melotis, & pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus & in speluncis, & in cavernis terræ, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.

Cap. VII.

Exempla philosophorum.

NAm ut aliena sequamur castra, etiam sapientes mundi & seculares philosophi non sunt contemnendi, remotiorem vitam summo sunt amplexati studio, mira diligentia venerati, siquidem & Eleatem & Academiam aliasque villas morbo pestilentes, fulmine terribiles, humano solatio destitutas, situ asperrimas, ad philosophandum eligebant, ut sub formidine mortis & corporis afflictione positi, quanto minus curam carnis habebant, tanto amplius sapientiæ meditarentur arcana; unde primus terminus philosophiæ dicebatur ab eis meditatio mortis, vel abdicatio voluptatis; secundus vero assiduitas patientiæ vel virtutis consummatio. Ii adeo contemnebant illecebras, calcabant opes, fugiebant seculum, ut quidam eorum pondus auri in puteum projecerit, dicens: Ite pessum divitiæ, melius est enim ut vos mergam, quam a vobis mergar. Nam pecuniam simul & sapientiam possidere, difficile fore dicebant. Unde quidam ipsorum legitur sibi effodisse oculos, ne per ipsos conspiceret, quod animus affectaret. O infelix præsentium conditio monachorum & eremitarum nostri temporis miseranda tepefactio! minus enim pro æterna mercede fervemus, quam illi pro sola seculi honestate, mundique tædio ardescebant. Et illi quidem nondum instructi doctrinis, non incitati exemplis, non promissionibus illecti tam mirabilem ducebant vitam. Nos vero innumeris informati testimoniis, jam coruscante sacro evangelio, jam de cœlesti præmio certificati, tepidiores tamen illis invenimur. In susceptione nostri ordinis dura nobis & aspera regulariter proponuntur, & omnia libenter amplecti profitemur; postmodum vero si aliquid nobis asperiuscule præcipiatur, illico recusamus imperium, mox quærimus loca, ubi exuberent copia ciborum, fercula piscium, vestium abundantia. Proh pudor! non erubescimus secularibus & infidelibus tepidiores inveniri. Non miramur, si filii hujus seculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua; sed quia ferventiores etiam sunt, valde obstupescimus, graviterque dolemus. Unde quæso abusio hæc? Ergo-ne in exilio patriam, in deserto dapes, in opere concupiscimus penitentiæ, in loco horroris & vastæ solitudinis gaudia quærenda sunt jucunditatis? Pudeat quæso, pudeat solitarios, tædeat etiam cœnobitas, omnesque religiosa professione obligatos, minus fervere pro regno cœlesti, quam seculares pro regno terreno vel gloria mundi, his itaque per excessum aliquantisper ingestis ad propositum redeamus.

Cap. VIII.

Exemplum sancti Benedicti.

BEatus quoque Benedictus monachorum pater almificus suæ religionis exordia in solitaria vita fundavit, ubi ab ipso pueritiæ suæ tempore animum habens senilem, non solum ab adolescentia, sed etiam ab infantia perfectionis iter arripuit, audiens quod scriptum est: *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius & tacebit, quia elevavit se super se.* Quia super naturam corporis erexit culmen men-

mentis. Et plus operatus est per zelum piæ intentionis, quam possit exequi per qualitatem humanitatis. Et licet postmodum cœnobialem ordinem mirabiliter instituisset, locum tamen dilectæ solitudinis ferventius coluit, amplius informavit, virtutibus & signis plenius illustravit.

C A P. IX.

Exemplum sancti Romualdi.

SEd & beatus Romualdus postposita mundanæ nobilitatis excellentia, cum se ad monasterialem transtulisset disciplinam, & pastorale magisterium suscepisset, tandem ad solitariam transivit militiam, & eremiticæ conversationis plura loca construxit, inter quæ loca Camaldulensem quoque eremum mirabiliter ædificavit.

C A P. X.

Qualiter eremus Camalduli facta sit.

NAm cum pervenisset ad partes Arretini territorii locum idoneum huic proposito cupiens invenire, occurrit ei quidam vir nomine Maldulus dicens se campum habere amœnum in alpibus positum. Ubi cum aliquando dormiret, instar Jacob patriarchæ scalam vidit excelsam, cœlum quasi suo vertice tangentem, per quam splendentium atque albescentium videbatur ascendere multitudo. Quo audito, vir Dei, tamquam divino illustratus oraculo, mox campum petiit, locum vidit, cellas ibidem construxit, & allocutus præsulem Arretinum, suffragium hujus operis quæsitum impetravit. In eodem loco etiam prodigia quædam ostensa sunt, quæ longum esset evolvere, præsertim cum propositum nobis sit non enumerare prodigia, sed solitariæ vitæ institutionem recensere.

C A P. XI.

De consuetudine ipsius loci in Quadragesima.

HUjus itaque loci jam referenda est consuetudo & ordo conversationis. (*a*) A principio igitur majoris quadragesimæ usque in Paschalem sollemnitatem per singulas hebdomadas triduana & biduana in hac eremo servari solet abstinentia. (*b*) Abstinentia in hoc loco tunc dicitur, cum nihil præter panem & aquam, aut si cui placet, salis adjectionem edentibus ministratur, excepto siquidem ceparum vel pomorum delicatioribus debilibusque rara vice misericorditer concedatur. In Dominicis vero diebus, & omni quinta feria solita ministrentur pulmentaria cum adjectione pomorum vel aliorum nascentium terræ. Vinum quoque post initium quadragesimæ magnæ, ac etiam adventus, non datur, nisi in Dominica Palmarum & festis declaratis, necnon in Cœna Domini, in festivitatibus beatæ Mariæ, sanctique Benedicti & beati Gregorii, solet hoc loco ministrari. Sabbatum vero sacri baptismi abstinentiæ deputari debet, sed pro labore officii sequentis Paschæ biscoctus panis cum sobria perceptione vini potest fratribus indulgeri.

a Petr. Dam. Opusc. XV. cap. cap. VI.

b Opusc. XIV. pag. 16.

a Ibid.

C A P. XII.

De consuetudine in Paschali tempore.

(*c*) IN Paschali vero hebdomada non solum relaxatur abstinentia, sed etiam jejunium solvitur, postmodum vero tribus in hebdomada diebus usque Pentecosten, repetitur abstinentia, sabbata vero simplici jejunio deputantur. In diebus vero Rogationum solent aliqui triduanam servare abstinentiam, sed communis habet consuetudo, ut in tertia feria earumdem simplex jejunium celebretur: cum jam & in festivitate sancti Marci propter Litanias Gregorianas simplex servatur jejunium. In vigilia vero Pentecostes ita fiat, quemadmodum in sabbato sancto permissum esse meminimus. In Pentecoste eadem observari debent, quæ in Paschali celebritate commemorata sunt, excepto quod jejunia quatuor temporum in hac hebdomada, sexta feria abstinentiæ deputata, ritu ecclesiastico simpliciter observentur.

c Cap. VI.

C A P. XIII.

De consuetudine post Pentecosten.

(*d*) DEinceps autem usque in festivitatem sancti Johannis quatuor diebus in hebdomada deputatis abstinentiæ, tertia feria simpliciter jejunatur, quinta vero geminatur refectio. De cetero usque idus septembris eadem quatuor dierum servatur abstinentia, tertia & quinta feria geminæ refectioni deputatis.

d Cap. VI.

In festivitatibus vero, quæ a Pascha usque ad hunc terminum occurrunt, & abstinentia remitti & jejunium solet absolvi. Post idus septembris usque in festivitatem beati Martini continuum servatur regulari more jejunium, quatuor in hebdomada diebus abstinentiæ deputatis; nam festivitates post octavam Dominicæ

nicæ nativitatis usque quadragesimam, quæ infra hoc spatium accidunt, abstinentiam quidem relaxant, jejunium vero minime solvunt.

CAP. XIV.

De quadragesima post festum sancti Martini.

a Ibid.

(a) A Sollemnitate beati Martini usque ad nativitatem Salvatoris quadragesimalis fit observantia, sicut in majori quadragesima præmissa est. Vinum quidem in omnibus Dominicis diebus, in festivitatibus quoque beati Andreæ, sanctique Nicolai, & beati Thomæ sobrie ministratur. In vigilia vero Dominicæ nativitatis idem observandum est, quod in sabbato sancto diximus observari.

CAP. XV.

De consuetudine Dominicæ nativitatis.

DIe quoque ipsius nativitatis jejunium solvitur, ceteris diebus per totam octavam jejunium non solvitur, sed abstinentia relaxatur. Postmodum vero usque in octavam Epiphaniæ continuum jejunium, triumque dierum abstinentia celebratur, sabbatis simplici jejunio deputatis. Deinceps autem usque initium Quadragesimæ quadripartita in hebdomada debet abstinentia servari.

CAP. XVI.

De abstinentia & discretione sabbatorum

SAbbatorum denique abstinentiæ hac discretione servandæ sunt, ut in octavis Sanctorum, quæ apud nos celebrantur, & in hebdomadis, quibus flebotomiæ ter in anno fieri solent, atque pro accessu alicujus celebris personæ, sive pro exteriore labore possint relaxari. In sabbatis quoque utramque quadragesimam præcedentibus eadem relaxatio abstinentiæ causa cellerarii fieri solet.

CAP. XVII.

De vigiliis Sanctorum.

VIgiliæ Sanctorum, quæ in ecclesia statuta sunt, & Epiphaniorum quoque, atque sanctorum Philippi & Jacobi, licet in usu secularium non habeantur, in hac eremo abstinentiæ deputandæ sunt.

CAP. XVIII.

De usu divini officii.

AD divina officia per horas diei vel noctis pulsato signo universi fratres, præter reclusos, aut forte infirmos, festinantes & cum magna reverentia opus Dei persolvant, juxta ordinem monasteriorum ejusdem congregationis. Missarum vero sollemnia in hac eremo raro nisi circa horam tertiam celebrantur.

CAP. XIX.

De usu Capituli & Parasceve.

IN capitulo vero per utramque quadragesimam convenire non solent, nisi in quinta feria cœnæ Salvatoris, quam non solum in celebratione capituli, sed etiam in divinis officiis atque communi refectione, & in ablutione pedum cœnobiali more observant. Similiter & duos sequentes dies in divinis officiis canonico, vel monasteriali imitantur ordine; nam & in Sabbato sancto & vigilia Dominicæ nativitatis sollemne capitulum celebratur. Ceteris vero temporibus omni Dominico die in capitulo convenientes præmissa exhortatione fraterna se invicem debent accusare caritative. Postremo communi confessione præmissa, verberum ictus super nuda membra suscipiunt, non tamen causa cruciandi corpora, cum sibi graviora in cellulis supplicia infligant, quam studio divinæ passionis & humilitatis exempla sectandi, ad confusionem illius, qui est rex superbiæ; unde cum quidam energumenus in partibus Etruriæ, qui solo die Dominico vexari solebat, interrogaretur, ubi ceteris diebus habitaret, ita respondit. Per totam, inquit, hebdomadam apud Camaldulensem eremum habito, sed Dominico die cum disciplinis, quas humilitatis intuitu sponte patiuntur, me procul expellunt. Ab illa siquidem virtute prosternitur in terris, quam ipse contempsit servare in cœlis. In festivitatibus quoque Sanctorum, quæ sollemniter celebrantur, capitulum celebrare consueverunt vigilia præcedenti, si venerit in Dominico die.

CAP. XX.

De usu refectionis ad mensam.

AD mensam vero omnibus diebus geminæ refectionis aut simplicis jejunii communiter reficiant fratres tam corpo-

corporeis, quam spiritualibus alimentis. (a) In iis enim & in omnibus diebus abstinentiæ in cellis utuntur eduliis suis, nudis pedibus super pavimento sedentes, librumque sacræ lectionis intuentes, ut dum fauces sumunt subsidium corporis, oculi quoque percipiant cibaria mentis.

a Opusc. XIV. pag. 162.

Cap. XXI.

De silentio.

Silentium autem in utraque quadragesima & in omnibus diebus abstinentiæ inviolabile debet hoc loco servari, ceteris vero diebus ab hora vespertina usque in sequentis diei expleta Missarum sollemnia taciturnitatis regula illæsa custodiatur, exeuntes de cellis, & ad ipsas redeuntes, silendi censura debent cohiberi. In oratorio & in refectorio regula silentii omni tempore intemerata servetur.

Cap. XXII.

De obsequiis, quæ fieri solent ab iis de Fonte-bono.

Iis itaque breviter præmissis, de ministeriis & obsequiis, quæ ab iis, qui in Fonte-bono commorantur, solent eremitis persolvi, quædam commemoranda sunt. Per singulas igitur septimanas senos azymos panes præfati fratres a prædicto loco suscipiant, tres die Dominico, & totidem in quinta feria juxta formam antiquæ quantitatis & qualitatis; si quis vero fermentatos quæsierit, nullatenus debent sibi denegari. Caveant autem ministri, quorum interest, ne hujusmodi panes aut cruditate, aut combustione, vel exiguitate inveniantur deteriores. Quod si fieri contingat, congruit, ut corripiantur ii, quorum desidia vel incuria id accidisse probabitur, sive cellerarius sit, sive quilibet alius.

Cap. XXIII.

De usu vini.

(b) Vinum quidem ab eremitis alienum esse cognoscitur, sed quia defectio, & nostri temporis ac naturæ debilitas id omnino non patitur, raro quidem & sobrie hujusmodi potum percipere solent, ut qui nequeunt cum Johanne abstemiam frugalitatem servare, vel cum Timotheo sobria parcitate utantur. Et quoniam expertum esse novimus, quia vinum raro utentibus eo, nisi purum & incorruptum sit, noxium est & insalubre, statutum fuit ab antiquo, & nunc quoque firmius statuendum est, ut meræ qualitatis & incorruptæ ministretur iis. Studeant ergo ministri, quibus hæc imminet sollicitudo, ut vindemiarum tempore in vegetibus ad hoc præparatis congrueque purgatis purum, & sine ullis aquarum mixturis, recondatur vinum, quod fratribus de eremo solitis diebus debeat afferri. Nam sicut diebus abstinentiæ pura quidem aqua, sic refectionis tempore vini meri perceptione utantur, ut utendum esse videtur. Denique si corruptum, acidum macidumve fuerit inventum, aliis poterit ministrari, pro eremitis aliud congruum inveniatur.

b Opusc. XIV. pag. 161.

Cap. XXIV.

De usu pulmentorum.

(c) Pulmenta vero singulis diebus refectionis duo bene composita fratribus prædictis apponantur; & si opportunitas tulerit, aliquid pomorum, ceparumve seu castanearum addatur. Et primum quidem pulmentum de oleribus fieri solet; secundum vero in Dominicis diebus & quibusdam sollemnitatibus de pasta frumenti, quod vulgo granellorum appellatur, solet exhiberi. In summis sollemnitatibus, videlicet tribus diebus Dominicæ nativitatis & Paschalis celebritatis edulium farris a Fonte-bono transmissum ministrari consuevit. In eisdem hebdomadis in quinta feria cœnaturis, turtarum aut miliaceorum refectio ad eremum transmittatur; aliis vero diebus geminæ refectionis vel jejunii, ciceris aut æstivarum fercula fabarum debent fratribus apponi. A calendis maji usque in festum sancti Martini per dies Dominicos, quintam feriam, atque in sollemnitatibus præcipuis edulium lactis, quod juncata nominatur, superaddi consuevit. Ab octava Paschæ usque ad festum sancti Martini diebus Dominicis apud Fontem-bonum cœnæ præparentur miliaceorum aut tortarum, quæ fratribus de eremo æquali vicissitudine debent ministrari. In diebus autem quintæ feriæ a festo beati Johannis-baptistæ usque ad idus septembris eadem cœnarum præparatio de miliaceis fieri solet.

c Opusc. XIV. pag. 161.

Cap. XXV.

e cœnis ſollemnitatum quadrageſimarum.

IN ſollemnitatibus vero utriuſque quadrageſimæ loco earum turtelli aut frictellæ ad eremum tranſmittantur. Poſt epiphaniam vero cellerarius de Fonte bono tot caſeos præbet cellerario eremi, ut per ſingulos fratres eremi in omni tertia & quinta feria uſque quinquageſimam quadra caſei poſſit apponi.

Cap. XXVI.

Diebus flebotomiæ, quæ miniſtratio ſoleat apponi?

TEmporibus flebotomiarum, quæ ter in anno communiter fiunt, talis refectio miniſtratur. Ternis diebus per ſingulas flebotomias deputatis, prima die ferculum farris, ſecunda granellorum, tertia demum lagana miniſtratur in mane; ſero autem primo juſcelli, ſecundo oleris, tertio denique turtarum refectio præparetur cum frictellis, paniſque dimidio per ſingulos fratres. De refectionis diſcretione, quæ iis, qui non flebotomantur, fieri ſolet, nihil ſtatuimus, ſed in arbitrio proviſoris eremi remaneat quid agendum ſit.

Cap. XXVII.

De partitione xeniorum vel oblationum.

ANte ſollemnitatem paſchalem, & ante Dominicam nativitatem ſolito more piſces emantur. Empti vero & reducti, ſi preſentia domni prioris eſt apud eremum vel Fontem-bonum, apud eum fiat æqua diviſio, ſubtractis decimis propter hoſpites, & his, qui per curtes vel proxima monaſteria diſpenſantur. Sin vero prior abſens eſt, eadem apud eremum partitio fiat. Xenia quoque, quæ devotione fidelium vel fratrum congregationis obſequiis deferuntur eſui deputata ſimili modo debent diſpertiri. In nativitate Salvatoris & paſchali ſollemnitate per ſingulos fratres ſingulæ paropſides cum totidem cocleariis ad eremum tranſmittantur. In eiſdem ſolito more duæ libræ piperis tribuantur, ſingulæ per ſingulas ſollemnitates. Ceræ quoque .. libras in æſtate eremi ſacriſta debet a camerario accipere; incenſum vero quantum ſufficere poſſit. Olei etiam uſitata menſura per ſingulos menſes, unus videlicet barilis exhibeatur, tres quoque arvinæ per ſingulos annos ad unctionem ſubtalarium præſtari debent. Corium ſimiliter quantum ſufficere poſſit. Fabarum etiam æſtivarum triginta ſextaria in æſtate tribuantur. Sed & caſtaldiones, qui per curtes noſtras deputantur, ita ſolliciti ſint ad obſequia eremi, ut in nativitate Salvatoris & in ſollemnitate paſchali ceteriſque temporibus ſolitas præſtent oblationes, & uſitatas lignorum præparationes congruis temporibus faciant.

Cap. XXVIII.

De præparatione lignorum.

SEd & lignorum præparatio ſecundum priſtinam conſuetudinem in æſtate ita fiat per ſingulas cellas, ut non indigeant fratres propter hujuſmodi neceſſitates guſtum contemplationis interrumpere. Cetera quoque utenſilia cellarum præparare miniſtri non tardent aut negligant, ſaccum palearum, pulvinar, ferramenta, manutergium, obulas, lucernas, ſepum, & linteum in Cœna Domini noſtri Jeſu Chriſti ad extergendos pedes fratrum, & ſimilia.

Cap. XXIX.

De veſtibus.

VEſtimenta vero ante feſtum beati Martini taliter præparentur, ut in ipſa quadrageſima quies neceſſaria non impediatur, quæ talia ſint, ut nec nimia vilitas nec mundana venuſtas in eis poſſit adverti, quia nec affectatæ nimiæque ſordes, nec exquiſitæ deliciæ placent. Nam primum hypocriſim, ſecundum redolet vanitatem, ſicut qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt, non monachorum, ita qui ſordibus utuntur, in ædibus hypocritarum ſunt, non eremitarum. Vilitate ſiquidem & extremitate debemus eſſe contenti, non ſquallore deformes. Vervecinæ igitur pelles, vaccini ſubtalares, cappæ, tunicæ aliæque veſtes, quales in his provinciis commodius inveniuntur, debent præparari. De numero & quantitate veſtium id obſervetur, quod cœnobialis habet conſuetudo. Ciliciorum indumenta omnibus offerri ſolent, qui uti voluerint, quia in his non neceſſitas imponitur, ſed perſonarum conſideratur poſſibilitas, pleraque nimirum ſunt, quæ non æqualiter omnibus fiunt, quia non æquales ſunt vires omnium, nam qui ex delicatioribus veniunt

niunt moribus, non indignum est, si tenerius inde tractentur in plerisque, quia nonnumquam, qui minus agunt in corpore, plus operantur intentione. Et sæpe fit, ut oblatio, quæ parva videtur censu æstimetur; unde vidua, quæ duo minuta tantum inter magna donaria divitum obtulit, testimonio Salvatoris ceteris commendabilior habeatur.

CAP. XXX.

De providentia infirmorum.

INfirmorum providentia vel debilium summa debet esse tam a priore, quam a ministris super hoc deputatis. (a) Cum ergo aliquis apud eremum languescit, mox provisor eremi, qui loco prioris constituitur, sive sacrista vel cellerarius ipsum studeat visitare, & tam alimonia corporis, quam mentis nutrimento, quæ necessaria sunt ministrare usque ad octavam diem; tunc enim, si non convaluerit, ad locum de Fonte-bono deducatur, ubi cibaria ægrotantibus competentia, & alia, quæ ad convalescendum prodesse possunt, honeste satis & reverenter copiose sibi offerantur usque ad plenam reparationem. Reparatis igitur viribus corporis, revertatur illico ad usum sanctæ conversationis, si autem ibidem obierit, ad eremum sepeliendum deferatur. Justum est enim, ut habeat sepulcrum suæ migrationis, ubi habitaculum habuit solitariæ sanctitatis. Debilibus autem & tenerioribus, si qua dispensatio in alimentis aut vestibus necessaria sit, sapienter & caute fieri debet, ut ita indigentibus exhibeatur pia discretio, ne inde fortioribus noxia generetur dissolutio; proclivior est humanæ frugalitatis natura ad dissolutionis imitationem, quam ad justæ severitatis exemplum. Nam specialis vel singularis concessio non debet trahi ad generalem consequentiam ceterorum, ne de unius vel paucorum indulgentia, nascatur plurimorum enormitas, discretio nutrix est virtutis, non genitrix vitiorum.

a Opusc. XIV. pag. 162.

CAP. XXXI.

De vitanda cupiditate aut pecunia.

QUæ igitur sanis aut infirmis necessaria sunt, a priore suisque officialibus sic præstentur, ut non necesse sit murmurandi, detrahendi seu mendicandi notam incurrere. Nam statutum fuit ab antiquo, & nunc eadem statuta, jubente priore, renovantur (b), ut nemo in eremo ista commorantium aliquid ab adventantibus petere præsumat; neque possideat quidquam contra consuetudinem loci concessionemque prioris. Si enim Ananias & Zaphira damnationem incurrere, propria sibi reservantes, quanto damnabiliores sunt, qui etiam aliena quærunt, congregantes non sua per avaritiam malam, & quasi densum lutum super se coacervantes? Giezitica cupiditas tam execrabilis fuisse legitur, ut etiam ad posteros lepram transmisisse probetur; nam & nos ipsi aliquos de eremo propter hoc vitium vidimus esse projectos, qui alias jure videbantur laudabiles. Unde consuetudo est hujus loci, ut cellas singulorum sæpe debeat prior per idoneos fratres propter opus peculiare scrutari, & quidquid superfluum vel illicitum fuerit inventum, penitus auferre, & ad ignominiam ejus in capitulo coram omnibus publicare, ipsumque graviter plectere, ne unius impuritas ceteris præstet incentivum delinquendi. Peccatum enim, quod inultum relinquitur, trahitur ad consequentiam peccandi.

b Opusc. XV. cap. XI.

CAP. XXXII.

De occupatione necessaria & stabilitate.

CAveat ergo quisquis frater ne in cella otiosus existat, quia periculosa est animæ talis otiositas, & hostili tentatori facilem aditum pandit. Fac aliquid operis, ait Auctoritas, ut diabolus semper te occupatum inveniat, ne tentandi locum valeat invenire. Propterea debet unusquisque aut orandi, aut legendi, vel disciplinis, metaneis, palmatisque insistendi taliter esse sollicitus, ut omne sibi spatium diei vel noctis breve vel insufficiens esse videatur. Vitium quoque vagationis & instabilitatis taliter fugiat, ut non solum exterius cum Dina filia Jacob non facile discurrat, sed etiam in ipsa cella stabilis fixusque permaneat. Posset enim intra eamdem cellam tamquam cujusdam impulsu vertumni, vagationisque spiritu tota die circuire.

CAP. XXXIII.

Qualiter debeant manualia opera exercere.

IN diebus abstinentiæ continuam debent habere stabilitatem, & per manualia exercitia eremiticam tranquillitatem nullatenus molestare. Tertia tamen & quinta feria infra quadragesimam post horam sextam possunt aliquid extra cellas

las

las operari. Extra quadragesimas vero, in ejusque feriis, & in sabbatis indulgentiæ deputatis, valent similiter manualia quædam exercere, horis & locis competentibus; post horam videlicet sextam tempore hiemali, æstivo autem tempore post meridianam dormitationem ab hora nona usque in vesperas, exceptis festivis diebus, quibus orationi & quieti, cœnobiali more, potissimum vacandum est.

CAP. XXXIV.

Qualiter & quando debeant exire ad exteriora opera.

STatutum est etiam in hac eremo, ut nemo præsumat ad ligna colligenda, vel ad alia opera manualia solus exire, sed tres aut plures simul procedant, & hoc ipsum cum licentia fiat prioris, aut ejus qui vicem ipsius gerit. Ad hortum sive ad fœnum colligendum simul procedant, qui possunt, & ad hoc deputati sunt, & cum psalmodia euntes, stantes & redeuntes, & omnia communiter fiant & honeste in Domino, & benefacientes obmutescere faciant impudentium hominum ignorantiam, nec inveniant detractores, unde servis Dei derogare prævaleant.

CAP. XXXV.

De Psalmodia.

a Opusc. xv. cap. ix.

(a) DUo itaque psalteria cum adjectionibus suis per utramque quadragesimam quisque frater per singulos dies persolvat. In aliis vero temporibus unum pro vivis debet celebrare psalterium; pro defunctis autem totum, aut dimidium, vel ad minus tertiam partem (b). Pro migratione cujuscumque fratris in eremo vel in Fonte-bono defuncti triginta psalteria vel Missas debet unusquisque persolvere. Pro his vero, qui per alia loca congregationis obierint, tria psalteria vel Missæ ab unoquoque dicenda sunt. In metaneis vero, & palmatis, vel scoparum ictibus, aliisque similibus obsequiis vel operibus, seu artificiis quisque debet exerceri, prout facultas tulerit, vel utilitas suaserit, seu divina inspiraverit gratia. In talibus enim voluntaria suadetur oblatio, non coactio imponitur. Unusquisque in hac parte suas metiatur vires, computet sumptus, moderetur affectus, ut nec ultra se præsumat extendere per indiscretionem, nec infra dejicere per desidiam; ubera quippe nostræ facultatis & scientiæ quadripartite premuntur, fortiter & suaviter a bonis, aut vehementer & negligenter a malis. Fortiter utique per rigorem justitiæ, suaviter per lenitatem misericordiæ, vehementer autem per indiscretam austeritatem, negligenter per desidiosam dissolutionem. Fortitudo igitur butirum sanctitatis, suavitas elicit lac devotionis, vehementia vero sanguinem intemperantiæ, negligentia producit vitium lasciviæ.

b Opusc. xv. cap. xii.

CAP. XXXVI.

De assiduitate in cella manendi.

PRæterea studeat solitarius in cella jugem & continuam sedulitatem habere, ut per gratiam Dei & assiduitatem manendi possit ei habitatio cellæ dulcescere; nam sicut inquieto & instabili monacho instar carceris pœna ergastuli afflictionis materiam præstat, ita quieto & perseveranti suavitatis refrigerium silentium beatitudinis tamquam portionem exhibet paradisi. Novimus enim plerosque cellarum dulcitudinem sic expertos, ut non divitias Crœsi, vel Sardanapalli dico delicias, sed & totius mundi potentiam cellarum comparatione contemnerent. In eis quippe tamquam inter spinas & tribulos paliuros rannos sciebant se posse præfocari. In his vero tamquam inter suavissimas delicias gustabant, quam suavis est Dominus, dicentes: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te, perfecisti autem eis, qui sperant in te: abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum, proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum*. Cella igitur breviter intermissa avidius plerumque repetitur. Diutius vero postposita sæpe oblivioni mandatur; & sicut mare cadaver cito dejicit, ita eremus monachum ab eremitica consuetudine alienum tamquam defunctum velociter expellit.

CAP. XXXVII.

De vitanda frequentia.

CAveat cellerarius, & quicumque in solitudine positus sollicitus sit, ne sub prætextu hospitalitatis, aut eleemosinarum vel cujuslibet occasionis obtentu diversorum frequentiam provocet, & solitariam quietem perturbet; quod non causa inhumanitatis dicitur, sed vitandæ inquietudinis intuitu; nam hospitalitatis officium in loco Fontis-boni debet omnimode observari, ad quem ciborum reliquiæ,

liquiæ, quæ per totam hebdomadam in eremo colliguntur, pro substentatione pauperum solent transmitti, nam domus illa propter hujusmodi officium hospitandi præcipue constructa est: & licet postmodum ad cœnobialem normam crescente congregatione advecta sit, studium tamen hospitalitatis nullatenus debet prætermitti; nihil est enim fratribus in eremo positis gratius, nihil acceptius inter omnia obsequia, quæ præfata eremus solet exhibere, quam si susceptio universorum hospitum, maxime pauperum & peregrinorum, congrua fiat honorificentia, cum dicat apostolus: *Hospitalitatem sectantes, & communicationis & beneficentiæ nolite oblivisci*. Per hanc enim quidam placuerunt etiam angelis hospitio receptis; nam & ipse Christus in paupere suscipitur ipso probante: *Quod minimis*, inquit, *meis fecistis mihi fecistis*. Unde ministri, qui ad hoc deputati sunt, frequenti debent admonitione conveniri, ipsumque domnum priorem modesta suggestione sollicitare, ne præfata hospitalitas negligatur: nam si aliquotiens neglecta fuerit, non erit absurdum, si prædicti fratres incipiant aliquantulum excandescere, & servata interiori modestia in zelum cujusdam indignationis exterius prosilire, dicente propheta: *Zelus domus tuæ comedit me; & tabescere me fecit zelus meus*. Ibi ergo ministri, quasi Martha satagant circa frequens ministerium per officium piæ hospitalitatis. Hi vero fratres tamquam Maria sedeant ad pedes Domini per studium sanctæ contemplationis. Ibi Lia suæ fœcunditatis utiles pariat fructus per curam administrationis; hic Rachel propriæ pulchritudinis claros conservet aspectus per intentionem puritatis.

Cap. XXXVIII.

De mandragoris Liæ.

Solet autem Rachel mandragoras Ruben filii Liæ aliquando concupiscere, idest ad dispensationes exterioris officii, piæque fœcunditatis affectare, & contemplationis studio paullulum intermisso, sed protinus debet ad propositum contemplandi recurrere; nam momentanea intermissio plerumque prioris officii reparatio est, longa vero interpositio pristinæ puritatis vel tepefactio vel oblivio est. Scimus quosdam temporalis administrationis mandragoras tanto ardore concupiscere, ut semper eisdem velint implicari; alios vero easdem sic abhorrescere, ut non aquiescant eas etiam intueri. Utrumque reprehensibile, utrumque probatur esse culpabile. Dulcedo contemplationis semper debet esse in voluntate, administrationis occupatio dispensatore jubente sit in necessitate. Mandragoræ quidem, quæ fœcunditati præsunt, imaginem humanam præferunt, odorifera germinant poma, rectæ dispensationis humanæ officia designant, quæ religiosi & contemplativi nonnumquam irreprehensibiliter affectant, ut habeant ubi virtus, & sanctitas possit enitescere, vel fructificare fructus honoris & honestatis, & ab his, qui foris sunt, bonum habere testimonium.

Cap. XXXIX.

De virtutibus eremitarum, & primo de Humilitate.

His ergo taliter prælibatis, jam de virtutibus, quæ servis Dei præsertim solitariis necessariæ sunt, aliquid subdendum est. Prima igitur occurrit humilitas, quæ radix est custosque omnium virtutum; nam sicut de radice superbiæ omnia vitia pullulant, ita de humilitatis origine cunctarum procedunt virgulta virtutum. Dicitur ergo humilitas quasi humi vilitas; unde humilis humo similis appellatur, nam sicut humus inferius est elementum ceteris, omnium tamen est firmamentum seu fundamentum, sic & humilis se omnibus inferiorem & viliorem deputat, etiam quibus subsistendi materiam præstat; humus quoque quo crebrius calcibus premitur, eo calcantibus aptior invenitur & dum ferramentis frequentius teritur, ad frugem copiosius fœcundiusque præparatur; nam & humilitas in tribulatione fertilior, in despectione gloriosior, in opprobriis & contumeliis fit fructuosior. Hæc cum omnibus sit scala salutis, janua vitæ, initium sanctitatis, eremitis tamen potissimum necessaria est, ut ubi arctior vita est, humilior sit conscientia. Nam diabolus, qui est rex super filios superbiæ, his amplius insidiatur, quos sibi magis esse contrarios intuetur; quoniam escæ illius electæ sunt, & habet fiduciam, quod influat Jordanes, idest numerus Sanctorum, in os suum. Non enim milites suos persequitur, sed a se diffidentes impugnare conatur; & quia nequit solitarios apertis prosternere vitiis, nititur eos superbiæ jaculo insidiando vulnerare. Superbia enim origine cœlestis, natione sublimis, sublimes & magnos durius tentat. Quid mirum

a Opusc. XV. cap. XVIII.

mirum, si prosternere satagit monachos in eremo, quæ prostravit angelos in cœlo, hominem in paradiso? Ea igitur virtute potissimum vincitur hostis antiquus in terris, quam ipse contempsit servare in cœlis. Hujus itaque gradus beatus Benedictus duodena varietate distinxit, quos sub senario virtutum numero redigere valemus, quæ uno heroico possunt comprehendi, ut tenacius memoriæ imprimantur.

Mens meditans, tacita, patiens, pia, sobria, obedit.

Cap. XL.

De Obedientia.

OBedientia enim, ut ab ultimo incipiamus, prima & præcipua comes est humilitatis, tamquam saluberrimus fructus aut virgultum optimæ radicis; per hanc nimirum maxime adhæremus ei, qui semetipsum humiliavit factus obediens usque ad mortem. Cum ergo humilitas sit animi & corporis inclinatio Deo & hominibus recte prostrati, obedientia prima ejus soboles est, mandatorum Dei, vel eorum, qui vice Dei præsunt, humilis observatio. Hæc virtus solitariis valde necessaria est, ut quo duriorem ducunt vitam, eo pleniorem observent obedientiam. (a) Quidam namque sub obtentu sanctioris vitæ jugum recusant obedientiæ; putant enim se lege obediendi solutos, eo quod arctiori eremiticæ vitæ studio se norunt adstrictos. Sed ibi certe major debet esse obediendi observantia, ubi ferventior & austerior est vivendi cultura. Hæc itaque dum propriam voluntatem reprimit, alienæ propter Dominum jussioni obtemperat, vincit adversarium, aperit paradisum, angelos imitatur, Deo semper & individuo amore conjungitur. Tripartite autem virtus ista discernitur; est enim necessaria, voluntaria & voluptaria. Necessaria in divinis, voluntaria in adversis, voluptaria in prosperis. Nam cum divinitus aliquid imperatur, necesse est obtemperare, quia obedire oportet Deo magis quam hominibus, & quoties dura vel abjecta propter Dominum præcipiuntur, etsi videantur impossibilia, sponte subeunda sunt, non contumaciter recusanda. Cum vero prospera imperantur & honorifica, si prona intentione obedias, tuæ potius delectationi, quam alienæ obtemperas auctoritati; si tamen invitus & quasi coactus acquiescas, non voluptaria, sed quasi necessaria esse probatur obedientia.

a Opusc. XV. cap. XVIII.

Cap. XLI.

De Sobrietate.

HUic virtuti recte sobrietas subjungitur, ut cum per illam propriam curaveris voluntatem reprimere, per istam quoque carnem & omnia vitia carnis studeas mactare. Est itaque sobrietas moderatio animi desideria carnis & cetera vitia justa discretione reprimentis; nam quod apostolus dicit: *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*, ad omnia officia referendum est, ut edendi, jejunandi, vigilandi, dormiendi, standi, ambulandi, loquendi, silendi, ceteraque operandi studia mensurate vel sobrie fiant; per hanc igitur caro nostra sic tractanda est, ut nutriamus adjutricem ministrando debita, non perimamus famulatricem subtrahendo necessaria, nec foveamus hostem concedendo sibi superflua. Concupiscentia carnis extinguenda est, non natura; nam Abraham cum paratus esset filium immolare, jussus a Domino sobolem relinquere, arietem potius inter vepres cornibus hærentem perimere curavit, ut discas & tu non naturalem affectum, sed spinosam & belluinam cerviositatem in corde & corpore tuo mactare, & carnalia desideria, quæ militant adversus animam, non sensualia membra, quæ serviunt animæ, interimere, sobrie, & juste & pie vivendo in hoc seculo, ut per sobrietatem provideas tibi, per justitiam subvenias proximo, per pietatem servias Deo.

Cap. XLII.

De Pietate.

NAm & pietas solitariis valde necessaria est, ut sint humani, benigni, misericordes & mites. Est itaque pietas benigna cordis affectio alienæ infirmitati misericordi humanitate condescendens; solent enim solitarii sub prætextu eremiticæ severitatis, se nimis austeros & immites aliis demonstrare, & quasi non sint sicut ceteri hominum, pharisaico supercilio dissimiles fratres despicere, & tamquam publicanos demonstrare, quod non de virtute pietatis aut spiritu mansuetudinis, sed de tumore procedit elationis. Qui ergo cupis inter pios & sanctos eremitas censeri, studeas eos, qui præoccupati sunt in aliquo delicto, non tumide despicere, sed in spiritu lenitatis castigare, considerans te ipsum, ne & tu tenteris; unde non in spiritu ve-

vehementi conteras naves Tharsis, nec in plaustris ferreis prægnantes Galaad triturare præsumas; in virga enim gith & cymino, non in baculo vel plaustro excutere debes, ideſt miti & pia correctione, non immoderata increpatione pusillos & peccantes coercere.

Cap. XLIII.

De Patientia.

Sed & patientia, quam utilis sit eremitis, inde veraciter constat, quod omnis virtus vidua est, quam non patientia firmat, non tamen omnem patientiam constat esse laudabilem. Est enim patientia mundani favoris, & odiosi livoris & piæ intentionis. De favorali patientia dicit apostolus: *Libenter suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes*, quod ironice dici sequentia declarant; tali patientia utitur, qui cum viderit fratrem suum in aliquo delicto præoccupatum, adulatione potius quam correctione ipsum prosequitur, & tamquam inflictum jaculum sibi magis imprimere conatur. De livida vero patientia dicitur, tolerare & odisse, non est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris. Invidus quippe illatas injurias ad tempus patienter tolerat, sed diem ultionis expectat. De tertio patiendi genere dicit ipse Salvator: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*; est enim vera patientia humilis affectio mentis injurias & incommoda æquanimiter tolerans. De hac utique in libro Machabæorum legitur: *Refulsit Sol in clypeos aureos, & resplenduerunt montes ab eis*. Clypeus quippe in sinistro ponitur, quo totum corpus munitur, nam & patientia in adversis necessaria est. Aureus igitur clypeus est splendida & sincera patientia supernæ mercedis amore servata, quam Christus, qui Sol justitiæ, veraciter illustrat, nam cetera patiendi genera non aureis, sed ferreis vel ligneis deputantur clypeis, quæ luce veritatis illustrari non possunt, sed erroris caligine obscurantur.

Cap. XLIV.

De Silentio & Meditatione.

Sequitur tandem tacita meditatio, ubi duo hæc individuo comitatu junguntur, regula videlicet tacendi, & meditandi pervigil cura, neutra sine altera sufficit ad salutem, nam silentium sine meditatione mors est, & tamquam vivi hominis sepultura, meditatio sine silentio inefficax est, & quasi sepulti hominis exagitatio, simul ergo spiritualiter copulata animi magna quies est, & contemplationis perfectio. Est autem silentium vel quies tripartita differentia, operis videlicet, oris & cordis. De primo Isajas: *Quiescite*, inquit, *agere perverse*. De secundo David: *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini*, ut quæ cogitatis mala in cordibus vestris per silentium compuncte corrigatis. De tertio quoque idem propheta: *Posui custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis, ut non delinquam in lingua mea*; non enim sufficit silere a pravis eloquiis in ore, nisi sileas a pravis operibus in corpore, & a pravis cogitationibus in mente. Quid enim confert, si tacitas fiat in lingua, & tempestas fiat in vita vel in conscientia? Quid quæso prodest in ore servare silentium, in opere vero & in animo vitiorum habere tumultum? Domus Dei per sacra silentia crescit, & templum non ruiturum tacite construitur. Unde in templo Salomonis malleus & securis non sunt audita, nam & in templo quietæ & pacificæ mentis diabolicæ tentationis malleus, aut mundanæ ferrum persecutionis prævalere non potest. *Non accedet*, inquit, *ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo; super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*, quia omnia maligni tentatoris superabis argumenta. Si quietus & humilis fueris, nec timebis quid faciat tibi caro; nam ubi cœlestis habitator requiescit, non prævalet insidiator. *Super quem*, inquit, *requiescit spiritus meus, nisi super humilem & quietum & trementem verba mea*. Mare dicit, non est in me. Abyssus loquitur, non est meum, non habitat in terra suaviter viventium; quia non in tumultu cordis, non in duplicitate mentis, non in delectatione carnis habitat Dominus, sed in pace factus est locus ejus, & habitatio ejus in Sion. In silenti, & quiescenti vel meditanti anima permanet sapientia.

Cap. XLV.

De adjuratione quiescentium.

Adjuro vos, inquit, *per capreas cervosque camporum, ne suscitetis dilectam, quoad ipsa velit*. Adjuratio hæc quanto absurdior est in literali superficie, tanto gloriosior in spiritali significatio-

catione. Deformem habet corticem, ſed medullam jucundiſſimam. Capreæ quidem egregiam habent naturam, agilitate currendi, acumine videndi, paſtu ſublimiori. Cervi quoque nihilo minus velociſſimi ſunt, & admirabilem habent efficaciam, nam ſerpentes interimunt, mutua ſuſtentant onera, hauſtu aquarum venena mortifera vincunt. His ergo duorum animantium generibus duorum beatorum ſpirituum figurantur ordines, angelici & humani. Hi enim tantæ celeritatis ſunt, ut abſque difficultate vel mora per oppoſita tranſeant, tantæ perſpicacitatis, ut Dominum videant, tam excelſi paſtus, ut cœleſti cibo fruantur, guſtantes & videntes, quam ſuavis eſt Dominus. Angues diſſipant infernales, alienæ ſubveniunt indigentiæ, aqua ſapientiæ ſalutaris vitiorum virus expellunt. Quid ergo mirum, ſi pia & contemplantis quieta anima nolit eorum fraudari aſpectu, quorum utitur contubernio? Dignum eſt enim, ut per eorum nos adjuret auctoritatem, quorum ſocietatem diligit, imitatur naturam, contemplatur gratiam, guſtat ſuavitatem, deſiderat uſque potius in eorum meditatione quieſcere, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Triplex eſt ſpecies meditandi. Inveſtigat enim lamentationes, carmen & væ. Lamenta videlicet pœnitentiæ per recordationem peccatorum; carmen ſupernæ patriæ per contemplationum felicitatem; Væ quoque gehennæ per ſuppliciorum conſiderationem, ut dum bona & mala, jucunda & aſpera rimatur, anhelet a pravis & amaris fugere, & jucundis atque ſuavibus ſemper inhærere.

Cap. XLVI.

De ſignificatione ſeptenarum arborum.

Catalogus iſte ſeptenarum virtutum, radice ipſarum ideſt humilitate connumerata, ſeptenario arborum, quæ a Deo in ſolitudine plantatæ ſunt, figuratur. Plantabo, inquit, in ſolitudine cedrum, ſpinam, myrtum, olivam, abietem, ulmum & buxum. Si ergo deſideras his abundare arboribus, vel inter eas computari, o quiſquis es, ſtudeas in ſolitudine quieſcere. Ibi enim poteris cedrum Libani poſſidere, aut cedrus fieri, arbor utique fructu nobilis, natura imputribilis, odore ſuavis, videlicet ut ſis operibus fertilis, pudicitia inſignis, opinione & fama fragrantiſſimus, & quaſi cedrus exaltatus in Libano mira jucunditate floreſcas. Poteris etiam utilis ſpina fieri, fructetum ſcilicet ſalubriter pungitivum, & aptum clauſuris, ut voceris ædificator ſepium, & avertens ſemitas iniquitatum, & noviſſima tua vel aliena vitia non blandiendo palpare, ſed corrigendo pungere; nam verba ſapientis non ſolum quaſi ſpinæ, ſed etiam quaſi ſtimuli ſunt & quaſi clavi in altum defixi. His enim vinea Domini clauditur . . . . . . *viæ tuæ ſpinis, ut non vindemient eam omnes, qui prætergrediuntur viam, nec exterminet eam aper de ſilva, & ſingularis ferus devaſtet eam.* Myrtus quoque fore valebis, virgultum utique temperativæ virtutis & ſobriæ, ut omnia modeſte facias & diſcrete, qui nec nimium juſtus, nec ſatis videaris eſſe remiſſus:

Major enim mediis gratia rebus ineſt.

ut inter pleonexiam & mionexiam, ideſt in medio rerum decore, ut Severinus ait, omne bonum poſitum eſt. Nam & oliva eſſe mereberis, arbor ſiquidem pietatis & pacis, hilaritatis & conſolationis, ut exhilares faciem tuam & aliorum in oleo, & lugentes Sion conſoleris per opera pietatis. Sic enim quaſi oliva fructifera in domo Domini fructificabis ſuavitatem odoris; & ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ Domini. Abies etiam eſſe valebis proceritate ſublimis, opacitate condenſa, inſignis viriditate, ut ſtudeas meditari excelſa, contemplari cœleſtia, divinam majeſtatem ſummo vertice pulſare, ſapiens, quæ ſurſum ſunt, non quæ ſuper terram. Ulmus inſuper fieri non contemnas, quia etſi non fertilitate vel proceritate ſublimis, eſt tamen utilis in ſtatione vel tolerantia, non per ſe fructificat; ſed vitem fructificantem ſuſtentat. Huic nimirum comparantur Gabaonitæ noſtri vel idiotæ, ceſores quidem lignorum, portitores aquarum, & quælibet ſervilia, ſed non inutilia opera facientes, ut impleatur, quod ſcriptum eſt: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Et licet de genere non ſint Iſraelitarum, dum tamen Iſraelitis obediunt atque deſerviunt, eorum non ſunt præmiorum expertes. Præterea buxus eſſe non prætermittas, planta videlicet non ſatis in altum proficiens, viriditatem vero non facile deponens, ut diſcas tu non altum ſapere, ſed per timorem & humilitatem humo cohærere, & cohærendo ſemper vireſcere: *Nolite*, inquit propheta, *extollere in altum cornu veſtrum; & qui ſe exaltat humiliabitur.* Deſcripta quidem virgulta videlicet ulmus & buxus, infru-

fructuosa quidem, sed non inutilia; nam & saga cilicina, pellesque rubricatæ, vilia satis apparent & deformia, sed sua deformitate, quæ intrinsecus sunt pretiosa, tuentur & protegunt. Nemo ergo despiciat, nemo parvipendat simplicitatem eorum, qui exteriora gerunt, & ministrant opera, quia plerumque pulcriora sunt interius, quæ despecta foris apparent. Esto igitur Cedrus per nobilitatem sinceritatis & sanctimoniæ, Spina per punctionem correctionis & pœnitentiæ, Myrtus per discretionem sobrietatis & temperantiæ, Oliva per fructum hilaritatis, pacis & misericordiæ, Abies per altitudinem meditationis & sapientiæ, Ulmus per opem sustentationis & patientiæ, Buxus per formam, humilitatis & perseverantiæ.

Cap. XLVII.

De perfectione caritatis.

His ergo possessis arboribus solitariæ vitæ, his remotæ conversationis virtutibus adeptis, illico ad perfectionem caritatis pervenies, quæ formidine pœnarum exclusa, omnia nitescere, cuncta dulcescere facit, ut quæ tibi prius arcta videbantur & angusta, dura & aspera, jam spatiosa & ampla, jucunda & suavia experiaris, dicente propheta: *Statuisti in loco spatioso pedes meos; & dilatasti gressus meos subter me; & non sunt infirmata vestigia mea; & viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Jugum enim hujus virtutis suave est, & onus ejus leve. O felix jucunditas, o suavitas gloriosa! quam sola caritas præcipit, soli perfecti experiuntur, gustantes & videntes, quam suavis est Dominus. Væ mihi misero & omnibus similibus, qui harum virtutum non dico perfectionem dilectionis, sed vix initium timoris adhuc arripui. O si quis daret mihi pennas ut columbæ, ut volarem & requiescerem in sancta solitudine, & de catalogo prædictarum arborum, immo virtutum, aliquam particulam mererer invenire. Unum tamen est unde confido, unde sperans præsumo, quia concupivit anima mea desiderare has justificationes, ut quæ desunt mihi per effectum, vel per affectum mihi non desint: unde audeo præsumere, audeo sperare, non de meritis meis, quæ nulla sunt, sed de misericordia Dei, quæ merita supplicum excedit, & diligenti potius quam operanti dona largitur. Tu tibi caute age quisquis es, quia fieri potest, ut bonum, quod facere videris, frustra opereris, ut autem opus tuum ego frustra diligam, fieri non potest.

Cap. XLVIII.

De vita, & doctrina vel virtutibus prioris eremi.

(a) Jam nunc illius subdenda est descriptio, cujus magisterio ac doctrina cuncta, quæ præmissa sunt, possint efficaciter observari, quæ propterea in extremo describuntur, ut tenacius memoriæ commendentur, & dignum est, ut post regularem informetur institutionem, qui regularem observantiam prius discere, postea debet observando docere. Non potest esse magister ordinis, qui non fuit discipulus ordinatæ conversationis. Hic ergo a fratribus in eremo commorantibus & aliquibus de Fonte-bono & plerisque de congregatione convocatis, est eligendus. Eligatur autem de fratribus ipsius loci, si reperiatur idoneus, aut de personis ejusdem congregationis talis assumatur, qui vitam eremiticam, doctrina & experientia docente, didicerit scientia & moribus comprobatus.

a Opusc. XVI cap. 28.

Cap. XLIX.

Qualiter prior debeat præesse.

Electus autem meminerit se non ad dominandum, sed ad ministrandum, ad laborem, non ad suavitatem esse vocatum, ut sit in illis tamquam unus ex illis, nam bonis & modestis exhibere se debet æqualem, immitibus & superbis atque contumacibus se noverit esse prælatum; non enim fecit Dominus, hominem ut præsederet hominibus, sed ut præesset volatilibus cœli, & bestiis terræ & piscibus maris, idest elatis, cupidis, curiosis, in quibus concupiscentia carnis, & oculorum vel vitæ regnat ambitio. Natura quippe æquales genuit omnes, culpa vero alterum alteri præposuit: ubi ergo vitium viderit, ibi exerceat officium præsidendi, arguendo, increpando, in omni patientia & doctrina; (b) ubi vero virtutes agnoverit, ibi gerat obsequium ministrandi, obsecrando, cooperando in omni humilitate & scientia. Illis severitatem & rigorem ostendat, ne dum nimis servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Istis mansuetudinem & hilaritatem exhibeat, & eisdem studeat in Domino conformari, ut in moribus & operibus suis videant quid agendum sit, quidve re-

b Opusc. XV. cap. 31.

relinquendum. Doctrina quidem & vita præsidentium quasi quædam, ut scriptum est, est sculptura in oculis subditorum, ut ibi possint legere, vel contueri formam suæ conversationis. Hinc de magno sacerdote dicitur, quod in veste poderis, quam habebat, totus erat descriptus orbis terrarum, & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta.

Cap. L.

De veste podere.

VEstis poderis est justitia consummata, perfectio sanctitatis, dicente propheta: *Induit me vestimento salutis & indumento justitiæ circumdedit me*. Poderis autem ideo dicitur, ut usque ad pedes, idest ad finem vitæ perducatur: *Esto*, inquit, *fidelis usque ad mortem*, & *dabo tibi coronam vitæ*, & *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. In hac igitur veste orbis terrarum describitur, ut rotunditas virtutum ibi esse doceatur. Orbis est enim revolutio rediens ad idem, & stabilis ordo non manet ubi, nisi qui fini junxerit ortum, stabilem sui fecerit orbem: orbis ergo terræ rectus efficitur, cum finis nostræ vitæ ad principium, idest ad Christum revocatur, ut omnis nostra virtus & operatio ab ipso semper & in ipso cœpta finiatur.

Cap. LI.

De parentum magnalibus.

PArentum vero magnalia, quæ in hac veste sculpta debent apparere, virtutes & opera sunt patrum antiquorum, innocentia videlicet Abel, sanctitas Enoch, longanimitas Noe, sacrificium Melchisedech, fides Abrahæ, sanctimonia Isaac, prudentia Jacob, pudicitia Joseph, mansuetudo Mosis, pœnitentia David, zelus Phinees, constantia Josue, abstinentia Eliæ, sobrietas Elisei; & ut ad noviora veniamus, ibi quoque sculpta sit Johannis austeritas, Petri caritas, Pauli severitas, Andreæ fortitudo, Johannis virginitas, Benedicti sinceritas, Antonii, Macharii, Arsenii, Eulalii ceterorumque Sanctorum gloriosa justitia & temperantia, omnibus præsertim eremitis omnino imitabilis. Hæc itaque Sanctorum mirabilia, hæc magnalia parentum, eremitarum prior non solum scripta per studium boni operis, sed etiam sculpta per expressionem sanctitatis debet discipulis ostendere documentis, intimare disciplinis, moribus informare.

Cap. LII.

De varietate lapidum.

IN quatuor ordinibus lapidum sculpta sunt hæc, ternis lapidibus per singulos ordines deputatis. In primo quidem ordine prima viriditas Jaspidi ponitur per vigorem fidei; aerea species Zaphiri per altitudinem spei, lucerna Calcedonii per lumen caritatis, quæ tamen lucerna pallens dicitur, quia caritas in præsenti tempore a sua perfectione pallescere videtur. In futuro autem non tamquam pallens lucerna, sed quasi splendidissimum solis jubar apparebit. In secundo quoque ordine perspicacitatis viridissimi Smaragdi locatur per speciem contemplationis; candor Sardonix per gloriam virginitatis; terra rubens Sardii, per fructum fervidæ humilitatis. In tertio autem Chrisoliti aurea pulchritudo statuitur, per thesaurum sapientiæ; hebetudo Berilli per pallorem abstinentiæ, omnicolor Topation per generalis justitiæ formam. In quarto demum Chrisopratus fulget auricomis per doctrinam prudentiæ; Hyacinthi aqua sole percussa per lavacrum misericordiæ; cruor Amethisti per imitationem Dominicæ passionis & ardentissimæ patientiæ. In his igitur quatuor ordinibus duodenorum lapidum, per quos universitas virtutum designatur, sculpantur exempla sanctitatis, vita Sanctorum, doctrinaque pietatis.

Cap. LIII.

De severitate vel discretione prioris.

QUi ergo solitariæ vitæ cultoribus præsidet, hæc & similia sibi commissis ostendat anaglypha per exemplum operis, picturas informet per studium honestatis; scripturas quoque insinuet per intentionem mentis. Efficaciora quippe sunt exempla, quam verba, & longe amplius est opere docere, quam sermone. In capitulo cum fratribus sæpe conveniat, & præmissis metaneis suos confiteatur excessus, ut ipse a vitiis fiat emendatus, & aliis emendationis formam ostendat. In incessu, in statu, in habitu, in loquendo & operando, nihil faciat quod cujusquam offendat aspectum, sed quod eremiticam deceat sanctitatem. Severitatem in se ipso, discretionem in aliis observet, ne forte cum aliis prædica-

dicaverit, ipse reprobus efficiatur. Sunt enim, qui dura & aspera suis commissis proponunt & injungunt, digito autem suo nolunt ea movere. Pondus & pondus, mensura & mensura abominatio est apud Dominum. Quæ parabola illos sigillat, qui leviora sibi, graviora subditis imponunt, & gregem suum plus in ambulando faciunt laborare, quam ipse velit ferre.

Cap. LIV.

De reverentia eremi.

PRæterea summam gerat sollicitudinem & providentiam, ut locus eremi quasi, immo revera, caput, ab iis, qui in Fonte-bono, vel per Obedientias ceteraque loca commorantur, ab omnibus debeat honorari; quia ubi arctior est vita, major debet esse reverentia. Ipsi tamen fratres non tumenti animo, sed humili affectu hanc recipiant, non exigant honorificentiam, æstimantes se, non potestate dominantes, sed caritate ferventi reverendos. Susceptiones monachorum, monasteriorum ordinationes, & quæcumque præcipua sunt agenda, eremitarum vel consilio, vel præsentia fiant. Abbates & priores hujus congregationis ad visitationes ipsius loci annuas solito more moneantur. Quod si contempserint, aut neglexerint, de negligentia gravis, de contemptu vero ultio gravissima fiat, ne noxia patientia rigor disciplinæ solvatur. Unde generale capitulum congregationis per singulos annos prædictorum fratrum consilio, præsentiave quorumdam ipsorum congruo loco vel tempore celebretur. Ubi & quæ dissoluta sunt, reformari, & quæ reformata fuerint, competenti censura communique consensu valeant in Domino stabiliri.

EJUSDEM B. RODULPHI CONSTITUTIONES

Editæ anno 1085.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Rodulphus indignus monachus atque sacerdos, & non meis meritis, sed illius gratia, qui me creavit, Camaldulensis eremi dictus prior, cum religiosorum meorum consilio, quorum nomina subter leguntur in hac pagina.

Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebit. Notificare volumus omnibus non solum hanc scripturam legentibus, sed etiam audientibus, qualiter ædificata est venerabilis prædicta eremus Camaldulensis, & ea, quæ a religiosis nostris patribus ibi sunt sancita & optime observata, & ad nos usque perducta, & a nobis licet inferioribus demum Domino cooperante retenta, atque ea nos hic modo cum omnibus fratribus unanimiter sancimus, ne per longam revolutionem temporum, vel per aliquam debilitatem corporum, sive per aliquod ingenium aliqua persona mutare audeat. Notificamus itaque vobis, fratres carissimi, quod prædicta Camaldulensis eremus a sancto patre Romualdo eremita, sancto suggerente Spiritu, precatu reverendissimi Tedaldi Arretini episcopi, ædificata est cum quadam basilica, quam prædictus episcopus in honorem sancti Salvatoris consecravit millesimo vigesimo septimo anno ab ejusdem incarnatione. Ædificatis ergo ibi quinque cellulis, religiosos fratres ordinavit in eis; idest Petrus, & Petrus, Benedictus, & Giso, & Teuzo. Ex his unum, idest domnum Petrum, qui dicebatur Dagninum, prudentem & religiosum virum præposuit aliis quatuor fratribus, & regulam jejunandi atque silendi, & in cellis permanendi eis tribuit.

His itaque peractis quemdam inferiorem locum, qui dicitur Fons-bonus, reperit, ibique unam domum construxit, unum monachum cum tribus conversis ibi ordinavit pro adventantium hospitum receptione, & dulcissona responsione, atque caritativa refectione, & ut eremus semper secretior, atque a seculari strepitu fuisset remota, velut miles loricatus in bello positus, qui contra jacula clypeum præparat; & sicut tabernaculum, quod sago velabatur, & altare propter varias necessitates, tunc præfato Petro, quem priorem constituerat, quamdam ecclesiam in prædicto hospitio Fonte-bono construere præcepit, quam ipse Petrus postea Domino adjuvante de-

vote construxit, & assumpto scripto antistite consecrare eam fecit. Quid multa? ad postremum vero beatus Romualdus admonuit eos omnes diligenter, & osculatus est illos lacrymabiliter, ad Vallemque de Castro profectus est; in qua quoque quoddam monasterium construxit, ibique Domino spiritum reddidit, & nonnulla miracula per eum Christo in hac labente vita detegente, & post ejus obitum, ut illius vita descripta a catholico viro Petro Damiano episcopo atque sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali refert, dignatus est Dominus ostendere, cernentibus non solum in illis, sed etiam multis in aliis locis. Huc autem ad ea, quæ inchoavimus, stylum vertamus. Largitor enim omnium bonorum Dominus tantam humilitatem, patientiam & fortitudinem atque constantiam illis quinque fratribus & conversis concessit, ut per multa terrarum spatia eorum crebresceret fama. Comperta igitur a pluribus eorum opinione, non solum de vicinis, sed etiam de longinquis partibus cœperunt ad illos proficisci multi viri, & eorum mellifluis fruebantur colloquiis. Quidam autem ex eis non solum de infimis, verum etiam de nobilibus viris Spiritu-sancto afflati spretis corde secularibus curis monachicum indumentum a prædicto priore acceperunt, & de suis hæreditatibus præfatam eremum ditaverunt, atque arctam vitam ducere cœperunt. Alii eorum penna divinæ contemplationis ad amorem cœlestis patriæ volantes, mentisque oculum in divino lumine figentes, & de ineffabili dulcedine aliquo modo gustantes, singuli in singulis cellulis seque recludentes, sic usque ad obitum permanserunt cum antiquo hoste pugnantes, divina protegente gratia. Alii per binas quadragesimas silendo, districtioremque vitam ducendo, ceterique per centum continuos dies vel per unum annum cum diversis cogitationibus reluctando in cellulis permanent, fulgentes cum ceteris fratribus Dei caritate & obedientia, atque sanctis virtutibus. Et jugiter venerabilis Romualdi vitam atque doctrinam commemorantes, necnon mores prædictæ eremi, atque usus ferventi amore retinentes, semperque illud evangelistæ Johannis ad memoriam reducentes: Frigidus aut calidus; tepidus autem numquam. Et quod alia scriptura dicit: Venire ad eremum summa perfectio est; non autem in eremo perfecte vivere, summa damnatio est. Non enim ignoramus, frater, quanta damna pateris, si eremita vocaris, & vitam non agis. Nam si velis, aut non ita vocaris, modo pugna, modo resiste, modo triumpha. Ergo non ita est? ita plane est. Quid ergo, dilectissimi fratres, dicemus ad hæc? delectabimur in his? absit; sed his & ceteris pestiferis cogitationibus vigilanti animo resistamus, ut ait Salomon: *Fili, accedens ad servitutem Domini sta in justitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem*; & beatus Jacobus: *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*, & beatus Paulus: *Non sunt*, inquit, *condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, & ideo hujusmodi momentanei terrores non nos conturbent, & fugitivi honores non nos elevent, sed æterna bona operando fugiamus tormenta, & paradisi concupiscamus gaudia. Ad hæc gaudia de Dei visione, de angelica contemplatione cogitemus, & oculum cordis dirigamus, & *manibus*, ut ait propheta, *corda levemus*, & semper ex intimo pectore, corde & ore peccatores & pœnitentes nos esse profiteamur; ne de aliqua re, quamvis in nobis pia videatur, in elationem extollamur; sed nostra & aliorum defleamus peccata, quoniam propterea abjecimus mundum, & ad hunc devenimus locum. Hæc & his similia nonnulli seculares homines nostris temporibus similiter cogitantes, post tergum mundo projecto ad hanc eremum velut ad tutissimum portum confugerunt, & abrenuntiantes propriis voluntatibus monasticum habitum acceperunt, atque ad pinnam eremiticæ vitæ scandere cœperunt: & ut dici solet, prius ad cacumen volantes, quam arboris radicem quærentes, idcirco quidam ex his cito ad ima repedabant, & omnino deficiebant cum mœrore & tristitia. Quamobrem in unum convenimus, & multis inter nos ventilatis sermonibus, tandem quoddam consilium, quod ad hanc conversationem convenientibus fratribus profuturum fore prævidimus, reperimus, idest ut suprascripto hospitio, qui dicitur Fons-bonus, regularem ordinem & districtionem, ut beatus Benedictus præcipit, a fratribus ex istis instrumentis doctis, optime tenere faceremus, ut ii, qui de sæculo confugissent ad nos, illuc vita & ordine, atque regularibus disciplinis instructi a magistris fuissent, jejuniis ab eis & ceteris omnibus observatis, sicut mos ibi est, plusquam in monasteriis; & sic instructi postea ad prædictam eremum cum licentia prioris venissent, & eremi vitam fecissent. Et si quando illi, ut assolet, sive alii fratres in magnam debilitatem vel infirmitatem ad eremum decidissent, ad

ad prædictum ejus hospitium Fontem-bonum deducti fuissent, & corporum eis necessaria diligenti cura exhibita fuissent. Cum autem de ægritudine convaluissent, ad eremum redissent. Si autem in hospitio obiissent, eorum corpora ad eremum reducta fuissent, ut ubi serventius servierunt Domino, ibi humata fuissent cum gaudio, absque reclusis fratribus, qui in cellulis sanis & infirmis permanentibus, omnia corporum necessarias ibi, ut Christo, fuissent ministrata. Cum hæc coram omnibus a fratribus, qui hæc omnia cogitaverant in corde, palam prolata fuissent, omnibus placuit ita esse, & sic a nobis omnibus confirmatum est. Tunc animadvertentibus, ne omnium bonorum æmulator, qui dicitur serpens antiquus, qui ovile Domini nunquam cessat persequi, aliquam dissensionis occasionem hac de causa assumpsisset, placuit nobis per hanc scripturam vestræ sanctitati notificare, qualiter a tempore, quo ædificata est prædicta eremus, de prælibato suo hospitio dominatrix & rectrix a nostris antecessoribus constituta est, & quomodo omnes fratres monachi & laici de eodem hospitio, qui sunt, & fuerunt, & venturi sunt, dominationi & imperio obediunt, & eos semper obedire oportet omnibus fratribus in hac prædicta eremo manentibus; sic & nos omnes modo confirmamus una voluntate & desiderio in nomine Dei omnipotentis & omnium Sanctorum constituimus, & inviolabiliter confirmamus, ut hæc venerabilis & egregia Camaldulensis eremus semper Spiritu-sancto protegente sit firma & stabilis, atque libera, sicut apostolica & regalia, quæ habemus, testantur & præcipiunt, atque origo & caput sicut fuit, & est, nec non dominatrix & rectrix sit de prænotato suo hospitio, quod est Fons-bonus; atque omnes monachi & laici, qui ibi habitant, vel in antea venturi, corde & corpore sint subjecti & servientes & obedientes in omnibus cunctis fratribus hac in eremo permanentibus, ut isti fratres, &, ut dicamus, patres quieti & pacifici sine aliqua murmuratione permaneant, & usum eremi ac consuetudinem retinere viriliter valeant, sicut nunc facimus Dei gratia. Unde cavendum est omnibus modis, ne per occasionem fratrum, ordinem & districtionem prænotato hospitio tenentium ac permanentium, aut per laicum sive per monachum ibi commorantem aliquod incommodum, vel indigentiam aliquam, quod absit, de hoc, quod habere soliti sunt, de victu scilicet & vestitu, vel de aliis rebus hujus eremi fratres patiantur vel molestentur, aut eorum usus & consuetudines minuantur, quod absit. Et ut pius istius eremi usus & mos indeclinabiliter Christo adjuvante, semper permaneat, de multis nunc reminiscamur pauca. Mos nempe est & usus fratribus hac in eremo degentibus, binis quadragesimis per omne tempus in cellulis firmiter permanere omnes fratres, nisi duo vel quatuor, qui prope ecclesiam permanent, qui in ea officium celebrant, & cito revertuntur in cellulis suis; & a caseo, & ovo omnino se abstinere, etiamque pisces nullatenus edere, vel vinum bibere, nisi in sollemnitate sancti Andreæ, & sancti Benedicti, & sanctæ Mariæ, & Dominica in Palmis, si aliqua ex parte Dominus transmiserit, & in cœna Domini; nam in cœna Domini, qui exituri sunt de cellulis, mos est exire, & una ad ecclesiam convenire, & matutinos & horas diei ibi celebrare, & tot pauperum pedes abluere, quot monachi sunt, & unicuique pauperi unum denarium cum uno pane & vino unusquisque frater tribuere. Demum illi, qui non foras exeunt, eodem modo in cellulis suis pauperibus faciunt. Insuper autem mos est priori tot pauperibus tribuendo ea, quæ modo diximus, pedes abluere, quot de hac eremo fratres sunt defuncti, a die quo ipse præfuit fratribus, pro eorum salute scilicet. Similiter quoque conversi & monachi de prænotato hospitio faciunt idem unusquisque, similiter ipse prior pro defunctis ex hoc episcopio episcopis, tribus pauperibus pedes lavat per unumquemque episcopum, dando eis ea, quæ ceteris dedit. Sed unde digressimus paulisper, revertamur. In his nempe prædictis quadragesimis quinque dies in pane & aqua & sale mos est jejunare; die Dominica & feria quinta, cui placet, pulmentum & aquam tribuere. Quoniam sunt quidam, qui in istis duobus diebus utuntur tantummodo pane & aqua; & sunt quidam, qui in quadragesima Pentecostes similiter jejunant; & per omnium annorum curriculum extra binas quadragesimas prædictas per unamquamque hebdomadam absque octava Natalis Domini, ejusque Resurrectionis, Pentecostes, secunda & quarta, sexta feria & sabbato firmiter in cellulis permanere omnes, & in pane & aqua & sale jejunare, ac silentium tenere, si vero, ut assolet, festivitas, de qua duodecim lectiones agere oportet, in his feriis venerit, more solito sic, & sic facere. Si fuerit,

fuerit in ſecunda feria, perducere eam in tertiam feriam; ſi venerit in quarta feria, perducere in quintam; & ſi fuerit in ſexta feria, deducere in ſabbato, & pulmento uti & vino. Hoc vero factum eſt propter jejunium celebrandum in ſecunda & quarta & ſexta feria; aliter ſi autem in feria quarta venerit, eadem die celebrare, & pulmentum & vinum edere, & ſecunda feria & tertia in pane & aqua jejunare ante feſtivitatem; & ſi in ſexta feria venerit, eodem die celebrare, & quarta feria & quinta ante feſtivitatem in pane & aqua jejunare, & ſi una poſt unam venerit, celebrare ſicut veniunt. Has autem feſtivitates, ideſt ſancti Salvatoris, quatuor ejuſdem genitricis, ſancti Martini, omnium apoſtolorum, inventionis & exaltationis ſanctæ Crucis, ſancti Johannis-baptiſtæ ſanctique Romualdi, ſancti Laurentii, ſancti Michaelis, omniumque Sanctorum, & eas, quæ in utraſque quadrageſimas veniunt & per octavas natalis Domini, ejuſque Reſurrectionis & Pentecoſtes numquam mutare, & aliam ullam octavam celebrare, niſi has tres, quas ſupra hic modo diximus. In iſtis denique tribus octavis & extra quadrageſimas per omnes dominicos dies, necnon in duodecim lectionibus, abſque incluſis, omnes ad eccleſiam ad matutinos & per horas convenire, & pſalmos valde & omnino atque modis omnibus diſtincte & rare, & cum magna cautela canere, & nullo modo cito, ſed nimis retinendo, & meditando cum punctis & diſtantiis, ut ait propheta: *Pſallite ſapienter*, & iterum: *Pſallam ſpiritu, pſallam & mente*. Cantare quoque altiſona voce aliquem cantum vel in ſibilo, nullatenus cuiquam permittitur, ſed firmiter interdicitur, ſed plane & mediocriter. Hac enim de cauſa quoſdam fratres contentioſe agentes projecerunt hinc noſtri majores & nos. Magis enim expedit nobis lugere, quam canere. Proceſſionem quoque neque in dominicis diebus, neque per aliquas feſtivitates mos eſt facere, neque cereum benedicere. Mos eſt enim hac in eremo, in natali Domini, Reſurrectione, Aſcenſione, Pentecoſte & per tres dies harum ſollemnitatum, ſed ſolum die Aſcenſionis & per omnes dies Dominicos extra quadrageſimas, in ſollemnitate omnium Sanctorum, ſancti Martini, ſanctæ Mariæ, Epiphaniæ Domini, Purificatione ejuſdem genitricis, Johannis-baptiſtæ, apoſtolorum Petri & Pauli, Aſſumptionis Mariæ virginis, ſancti Michaelis, ſancti Salvatoris ad capitulum convenire. Et in his ſollemnitatibus tertia & quinta feria extra quadrageſimas, niſi quando de iſtis feriis, ut ſupra retulimus, feſtivitates mutantur, & quandocumque duodecim lectiones celebrantur, ad menſam edere, & poſt omnem comeſtionem, atque per incompetentes horas ſilentio ſtudere, & mox ad cellulam reverti, niſi per obedientiam ſteterint. Et per dies, in quibus licitum eſt de cellulis exire, & duas vices reficere, ſcilicet feriales, uſque ad horam tertiam in cellulis permanere, ad Tertiam ad eccleſiam ire, Miſſamque audire, poſt prandium ad cellam reverti. Quando ad Nonam communiter reficiunt, uſque ad Nonam in cellulis permanere, ad Nonam exire & Miſſam audire, deinde manducare, niſi exiretur per obedientiam. (*a*) Nihil dare vel recipere, neque cum ſecularibus loqui ſine licentia prioris, & multa alia, quæ longum eſt referre. Hac denique in eremo duo pulmenta mos eſt coquere, ideſt olus & quodcumque legumen, (*b*) piſces etiam & alia, quæ edenti monacho ſunt licita. Sagimen vero numquam mos eſt hic edere, niſi forte aliquis ſecularium nobis ex ipſo conditum tranſmiſerit, ſed omnia noſtra pulmenta vel alia per omne tempus de oleo ſint condita. Panes namque & cetera comedendi & victui neceſſaria ad prædictum hoſpitium ſuum, quod eſt Fontem-bonum, vigilanti cura ſunt præparata & huc devecta. (*c*) Unuſquiſque frater lances in cella habet, cum quibus penſat tres panes, quos accipit omni die Dominico & quinta feria, & alia multa his fratribus neceſſaria, quæ omnia prudenti lectori eremitica Regula ſatis demonſtrat. Sed præcavendum eſt, ne per hoc, quod illa dicit de die ſabbati manducare ad menſam, quia numquam mos hic fuit, vel cetera, quæ hujus eremi uſibus videntur contraria, eaque breviter deſcripſimus in hac pagina, prætermittantur; quoniam, ut ipſi videtis, præcipua ſunt hæc & arctiora, atque in hac eremo primitus a ſanctis viris fuerunt obſervata, quam ipſa Regula fuiſſet deſcripta, ſed reliqua omnia, quæ hujus eremi uſibus convenientia & ſimilia; & qualiter docet nos in cellula & de foris permanere, necnon intus reſiſtere & virtutes aquirere & diſcretionem in omnibus ſemper retinere, debemus jugiter Chriſto adjuvante obſervare, & numquam ſancti Romualdi & ceterorum noſtrorum anteceſſorum pium uſum derelinquere. (*d*) Dominum, qui præſens eſt, invocamus teſtem, quod per nullam vanam gloriam, ſed per veſtram, carif-

a *Opuſc.* XV. *cap.* XI.

b *Opuſc.* XIV. *pag.* 161.

c *Opuſc.* XV. *cap.* VIII.

b *Opuſc.* XV. *cap.* VIII.

cariſſimi ædificationem recordamur hæc; nam quis digne narrare valet ea, quæ hujus eremi fratres per omne tempus ſolent agere, bonorum ſcilicet operum? ideſt ictus ſcoparum, diſcurrentes lacrymas, innumerabiles metaneas, cordium ſuſpiria, continuam pſalmodiam, orationum inſtantiam, ſacras vigilias, & cum diabolo, quæ faciunt, certamina, extra alias virtutes, quæ ſoli Deo cognitæ ſunt? Quapropter vobis omnibus cavendum eſt, ne tam religioſus uſus ab aliquo corrumpatur, vel ab his, qui in prædicto hoſpitio commorantur, ſubtrahendo ea, quæ vobis neceſſaria ſunt. Unde firmiter præcipimus, & iterum conſtituimus, ut omnes fratres monachi & laici, qui ad prænominatum hoſpitium habitant, veſtra juſſa obſervent, & quæ vobis ſunt neceſſaria, ut mos eſt, adimpleant, & numquam prout potuerint, hujus eremi uſus minuant, ut vos tam ſanctum uſum obſervetis, & illi regularem vitam & diſciplinam ibi ...... non prætermittant. Sed tamen frater quicumque es, qui propter hoc ibi permanes, ſapienter cavere te oportet, ne tantum in ordine tibi altiſono cantu ſive aliis delectabilibus cauſis delecteris, ut eremiticam, per quam veniſti, oblivíſcaris vitam, paullatim contemnendo eremum, niſi cauſa obedientiæ, ea ſcilicet, quæ a priore tibi juſſa fuerit. Et hujus eremi uſus & mos, & hæc ſancta eremus ſic ſancto Spiritu protegente permaneant.

Nos privilegia apoſtolica & præcepta regalia & epiſcopalia, quæ habemus, ſequentes, ex parte omnipotentis Dei Salvatoris mundi, in cujus honore & nomine conſecrata eſt, & ex parte ejus genitricis virginis Mariæ, ſanctique Michaelis, & ſancti Romualdi & ſancti Benedicti, & Petri & Pauli & omnium Sanctorum angelorum, archangelorum, apoſtolorum, martyrum & confeſſorum, virginum, & noſtra, interdicimus, ut hic ſanctus locus & hæc venerabilis eremus unquam in cœnobitarum retorqueatur monaſterium; & ſimiliter interdicimus omnibus fratribus, qui hic Deo ſervierint, ut nullo unquam in tempore hujus eremi uſus & mores ac vitam ad aliam, niſi ad eremiticam & ſolitariam, ſicuti modo eſt, eis liceat transferre vitam, & huic eremo nullum abbatem præponere, ſed priorem.

Quoniam, ut retulimus, epiſcopalia privilegia eodem modo interdicunt, ſimiliter interdicimus, ut ad prædictum hujus eremi hoſpitium nullus abbas ordinetur vel prior, neque in cœnobitarum tranſmutetur monaſterium, ſed ſemper hujus eremi ſit hoſpitium, & ut ſcriptura lapidis illius altaris teſtatur, ad uſum fiat, neque ullo unquam tempore de ſub jugo & ſervitio & poteſtate hujus eremi aliquis auferat, ſed ille, qui de hac eremo eſt prior, idem ipſe fiat de prædicto hoſpitio, qui dicitur Fons-bonus, & dominus de omnibus monaſteriis, cellulis, eremis & canonicorum eccleſiis, atque de omnibus obedientiis, & rebus ſpiritualibus & ſecularibus, quæ ſub hac eremo nunc eſſe videntur, & quæ in antea acquiſierit, habuerit atque ei data fuerint. Et ipſe prior per illas obedientias & loca abbates & priores, aut fratres, prout neceſſe fuerit, conſtituat & ordinet, ſalvo ſemper ſuo dominatu & præcepto. Quod ſi quis hujus eremi prior, vel aliqua perſona diabolico ſpiritu repletus, & homicida & ſacrilegus hanc tam glorioſam eremum in cœnobitarum retorquere præſumpſerit monaſterium, & tam ſanctum uſum, & vitam atque morem de hoc loco deſtruxerit, aut hic ſive in prædicto abbatem ordinaverit hoſpitio, vel priorem, aut ſanctiſſimam eremum deſtruere præſumpſerit, ex parte omnipotentis Dei & beatæ Mariæ virginis, ſanctique Michaelis, omnium cœleſtium virtutum, angelorum, archangelorum, virtutum, principatuum, poteſtatum, dominationum, thronorum, cherubim atque ſeraphim, patriarcharum & prophetarum, apoſtolorum, martyrum, confeſſorum, virginum & omnium Dei ſervorum excommunicamus, maledicimus, atque cum multis candelis accenſis eum anathematizamus in ſecula ſeculorum amen. Hæc ſunt eorum nomina, cum quorum hæc fecimus conſilio.

Rainerius Florentinus epiſcopus, Mauritius epiſcopus, domnus Martinus, domnus Martinus, domnus Johannes, domnus Johannes, & multorum aliorum monachorum, & laicorum.

SERIES

SERIES
DIPLOMATUM ALIORUMQUE MONUMENTORUM

In Appendice hujus voluminis existentium ordine chronologico digesta.

1083.

1084. xxvi. januar. Johannes episcopus Foro-liviensis concedit decimas & jura plebis S. Reparatæ Johanni abbati S. Mariæ Foris-portam Faventiæ. n. xxv. 40.

1084. v. nonas mart. Johannes Widonis donat Rodulpho priori eremi Camaldulensis terras, ubi ecclesia & hospitium SS. Martini & Frigdiani Pisarum sunt constructa. n. xxvi. 41.

1084. v. nonas martii. Idem facit de juribus suis Leo presbyter. n. xxvii. 43.

1084. vii. kl. aprilis. Constantinus episcopus Arretinus tradit terras in emphyteusim præfato priori Rodulpho. n. xxviii. 44.

1084. vii. maji. Guido filius Guinicti donat terras Johanni abbati S. Benedicti in Bifurco. n. xxix. 45.

1084. augusto. Constantinus episcopus Arretinus tradit Ugoni abbati S. Mariæ de Pratalia terras in Alfajto. n. xxx. 47.

1084. augusto. Donatio terrarum facta Murico abbati S. Victoris de Clusis. n. xxxi. 48.

1084. xxv. novemb. Albertus & Ligarda jugales donant Johanni abb. S. Benedicti in Bifurco ecclesiam S. Cassiani & latifundia. n. xxxii. 49.

1084. novemb. Rodulphus filius Ugani cedit Rodulpho priori Camaldulensi omnes terras suas, quas habebat ab ecclesia Arretina jure emphyteutico. n. xxxiii. 52.

1084. Constantinus episcopus Arretinus copiam facit eidem Rodulpho, aliisque donandi bona sua eremo Camaldulensi. n. xxxiv. 53.

1085. januario. Promissio de terris facta Guinizoni abbati S. Petri minoris de Arretio. n. xxxv. 54.

1085. januario. Idem Guinizo abbas recipit Guidonem ad ordinem monasticum. n. xxxvi. *ibid.*

1085. februario. Gotidius comes & Cuniza ejus uxor donant Tagido comiti suam portionem castrorum Luci & Cantameruli cum ecclesiis, &c. n. xxxvii. 55.

1085. februario. Iidem vendunt præfato Tagido suum jus in castra & in ecclesias Montis-rainaldi, Gragnani, Ricavi, Camprati &c. n. xxxviii. 57.

1085. iiii. id martii. Willa uxor Bruni donat monasterio S. Michaelis in Burgo Pisarum terras in villa Mezzanæ. n. xxxix. 59.

1085. martio. Ardingus filius Bernardi confirmat oblationem factam de silva Venerando abbati S. Petri in Argiano a Gualfredo Rainerii. n. xl. 60.

1085. vii. aprilis. Donatio facta monasterio Vangaticiensi. n. xli. 61.

1085. vi. id. aprilis. Comites Rainerius Gotidii, Ugo & Zabulina vendunt sua jura in castra Luci, Rivi-frigidi, Rivi-cornoclarii, &c. comiti Tagido Pagani. n. xlii. 62.

1085. xv. maji. Johannes abbas S. Adalberti in Pereo concedit ad emphyteusim terras Arardo filio Alberti. n. xliii. 64.

1085. majo. Donatio terrarum in Rosinga facta Murico abbati S. Victoris de Clusis. n. xliv. 66.

1085. majo. Eriprandus donat Petro abb. Vangaticiensi domum in urbe Verona prope ecclesiam S. Salvatoris in Curte-regia. n. xlv. 68.

1085. majo. Donatio terrarum facta Murico abbati S. Victoris de Clusis a Murico & Bonezo & eorum conjugibus. n. xlvi. 69.

1085. junio. Breve recordationis Rodulphi prioris Camaldulensis de institutione parthenonis S. Petri de Luco. n. xlvii. 70.

1085. julio. Petrus abbas S. Petri de Muscheto commutat cum præfato Rodulpho ecclesiam & terras S. Petri de Luco cum aliis terris. n. xlviii. 71.

1085. vi. nonas julii. Traditio monasterii S. Petri de Funtiano cum aliis ecclesiis facta eremo Camaldulensi. n. xlix. 73.

1085. xi. kl. augusti. Ugo filius Gherardi offert terras monasterio S. Michaelis in Burgo Pisarum. n. l. 74.

1085. augusto. Bernardus comes filius Rainerii comitis confirmat monasterio S. Petri de Argnano silvam in comitatu Clusino. n. li. 75.

1085. septembri. Donatio monasterio San-Victoriano. n. lii. 77.

1085. octobri. Alia eidem monasterio facta a Petro presbytero. n. liii. *ibid.*

1085. octobri. Tertia pro eodem cœnobio. n. liv. 78.

1086. februario. Donatio ecclesiæ S. Quirici de Rosis facta eremo Camaldulensi. n. lv. 79.

1086. v. maji. Adelbertus episcopus Comaclensis renuntiat Johanni abbati S. Adal-

S. Adalberti decimas & primitias de nonnullis ecclesiis. n. LVI. 80.

1086. majo. Donatio facta Murico abbati S. Victoris de Clusis. n. LVII. 81.

1086. julio. Promissio inter Petrum abbatem Muscheti & Rodulphum priorem Camaldulensem. n. LVIII. 82.

1086. julio. Idem Rodulphus concedit Alberto plebano Montis-fenarii terras pro hospitali ædificando. n. LIX. 84.

1086. id. julii. Wido comes & Hermellina ejus uxor sub protectione suscipiunt ecclesiam S. Petri prope castrum Luci. n. LX. 85.

1086. augusto. Rodulphus prior Camaldulensis assignat bona & cedit eamdem ecclesiam S. Petri sanctimonialibus Camaldulensibus abs se institutis. n. LXI. 86.

1086. XV. augusti. Altera charta ejusdem Rodulphi. n. LXII. 88.

1086. novembri. Adelbertus episcopus Comaclensis iterum renuntiat Johanni abbati S. Adalberti in Pereo jus suum super decimis & primitiis ejusdem monasterii. n. LXIII. 91.

1089. II. id. julii. Literæ Urbani papæ II. ad Vallis-umbrosæ & Camalduli priores, ne a communione Pisani episcopi se alienent. n. LXIV. 92.

1089. VII. kl. februarii. Martinus prior Camaldulensis dat ad emphyteusim filiis Alberici terras Rodulphi quondam Ungani. n. LXV. 94.

1089. martio. Fundatio monasterii S. Mariæ de Morrona facta ab Ugone comite. n. LXVI. 96.

1089. XIII. kl. septembris. Leo & Berta conjuges donant monasterio S. Michaelis in burgo Pisarum terras in loco vulgo *la Rivolta*. n. LXVII. 97.

1090. II. id. februarii. Cuniza abbatissa S. Petri de Luco renuntiat hæredibus Gotidii jura albegariarum & dationum. n. LXVIII. 99.

1090. februario. Charta pro monasterio de Clusis. n. LXIX. 100.

1090. junio. Alia pro eodem monasterio. n. LXX. *ibid.*

1090. augusto. Feralmus filius Corbitionis donat eremo Camaldulensi suum jus in ecclesiam SS. Nicolai & Prosperi de Soci. n. LXXI. 101.

1091. XIX. februarii. Ugo & Atolfus vendunt terras Rembaldo abbati S. Mariæ in Insula territorii Galeatæ. n. LXXII. 102.

1091. XXVIII. maji. Albericus comes de Donigalia donat Gerardo abbati SS. Laurentii & Hippolyti de Faventia latifundia in ejus curte de Donigalia. n. LXXIII. 103.

1091. novembri. Moricus episcopus & abbas S. Victoris de Clusis dat in emphyteusim terras Alvino filio Cuzii. n. LXXIV. 105.

1092. XV. martii. Gerardus & Ugo germani vendunt Gerardo abbati SS. Laurentii & Hippolyti Faventiæ suum jus in ecclesiam S. Laurentii de Scarzana. n. LXXV. 106.

1092. aprili. Uguccio comes filius Bulgari dat ad libellum eremo Camaldulensi castellare de Campi. n. LXXVI. 108.

1092. decembri. Constantinus episcopus Arretinus donat terras eidem eremo in plebe de Partina. n. LXXVII. 109.

1093. majo. Martinus prior Camaldulensis & Walfredus comes invicem terras commutant. n. LXXVIII. 111.

1094. julio. Rainerius episcopus Florentinus confirmat jura monasterii S. Petri de Luco. n. LXXIX. 112.

1095. januario. Tedaldus & Rainerius fratres donant terras Eugubino abbati S. Viriani de Ajole. n. LXXX. 113.

1095. kl. februarii. Bulla Urbani papæ II. pro monasterio S. Petri de Puteolis. n. LXXXI. 114.

1095. kl. aprilis. Ugo filius Petri Alberti donat terras monasterio S. Petris-minoris prope Arretium. n. LXXXII. 116.

1095. aprili. Benno comes filius Frederici comitis donat parthenoni S. Petri de Lusciano vel de Luco suam portionem castrorum Luci, Cantameruli, Rivifrigidi *&c.* n. LXXXIII. 117.

1095. kl. junii. Permutatio terrarum facta inter Petrum abbatem S. Michaelis in Burgo Pisarum, & inter Bellum filium Donati. n. LXXXIV. 118.

1095. julio. Medietas ecclesiæ S. Columbæ data Gebizoni episcopo & priori S. Johannis inter ambas Paras. n. LXXXV. 121.

1096. februario. Gualfredus filius Renzi offert Rainerio abbati S. Petri in Campo terras & silvam. n. LXXXVI. 122.

1096. vi. octobris. Peregrinus abbas SS. Andreæ & Gregorii de Urbe locat terras Johanni fideli ejusdem monasterii. n. LXXXVII. 124.
1096. prid. kl. novemb. Wido filius Widi recipit ad emphyteusim terras ab Augustino priore S. Frigdiani Pisarum. n. LXXXVIII. 125.
1097. XIII. aprilis. Albertus dictus Azo & Ugo ejus filius marchiones Estenses donant Pulveramo abbati Vangaticiensi quinquaginta massaritias. n. LXXXIX. 128.
1097. XIII. maji. Tebertus filius Divizonis donat terras Gebizoni episcopo & priori S. Johannis inter ambas Paras. n. XC. 131.
1097. v. kl. julii. Conradus & Bona jugales offerunt terras Petro abbati S. Michaelis in Burgo Pisarum. n. XCI. 133.
1097. augusto. Acto & Otta conjuges tradunt Murico abbati S. Victoris de Clusis terras. n. XCII. 135.
1097. augusto. Promissio ejusdem Murici abbatis S. Victoris. n. XCIII. *ibid.*
1097. Edictum Ugonis & Lucterii comitum pro monasterio Morronensi. n. XCIV. 136.
1097. septembri. Aliud eorumdem pro monasterio Berardingorum. n. XCV. 137.
1098. januario. Gocius comes & Sophia ejus uxor vendunt bona Morico abbati S. Victoris de Clusis. n. XCVI. 138.
1098. VII. id. junii. Gerardus filius Gualterii vendit Willelmo priori S. Petri de Puteolis Lucensis diœcesis omnia sua bona. n. XCVII. 139.
1098. junio. Wido comes filius Widonis renuntiat jus in villam de Mojona Henrico præposito ecclesiæ Arretinæ. n. XCVIII. 140.
1098. augusto. Manfridus de Bicco confirmat Rainerio abbati S. Victoris de Clusis terras in fundo Murro. n. XCIX. 141.
1099. prid. kl. junii. Hondo presbyter offert terras scholæ sacerdotum S. Salvatoris de plebe Vici-casalis. n. C. 142.
1099. IIII. id. junii. Testamentum Bernardi filii Gerardi in favorem monasteriorum & ecclesiarum Pisani territorii. n. CI. 144.
1099. x. kl. julii. Ventura filius Gualandi & Guinizo filius Adelmi offerunt bona ecclesiæ S. Mariæ de Toma in territorio Senensi. n. CII. 47.
1099. VIII. augusti. Sighizo offert Mathildæ abbatissæ S. Christinæ de Septem-fontibus terras Ermingardæ olim uxoris suæ. n. CIII. 148.
1099. augusto. Albertus comes Guidonis filius concedit Martino priori Campi-amabilis ecclesias S. Mariæ & S. Michaelis de Poplena, S. Mariæ de Petra-ficta, S. Ægidii de Gaviferre, & S. Nicolai de Lacu. n. CIV. 149.
1099. v. id. septembris. Gebizo episcopus Fesulanus confirmat eamdem donationem. n. CV. 151.
1099. VIII. kl. octobris. Beatrix filia Ugonis comitis donat terras Gerardo priori, clericis & monialibus S. Christinæ Septem-fontium. n. CVI. 152.
1099. novembri. Ildebrandus cum conjuge sua Orfrisca offert eremo Campi-amabilis suam portionem juris in ecclesiam S. Mariæ de Casaliclo. n. CVIII. 153.
1100. prid. kl. junii. Pulveramus abbas Vangaticiæ dat ad emphyteusim terras in urbe Verona Peregrino Teutonico. n. CVIII. 155.
1100. prid. kl. augusti. Fulco marchio offert ecclesiæ S. Salvatoris prope villam Maraticam plures terras. n. CIX. 156.
1100. circ. Gemma comitissa renuntiat usum suorum majorum in ecclesiam S. Floræ de Noceto. n. CX. 158.
1101. xv. maji. Wido comes filius Widonis comitis confirmat bona & jura parthenonis S. Petri de Luco. n. CXI. *ibid.*
1101. septembri. Divezzo de Offo ejusque filius Johannes donant Rainerio abbati monasterii S. Victoris de Clusis terras in comitatu Camerinense. n. CXII. 159.
1101. octobri. Zabulina filia comitis Landolfi tradit parthenoni S. Petri de Luco jura & bona sua. n. CXIII. 161.
1101. novembri. Rodulphus prior S. Petri Montis-liscarii concedit eamdem ecclesiam Rainerio abbati S. Petri de Rota. n. CXIV. 163.
1101. decembri. Paganus presbyter & Gualfredus ejus nepos donant abbatiæ Vallis-castri ecclesiam S. Mariæ de Verzajo urbis Perusinæ. n. CXV. 164.
1102. martio. Monachi de Crucique com-

commutant terras cum eremo Camaldulensi in castro de Celone pro hospitali S. Savini de Clio. n. CXVI. 165.

1102. martio. Donatus filius Lamberti comitis & ejus uxor Parenza vendunt monasterio de Luco suam portionem castrorum & ecclesiarum. n. CXVII. 167.

1102. octobri. Venditio altera facta eidem monasterio a Bernardo & Theuderico. n. CXVIII. 168.

1102. VII. id. decembris. Traditio monasterii S. Cassiani de Carisio Martino priori Camaldulensi ad reformandum. n. CXIX. 170.

1103. junio. Alia abbatiæ Triviensis eidem Martino Camaldulensi priori. n. CXX. 172.

1103. prid. nonas julii. Petrus Vicecomes filius Siceri offert terras monasterio S. Michaelis in Burgo Pisarum pro hospitali de Rivolta. n. CXXI. 175.

1104. februario. Rainerius comes & ejus uxor Gasdia offerunt parthenoni S. Petri de Luco suum jus in ecclesias, castra *&c.* n. CXXII. 176.

1104. pridie kl. aprilis. Petrus comes renuntiat Martino priori Camaldulensi jus suum in abbatiam Triviensem. n. CXXIII. 178.

1104. XXIII. aprilis. Leo abbas S. Adalberti in Pereo tradit duas uncias principales terræ Imizæ abbatissæ S. Georgii in Aula urbis Ravennæ. n. CXXIV. 180.

1104. majo. Charta donationis terrarum, quam fecerunt Petro abbati S. Victoris de Clusis Paganus Actonis & Gisla ejus uxor. n. CXXV. 181.

1104. septembri. Bernardinus filius Sidoniæ testamento relinquit, ut ex bonis suis erigatur & dotetur monasterium juxta ecclesiam de Popano sub jure eremi Camaldulensis. n. CXXVI. 182.

1104. Rainerius marchio & Trota uxor ejus renuntiant Martino priori Camaldulensi quicquid juris habebant in bona ejusdem Bernardini. n. CXXVII. 185.

1105. januario. Altera charta securitatis ejusdem Rainerii marchionis pro dictis bonis. n. CXXVIII. 186.

1105. Vivo & Acto donant terras Petro abbati S. Victoris de Clusis. n. CXXIX. 187.

1105. januario. Idem Petrus abbas cum suis consortibus cedit Bucconi comiti castrum Petræ-fictæ. n. CXXX. 188.

1105. januario. Bucco comes prædictus promittit eidem abbati se damnum non illaturum in idem castrum Petræ-fictæ. n. CXXXI. 189.

1105. X. kl. aprilis. Bulla Paschalis II. papæ Martino priori Camaldulensi, qua monasteria subjecta eremo Camaldulensi in protectionem suscipit. n. CXXXII. 191.

1105. majo. Renuntiatio ecclesiarum, castrorum & terrarum olim Bernardini filii Sidoniæ facta eidem Martino priori & monasterio Anglariensi. n. CXXXIII. 194.

1105. octobri. Placitum Mathildæ ducissæ pro bonis parthenonis S. Petri de Luco. n. CXXXIV. 196.

1105. octobri. Comes Gherardus filius Suavizzi cedit possessionem terrarum & castrorum prædicto monasterio Luci coram Mathilda ducissa. n. CXXXV. 197.

1105. VI. id. julii. Placitum Mathildæ ducissæ prædictæ pro bonis monasterii de Puteolis diœcesis Lucensis. n. CXXXVI. 198.

1105. circa. Donatio terrarum Petro abbati S. Victoris de Clusis. n. CXXXVII. 199.

1106. III. id. octobris. Gregorius episcopus Arretinus confirmat eremo Camaldulensi bona olim Bernardini filii Sidoniæ. n. CXXXVIII. 200.

1107. XVI. januarii. Donationes bonorum factæ Pulveramo abbati Vangaticiensi. n. CXXXIX. 202.

1107. XXIII. maji. Guido Guerra comes cum Imilia uxore restituit Henrico præposito S. Donati de Arretio ecclesiam & castrum de Mojona. n. CXL. 203.

1107. V. nonas octobris. Bulla Paschalis papæ II. pro parthenone S. Petri de Luco. n. CXLI. 204.

1107. XIIII. octobris. Henricus dux filius Guelfonis ducis donat terras ecclesiæ S. Mariæ ad Carceres. n. CXLII. 206.

1107. XVI. kl. januarii. Petrus clericus donat Pulveramo abbati Vangaticiensi terras in loco Carpi. n. CXLIII. 207.

1108. majo. Castrum & curtem Partinæ offerunt eremo Camaldulensi Ormannus & Guido germani. n. CXLIV. 208.

1108. VIII. id. septembris. Charta emphyteusis, quam fecit Johannes abbas S. Michaelis Pisarum Bono & Gherardo fratribus. n. CXLV. 209.

1109. IIII. id. januarii. Sicherius & Mingarda conjuges vendunt terras in loco Petra-ficta eidem Johanni abbati. n. CXLVI. 211.

1109. Kl. februarii. Ugo comes filius Uguccionis comitis donat eremo Camaldulensi monasterium S. Mariæ de Morrona. n. CXLVII. 213.

1109. martio. Guido & Gualfredus una cum suis fratribus & aliis consortibus donant eidem eremo castrum Mucchii. n. CXLVIII. 214

1109. VI. kl. aprilis. Vitina vendit terras eidem eremo Camaldulensi. n. CXLIX. 216.

1109. VIII. id. aprilis. Ugo comes vendit Gerardo abbati Morronæ castrum Vivarii & curtem Aquisianæ. n. CL. 218.

1109. V. Kl. octobris. Donatio terrarum facta fratribus & sororibus S. Christinæ de Septem-fontibus a Mainfredo, Ubaldo & Guidone germanis. n. CLI. 221.

1109. novembri. Paganus filius Athonis cum consortibus donant terras Petro abbati S. Victoris de Clusis. n. CLII. 222.

1110. januario. Gregorius episcopus Arretinus dilargitur eremo Camaldulensi guaitas de castro Marciani & albergarias de casa de Arcina. n. CLIII. 223.

1110. julio. Petrus abbas S. Benedicti de Conjunctulis chartam emphyteusis facit Petro abbati S. Victoris de Clusis. n. CLIV. 224.

1110. XVII. Kl. augusti. Charta emphyteusis factæ a Johanne abbate S. Michaelis in Burgo Pisarum Rusticó, Uberto & Actio consortibus. n. CLV. 225.

1111. Kl. aprilis. Rainerius & Guinizo renuntiant suum jus in bona ecclesiæ S. Mariæ de Toma territorii Senensis Bertæ & Guillæ monialibus. n. CLVI. 226.

1111. VI. nonas maji. Præceptum Henrici regis pro bonis & monasteriis Camalduli eremo adnexis. n. CLVII. 227.

1111. V. julii. Dominicus & Stephanus Zaconi donant terras ecclesiæ S. Pauli de Ferraria subjectæ abbatiæ S. Adalberti in Pereo. n. CLVIII. 229.

1111. augusto. Donatio castri & ecclesiæ de Tegiano, quam fecit Guidoni priori Camaldulensi Rainerius filius Ardingi. n. CLIX. 230.

1111. augusto. Raimundus filius Gerardi donat eremo Camaldulensi sua jura in castra Tulliani & Laurentiani. n. CLX. 232.

1112. Constantinus rex Turritanus & Marcusa regina donant eidem eremo ecclesiam S. Petri de Iscanu. n. CLXI. 233.

1112. majo. Rainerius Ardingi & uxor ejus Gasdia tradunt prædictæ eremo tertiam partem castri de Tegiano. n. CLXII. 235.

1112. VIII. kl. decembris. Andreas Lamberti & Ghisla conjuges donant terras hospitio pauperum prope monasterium S. Frigdiani Pisarum. n. CLXIII. 237.

1113. VIII. Kl. januarii. Gerardus Guinildi cum Raimundino filio ante susceptionem habitus monastici offert eremo Camaldulensi suam partem ecclesiæ & castri de Laurentiano. n. CLXIV. 238.

1113. julio. Donatio terrarum, quam fecit Martino abbati S. Petri-minoris de suburbio Arretii Rolandus filius Pagani. n. CLXV. 240.

1113. XXVIII. octobris. Petrus, Ithocor, Marianus & alii de Aten cum eorum uxoribus tradunt eremo Camaldulensi ecclesiam S. Nicolai de Trulla in Sardinia. n. CLXVI. 241.

1113. II. nonas novembris. Bulla Paschalis II. pp. qua recensentur & suscipiuntur sub apostolica protectione monasteria Camaldulensia. n. CLXVII. 243.

1114. IV. kl. aprilis. Guelfus filius Rainerii tradit eidem eremo Camaldulensi suum jus in ecclesias, castra & curtes. n. CLXVIII. 245.

1114. aprili. Bonizo abbas Pratalienfis cedit suam portionem castri de Soci Rolando filio Tagizi. n. CLXIX. 247.

1114. V. id. septembris. Gerardus abbas Morronensis concedit ad emphyteusim Petro episcopo Pisano tertiam partem castri de Vivario. n. CLXX. 248.

1115. prid. idus aprilis. Guido abbas S. Savini prope Pisas dat ad libellum terras. n. CLXXI. 250.

1115. X. Kl. maji. Rodulphus plebanus S. Alexandri de Jugulo cum consortibus vendit terras ecclesiæ S. Salvatoris prope Florentiam. n. CLXXII. 251.

1115. III. nonas maji. Rogerius episcopus Volaterranus confirmat in abbatem S. Caf-

1125. aprili. Donatio castri de Guido facta monasterio SS. Andreæ & Gregorii de Urbe. n. CCIX. 309.

1125. Largitio Petri episcopi Montis-feretri eremo S. Johannis inter Ambas-Paras. n. CCX. 310.

1126. julio. Donatio facta Johanni priori Camaldulensi ab Ardingo filio Ardingi. n. CCXI. 312.

1127. martio. Privilegium Gothifredi episcopi Florentini pro parthenone S. Petri de Luco. n. CCXII. 313.

1127. VIII. martii. Donatio facta Johanni abbati SS. Laurentii & Hippolyti de Faventia. n. CCXIII. 315.

1128. XXI. februarii. Locatio loci illius, qui vocabatur S. Gregorius, facta a Laurentio abbate SS. Andreæ & Gregorii de Urbe. n. CCXIV. 316.

1128. III. id. martii. Petrus abbas S. Zenonis Pisarum vendit terras. n. CCXV. 318.

1128. III. junii. Locatio castri de Guido facta a Laurentio abbate SS. Andreæ & Gregorii de Urbe. n. CCXVI. 319.

1128. III. junii. Altera locatio ejusdem castri. n. CCXVII. 320.

1128. VIII. julii. Privilegium Gualterii archiepiscopi Ravennatis pro monasterio S. Severi prope Ravennam. n. CCXVIII. 321.

1129. kl. septembris. Rodulphus abbas Marturiensis vendit Rogerio archiepiscopo Pisano jura & castra aliquot sui monasterii. n. CCXIX. 328.

1130. januario. Concordium inter Bujanum electum episcopum Arretinum, & Rambertum abbatem Prataliæ circa castrum Marcianum. n. CCXX. 330.

1130. junio. Refutatio facta monasterio SS. Justi & Clementis prope Volaterras. n. CCXXI. 332.

1130. III. augusti. Venditio facta monasterio S. Michaelis in Burgo Pisarum. n. CCXXII. 333.

1130. VI. kl. octobris. Commutatio bonorum inter Henricum præpositum Arretinum & Azonem priorem Camalduli. n. CCXXIII. 334.

1131. I. novembris. Traditio turris de Arcionibus facta monasterio S. Gregorii de Urbe. n. CCXXIV. 337.

1132. V. kl. junii. Bujanus episcopus Arretinus confirmat eremo Camaldulensi privilegia suorum antecessorum. n. CCXXV. 338.

1132. julio. Benedictus prior Fontis-avellanæ commutat ecclesias cum Bernardo abbate S. Geruntii. n. CCXXVI. 340.

1133. X. kl. februarii. Bulla Innocentii II. papæ pro monasterio Morronensi. n. CCXXVII. 341.

1134. III. kl. februarii. Venditio terrarum facta abbati S. Michaelis Pisarum ab abbate Verrucense. n. CCXXVIII. 343.

1134. IIII. kl. maji. Imilia comitissa & Guido comes fundant monasterium sanctimonialium prope Poplenam. n. CCXXIX. *ibid.*

1134. V. id. junii. Bulla Innocentii II. pp. pro monasterio Sextensi. n. CCXXX. 345.

1134. VIII. kl. augusti. Fulco marchio Estensis liberat quædam bona ecclesiæ S. Salvatoris de Fracta. n. CCXXXI. 347.

1134. septembri. Bujanus episcopus Arretinus confirmat hospitium de Arcena eremo Camaldulensi. n. CCXXXII. 348.

1135. IIII. kl. aprilis. Venditio castrorum facta Uberto archiepiscopo Pisano a Gerardo abbate Morronense. n. CCXXXIII. 349.

1135. XV. maji. Promissio Petri prioris S. Martini in Podio Johanni abbati SS. Laurentii & Hippolyti Faventiæ pro fundo ecclesiæ Filiulæ. n. CCXXXIV. 350.

1135. III. id. januarii. Bulla Innocentii II. pp. pro abbatia Balneensi. n. CCXXXV. 351.

1136. X. kl. maji. Altera bulla Innocentii II. pro Camaldulensi congregatione. n. CCXXXVI. 353.

1136. IIII. id. februarii. Donatio facta monasterio de Carceribus ab Henrico duce Saxoniæ. n. CCXXXVII. 356.

1136. septembri. Maurus episcopus Arretinus confirmat bona & jura eremi Camaldulensis. n. CCXXXVIII. 360.

1137. III. id. januarii. Præceptum Lotharii imp. pro congregatione Camaldulensi. n. CCXXXIX. 362.

1137. VII. id. februarii. Imilia comitissa donat Azoni priori Camaldulensi ecclesiam S. Justi de Gricciano. n. CCXL. 364.

1137. junio. Concessio ecclesiæ S. Angeli de Colle facta Berardo priori de Mandriolis. n. CCXLI. 366.

1137. januario. Venditio terrarum facta

Camaldulensi reformandum monasterium SS. Laurentii & Hippolyti de Faventia. n. CCLXXVI. 426.

1146. IIII. kl. maji. Bellinus episcopus Patavinus subjicit monasterio de Carceribus ecclesiam S. Andreæ de Curte-rodulo, n. CCLXXVII. 427.

1146. III. nonas maji. Martinus episcopus Clusinus subjicit eremo de Vivo monasterium S. Petri in Campo. n. CCLXXVIII. 429.

1146. nonis maji. Idem Martinus tradit eidem eremo monasterium S. Benedicti de Moxino. n. CCLXXIX. 431.

1146. julio. Donatio exactionum de Mojona facta Camaldulo a Widone comite. n. CCLXXX. 432.

1147. id. januarii. Privilegium Eugenii III. pp. pro monasterio de Vivo. n. CCLXXXI. 433.

1147. III. id. februarii. Alterum ejusdem Rom. pont. pro monasterio S. Petri de Puteolis Lucensis diœcesis. n. CCLXXXII. 435.

1147. VIII. id. februarii. Ejusdem bulla pro Camaldulensi congregatione. n. CCLXXXIII. 437.

1147. VII. id. februarii. Altera pro parthenone S. Petri de Luco. n. CCLXXXIV. 440.

1147. septembri. Commutatio inita inter Hieronymum episcopum Arretinum & Rambertum abbatem Prataliæ. n. CCLXXXV. 442.

1147. circa. Donatio facta a Barrasone judice Arborense die consecrationis ecclesiæ S. Mariæ de Bonarcantu in Sardinia. n. CCLXXXVI. 443.

1147. kl. octobris. Libellus Villani archiepiscopi Pisani Ildebrando abbati S. Michaelis in Burgo. n. CCLXXXVII. 444.

1148. idib. novembris. Bulla Eugenii III. pp. qua confirmat eremo Camaldulensi donationes Hieronymi episcopi Arretini. n. CCLXXXVIII. 446.

1148. X. kl. decembris. Altera ejusdem pro monasterio S. Mariæ de Morrona. n. CCLXXXIX. 447.

1149. prid. KL. maji. Hieronymus episcopus Arretinus largitur monasterio Prati-veteris ecclesiam S. Hilarii & S. Sepulcri. n. CCXC. 449.

1149. prid. KL. maji. Petrus abbas S. Gregorii de Urbe tradit castrum Vetulum in emphyteusim. n. CCXCI. 450.

1149. IIII. KL. novembris. Gerardus Bononiensis confirmat bona parthenonis Septem-fontium. n. CCXCII. 451.

1150. XV. KL. septembris. Transactio inter abbates S. Michaelis de Verruca & S. Michaelis in Burgo Pisarum. n. CCXCIII. 453.

1151. III. KL. aprilis. Bulla Eugenii III. pp. pro monasterio S. Quirici de Rosis. n. CCXCIV. 454.

1151. septembri. Donatio ecclesiæ S. Crucis facta monasterio Vallis-castri. n. CCXCV. 456.

1151. octobri. Commutatio terrarum inter Mariam Griffoli & monasterium Prati-veteris. n. CCXCVI. 457.

1152. X. martii. Confirmatio concordiæ statutæ ab Octaviano cardinale inter episcopum Faventinum & abbatem S. Hippolyti. n. CCXCVII. 458.

1152. martio. Caleth præpositus S. Fortunatæ de Sutrio commutat terras. n. CCXCVIII. 459.

1152. III. kl. septembris. Venditio facta Villano archiepiscopo Pisano ab abbate Morronæ. n. CCXCIX. 460.

1153. junio. Rainerius comes cum Altruda matre tradit eremo Camaldulensi monasterium SS. Trinitatis de Monte-herculis. n. CCC. 462.

1153. XVI. KL. julii. Privilegium Eugenii III. pp. pro Camaldulensi congregatione. n. CCCI. 464.

1153. Aliud ejusdem pro monasterio S. Silvestri Montis-subasii. n. CCCII. 466.

1153. VIII. id. augusti. Testamentum Bonfilii Pilati pro monasterio S. Michaelis in Burgo Pisarum. n. CCCIII. 467.

1154. id. januarii. Bulla Anastasii IV. pp. pro monasterio de Agnano. n. CCCIV. 469.

1154. III. junii. Privilegium Gerardi episcopi Bononiensis pro monasterio S. Christinæ Septem-fontium. n. CCCV. 470.

1154. novembri. Ildebrandinus comes restituit terras occupatas monasterio Berardingorum. n. CCCVI. 472.

1154. III. nonas decembris. Præceptum Friderici I. regis pro congregatione Camaldulensi & monasteriis imperialibus. n. CCCVII. 473.

1155. II. id. martii. Bulla Adriani IV. pp.

IN-



INDEX

RERUM ET NOMINUM, QUÆ CONTINENTUR IN TOMO TERTIO ANNALIUM CAMALDULENSIUM.

Numeri, quos non præcedit litera A, ad ANNALES pertinent, quos vero litera A præcedit, spectant ad APPENDICEM.

Litera a. initium paginæ, b. medium, c. finem designat.

A

B

CAC.

C

Clu-

D

E

Ernal-

F

S. Fran-

G

H

Hubal-

I

L

204.

M

S. Mar-

Mon-

N

O

Ode-

P

Pascha-

S. Pe-

Q

R

Rodul-

S

Sagan-

Sma-


T

V


Z

Zaga-

FINIS TOMI TERTII.







ANNALES
CAMALD.
ORD. S. BENED.

TOM. III.